
BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
X
H
4
NAPOLI



SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
DOMINI
CLEMENTIS
PAPÆ XI.
CONSTITUTIO
UNIGENITUS
Theologicè propugnata.

TOMUS TERTIUS

Cum Synopsi.









ROMÆ

Apud Jo: MARIAM SALVIONI. Typographum VATICANUM

In Archigymnasio SAPIENTIÆ.

MDCCXXI.

SUPERIORUM FACULTATE.

APPROBATIO

Eminentissimi, ac Reverendissimi Domini

THOMÆ PHILIPPI S.R.E. PRESBYTERI CARDINALIS DE ALSATIA, DE BOUSSU,

Dei, & Apostolicæ Sedis Gratiâ Archiepiscopi Mechliniensis, Primatis Belgii, &c.

QUod de viro undequaque Eminentissimo, nec minùs Sanctitate, quàm doctrinâ venerabili, Roberto Cardinale Bellarmino, passim tradidere Catholici Scriptores, controversiarum ejus Libros, accuratissimâ methodo digestos, ævi istius Sectarios, incredibili Catholicorum omnium applausu, & fructu debellasse; id non impari merito ad harum Constitutionis Unigenitus Vindiciarum Anthorem transferri posse videtur, cujus jam tertium absolutissimi operis Volumen prodit, exarmans novos seculi nostri Sectarios, eo periculosiores, quod filii degeneres adversùs Matrem pugnare non desinant. Ad hujus itaque lectionem ipsos impensè hortamur, non desperantes correctionem; Si modò, sepositâ arroganti præsumptione, doceri se sustineant, & invictissimis argumentis non ultra refragantes, agnoscant, quantâ æquitate, & necessitate compulsus fuerit Sanctissimus Dominus Noster Universalis Ecclesiæ Pastor, & Doctor, centum, & unum temerarii bomnncionis errores configere, quemadmodum hoc quoque Vindiciarum volumine evidentissimè demonstratur. Istud igirur, æquè, ac priora duo, omni Theologicâ Catholicâ doctrinâ, & erudirione refertum, atque ad reducendos erroneos fratres aptissimum, nostro suffragio, & auctoritate approbamus.

Datum Mechliniæ in Palatio nostro Archiepiscopali die 3. Aprilis anno 1721.

Tho. Cardinalis de Alsatia Archiepiscopus Mechlinien.

De mandato Eminentiss., ac Reverendiss. D. Cardinalis Archiepiscopi
G. P. Hoynck Van Papendrecht Secretarius.

APPROBATIO

Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini

D. THOMÆ JOSEPHI A MONTIBUS

Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopi Seleuciæ, Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ XI. *Episcopi Assistentis, & Prælati Domestici: Sacrosanctæ Archibasilicæ Lateranen. in Urbe Canonici; Episcoporum Examinatoris; Congregat. Sacror. Rituum, & Supremi Romanæ Inquisitionis Tribunalis Consultoris.*

MIhimetipsi lubens adgratulor, quod Tomi quoque Tertii *Constitutionis* Unigenitus *Theologicè propugnatæ*, approbandi sors tenuitati meæ feliciter obrigerit. Excelsum quidem, majestatisque plenum præsefert argumentum, cunctis Christicultoribus apprimè proficuum, cunctis item Euangelicam Legem callentibus certum, solummodò iis qui à vera Religionis unitate, perfectâque claritate desciverunt, capitaliter exosum. In eo, ut in prioribus, Autbor sibi semper similis, idemque est; semper scilicet modestum disceptatorem Theologum agit, nullatenus audacem Fidei Definitorem. Quicquid etenim censuram Propositionis cujuslibet peculiarem redolet, non pluris eam fieri desiderat, qnàm propositæ juxta ejus sensum rationes ostenderint. Menrem Pontificis scrutari ultra, quàm ipse declaravit, neutiquam præsumit; sed quod ab eadem inconcussa Petri Cathedra præscriptum fuerit, id unum firmiter amplectitur; quod repudiatum, omnino repudiat, & damnat. Quandoquidem novit scientissimus æquè, ac prudentissimus harum Propositionum impugnator, ad veritatem, tam quoad dogmata, quàm quoad

S. Petr. Damian. Opusc. 38. contra errorem Graecorum.

motum disciplinam, indagandam, rectà consulendum nobis esse Sedis Apostolicæ unum, idemque infallibile cœleste responsum. Hinc summis à D. Petro Damiani laudibus effertur Patriarcha Gradensis, quod à Sanctissimo Papa Alexandro postulaverit, ut quæstionem ipsi solveret, cùm videlicet Spiritus Sanctus apud Latinos à Patre dicatur Filioque procedere, cùm apud Græcos à solo procedere Patre credatur: *Laudabilis planè*, sic inquit Purpuratus Antistes, *Sanctitatis Vestræ prudentia, & digni favoris est attollenda præconiis, quæ solvendam Sancti Spiritus quæstionem non ad alium quempiam, sed ad Petrum specialiter, quem cælestis sapientiæ, & potentiæ claves accepisse indubitanter agnoscit. Nec decebat tantæ dignitatis, & sapientiæ virum ab alio mysteriis cælestis arcana requirere, nisi ab illo potissimùm quem non caro potuit, vel sanguis instruere, sed cui Deus ipse per se sua secreta dignatus est aperire: Beatus es, inquit, Simon Barjona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in Cœlis. Hunc enim præ cæteris mortalibus de toto terrarum Orbe Conditor orbis elegit, cui Cathedram magisterii principaliter in Ecclesia tenere perpetuo privilegii jure concessit; ut quisquis divinum aliquid, ac profundum nosse desiderat, ad hujus Præceptoris oraculum doctrinamque recurrat. Nec illi humiliter afferri, quod solvendum est, erubescat, etiamsi & ipse, quod quæritur non ignoret. Numquid enim Angelus de Cœlo veniens docere nesciebat Cornelium, quem videlicet, ut quid sibi agendum esset, addisceret, destinavit ad Petrum? Mitte, inquit, viros in Joppen, & accerse Simonem, qui cognominatur Petrus. Hic dicet tibi quid te oportet facere. Hic poterat planè Sanctus Angelus hominem docere gentilem quid sibi competeret ad salutem, sed hujus usurpare nolebat officium, cujus docendi noverat fuisse commissum.* Hunc unum namque, solumque, veluti Vicarium suum, vocavit Deus ad supremum Apostolatûs apicem; *Ut omnes* [subnectit Augustinus] *sint in Pastore uno, & dicant vocem Pastoris unam; & non illum ant istum, sed unum, & omnes in illo unam vocem dicant, diversas voces non habeant. Hanc vocem eliquatam ab omni Schismate, purgatam ab omni hæresi audiant omnes, & sequantur pastorem suum dicentem, quæ sunt oves meæ, vocem meam audient, & sequentur me.* Ex his igitur salubris doctrinæ fontibus scientiam suam bibisse videtur acerrimus hic Constitutionis Clementinæ Propugnator; quin etiam ab eodem Ecclesiaste doctus apparet; qui ait: *Verba Sapientium sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi; quæ per Magistrorum consilium data sunt à Pastore uno.* A Pastore inquam, uno, quem Christus in lege nova constituit in Sancto Petro, ejusque succedentibus Pontificibus Romanis: *Ut ab uno Pastore*, subinfert Cornelius A Lapide, *unitas fidei, & doctrina hauriretur, & servaretur; nec in varias iretur hæreses, & errores, uti solidè, & eleganter docet S. Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ*: & uti in istis Novatorum refutandis Propositionibus sequi *Pastorem unum* profitetur laudatissimus hic Author. Ita censeo Granatæ Pridie Kalendas Aprilis 1721.

D. Aug. Tract. de Pastoribus lib. uno in c. 34. Ezech.

Eccle. 12. 11.

A Lap. in Eccle. 12.

Thomas Josephus Archiepiscopus Seleuciæ.

APPROBATIO

Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini

HENRICI JOSEPHI VAN SUSTEREN

Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopi Brugensis, perpetui, atque hereditarii Flandriæ Cancellarii &c.

QUemadmodum præstantissimi Operis *Constitutio* Unigenitus *Theologicè propugnata* Tomum 1. & 2. debitis laudibus prosecuti sumus, sic nobis, & toti Ecclesiæ gratulamur editionem Tomi Tertii, quo ad debellandam novam hæresim nihil desiderari potest efficacius. Opus sanè numeris omnibus absolutissimum est, exhauriens atque dejiciens quidquid controversiæ à novatoribus Jansenianis toto octoginta annorum spatio contra doctrinam sanam, & fidem Ecclesiæ suscitatum est. Nam decem ultimi, qui Tomo Quarto reservantur Articuli, contumelias potiùs & calumnias contra Ecclesiæ Moderatores continent, quàm assertiones dogmaticas. Neque illis suo tempore idem eruditissimus Author deerit, qui à Cœlo donatus videtur, ut ad sanandum *Israel*, revelaret iniquitatem *Ephraim*, sive subtile Jansenianæ hæreseos venenum, quod eò periculo-

iculo fius, quo callidiore arte fermento Pharifaico, & pietatis fuco magis involutum Fidelibus propinatur. Illud laudati Operis Tomus hic tertius, uti & uterque prior Ecclesiæ detegit, ac tam dilucidè lectori cuilibet ponit ob oculos, tam potenti destruit antidoto, desumpto ex Sacris literis, Sanctis Patribus, Oecumenicis Conciliis, & definitionibus Pontificum, ut nemini in posterum nisi spontè sibi interitum consciscere volenti, nefandæ vitus hæreseos Jansenianæ valeat nocere. Tomus hic tertius Testamentum vetus, ejusque Duces, & Doctores Sanctissimos Moysen, Prophetas, Sacerdotes à calumniis vindicat, uti & salubertimum Dei, æternorumque suppliciorum timorem à blasphemiis, quibus eos irreligiosa Quesnelli maledicentia conspurcare moliebatur. Illic perniciosa refellitur temeritas, ita viam salutis abbrevians, ut totum salutis negotium fide, & precibus concludat. Illic stabiliuntur vera nostra, & propria per gratiam merita, ita ut non omnis usus, augmentum, & præmium fidei, sit donum puræ, seu meræ liberalitatis Dei. Illic altera à Sanctorum afflictionibus avertitur contumelia, quas non immitti semper ad puniendum peccatum, vel purificandum peccatorem; sed ad fines sæpè nobiliores, universa credit Ecclesia. Ibi diffringitur exitialis machina Novatorum, qua arrogare sibi præsumunt potestatem ob sui conservationem dispensandi se à lege qualibet; quam Deus ob hominis condidit utilitatem. Illic ostenditur neque Ecclesiam acephalam esse, seu gregem sinè Pastoribus, neque à partium, & membrorum etiam præcipuorum numero rescissos esse quoslibet peccatores. Cui veritati opposita novitas summam in Ecclesiæ regimen inveheret perturbationem, unde & præberetur dissolutionem amantibus occasio, ut omnis abrogaretur obedientia superioribus, quos peccato censerent obnoxios, quales Jansenistarum opinione omnes sunt, qui eorum novitatibus adversantur. Eodem Tomo Regulis Tridentini Indicis, Quartæ potissimùm Novatoribus odiosæ, sua firmatur authoritas, & præsens Ecclesiæ tum in administrando Pœnitentiæ Sacramento, tum in Divinis Officiis Disciplina stabilitur; uti & excommunicandi potestas Ecclesiæ Pastoribus concessa, itaut in sui exercitio minimè pendeat à totius corporis consensu sive subsistente, sive præsumpto. Denique rectè subvertitur exitialis Jansenistarum regula ad omnes Ecclesiæ excommunicationes obtentu injustitiæ eludendas subdolè excogitata.

Quapropter ardentissimè desideramus, ut saluberrimum hoc opus legant Filii obedientiæ, qui Matrem suam Ecclesiam imitati, Constitutionem illam amplecti non dubitarunt. Illic obedientiam suam videbunt, non tantùm columnâ, & firmamento veritatis inniti; sed & vinculo agnitæ veritatis constringi, confirmarique. Si Filii Babylonis etiam non dedignentur hoc Opus consulere, pudebit ipsos ulteriùs contra stimulum calcitrare, & explicationibus variis partim Constitutionis sensum aliò detorquentibus, partim inutilibus, inconsutilem Christi tunicam conscindere, ac denique nisi agnitam veritatem impugnare fixum ipsis animo sedeat; requiescet super ipsos Spiritus unionis, & orietur abundantia pacis super Israel. Fiat: Fiat.

Datum Brugis in Palatio nostro Episcopali die 8. Aprilis anno 1721.

Henricus Josephus Episcopus Brugensis.

APPROBATIO

Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini

JOANNIS BAPTISTÆ DE SMET

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Iprensis &c.

OPus, cui Titulus, *Constitutio* UNIGENITUS *Theologicè propugnata &c.* nunc tertio Tomo auctum, duobus prioribus apud Catholicos bonos omnes debitam laudem, id est summam pridem est assecutum, uberes fructus in Ecclesia Dei peperit, quotidie parit magnos, promittit maximos. Æquali commendatione, in lucem prodit hic Tomus tertius. Nihil in eo occurrit, quod Doctrinæ Catholicæ, aut bonis moribus adversetur, sed Authoris absoluta in hac materia eruditio duratis laboribus comparata, cui parem nemo publicam fecit. Accedit in detegendis pessimæ hujus hæresis fraudibus con-

constans ubique, & docta solertia, in præcludendis hostium Ecclesiæ effugiis; & stabilienda Religionis Catholicæ veritatibus prudentissima soliditas, quæ singula styli, & animi autoris moderatio, absque ulli debitæ reverentiæ, aut alicujus Catholicæ sententiæ læsione ornat religiosissimè. Quare equidem judico Autorem in hisce studiis veri herois partes explevisse, opus verò prælo dignissimum esse Ecclesiæ Dei, Ministris, & Protectoribus utile juxta ac necessarium, ut utraque potestate, ubicumque inveniantur rebelles illi, conterantur.

Datum Mechliniæ 22. Aprilis 1721.

Joannes Baptista de Smet Episcopus Iprensis.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

Th. Cervinus Archiepiscopus Nicomediæ Vicesger.

APPROBATIONES

TERTII TOMI CUM SYNOPSI.

JUssu Reverendissimi Patris Fratris Gregorii Selleri Sacri Apostolici Palatii Magistri intento animo perlegi tomum tertium Operis inscripti, *SS. D. N.* Clementis Papæ XI. *Constitutio* Unigenitus *Theologicè propugnata*, in quo confutatio Propositionum Quesnelli eâdem Constitutione damnatarum indefesso usque ad nonagesimam primam continuatur labore. Tantum abest, ut Fidei, honestati, aut sanæ doctrinæ contineat aliquid non consentaneum, ut maximè illam elucidet, tueatur, & à Jansenistarum temeritate, & Quesnellianorum impudentia potentissimis ubique vindicet armis. Siquidem celeberrimus Author, præclaris duobus præcedentibus tomis, uberi studiosorum profectu in lucem editis, Orbi universo notissimus, in hoc etiam Volumine solidissimè, & orthodoxa dogmata propugnat, & Adversariorum frænat audaciam, irritosque demonstrat conatus: illosque, manifestis redargutionibus passim utens, propriis ipsorum argumentis absurditatis, impietatis, ac rebellionis convincit, & eo, quem adversùs veram doctrinam distringunt, mucrone confodit. Dignissimum itaque tertium hunc tomum censeo, ut ad communem utilitatem prodeat in publicum.

Ex Conventu S. Mariæ supra Minervam die 3. Maji 1721.

Fr. Augustinus Pipia Ord. Præd. Sacræ Congreg. Indicis Secretarius, ac Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis Qualificator.

HUnc tertium tomum cui titulus est *Sanctissimi Domini Nostri* Clementis Papæ XI. *Constitutio* Unigenitus *Theologicè propugnata*, ex mandato Reverendissimi Patris Fratris Gregorii Selleri Sacri Apostolici Palatii Magistri accuratè perlegi, nihilque in eo, ut nec in duobus præcedentibus inveni, quod virtutem non exerceat, quod non ædificet fidem, sed Author ubique præstantissimus Orthodoxos dum erudit, novis semper, ac solidissimis hæresim Jansenianam jugulat argumentis; Quapropter ad summam catholicæ fidei, contra Quesnellianorum fraudes defensionem censeo, hunc tertium tomum, sicut priores duos luce publica, & immortalitate esse donandum.

Romæ ex Aracœli die 8. Maji 1721.

Fr. Jo: Antonius de Panormo Ordinis Minorum, Sacr. Congreg. Indicis, & Sacr. Rituum Consult., nec non S. R. Universalis Inquisit. Qualificator.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Sacri Palatii Apostolici Magister Ord. Prædic.

MO-

MONITUM
AD LECTOREM.



Ecreveram finem imponere Propositionibus hoc Tomo Tertio: Futurum istud faciliùs videbatur ex eo, quod decem ultimæ nihil contineant dogmatici, nihil operosam postulans confutationem. Verùm & priores viginti novem uberiorem, quàm prævideram, subministravere disputationibus materiam, ut licèt Synopsis in arctissimum redacta compendium sit; excedat tamen aliquantulum Tomus hic magnitudinem utriusque superioris, & votum Typographi. Censuere etiam ii, quorum mihi consilium regula est, non adeò, quàm statueram, perfunctoriè tractari oportere Propositiones decem reliquas; quia, inquiunt, etsi illæ nihil præseferant dogmatici; non minus tamen complectuntur veneni pestiferi, & exitialis, quàm ullæ ex superioribus maximè detestandis. Quapropter reservare expediet decem ultimas in Tomum quartum, qui præterea dabit totius Ecclesiæ erga Constitutionem Unigenitus obedientiam, documentis authenticis Episcoporum, Academiarum, aliorumque innumeris comprobatam. Locus ibidem erit confutandis objectionibus, si quæ interea ab adversariis prodeant, quas toto expecto avidus triennio, ipsique comminati mihi fuerant per devotum sibi Hollandiæ Gazettarium mox ut Tomus primus lucem publicam aspexit. Nihil autem infesti operis comparuit hactenus præter levem mei memoriam in duorum Gallicanorum Antistitum Pastorali Institutione, & Decreto. Priori, quantum opus fuerat, respondi in Monito Superioris Tomi. Responsionem posteriori convenientem differo in Tomum proximum, quem intrà menses aliquot, si Superis placuerit, me editurum confido.

DE-

DECLARATIO AUTHORIS.

DIsputatorem Theologum, non Fidei Definitorem ago. Ideo quidquid censuram Propositionis cujuscumque determinatam alicubi sapere videbitur, non plus eam valere cupio, quàm allegata secundùm meam sententiam argumenta probaverint. Neque enim is ego sum, qui Summi Pontificis mentem scrutari audaciùs præsumam circa id, quod ipsi declarare non placuit. Sanè cùm ex ipsis Constitutionis Apostolicæ verbis pateat, censuras varias Propositionibus *respectivè* inflictas fuisse, non singulis singulas *determinatè* applicatas, *dicendum est* (ut præclarè in simili monet Suarez de Gratia part. 1. Proleg. 6. cap. 2. num. 8.) *Apostolicam Sedem non tam fuisse solicitam de illa particulari applicatione censuræ quoad speciem, vel gradum ejus, quàm de exterminanda, & abolenda tota illa doctrina, sicut statim fecit, illam damnando, & in posterum interdicendo. Ad hunc autem finem sufficiens fuit illa generalis censura, licèt plura membra contineat; quia qualibet nota illarum sufficit, ut doctrina ipsa circumscribatur, etiamsi propria nota, & censura uniuscujusque Propositionis per regulas Theologiæ ad singulas applicanda Doctoribus Theologiæ permittatur. Neque est novus hic modus damnandi pravam aliquam doctrinam, quæ plures continet: nam simili modo damnavit Leo X. articulos Lutheri in sua Bulla, & Concilium Constant. articulos Joannis Vviclef, & Joannis Hus sess. 8. & 15.*



SAN-

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS XI.

PONTIFICIS MAXIMI

CONSTITUTIO UNIGENITUS,

Providè, ac justissimè damnans Propositiones centum & unam, excerptas ex Libro Gallico *Observationum Moralium in Novum Testamentum*,

Theologicè propugnata.

Sexagesima Tertia Propositio Damnata.

Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore. *Obs. Mor. Rom.6. cap.*14.

CAPUT I.

Propositionis impugnatio.

1 ALITIAM articulus præsefert satis patulam; ut cuilibet non imperito theologo videri debeat censurâ dignissimus, sive verba sensu obvio accipias, sive cum circumstantia authoris. Propositum dogma est *Observatio moralis* in capitis 6. ad Romanos versum 14. Dispiciendum itaque ante omnia, an textus Apostoli præbere potuerit effati adeò exotici fundamentum. Dixerat Paulus versu 13. *Exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justitiæ Deo.* Tum sequitur versu 14. *Peccatum enim vobis non dominabitur; non enim estis sub lege; sed sub gratia.* In quem locum ita Angelicus lect.2. „ Considerandum est, quod [Apostolus] non „ loquitur hic de lege solùm quantum ad „ ceremonialia; sed etiam quantum ad „ moralia. Sub lege quidem aliquis dici„ tur esse dupliciter: uno modo quasi le„ gis observantiæ voluntariè subjectus: „ & hoc modo etiam Christus fuit sub le„ ge, secundùm illud Gal.4. *Factum sub le„ ge*; quia scilicet legem observavit; non „ solùm, quantum ad moralia; sed etiam „ quantum ad ceremonialia. Fideles au„ tem Christi sunt quidem hoc modo sub „ lege quantum ad moralia; non autem „ quantum ad ceremonialia. Alio modo „ aliquis dicitur esse sub lege quasi à lege „ coactus: Et sic dicitur esse sub lege, qui „ non voluntariè ex amore; sed timore „ cogitur legem observare. Talis autem „ caret gratiâ; quæ, si adesset, inclinaret „ voluntatem ad observantiam legis, ut ex „ amore moralia ejus præcepta impleret. „ Sic igitur quamdiù aliquis sic est sub le„ ge, ut non impleat voluntariè legem, „ peccatum in eo dominatur, ex quo vo„ luntas hominis inclinatur, ut velit id „ quod est contrarium legi; sed per gra„ tiam tale dominium tollitur: ut scilicet „ homo servet legem, non quasi sub lege „ existens; sed sicut liber Gal.4. *Non sumus „ Ancillæ filii; sed liberæ, quâ libertate* Chri-

„ *Christus nos liberavit*. Hanc autem gra„ tiam facientem hominem liberè legem „ implere, non conferebant legalia Sacra„ menta; sed conferunt eam Sacramenta „ Christi. Et ideo illi, qui se ceremoniis „ legis subjiciebant, quantum pertinet ad „ virtutem ipsorum Sacramentorum lega„ lium, non erant sub gratia; sed sub le„ ge, nisi fortè per fidem Christi gratiam „ adipiscerentur. Illi verò, qui se Sacra„ mentis Christi subjiciunt, ex eorum vir„ tute gratiam consequuntur, ut non sint „ sub lege, sed sub gratia: nisi fortè per „ suam culpam se subjiciant servituti pec„ cati „. Ita Angelicus, cujus vestigia legens Cornelius à Lapide sic prosequitur. „ Occurrit Paulus objectioni huic: Quo„ modo possumus servire justitiæ, non pec„ cato; cùm imbecilles simus ad resisten„ dum peccato, ejusque tentationibus, & „ hactenus totus mundus, adeòque nos „ ipsi serviremus peccato? Respondet Apo„ stolus; Licèt peccatum in mundo tem„ pore Adæ, & tempore legis Mosaicæ do„ minatum sit; Vobis tamen, o Christiani, „ qui per baptismum mortui estis peccato, „ & gratiâ Christi roborati, peccatum do„ minari non potest: Intellige per se, & ju„ re suo, uti dominatum fuit ante Chri„ stum; nisi videlicet vos ipsi sponte gra„ tiam Christi abjiciatis, & dedatis vos „ peccato. Unde explicans, causamque „ assignans subdit Apostolus: *Non enim estis* „ *sub lege, sed sub gratiâ*: Quasi dicat pecca„ tum iis, qui sub gratia sunt, dominari ne„ quit, nisi ipsi liberè se peccato subjiciant: „ iis verò, qui sub lege sunt, non sub gra„ tia, quasi jure hæreditario ab Adamo „ huc usque præscripto dominatur pecca„ tum. Licèt ergo peccatum fideles, qui „ sunt sub gratia, oppugnet, eisque bel„ lum moveat; tamen iis suo nutu, & im„ perio dominari nequit, quin facilè ab „ iisdem per gratiam Spiritûs Sancti vinci, „ & domari potest „. Utrumque commentarium volui reddere integrum, ut lector Catholicus perspiciat: nihil in Apostolo: nihil in Eruditissimis ejus interpretibus contineri simile ei, quod veluti Apostolicò sensui conveniens à Quesnello protruditur. Verùm, ut aranea succos florum saluberrimos novit convertere in venenum mortiferum; ita nihil in Scripturarum oraculis ram potest esse sanctum, quod novaturientium temeritas, & impietas hæreticorum pravis interpretationibus, vel observationibus non corrumpat.

2 Non possum equidem in animum inducere, Quesnellum eò dementiæ prolapsum, ut velit propositionem suam intelligi prout sonat in rigore, & significatione obvia verborum: *Baptizatos adhuc esse sub lege, sicut Judæos; si legem non adimpleant, aut adimpleant ex solo timore*. Si enim illud *esse sub lege sicut Judæum*, acceperis juxta enuntiationis latitudinem, baptizatus istiusmodi tenebitur iisdem legibus, quibus Judæus, etiam ceremonialibus: quod non veritati solùm notissimæ, sed fidei quoque catholicæ adversatur. Quamquam non magis forsitan mirum videbitur, Quesnellum eò devenisse ineptiarum, ut baptizatum quemlibet legi solâ formidine obedientem subjicere velit omnibus præscriptis lege ceremoniis, quàm quòd timorem omnem statuat *bestialem* art.66. *servilem* etiam quadruplicis accuset blasphemiæ art.67. Verùm, ut nos cum authore tam temerario, & totam novitatibus, *querelis, protestationibus* conturbante Ecclesiam agamus liberaliùs, absolvatur animus à ram peregrino, & hæretico dogmate, remaner tamen imprudentia expressionis, non malè tantùm, sed pessimè sonantis.

3 Remanebit, & aliud enontiationis virus, à quo eam purgari noluerit Quesnellus; quod scilicet baptizatus solo metu obediens legi, sub ea sit veluti Judæus, nullam ab eadem in Quesnelli sententiâ etiam aliunde gratiam recipiens. Lex nempe scripta in tabulis lapideis instar pædagogi dictabat subditis observanda; nihil subsidii conferens ad exequendum. Lex verò nova baptizatorum cordibus inscripta à Spiritu Sancto per gratiam justificantem, quæ ipse charitatis habitus est, vel ab eo inseparabilis, comites secum ducit plurimos inferioris ordinis, nempe fidem, spem, religionem, & reliquarum virtutum moralium habitus. Hi sive per se, sive per auxilia, quæ eorum & baptismi intuitu uti & confirmationis, si Sacramentum istud susceperint, per Christi merita longè copiosiùs in Testamento novo, quàm veteri conceduntur, baptizatos ad mandatorum obedientiam singulariter excitant, movent, & adjuvant. Omnia verò ista novi fœderis subsidia adimere baptizatis solo timore legem implentibus, meos apparet novatoris, certè sensus articuli manifestus est: ideo neque à temeritate excusandus, neque à falsitate. Videatur in exemplo: Hominem statuo à Judaica perfidia ad fidem Christi catholicam recentissimè conversum, cum baptismo sanctificantem gratiam accepisse, uberiorem etiam in confirmatione. Is, ut fieri natum est,

est, ob inveteratos ex prava dudum consuetudine habitus, qui baptismatis gratiâ non simul expelluntur, variis mox iterum pulsatur tentationibus; quibus si resistat, & legem tantisper impleat sola Dei vindicis formidine, quæ ratio, quæ authoritas libertatem ipsi statim eripiet, quam Mosaicâ servitute per baptismum depositâ, jam noscitur acquisivisse? Ne quidem est cur sanctificante gratiâ exuatur, nisi principium suppsosueris, quod in superioribus Quesnelli propositionibus destruxi, præcipuè 62. quod *qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committat in corde suo*. Proculdubio quisquis longo tempore, & in iis circumstantiis, pro quibus mandatum primum, maximumque dilectionis obligat, solo ducitur timore, reus fiet noxæ lethiferæ; sed non propterea incurrirur reatus, quoties non aliâ, quam formidinis ratione lex fuerit adimpleta. Aliam scio esse novæ Ecclesiæ doctrinam. Sed ista qualiscumque novaturiens authoritas non tanti ponderis est, ut, refragante totius vetustatis Traditione, & universâ etiam hoc tempore Christi Ecclesiâ, spolietur vetustissima, & inconcussa veritas possessione, aut ita operans privetur statim justificationis gratiâ, atque in Judæorum ordinem redigatur; maximè si, ut propositio sonat, toti legi Mosaicæ veluti Judæus subjiciendus sit.

4 Quesnellus *Documento* 5. typis edito pag. 235. explicans propositionem suam, *Esse*, [inquit] *sub lege, est subjici dominanti peccato; illic enim homo carens gratiâ, amore & charitate, nihil habet in corde præter formidinem servilem*. Callidè omittitur in priore parte *sicut Judæus*, nam ut interprete Angelico videmus, neque ullus diffitebitur Theologus, potest aliquis *sub lege* esse diversimodè, ut nihil sententiæ noceat communi; at si addideris *sicut Judæus*, ad errorem absurdissimum determinatur prioris vocis, aliàs vaga, significatio. Longè scilicet aliter Christianus, aliter Judæus legi subditus prædicatur. Verùm, ut baptizatum illum meliùs intelligas omnibus Christianismi dotibus, gratiis, prærogativis, libertate excidisse, retento solo baptismatis, & forsitan confirmationis charactere [si tamen hic philosophiæ placeat adversariorum] Christiaui illum nomine propositio non dignatur; sed solummodo *baptizati*.

Multo itaque aliter Quesnellus in memorata articuli expositione *dominatum peccati*, uti & absentiam gratiæ intelligit, quàm Paulini textûs Interpretes Orthodoxi.

Hi enim peccatum quidem in peccatoribus, potissimùm adultis, ita dominari asserunt, ut totum occupet hominem, atque æternæ teneat obnoxium servituti: frequentes præterea in eo motus excitet, ut novis eum semper amplius involvat retibus, novis reddat obstrictum debitis, atque suppliciis. Quesnelli verò sententia est, baptizatum illum privari omni non solùm habitu sanctificantis gratiæ: sed omni pariter supernaturali auxilio, unde perpetua ipsi obveniat peccandi necessitas. Istud est iniquitatis mysterium, quod juxta Quesnelli sensum hæreticum continet damnatus articulus, & vocum ambiguarum tenebris modò nititur occultare; non, ut errorem corrigat; sed obtegat, à sectatoribus satis intelligendum, & ab his suo tempore, & loco insinuandum simplicibus. Quod ne temere suspicari videar, sensum hunc hæreticum sub dolosis vocibus juxta Quesnelli sententiam latêre, facilè demonstro.

5 Propositio 6. asserit: *Discrimen inter fœdus Judaicum, & Christianum esse, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore; relinquendo eum in sua impotentia; in isto verò Deus peccatori dat quod jubet, illum suâ gratia purificando*. Prop. 7. *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ verò felicitas non est, admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?* Quòd verò is baptizatus, si legem ex solo impleat timore, reus fit omnium criminum, à quibus solo se continuerit metu, præcedens propositio declarat: *Qui à malo non abstinet nisi timore, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*. Si igitur legem solâ implens formidine, excidat omnibus novi fœderis prærogativis, & *sub lege sit sicut Judæus*, incidit in servitutem legis veteris miserrimam; cùm per prop. 6. *in illo fœdere Deus exigat fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in suâ impotentiâ*. Ita demerebitur peccator, & æterna novis semper cumulabit noxis supplicia, quas in sua relictus impotentiâ nequiverit evitare.

Præterea ita legi subjici, est incurrere ejus *maledictum*; per propositionem autem 64. *Sub maledicto legis numquam fit bonum, quia peccatur, sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando*. Peccatur itaque in omni opere, & quidem necessitate indeclinabili. Prop. 7. *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati*, sive ut propo-

sit. 6. dicitur *relinquendo illum in sua impotentiâ* absque necessario gratiæ subsidio? Et quidem propositio 7. non de solis loquitur peccatoribus; sed de omnibus, ut patet, indefinitè sub lege veteri constitutis. Proinde si baptizatus ex solo timore legem implens *adhuc est sub lege, sicut Judæus*, non solùm in animo committit peccatum quodcumque conatur fugere; sed etiam committit necessariò; quia ab illo *Deus exigit fugam peccati, & implementum legis, relinquendo illum propriæ infirmitati, & impotentiæ*.

6 Dicesne voluntariam, & liberam peccandi necessitatem; quasi eam homo liberè elegerit, volendo legem implere sola formidine, cùm posset, & deberet maximè charitate? Sic, inquies, efficere baptizatus potuit, ne legi subjiceretur ut Judæus; sed potiri pergeret libertate, quam nobis amantissimus Servator fuso sanguine comparavit. In statu isto Christianis proprio, non relinquimur infirmitati nostræ, & impotentiæ: imputet itaque ille sibi, quòd charitatem formidini postponendo, hac potiùs, quàm istâ dirigi maluerit, atque ita se legis veteris servituti imprudenter, aut malevolè submittens, calamitatem, sub qua gemit, spontè elegerit. Frivola & solis digna deceptoribus, solis fallendis simplicibus idonea excusatio est. Consideretur propositio 8. *Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit*. Quæro igitur an in nostra positum sit potestate, ut gratiæ istius simus participes? Si affirmaveris; sciscitor iterum, an ea nobis obveniat potestas solis naturæ viribus, quæ hæresis certissimè Semipelagianorum est? Si potestatem naturæ viribus denegaveris, ut omnem decet Catholicum, redit quæ cavenda unicè fuerat difficultas, quomodo eligere homo liberè potuerit formidinem inter & charitatem, ut hanc illi præponeret, ne in judaicam miserrueret servitutem? Si charitatem enim non modò non eligimus; sed neque eligere possumus absque Christi gratia, ut fides docet; quia, inquit Christus, *sinè me nihil potestis facere*, nihil velle, aut cogitare, quod ducat, aut præparet ad salutem, aut veram justitiam. Defuit gratia efficax ut patet: alia sufficiens juxta Quesnellum nulla est; nam, ut definit Art. 3. *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis*. Art. 4. *Ita Domine: Omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo*, utique auxilio efficaci, sinè qua operatione, sinè quo auxilio nihil juxta novum theologum possibile est. Eadem est articuli secundi assertio, *Jesu Christi gratia principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solùm nihil fit; sed nec fieri potest*. Plurimis istiusmodi articulis prætermissis, clarissima apud Quesnellum est gratiæ definitio, quam vel tironibus notum est, debere definitis omnibus seu singulis convenire: Art. 10. *Gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*. 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet*. Definitio hæc totis quatuordecim ibi sequentibus stabilitur articulis, tot figuris, exemplis, phrasibus diversis, ut ejus in Scholas, & Ecclesiam introductio. Scopus non postremus appareat, in quem author *Observationum Moralium* tanto studio collimavit. Legis itaque Mosaicæ servitus, in quam baptizatus solâ formidolosâ mandatorum obedientiâ dicitur incidisse, non ejus negligentiæ, aut malevolentiæ, non electioni liberæ imputari debuit, sed inevitabili necessitati: Hæc scilicet servitus sinè gratiâ declinari non potuit: siquidem per art. 40. *Sinè gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem*. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum; ardoris nisi ad se præcipitandum; virium nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. Neque sinè gratiâ obtineri vel peti, sicut oportet, ulla gratia potest, neque post Adæ lapsum juxta adversarios, umquam obtingit alia, præter eam, quam per art. 10. *Nihil impedire potest, aut retardare*. Hanc autem baptizato illi non adfuisse, ut charitate, & non sola formidine legem impleret, aut judaicam evaderet servitutem, effectus nimiùm funestus, & misero indeclinabilis, si Quesnello credimus, comprobavit.

Denique ut novitatis adeò inauditæ lectorem non subeat admiratio, attendere jubemur ad articulum 8. *Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id quod Deus nobis præcipit*. Participatio ista in nostro minimè posita est arbitrio; quæ enim operatur in nobis id quod Deus nobis præcipit, istiusmodi est, ut nihil eam impedire valeat, vel retardare juxta Artic. 10., atque ita non solùm efficax est; sed necessitatem infert homini insuperabilem: neque aliud gratiæ genus à Dei providentia nostro infirmitatis statui

præ-

præparatum eſt: neque, ut jam monui, ad ipſam gratiam via ſterni abſque ſupernaturalis gratiæ auxilio poteſt, ut omnes fidei lumine agnoſcimus: Quam igitur libertatis ſpeciem in Queſnelli ſyſtemate reperies, ſive in eo, quòd novo fœderi addicamur; ſive quòd ex eo decidamus ad vetus, à Chriſto abolitum, & cujus obſervatio legis quoad ceremonialia, non ſolùm inutilis nobis foret; ſed etiam mortifera?

7 Dum autem omnes, licèt Chriſti baptiſmate initiatos, qui ſolâ formidine præceptis obediunt, Queſnellus à Chriſti Eccleſia expellit, rejicitque ad Synagogam, utpote legi ſubditos *ſicut Judæos*, quærere ex illo juvat, quid ſuâ contra formidoloſos cenſurâ adeò mirabili intelligat? Quid ipſi ſit propriè *eſſe ſub lege ſicut Judæum*? Reſpondit *Memoire* ſive documento 5. pag.233. *Eſſe ſub lege eſt vivere ſecundùm carnis deſideria*. Ratio redditur pag.235. *Quia eſſe ſub lege, eſt dominanti ſubjici peccato. Illic enim homo carens gratiâ, amore, & charitate, nihil habet in corde præter timorem ſervilem*; qui, ut dicitur Propoſ. 67., *non ſibi repræſentat Deum niſi ùt dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem*. Ita fit, ut Baptizatus, ſi legem adimpleat ex ſolo timore, perpetuò blaſphemus ſit, timore ſervili repræſentans ſibi Deum non aliter, quàm deſcribi ſoleat Rex barbarus, tyrannus. Quid enim de principe atrocius dici poteſt, quam eſſe *durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem*? & *non niſi* talem? Accedit perpetua in baptizato illo neceſſitas peccandi concupiſcentiâ carnis, ut Queſnellus præſentem articulum explicat: *Eſſe ſub lege eſt vivere ſecundùm carnis deſideria; eſt ſubjici dominanti peccato. Illic enim homo caret gratiâ, amore, & charitate*; *gratiâ*, inquam, ſive hoc nomine habitum intellexeris, ſive motum & auxilium. Hanc pridem Salvatori omnium hominum illatam à novatoribus contumeliam damnaverat Alexander VIII. in propoſitione 5. inter 31. *Pagani Judæi, heretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt à Jeſu Chriſto influxum, adeòque hinc rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſinè omni gratiâ ſufficienti*. Contra cujus articuli anathema inſurgens vehementiùs cum Queſnello Arnaldus in *Propoſitis difficultatibus Domino Steyart* parte 9. pag.222. interrogat, *An igitur oporteat nuntium remittere omnibus gratia adversùs Pelagianos, & Semipelagianos defenſoribus, quia conciliari nequeunt cum quodam Inquiſitionis decreto, tot aliunde vitiis laborante*? Ita ad imminuendam invidiam, & totius indignationem Eccleſiæ, definitionem Pontificiam ſoli tribuit *Inquiſitioni*: omnium autem gratiæ defenſorum nomine, quos hic potius intelligas, quàm Arnaldum & Queſnellum, poſt Janſenium tamen, Calvinum, ac Lutherum? *Sinè gratia* verò, ut jam vidimus, Propoſ.40. *Nihil amare poſſumus niſi ad noſtram condemnationem*. Sic & *amore Dei in corde peccatoris*, qualis Queſnello eſt omnis Deo obediens ſolo timore, *non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat*. Prop. 45. Et de omnibus hominis ſive juſti, ſive peccatoris actibus lex generalis eſt Prop.44. *Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus*. Denique Prop.47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eſt charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt quod apparet exteriùs; alioquin non eſt niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia*. Quot itaque criminum reus eſt, aut quantis à Queſnello oneratur calumniis, quiſquis Deo præſtat obedientiam ſola formidine? Nihil minus quàm obediens prædicatur. *Hypocriſis*, ſi Queſnello credimus, pro obedientia eſt: pro adoratione impietas, & blaſphemia multiplex: pro juſtitia peccatum continuum in omnibus actibus deliberatis: *ſub maledicto enim legis numquam fit bonum; quia peccatur ſive faciendo malum, ſive illud non niſi ob timorem evitando*. Prop.64.

Habes hîc lector catholice explicatum, & convictum de graviſſimis exceſſibus articulum 63. *Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore*. Dum autem enuntiationem expendi, prius in ſenſu verborum obvio, dein cum circumſtantia authoris, & aliorum ejus dogmatum connexione, utro modo novitas doctrinæ pernicioſior ſit, Lectoris judicio relinquo determinandum: Inſtituto meo ſatis fuerit quod utravis ratione articulum acceperis, cenſuram indubiè mereatur minimè levem.

CA-

CAPUT II.

Infringuntur adversantium tela fabricata temere ex SS. Literis & S. Thoma.

1 PRopositionis occasio non data, sed temere accepta, est illud Apostoli Rom.6. v.14. *Peccatum enim vobis non dominabitur; non enim estis sub lege; sed sub gratia.* Ubi nulla mentio fit timoris, sive legem observantium ex eo solo; verùm adversariis idem est peccare, & legi cuipiam sola parêre formidine, vel non charitate: Prop.47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exteriùs; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia.* Catholicis autem satis est, quòd ea proscripta pridem opinio fuerit à tribus Pontificibus in Baji Art.16. *Non est vera legis obedientia, quæ fit sinè charitate.* Quæ trium Pontificum definitiones non ex sola eorum authoritate poodus habent, quamquam & illud Veris Christi fidelibus sufficere deberet; sed universam sibi possident manifestissimè suffragaotem veterum traditionem. Ipse Eminentissimus Noailles in Epistolâ ad CLEMENTEM XI. datâ anno 1711. censuit Constitutionibus contra Bajum nihil deesse, ut universa illis obstringatur Ecclesia: *Non sibi arrogavit Clerus, ut Sanctiones Pontificias examini suo judicandas subjiceret; sed in ipsis, quod olim scribebant Leoni Magno Episcopi Gallicani, gaudens & exultans fidei suæ sensum recognovit, & ita semper se tenuisse, ut Vester Apostolatus exposuit, jure lætatus est. Certum illi fuit Pontificiis Decretis adversùs Jansenium nihil deesse, ut universam Ecclesiam obligent, & circa illa nec appellationem admitti, nec mutationem expectari posse. Idem est de Apostolicis adversùs Bajum, Molinosium, & librum vulgò dictum les maximes des Saints, definitionibus professurum fuisse Clerum existimo, si de illis actum fuisset.*

Denique aliud est sensu aliquo sub lege esse, aliud sub ea esse *sicut Judæum.* Discrimen latum dedimus capite superiore. Quio & si sensui obvio junxeris Quesnellianum ex pluribus ejus propositionibus, & explicationibus collectum, ut eodem collegimus capite, non solùm gravissimis error obnoxius est censuris; sed & edicere adversariis non vereor, vix ullam esse hæresim tam stolidam, quàm oon æquè facilè ex aliquo Scripturarum oraculo perperam intellecto elicere valeam, ac ipsi præsentem articulum ex allegato textu exsculpere moliantur; periculum faciemus ubi adversariis placuerit.

2. Non plus præsidii ipsis est in illo ad Roman. cap.8. v.8. & sequeotibus „ Qui „ autem in caroe sunt, Deo placere oon „ possunt: Vos autem io caroe non estis; „ sed in spiritu; si tamen Spiritus Dei ha- „ bitat in Vobis. Si quis autem Spiritum „ Christi non habet, hic non est ejus; si „ autem Christus in Vobis est; corpus qui- „ dem mortuum est propter peccatum; „ Spiritus verò vivit propter justificatio- „ oem. Quòd si Spiritus ejus, qui susci- „ tavit Jesum Christum à mortuis, habi- „ tat in vobis, vivificabit & mortalia cor- „ pora vestra propter inhabitantem Spi- „ ritum ejus in vobis. Ergo, Fratres, „ debitores sumus non carni, ut secun- „ dùm caroem vivamus; si enim secundùm „ carnem vixeritis, moriemini. Si autem „ Spiritu facta carois mortificaveritis, vi- „ vetis. Quicumque enim spiritu Dei agun- „ tur, ii sunt filii Dei; ooo enim accepistis „ Spiritum servitutis iterum in timore; sed „ accepistis Spiritum adoptionis in quo „ clamamus Abba Pater.„

Tot versuum congeries ad stabilieodum Quesnelli articulum prorsus ioutilis est, ut cuilibet novitatibus non præoccupato evidens videbitur, ut tamen nihil luminis, saltem tirones desiderent, facem præferat Commentarius Angelici: „ Cùm dicit „ (Apostolus) *Qui autem in carne &c.* „ adaptat quod dixerat de prudentia car- „ ois ad homines quibus prudentia car- „ nis dominatur, dicens, *qui autem in car-* „ *ne sunt*, id est qui concupiscentias car- „ nis sequuntur per prudentiam carnis „ quamdiu tales sunt, Deo placere non „ possunt, ut in Psalm.146. dicitur *Bene-* „ *placitum est Deo super timentes eum.* Un- „ de illi, qui ei noo subjiciuntur, non pos- „ sunt ei placere, quamdiu tales sunt. Pos- „ sunt autem desinere esse in carne secuo- „ dùm modum prædictum, & tunc Deo „ placebunt.„

„ Deinde cùm dicit *Vos autem &c.* „ ostendit, eos, quibus loquitur, esse immu- „ nes à prudentia carnis. Et circa hoc tria „ facit: primò pooit fidelium statum diceos, „ *Vos autem non estis in carne*: Et sic patet, „ non esse intelligendum de carnis natura; „ Romani eoim quibus loquebatur, mor- „ tales erant carne induti; sed carnem ac- „ cipit pro vitiis carnis. *Sed* [estis] *in Spi-* „ *ri-*

„ ritu, id est Spiritum sequimini. *Si tamen* „ *Spiritus Dei habitat in vobis*; Scilicet per „ charitatem... apponit autem hanc conditionem; quia quamvis in baptismo Spiritum Sanctum receperint, potuisset tamen contingere, quod per peccatum supervenicns Spiritum Sanctum amisissent.... Tertiò ostendit, conditionem hanc debere in eis extare, dicens, *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*; Sicut non est membrum corporis, quod per Spiritum corporis non vivificatur, ita non est membrum Christi, qui Spiritum Christi non habet „. Quæ omnia, ut patet, nihil difficultatis pariunt Constitutioni, nihil subsidii articulo damnato, cum quo Sacris Vocibus nihil penitus connexionis est.

3 Præcipua adversariorum spes est in versu 15. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*. Consulatur iterum Angelici commentarius, ut etiam hic de omni sibi videant subsidio desperandum. „ Considerandum est, quòd Spiritus Sanctus duos effectus facit in nobis, unum quidem timoris: Isaiæ 11. *Replebit eum Spiritus timoris Domini*; alium amoris: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Timor autem facit Servos, non amor ..... Timor habet duo objecta, scilicet malum, quod quis timendo refugit, & illud, à quo sibi hoc malum imminêre videtur „. Postquam descripsit timorem humanum & mundanum, à Deo prohibitum, „ Alius autem est [inquit] timor qui refugit malum, quod contrariatur naturæ creatæ; Scilicet malum pœnæ; Sed tamen refugit hoc pati à causa spirituali, scilicet à Deo: & hic timor est laudabilis, quantum ad hoc saltem quod Deum timet Deut. 5. *Quis det eos talem habere mentem, ut timeant me*? Et secundùm hoc à Spiritu Sancto est. Sed in quantum talis timor non refugit malum, quod opponitur bono spirituali, scilicet peccatum; sed solùm pœnam, non est laudabilis, & istum defectum non habet à Spiritu Sancto; Sed ex culpa hominis: Sicut & fides informis quantum ad id quod est fidei, est à Spiritu Sancto; non autem ejus informitas. Unde etsi per hujusmodi timorem aliquis bonum faciat, non tamen bene facit; quia serviliter facit; quia non facit sponte; Sed coactus metu pœnæ, quod propriè est Servorum: & ideò timor iste propriè dicitur servilis: quia serviliter facit hominem operari. Est autem tertius timor, qui refugit malum quod opponitur bono spirituali; scilicet peccata, vel separationem à Deo: Et hoc quidem timet incurrere ex justa Dei vindicta: Et sic quantum ad utrumque objectum respicit rem spiritualem; sed tamen cum hoc habet oculum ad pœnam; Et iste timor dicitur esse initialis; quia solet esse in hominibus initio suæ conversionis...

„ Lex igitur vetus data est in timore, quod significabant tonitrua & alia hujusmodi, quæ facta sunt in datione veteris legis, ut dicitur Exodi 19. & ideo dicitur Hebr. 12. Et ita terribile erat quod videbatur. Et ideo lex vetus per inflictionem pœnarum inducens ad mandata Dei servanda, data est in spiritu servitutis. Unde dicitur Gal. 4. unum quidem in monte Sina in servitutem generans. Et ideo rectè dictum est, quod qui spiritu Dei aguntur &c. non enim iterum in nova lege, sicut in veteri lege fuit, *Accepistis spiritum servitutis in timore*, scilicet pœnarum, quem timorem Spiritus Sanctus faciebat; *sed accepistis spiritum*, scilicet charitatis, qui est *adoptionis filiorum*, id est per quem adoptamur in filios Dei Gal. 4. ut adoptionem filiorum reciperemus. Non autem hoc dicitur, quasi sit alius & alius Spiritus; Sed quia idem est Spiritus; scilicet qui in quibusdam facit timorem servilem, quasi imperfectum: in aliis facit amorem, quasi quodam perfectum. „ Hactenus S. Thomas, in cujus commentario, uti & integro Apostoli textu, nihil est quod doceat, *Baptizatum, si legem adimpleat ex solo timore, esse adhuc sub lege sicut Judæum*.

4 Nihilo plus est in eo quod nobis *Collator* objicit ex Angelici 1. 2. quæst. 107. art. 1. ad 2. ubi dicitur „ Fuerunt tamen aliqui in statu veteris Testamenti habentes charitatem, & gratiam Spiritûs Sancti, qui principaliter expectabant promissiones spirituales, & æternas, & secundùm hoc pertinebant ad legem novam. Similiter etiam in novo sunt aliqui carnales nondum pertingentes ad perfectionem novæ legis, quos oportuit etiam in novo testamento induci ad virtutis opera per timorem pœnarum, & per aliqua temporalia promissa „ Neque hic conspicimus baptizatum, sive qui legem non adimpleat, sive qui adimpleat solùm timore, subjici legi, sicut Judæum, qui præceptis non solùm moralibus; sed etiam ce-

ceremonialibus adstringatur. Huic subjacêre oneri baptizatos omnes, sive peccatores, sive legem sola formidine adimplentes, hactenus in Christi Ecclesia inauditum est. Quod onus si adversarii in novam suam Ecclesiam introducere decreverint; poterunt quidem eâ, quam supra Christi Vicarium, supra Romanam, & universalem Ecclesiam sibi arrogant authoritate; Sed apud veteres sive Patres sive Scholasticos, aut quoscumque Scriptores catholicos frustrà quæsiverint suffragatores. Ait S. Thomas, *Etiam in novo Testamento esse aliquos carnales, nondum pertingentes ad perfectionem novæ legis*; Sed ideone omnes illi destituuntur omnibus Christianis immunitatibus & prærogativis, subjecti legum multitudini, qua premitur Judaismus? Longè aliud est, ad Christianismi *perfectionem*, quæ charitas est, non pertingere; ut etiam inter baptizatos turba carnalium eò non pervenit; aliud est, à Christi excludi Ecclesia, & in servitutem incidere Judæorum: *Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore*. Quem ubi articulum considero, mirari desino alia quædam ejusdem authoris nova dogmata hæretica quidem, aut sapientia hæresim de Ecclesia catholica in solo consistente numero justorum. Art.72. *Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit catholica, comprehendens & omnes Angelos cœli, & omnes Electos & justos terræ, & omnium sæculorum*. Art.73. *Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus Sanguine, viventium ejus Spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri sæculi?* Art.74. *Ecclesia, sive integer Christus incarnatum Verbum habet ut caput, omnes verò Sanctos ut membra*. Eamdem Christianæ Ecclesiæ ad solos justos restrictionem continent articuli quatuor subsequentes. Cùm igitur peccatores omnes Quesnellus excludat à Christi Ecclesia, quò miseros remittet? Baptizatos, & Deum ac Christum confitentes ad Paganos aut Maumethanos rejicere, appareret æquo durius, ablegare itaque eos mavult novus Apostolus ad Synagogam, subjiciendo eos *legi sicut Judæos*. In Religiosis ordinibus, in Sacerdotio, in Episcopatu, quot reperias, qui ad statum sui *perfectionem nondum pertingunt*! Ideone à gradu vel ordine suo deturbandi sunt, & hoc ipso laicorum instar, dignitatibus, privilegiis, exemptionibus privandi? Doctoris Theologi perfectio est nihil tradere nisi doctrinam sanam; Si autem gradu suo excidat, quisquis *ad perfectionem ejus nondum pertigerit*, quot ubique etiam in Galliis, & in ipsa clarissima Sorbona Doctoris Lauream, hoc potissimum tempore, amisisse videbuntur! Denique quis Princeps, sive laicus, sive Ecclesiasticus in gradu suo securus persistet, si ab ea deciderit, vel ad eum legitimè non pervenerit, quisquis ad ejus *nondum pertigerit perfectionem*. Hæc & similia, quæ deduci facilè possunt exempla, adversarios convincunt de argumentatione ineptissimâ, & absurdis plenâ consectariis, dum ex eo quod Angelicus dicit; *Etiam in novo Testamento esse aliquos carnales, nondum pertingentes ad perfectionem novæ legis*, inferunt eos, *etsi baptizatos, adhuc esse sub lege sicut Judæos*.

Callidè etiam Collator dissimulat non agi illic de timore amittendi beatitudinem, incidendi in gehennam, & suppliciorum illic perennium calamitatem; sed de timore mortis, & pœnarum quarumdam temporalium, quas lex transgressoribus statuebat; Sic enim ibi Sanctissimus Doctor „ Lex vetus quæ dabatur imperfectis, id est, nondum consecutis gratiam spiritualem, dicebatur *Lex timoris*, in quantum inducebat ad observationem præceptorum *per comminationem quarumdam pœnarum, & dicitur habere temporalia quædam promissa*: Illi autem qui habent virtutem, inclinantur ad virtutum opera agenda propter amorem virtutis; non propter aliquam pœnam, aut remunerationem extrinsecam: Et ideo lex nova, cujus principalitas consistit in ipsa spirituali gratiâ inditâ cordibus, dicitur *Lex amoris*, & dicitur habere *promissa spiritualia & æterna*, quæ sunt objecta virtutis, præcipuè charitatis: & ita per se in ea inclinantur, non quasi in extranea; sed quasi in propria: Et propter hoc etiam lex vetus dicitur *cohibêre manum; non animum*; quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter ejus voluntas à peccato recedit, sicut recedit voluntas ejus qui amore justitiæ abstinet à peccato, & propter hoc lex nova, quæ est lex amoris, dicitur *animum cohibere* „. Tum sequitur objecta ab adversariis sententia. Ubi ex toto contextu evidens est, non agi de timore incurrendi æterna supplicia, & amittendi beatitudinem; Sed de timore pœnarum temporalium vel mortis, uti & de spe bonorum ad hanc vitam pertinentium; *dicebatur* enim lex vetus, *lex timoris*, *in quantum inducebat*,

bat ad observationem præceptorum per comminationem quarumdam pœnarum, & dicitur habere temporalia quædam promissa... Lex nova, cujus principalitas consistit in ipsa spirituali gratiâ inditâ cordibus, dicitur lex amoris, & dicitur habere promissa spiritualia, & æterna, quæ sunt objecta virtutis, præcipuè charitatis: ad quam timor supremi judicis, & severi vindicis disponit, ut docet Angelicus 3.parte q.85.art.5.ad 3.„ Di-„ cendum, quòd ipse etiam motus timoris „ procedit ex actu Dei convertentis cor. „ Unde dicitur Deuteronomii 5. *Quis det* „ *eos talem habere mentem, ut timeant me*: Et „ ideo per hoc quòd pœnitentia à timore „ procedit non excluditur quin procedat „ ex actu Dei convertentis cor „ Et non solùm cohibentis manum.

Esse autem sermonem de timore servili, patet ex ejusdem articuli conclusione. *Alio* [inquit] *modo possumus loqui de pœnitentia, quantum ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentiâ cooperamur, quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor: Secundus actus est motus fidei; tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur.... Sic igitur patet, quòd actus pœnitentiæ à timore servili procedit, sicut à primo motu affectus ad hoc ordinato: à timore autem filiali, sicut ab immediato & proximo principio.* Ibid. *Ad primum dicendum, quòd peccatum primò incipit homini displicere propter supplicia, quæ respicit timor servilis.* Ridiculum verò est, & omni sensato homine indignum tribuere timori perennium suppliciorum virtutem solummodo cohibendi manum, & non animum; Quid enim sola mannum continentia conferet ad vitandam æternæ damnationis sententiam, quando animus judicio sistetur, infinitâ criminum multitudine inquinatus? Contra hunc errorem docet Angelicus salutarem pœnitentiam, qua cor convertitur, inchoari ab auxilio gratiæ, fide & *timore suppliciorum*, videlicet æternorum, *quo quis à peccatis retrahitur*. Unde meritò Sanctus infert: *Sic igitur patet, quòd actus pœnitentiæ à timore servili procedit, sicut à primo motu affectus ad hoc ordinato*. Debetne autem auxilium gratiæ convertens cor, & fides præcedere solius manûs ab externo perverso opere abstinentiam, ad quam constat furibus & latronibus sufficere formidinem supplicii naturalem? Sed per eam non retrahitur latro à peccatis, quibus addictissimus manet animus; neque ejus convertitur cor ad veram pœnitentiam, ut Judice Aquinate convertitur timore, qui ex fide super-naturali oritur, damnationis perpetuæ.

5 Hinc etiam plus lucis accipit S. Thomæ commentarius in caput 8. Epistolæ Rom. v.15. cum dicitur *Si per hujusmodi timorem, qui non refugit malum, quod opponitur bono spirituali, scilicet peccatum; sed solùm pœnam, aliquis bonum faciat, non tamen bene facit; quia serviliter facit, quia non facit sponte; sed coactus metu pœnæ, quod propriè est servorum: & ideo timor iste propriè dicitur servilis; quia serviliter facit hominem operari. Est autem tertius timor qui refugit malum, quod opponitur bono spirituali, scilicet peccata, vel seperationem à Deo: Et hoc quidem timet incurrere ex justa Dei vindicta: & sic quantum ad utrumque objectum respicit remspiritualem; sed tamen cum hoc habet oculum ad pœnam: iste timor dicitur esse initialis; quia est in hominibus initio suæ conversionis.* Ubi perspicuum est, timoris servilis nomine eum, qui propriissimè, & velut antonomasticè servilis dicitur, ab Angelico designari, quem recentiores Scholastici distinctionis, & lucis majoris gratiâ appellant *serviliter servilem*, fundamento accepto, ex ipso Sanctissimo Doctore tum alibi, tum ex commentario in tertium librum sententiarum distinct.34. quæst.2. art.2. q.2. *Ad tertium dicendum quòd non semper timere serviliter est actus timoris servilis*, quasi dicat, sed tunc solùm, quando est serviliter servilis.

Ibid. *ad primum* respondens ei; quod sibi contra timorem servilem ex Augustino objecerat, *in timore servili etiamsi aliquid fiat bonum, non tamen bene fit*, respondet Angelicus, *dicendum quod Augustinus loquitur quando aliquid fit timore servili, ratione servilitatis*, quæ est voluntas fugiendi pœnam veluti malum præcipuum, sive voluntas fugiendi potiùs pœnam, quàm peccatum, quæ comparatio nefaria est, & servis nequissimis propria; quia fustibus adacti ad laborandum, non sponte; sed coacti obediunt, retentâ voluntate rebellionis, si amoveretur pœnæ periculum. Sic ibi ab Angelico quæstio tertia resolvitur. *Dicendum, quòd timor servilis manet adveniente charitate, quantum ad substantiam* [quod est timere pœnam æternam] *Sed non quantum ad servilitatem; constat enim, quòd homo charitatem habens timet pœnas æternas, quod erat proprium objectum ejus, quantum ad substantiam habitûs; quod enim hæc plus, quàm alia timeat, non est de ratione habitûs, sed de ratione servilitatis.* Quod de habitu dicitur intelligit etiam S. Thomas de actu; quia eadem utriusque ratio est: & in resolutione

quæstionis 2. perspicuè asserit: *Timoris servilis actus potest esse & bonus & malus*: non simul unus idemque sed diversus; sive, ut in scholis dicitur, *divisim, non copulatim*. Timor enim pœnarum secundùm se præscindit ab illa comparatione, qua fugam pœnæ præferas, vel postponas fugæ criminis. Mala scilicet formido prior est, posterior honesta: quin & innocua erit, & utilis ad charitatem dispositio, etsi ab utraque comparatione præscinditur.

Verùm cur me adeò distineri patior, & à proposita abduci quæstione ob ineptissimam adversariorum objectionem, in qua nihil est, quod peccatores vel præcepta adimplentes ex solo timore, ostendat legi subjici *sicut Judæos*?

CAP. III.

Immeritò allegatur pro damnato Articulo Augustinus.

1 NOn plus adversariis patrocinatur quod proferunt ex Augustini libro de naturâ, & gratiâ cap. 57. „ Nec attendit ipse (Pelagius)
„ jam baptizatis fuisse dictum: Caro con-
„ cupiscit adversùs spiritum, & spiritus
„ adversùs carnem, ut non ea, quæ vultis,
„ faciatis: & ne ab ipsa pugna desides fa-
„ ceret, & per hanc sententiam laxamen-
„ tum peccandi dedisse videretur, adjungit;
„ quod si spiritu ducimini, non adhuc
„ estis sub lege. Sub lege est enim qui ti-
„ more supplicii, quod lex minatur; non
„ amore justitiæ se sentit abstinere ab ope-
„ re peccati, nondum liber, nec alienus
„ à voluntate peccandi; in ipsa enim vo-
„ luntate reus, quâ mallet, si fieri posset,
„ non esse quod timeat, ut liberè faciat
„ quod occultè desiderat. Ergo si spiritu,
„ inquit, ducimini, non adhuc estis sub
„ lege; utique lege quæ timorem incutit,
„ non tribuit charitatem, quæ charitas Dei
„ diffusa est in cordibus nostris, non per
„ legis literam; sed per Spiritum Sanctum,
„ qui datus est nobis. Hæc est lex liberta-
„ tis, non servitutis; quia charitatis uti-
„ que, non timoris. „

Ubique Augustinus contra Pelagium intentus est probandæ gratiæ, etiam in voluntate necessariæ, ad resistendum concupiscentiæ carnis, & efficienda opera pietatis. Nè verò Pelagius diceret, legem, ejusque officium sive acquirendæ, sive conservandæ justitiæ sufficere, Augustinus inculcat necessitatem gratiæ; quia lex tantum indicat facienda, sicut pædagogus; vires autem ad operandum non tribuit: intentat quidem desidibus pœnam; sed quę ab hominibus, animum non scrutantibus, inferenda, potest membra corporis impellere ad præceptorum operum executionem; potest & à prohibitis eadem coercere; sed non Christianam cordibus obedientiam elicere, ut patet in furibus, qui patibuli formidine à furtis abstinent, retento animo ad injustitiam semper prompto, ubi oculos hominum fallere poterunt, & supplicii periculum evitare. Quod igitur Augustinus de timore enuntiat minùs honorificum, intelligit de naturali, quem extollebat Pelagius; non verò de supernaturali, qualis noscitur esse timor gehennæ; qui non est serviliter servilis; sed talis, unde salutaris nascitur attritio.

Ut autem Augustinus Pelagium constringat arctiùs, omnemque cavillationibus præcludat aditum, continuò inculcat charitatem, quam constar non à natura esse, neque per legis literam; sed *per Spiritum Sanctum in cordibus diffundi*. Denique charitatis vocabulum non soli tribuit virtuti inter Theologicas principi; sed omni volitioni bonæ à Divino Spiritu inditæ, & ad veram justitiam salutemque sive remotè, sive proximè conducenti.

2 Quid verò hic iterum pro confirmando novo dogmate *Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore*? Num quod Augustinus ait, *sub lege est enim, qui timore supplicii, quod lex minatur; non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere* [externo] *peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi*? Hominem peccatorem, & eum, qui legem exteriùs impleat metu supplicii, quod lex minatur, istiusmodi, inquam, hominem, etiam baptizatum, esse aliqua ratione sub lege, nullus Scripturarum interpres negaverit; Sed esse sub lege omnimodè, sive simpliciter *sicut Judæum*, nullus admiserit, accuratè, seu propriè loqui volens atque catholicè.

Agnosco, S. Thomam in caput 6. Epistolæ ad Rom. lect. 3. agere *de lege non solùm quantum ad ceremonialia; sed etiam quantum ad moralia, sub qua quidem aliquis dicitur esse dupliciter: uno modo quasi legis observantiæ voluntariè subjectus: & hoc modo etiam Christus fuit sub lege secundùm illud Gal. 4. Factum sub lege; quia scilicet legem observavit non solùm quantum ad moralia; sed etiam quantum ad ceremonialia. Fideles autem Christi sunt quidem hoc modo sub lege quantum*

tum

tum ad moralia; *non autem quantum ad ceremonialia. Alio modo dicitur aliquis esse sub lege, quasi à lege coactus, & sic dicitur esse sub lege, qui non voluntariè ex amore; sed timore cogitur legem observare.* Convenit hoc indubiè iis, qui timore pœnarum temporalium, ut fures, latrones, adulteri coguntur à criminibus abstinere, dum spectantur ab hominibus, a quibus imminens sibi metuunt supplicium. Hi propriè *coguntur* metu pœnæ se continere ab externo scelere: Quos propterea rectè dixeris *sub lege* premente esse.

Idem aliquo etiam sensu, etsi minùs rigido, de attritis, sive peccata detestantibus præterita, & futura caventibus metu gehennæ asseri poterit. Nam, ut rectissimè Bellarminus lib.2. de pœnitentia cap.18. in solutione eorum quæ Lutherus objecerat Sermone 2. de pœnitentia, & in assertione articuli 6. *Dubitari non potest,* inquit Cardinalis, *quin dolor de peccato ex solo timore legis, & pœnarum profectus, non sit ita liber ac voluntarius, ut est ille, qui oritur ex amore justitiæ & Dei; Simpliciter tamen liber, & voluntarius est etiam ipse; cum ex deliberato consilio, & electione nascatur, & possit homo, ut etiam re ipsa multi faciunt, malle peccando præsenti jucunditate frui, quàm non peccando futuras pœnas evadere...... Sciendum est præterea, duos quasi gradus distingui posse in timore servili. Primus est, quando impedit opus peccati externum; Sed non voluntatem: & hic timor est bonus, & bona rei causa; quia bonum est impediri opus externum; sed quia conjunctus est cum mala voluntate, non gignit contritionem, neque attritionem. Secundus est quando non solùm opus externum peccati; sed etiam voluntatem peccandi coercet. Sæpe enim homines, etiamsi nondum toto corde Deum diligant; tamen, consideratis malis effectibus peccati, & suppliciis æternis, ad quæ ipsos perducit, simpliciter odium contra peccatum concipiunt, & seriò abjiciunt peccandi voluntatem: & hic timor est melior: neque ex eo ullo modo crescit peccandi voluntas: & de eo loquuntur theologi, cùm dicunt, attritionem ex timore conceptam, dispositionem esse ad justificationem, &, Sacramento accedente, justificare, ut perspicuum est ex Concilio Tridentino Sess.14. cap.4. ubi legimus, attritionem disponere ad justificationem, si voluntatem peccandi excludat.* Hactenus Bellarminus; Quesnellus autem baptizatum adhuc legi subjiciens *sicut Judæum, si legem adimpleat ex solo timore,* nullum timoris gradum excipit: atque ita eâdem contumeliâ afficit gradum secundum tantopere ab Eminentissimo laudatum, qui omnem peccandi voluntatem fortissimè excludit, & virtualis quædam Dei dilectio est, in quantum timens efficaciter gehennam, & æternæ beatitudinis privationem, statuit proposito absoluto fugere omne peccatum lethiferum, atque adeò servare omnia Dei mandata, inter quæ primum maximèque necessarium est diligendi Deum super omnia.

3 Ferè in eundem sensum cum aliis convenit Doctissimum Thomistarum Salmanticensium Collegium Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Tract.24. de pœnitentia disp.7. de Contritione dubio 1. num.50., quod aliàs à me indicatum, referri rursus integre meretur. „ Secundò igitur respondemus, Concilium (Tridentinum Sess.6. cap.6.) non loqui de dilectione Dei, quæ fit ex charitate, quin nec de ea, quæ fit specialis actus amoris; sed loquitur de dilectione initiali Dei fontis Justitiæ, imbibitâ in ipsa attritione, & timore; bonus namque pœnæ timor initium aliquod est dilectionis; non quia ad eum requiratur dilectio; sed quia ipse ad hanc disponit, removendo prohibens, atque emolliendo & concutiendo cor, juxta illud D. Augustini in psalm.127. *Cùm per timorem contineant se à peccato, fit consuetudo justitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulcescit Deus.* Idque magis perspicuum pro qualibet materia fit; Si animadvertamus attritionem, quæ pro Sacramento Pœnitentiæ gerit officium partis, aut dispositionis; & idem intelligendum de attritione disponente ad effectum baptismi, non posse non importare aliquem amorem justitiæ. Quamvis enim prædicta attritio ex specie solùm sit dolor ortus ex timore, & nec sit amor, nec ex amore procedat; nihilominus, ut procedit ab intendente confiteri, & absolvi in Sacramento Pœnitentiæ, & ad hunc finem ordinatur, nequit non aliquem amorem Justitiæ importare: elicitur enim in ordine ad justificationem, quam pœnitens intendit, quando ad Sacramentum pœnitentiæ accedit. Nemo namque licèt ex solo timore gehennæ doleat, suscipit hoc Sacramentum, qui non respondeat, se confiteri, & sua peccata clavibus Ecclesiæ subjicere; quia vult hoc medio justificari. Amat ergo justitiam, licèt motus ex timore: atque ibi saltèm implicitè, amat fontem justitiæ, qui est Deus. Unde ipsa attritio sive ut pars, sive ut dispositio in Sacramento ex intentione pœnitentiæ ha-

„ bet vel in se implicitè, vel concomi-
„ tantet per alium actum sibi adjunctum,
„ quod sit aliquis Amor erga Deum ut ju-
„ stitiæ fontem; qui tamen amor non est
„ charitatis, sicut ad intentionem adversa-
„ riorum & fundandam perfectam contri-
„ tionem ab attritione distinctam require-
„ batur; sed est amor imperfectior vel spei,
„ vel amoris proprii honesti „. Ita Religiosi illi, quorum ut vivendi ratio, ita & sentiendi, & scribendi à dissolutione esse remota dignoscitur. Quos utinam imitentur adversarii, & charitatis perpetuæ necessitatem importunè cum hæreticis ingerere desinant, quos ut aliunde experres fidei, ita & charitate vacuos, Deo, ejus Vicario, & Ecclesiæ inimicos esse, nimiùm apparet fidelibus manifestum.

Quapropter nulla hactenus ratio, nulla anthoritas *baptizatos adimplentes legem ex solo timore*, arcet à finibus Ecclesiæ, aut jubet *sub lege esse sicut Judæos*. Unicus verò propositionem, non quidem ab omni vitio liberandi, aut meritissimæ subtrahendi censuræ, sed utcumque mitigandi modus superest, si agnitâ authoris in scribendo imprudentiâ, dicatur is non voluisse propositionem in rigido, quamvis proprio & obvio, intelligi sensu; ut nempe *sicut* non omnimodum indicet æqualitatem; sed aliquam tantùm, eamque multùm restrictam similitudinem.

Verùm neque adeò demissus animo Quesnellus est, ut vel in una voce imprudentiam agnoscat: neque Theologi catholici, & potissimùm supremi fidei judices hanc sibi autumant incumbere interpretationis legem, ut verba suspectorum hominum, etiam hæreticorum, sensum præ se ferentia proprium, & obvium, à fide catholica alienum, benigniùs interpretentur; atque ita propositio, ut minimùm scandalosa, & pessimè sonans, dimittatur libera. Talem ne hæretici quidem in suorum sententiis duriùs enuntiatis, mitiore interpretatione donandis regulam agnoscere volunt, ut constat ex Lutheri de hoc cum Erasmo certamine.

4 Sed quid demum sensus boni, aut inter catholicos tolerabilis dare poterit Quesnellus ipse propositioni tam exoticæ, & in Ecclesiâ hactenus inauditæ? Remittimur ad *Documentum* ejus *quintum* Gallicè *Memoire cinquieme*: ubi pag.253. *Esse*, inquit, *sub lege est esse sub dominatione peccati; quia homo illic existens sinè gratia, sinè amore, sine charitate, nihil habet in corde nisi timorem servilem*, qui ad bestias rejiciendus est per Prop.66. turgens blasphemiis per Prop.67. *Non sibi repræsentans Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*, à quo sperari quæ salus porerit, quæ gratia? Ideo hoc solo timore instructa *pœnitentia, quò est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem* Prop.60. Solùm istud *sub dominatione peccati esse sinè gratia*, abunde sufficit, ut cogitationes de Deo, & Jesu Christo omnium hominum, maximè fidelium Salvatore, minime dignas ingerat. Expungere oportebit ex SS. Paginis quidquid est invitationis divinæ & amantissimæ, quod etiam in testamento vetere frequentissimum occurrit, ut peccatores omnes per pœnitentiam ad justitiam redeant, & salutem. Quomodo enim, qui ita sub lege sunt, ut hic novæ Ecclesiæ apostolus edocet, ex statu adeò luctuoso, qui velut certissimæ damnationis describitur, emergere poterunt? Quomodo salutarem pœnitenriam, aut quidquam exercere boni ac fructuosi operis? Quomodo ulli satisfacere præcepto, quod in actione consistit, aut à novo umquam juxta Quesnellum desistere peccato? Nam per propos.38. *Peccator non est liber, nisi ad malum sinè gratia liberatoris.* Prop.40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*. 39. *voluntas, quam gratia non pravenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

Quis itaque declinandi interitum modus, quæ spes possibilis? Prop.1. *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia; hoc est, generalis impotentia ad laborem, & orationem, & ad omne opus bonum?*

Non necesse est flagitiis enormibus ut amittatur Deus, ejus gratia, & omnis religio Prop.58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.*

Neque dici potest Baptizatnm in hanc miseriam se liberè conjecisse *legem non adimplendo*, aut *adimplendo ex solo timore*; quia per prop.2. *Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum; sinè illa non solùm nihil fit, sed nec fieri potest*. Prop.3. *In vanum, domine, præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis*. Prop.4. *Ita, Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis; eadem operando in illo*; Aliàs nihil boni possibile est, in quocumque illud Deus Omnipotenri

suo

fuo & invictiffimo auxilio non operatur. Undenam igitur in baptizato, qui omiffione Divini præcepti, vel ut Quefnellus addit, adimpletione ex folo timore, in eam incidit fervitutem, conciliabitur libertas, qua potuerit fe in juftitia continere, quam in baptifmo acceperat?

Denique quid horribilius quàm omnibus legis transgrefforibus, vel eam obfervantibus folo metu, omnem penitùs denegare *gratiam*, ut denegat Quefnelliani dogmatis non aliena, & ab adverfantibus forfitan excogitata, jufto odiofor explicatio; fed ipfius authoris propria & typis edita: Neque hæc temerè, & inconfideratè Quefnello excidit, cùm fit unum ex præcipuis novæ Ecclefiæ fundamentis.

5. Janfenius tomo 3. lib.3. cap.7. & 8. editionis Lovanienfis col.284. & 288. *Non adfuit hominibus fub vetere lege viventibus gratia fufficiens fervandi legem, vel ullum præceptum ejus; fed potius impediens.* Ejufdem tomi lib.1. cap.8. colum.33. *Lex juftitiam reddidit difficiliorem, & quafi muro interpofito impoffibilem.* Ibid. & lib.1. cap.11. *Hallucinatur, quifquis legem eo fcopo datam putat, ut luce eruditi, faciliùs peccata vitarent, aut per gratiam fufficientem eam fervarent. Hoc enim Apoftolo & Auguftino è diametro contrarium eft; fed ut multitudine & magnitudine peccatorum, quæ ex lege fciebatur futura, eorum fuperbia frangeretur.*

Non poterat tanti authoris fententia non adamari, atque avidè fufcipi ab ejus difcipulis, qui proinde dum atheos, & omnis generis infideles omni fpoliant gratia fufficienti, addendos iis cenfuêre etiam Judæos. Sic nempe quintus eorum articulus inter 31. ab Alexandro VIII. profligatus enuntiat: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jefu Chrifto influxum; adeòque hinc rectè inferes, voluntatem in illis effe nudam, & inermem abfque omni gratia fufficienti.* In cujus articuli condemnationem Arnaldus vehementiùs declamans *Difficultatibus propofitis D. Steyaert* parte 9. pag.222. *An igitur*, inquit, *oporteat nuntium remittere omnibus gratiæ adverfus Pelagianos & Semipelagianos defenforibus; quia hi conciliari nequeunt cum quodam inquifitionis Decreto, tot aliunde vitiis laborante?* Cùm fcilicet nondum fatis effet firmata factio, noluit aperto fchifmate à fupremo Ecclefiæ in terris Capite videri feparata: ideo quoties contra Decreta Pontificum rebellis infurgeret; ut folos contemnere Cardinales, & affiftentes Sacræ Inquifitioni Theologos videretur, quælibet fibi adverfantia Pontificum Statuta, etiam definitiones dogmaticas, foli tribuebat Inquifitorum tribunali, ab hæreticis & novatoribus ultra montes; potiffimùm in Gallia, fatyris & calumniis folito exagitari. Solo itaque *Inquifitionis* nomine, cùm ratio, & omnis fpecies veritatis defecerit, fperant novi homines Apoftolicas Sanctiones fibi infeftas infringere.

Ridiculum verò eft, quod ibi Arnaldus pag.219. ait: *Obteftor omnes ratione utentes, ut confiderent, quomodo fieri poffet, ut aliquis propofitionis illius quintæ cenfuram componeret cum hoc S. Auguftini axiomate, quo ad defendendam Ecclefiam adverfùs Pelagianam hærefim utitur, GRATIA NON DATUR SECUNDUM MERITA.* Theologi autem Catholici difficultatem in Pontificia definitione cum Auguftini axiomate concilianda adcò non reperiunt infuperabilem, ut difficultatis vel minimæ nè umbram quidem confpicere valeant. Sed in fatifcenti annis feniculo argumentorum ineptiæ faciliùs diffimulantur ab hominibus, quàm obfirmata ad finem ufque contra Pontificem, Ecclefiam, & fidem catholicam rebellio apud Deum Judicem excufanda fit.

Quefnellus autem Arnaldi ftudiorum adjutor Domefticus tunc vegetus, tam malefanæ ratiocinationis invidiam à fe difficiliùs amolietur. Non enim quæ Paganis, Judæis, Hæreticis tribuitur gratia fufficiens ex eorum merito eft; Sed ex fola Dei mifericordia & bonitate. Quæ autem neceffitas, quæ ratio poteft Paganis, Judæis, Hæreticis fuffragari, ut fufficientem gratiam tamquam meritis fuis debitam vindicent? Et quidem meritis naturalibus; de hac enim Auguftino, & noftris quoque adverfariis fermo eft. Quin & nulli minùs, quàm Pagani, Judæi, Hæretici merita fua allegare poffunt naturalia; fupernaturalibus, ut conftat, penitùs deftituti. Si igitur metus favendi Pelagianæ hærefi, avertere Ecclefiam deberet ab agnofcenda in Paganis, Judæis, Hæreticis ullâ gratiâ fufficiente, multò magis deberet eam in fidelibus averfari, utpotè in quibus plus actuum bonorum eft, etiam naturalium: atque ita eliminanda penitùs effet omnis gratia fufficiens. Iftud quidem eft, in quod Novaturientium collimant ftudia; fed, quod deplorat alibi Quefnellus, in Janfenii adverfariis adhuc nimiùm potentiæ, & nimius defectus luminis in fupremis fidei judicibus eft, ut lata contra Janfenii articulos fententia revocetur.

Profequitur Arnaldus pag.223. *Utinam non*

non permittatur in Ecclesia talis abusus Decreti memorati, atque ut obtentu propositionis cujusdam ancipitis, illic condemnatæ, adigamini umquam ad abdicendam constantissimam omnium SS. Patrum sententiam, qui fidem Ecclesiæ adversùs Doctrinæ de gratia corruptores Pelagianos, & Semipelagianos vindicarunt.

Ne tanti itaque momenti doctrinam flaccescere, aut, quod novæ Ecclesiæ foret luctuosius, perire penitùs contingeret, curavit sedulò Quesnellus, eam quantum ad Judæos attinet, suo *Moralis Euangelicæ compendio* locis pluribus insertam æternitati consecrari. Prop. 6. *Discrimen inter fœdus Judaicum, & Christianum est, quòd in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto verò Deus peccatori dat, quod jubet, illum suâ gratiâ purificando.* Prop. 7. *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ verò felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?* Cùm igitur Judæis à Quesnello æquiparentur *Baptizati*, & adhuc *sub lege* statuantur, *sicut Judæi, si legem non adimpleant, aut adimpleant ex solo timore*, necesse est, ut & ipsi *relinquantur in sua infirmitate & impotentia* servandi præcepta; quoniam juxta Documentum Quesnelli quintum pag. 253. ubi est præsentis articuli explicatio, *Esse sub lege, est esse sub dominatione peccati; quia homo illic existens sinè gratia, sine amore, sinè charitate, nihil habet in corde, nisi timorem servilem*: sive ut exponit Articulus 5. ab Alexandro VIII. inter 31. prohibitus, *nullum omnino accipit à Jesu Christo influxum; adeòque hinc rectè inferes, voluntatem in illo esse nudam, & inermem, sinè omni gratia sufficiente.* Quod quidem articulus ille de Judæis enuntiat indefinitè; ex Quesnello autem discimus eadem calamitate opprimi *baptizatum*, qui *adhuc sub lege est, sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore*. Habes hic lector mysterium iniquitatis ab ipso expositum authore, prout discipulus a suis acceperit magistris Arnaldo & Jansenio, & hic forsitan à suis conterraneis Calvinistis vulgò *Contra-remonstrantibus* in Specimine Amstelodamensi art. 57. *Judæi, quibus Christus prædicabat, non poterant se convertere aut credere; numquam etiam ipsis sufficiens gratia data est, qua ad conversionem, aut salutem pertingerent.* Et adhuc reperias homines tam præposterè benignos, ut mallent venenum adeò pestiferum per Ecclesiæ viscera diffundi, quàm Vaticano aboleri Anathemate.

6. Altera Quesnello solvenda superest difficultas, quomodo se à Pelagianismo, quem videri vult tantopere aversari, satis removeat, cùm ait, legem à timentibus adimpleri sinè gratia. Quid enim aliud ex duobus his in unum confluentibus dogmatibus conficias? *Baptizatus adimplens legem ex solo timore, est adhuc sub lege sicut Judæus*; esse autem sub lege sicut Judæum *est esse sinè gratia* sive *nullum omnino accipere à Jesu Christo influxum, adeòque voluntatem in illis esse nudam & inermem sinè omni gratia sufficiente*. In hac autem neganda nullos præter hæreticos sibi facilè inveniet consentientes. Quæ enim Judæis hodie negatur gratia, est habitualis & sanctificans: & actuali efficaci propterea destituuntur, quòd reluctentur sufficienti; nulla verò sive pro habitu intellecta, sive pro actu, præstatur à lege, sive à Judæorum Sacramentis sicut à nostris. Istud discrimen est quod à theologis admittitur: non Quesnellianum, quo Judæis, & Baptizatis omnibus legem ex solo timore implentibus adimitur omne gratiæ auxilium, omnis potestas, vel unius servandi præcepti, vel minimi exercendi operis boni, superandæ tentationis, etiam levissimæ, aut ullius vitandi peccati, nisi in aliud non minùs turpe & noxium incurrendo; quamquam ne talis quidem libertas, qualis inter crimina eligendi facultas est, Janseniano Systemati conveniat, ut tomo 1. sæpius demonstravi.

Sexagesima quarta Propositio Damnata.

Sub maledicto legis numquam fit bonum; quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando. *Observ. mor. Gal. 5. v. 18.*

CAP. I.

Propositionis error multiplici ratione debellatur.

1 SI enunciatio accipitur, ut sonat in rigore, & proprio verborum sensu, apparet ridicula, & se ipsam subruens contradictione. Quomodo enim pec-

peccatum committitur, si evitetur? *Peccatur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando*. Verùm aliunde mens authoris dignoscitur, quod mali evitatio impropriè intelligenda sit, non vera à peccato abstinentia; sed exterior dumtaxat, quæ hypocritis etiam communis est: quia per Prop.61. *Timor nonnisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*. Sensus itaque præsentis Articuli penès anthorem est, sub maledicto legis omnia opera esse peccata, saltem in animo, licèt à pravis subindè corporis actibus homo se timore contineat.

Dispiciendum modò ante omnia, quid sit legis maledictum, quid sub illo esse: atque ita quinam ei subjici censeantur. Pro quo consulendus nobis Apostolus ad Galatas cap.3. interprete S. Thoma lectione 5. „ Notandum quod maledictum est quod „ dicitur malum: & secundùm duplex ma„ lum, potest esse duplex maledictum; „ scilicet maledictum culpæ, & maledi„ ctum pœnæ: (& secundùm hoc Augeli„ cus ait) posse intelligi dupliciter illud „ Apostoli, Christus autem redemit nos „ de maledicto legis, factus pro nobis ma„ ledictum; quia utrumque nobis conve„ niens maledictum in se suscepit, pro „ utroque satisfaciens, itaut ipse ab homi„ nibus reputatus fuerit maledictus, sicut „ scriptum est, *Maledictus omnis qui pendet* „ *in ligno*.„

Paulò ante Apostolus dixerat, *Quicunque ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt*: circa quod sapientissimè Aquinas monet Lectione 4. ne in errorem quis incidat Manichæorum affirmantium Patriarchas & Prophetas fuisse maledictos, ideoque damnatos; „ Attendendum est [inquit] quod „ Apostolus non dicit, quicunque servant „ opera legis, sub maledicto sunt; quia hoc „ est falsum pro tempore legis; sed dicit: „ *Quicunque ex operibus legis &c.* idest qui„ cunque in operibus legis confidunt, & „ putant se justificari per ea, sub maledi„ cto sunt. Aliud enim est esse in operibus „ legis, & aliud est servare legem; nam „ hoc est legem implere: & qui eam im„ plet, non est sub maledicto. Esse verò in „ operibus legis est in eis confidere, & „ spem ponere: & qui in eis hoc modo „ sunt, sub maledicto sunt, scilicet trans„ gressionis: quod quidem non facit lex; „ quia concupiscentia non venit ex lege; „ sed cognitio peccati, ad quod proni su„ mus per concupiscentiã. In quantum er„ go lex cognitionem peccati facit, & non „ præbet auxilium contra peccatum, di„ cuntur esse sub maledicto, cùm nequeant „ illud per ipsa opera evadere. „

Aliâ etiam ratione & magis propriâ sub maledicto legis est quilibet legis transgressor teste Apostolo ibid. Scriptum est enim *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea*. In quem locum iterum Angelicus eadem lectione. „ *Maledictus*, quasi „ malo adjectus: *omnis* nullum excipiendo, „ *qui non permanserit* usque in finem: *In* „ *omnibus*, non in quibusdam tantum, quia „ ut dicitur Jacobi 2. *Quicunque totam le*„ *gem servaverit; offendat autem in uno*, „ *factus est omnium reus*.„ Ita penès Quesnellum sub maledicto legis esse & sub lege simpliciter velut ejus prævaricatorem, significatione conveniunt. Damnatus scilicet ejus Articulus observatio est in Gal.5. v.18. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege. Manifesta sunt autem opera carnis &c.* Idem indicat ejus Prop.63. *Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore*; ubi evidens est, neque Quesnellus ipse inficiabitur, Baptizatum illum & Judæum ita intelligi sub lege esse, ut ejus subjaceant maledicto propter transgressionem. Nemo autem legem adimplet; qui etsi servaverit præcepta plurima, *offendit in uno, factus omnium reus*. Idem erit, juxta Quesnellum, si postquam cætera executus mandata fueris charitate, unum impleas solo timore; sic enim in nova Ecclesia minimè satisfecisse legi censendus es, proinde ejus subjiceris maledicto. Per Articulum nempe 62. *Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*. Ideoque maledictus.

2. Hic modò patentissimè se prodit virus lethiferum præsentis Articuli *sub maledicto legis nunquam fit bonum; quia peccatur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando*. Sentit indubiè hic Novaturiens author in caput suum detonare trium Pontificum anathemata, videlicet S. Pii V. Greg. XIII. Urbani VIII. quibus feritur Propositio inter Bajanas 33. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*: & Prop.40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*; omnis enim peccator Judæus sub maledicto legis esse cõvincitur: ejusdem sortis esse baptizatum prævaricatorem liquet ex Prop.63. *Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore*.

Qui

Qui sub lege est, sicut Judæus, maledicto quoque fit obnoxius, si transgrediatur. Mente autem memori Quesnellus teneat & revereatur Eminentissimi sui Parisiensis Antistitis de trium illorum Pontificum adversùs Bajum definitionibus sententiam; *nihil illis deesse ut universam Ecclesiam obligent; & circa illas nec appellationem admitti, nec mutationem expectari posse*. Ita Noaillius Literis ad CLEMENTEM XI.

Eundem longè antea errorem in Joanne Huss Constantiense Concilium proscripsit. Quin & præscindendo à Concilii & Summorum Pontificum authoritate, cui catholico horrorem non incutiat doctrina abrogans peccatoribus omne opus bonum, & omne arguens peccati: *sub maledicto legis* (sub quo omnis peccator est) *nunquam fit bonum* (sive supernaturalis ordinis, sive naturalis) *quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando*. Quomodo igitur ad pœnitentiam salutiferam disponere se peccator unquam poterit? Non enim novi commissio delicti potest esse congrua ad justificationem præparatio. Responsum Quesnellus, sed minimè catholicum in promptu habet, videlicet nullo nostro ad justificationem conamine opus esse, ut constat nullum exigi, nullum adhiberi posse ad primæ gratiæ acquisitionem: oppositum in Pelagianis pridem & eorum reliquiis Massiliensibus Ecclesia condemnavit: *Prima* autem *gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio* per Prop.28.

3. Præterea qualiscunque foret ad reconciliationem præparatio, fieri deberet per fidem, quæ est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, ut definitur à Tridentinis Patribus Sess.6. cap.8. Quesnellus quoque, sed non catholicè declarat Prop.27. *Fidem esse primam gratiam & fontem omnium aliarum*. Ex quo & ex 28. Articulo consectarium manifestum est, fidem, quæ prima gratia est, ac proinde homini non libera, ipsam esse criminum remissionem. Denique primus actus qui à fidei habitu profluit, debet esse justificatio juxta Prop.51. *Fides justificat, quando operatur; sed non operatur nisi per charitatem*: ubi posteriore Articuli parte actus fidei cum charitate confunditur sive in unam coalescit necessariò actionem. Si enim Prop.28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*, si & *fides*, seu actus fidei *est prima gratia & fons omnium aliarum* Prop.27.; cùm fides sinè charitate ad justificandum non sufficiat necesse est utramque in nova Ecclesia confundi, sive in eundem confluere actum. Præterea Prop.58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*. Propos.49. *Ut nullum peccatum est sinè amore nostri, ita nullum est opus bonum sinè amore Dei*. Consequens iterum apparet necessarium, amorem Dei sive charitatem, in eandem cum fide coalescere actionem; alias Fides Charitate prior bonum opus esse defineret, credens quoque destitueretur Deo atque omni penitùs religione. Denique, ut ante monui, fieret absque charitate justificatio etiam extra Sacramentum, fide catholicâ repugnante. Theologi verò credidere hactenus divinæ excellentiæ proprium esse, quòd sit ens simplicissimum, cujus idem est velle & intelligere, nullum reipsa patiens actuum distinctionem; in rebus verò à Deo conditis aliud, & prius origine est cognoscere; ac proinde credere, quàm amare. Theologis in hoc consentiunt Philosophi, apud quos axioma receptissimum est, nihil esse in voluntate quod non priùs fuerit in intellectu. Confusionis autem inventio novis Theologiæ, uti & Ecclesiæ reformatoribus, seu potiùs corruptoribus, fuerat reservata.

Distinctio fidem inter & charitatem ab illis statui non potest; tunc enim admittenda esset fides præveniens charitatem; sed quid tunc fieret Articulo 44. juxta quem *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, & propter hoc ipsum fit malus*? Nam actio illa quæ fides est, & Quesnello simul prima gratia, ac peccatorum remissio, non procederet ex amore Dei: aliàs prima gratia non foret fides, sed charitas, vel, unde ipsa dimanaret, supernaturale auxilium; quod & fidem præcederet, & ante eam remitteret peccata.

4. Nonne Infideles legem Dei & naturæ promiscuè violantes, ob illa maledicuntur? Non minùs autem ipsorum, quàm baptizatorum opera juxta præsentem Articulum prava sunt, quia non minùs ipsis, quàm Baptizatis peccatoribus conveniet, quod nunquam faciant bonum; quia peccant sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando. Quapropter *omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*, quæ est Propositio damnata in Bajo vigesima quinta. Imò, ut Quesnellus se explicat Documento quinto pag.253. peccant omnibus actibus necessa-

riò;

riò; cùm sint *finè gratia*, *finè amore*, *finè charitate*,& per Articulum 38. *Peccator non sit liber nisi ad malum finè gratia Liberatoris.* 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. Quæ ubi contuleris cum relato Quesnelli Documento de negatione omnis gratiæ, quid aliud censeas, quàm, quod asseritur Propositione 8. inter 31. quas anathemati subjecit Alexander VIII. *Necesse esse infidelem in omni opere peccare*?

5 Si, ut Quesnellus asserit eâdem Documenti pag. *esse sub lege, sit esse sub dominatione peccati, quia illic homo destitutus gratiâ, amore, charitate, nihil habet in corde, nisi formidinem servilem*, non potest sors melior obvenire, neque à Quesnello tribui existentibus sub legis maledicto, quàm infidelibus. Pars ultima Propositionis qua dicitur *peccari*, *malum nonnisi timore evitando*, asserit peccari quoties malum declinamus ac detestamur solâ formidine. Hanc autem Quesnellus censuram contra timorem Domini, non à Spiritu Sancto in Scripturis, non ex Patrum, aut principum Scholasticorum; sed hæreticorum, eosque improvidè sequentium voluminibus haurire potuit.

Exodi 20. *ut probaret vos venit Deus, & ut terror illius esset in vobis, & non peccaretis*. Idoneum itaque Deus motivum censuit terrorem à se incussum, ut homines à peccando averteret; Fallere autem videretur Spiritus Sanctus, si Hagiographis ad fidelium directionem suggereret, ut eo veluti scuto contra Diaboli insidias, & carnis illecebras uterentur, quod sciret ad eum effectum minimè conducere; sed magis impellere ad peccatum, vehementer adeò, ut ejus impulsui nullus mortalium resistat, nisi qui potentissimis contra eum charitatis viribus muniatur.

Proverb.14. *Timor Domini fons vitæ ut declinent à ruina mortis*. Si timor Domini quamdiù solus est, juxta damnatum Articulum, pertrahat in ruinam mortis, potiùs quàm ab ea homines divertat, non debuere Sacra Proverbia tanto elogio eam formidinem prædicare, quasi ducem securam à Deo hominibus concessam, *ut declinent à ruina mortis*: non debuere eam commendare veluti fontem saluberrimum, quo disponente charitas & justitia, quæ vita animæ est, conservetur, vel si amissa fuerit, recuperetur.

Ecclesiastici 25. *Qui tenet illum* [timorem] *cui assimilabitur? Timor Dei initium dilectionis ejus*. Isaiæ 26. *A facie tua* [juxta 70 Interpretes *A timore tuo*] *Domine concepimus, & quasi parturivimus spiritum salutis*. Apocal.14. *Timete Dominum & date illi honorem; quia venit hora judicii ejus*. Christus ipse Lucæ 12. *ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete*. Tam solicita timoris inculcatio videbitur cuilibet novitatis fuligine non afflato insignis approbatio, velut utilissimi ad peccatum fugiendum, & si admissum fuerit, expellendum. At Quesnello tam pestilens ille venenum est, ut quemcunque invaserit animum statim inficiat, nisi Charitas, quæ unicum tanti mali remedium est, velut antidotum præcesserit, aut comitetur; nam si vel minimo temporis spatio subsequitur, ubi de vitando crimine agitur, mortuum resuscitare poterit, sed priorem interitum non impedire; ut patet ex Articulo præsenti, quo peccatum qualecunque committi statuitur, quod sola formidine, collectisque totis animi viribus evitare conatus homo fuerit: *peccatur*, scilicet, *sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando*. Cujus ratio dilucidè reddita fuit, etsi non catholicè Articulo 61. *Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur* & 62. *Qui à malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*. Cujus si ulterior ratio quæritur, Art.46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*: eadem cæterarum animæ facultatum est ratio, ut omnis actio humana, vel charitas fit, vel cupiditas: vel ex alterutro fonte prosiliens, ab eodem bonitatem contrahat, aut malitiam.

6 Denique per Art.44. denuntiatur amplissimè, volitiones & actiones omnes nostras nasci ex amore Dei, vel ex amore malo, quo nos ipsos ac mundum diligimus. Cùm igitur timor, quo solo peccata evitantur, non sit amor Dei, neque ex illo profluxerit, patet eundem ex prava origine vitiatum esse, & quidquid pepererit juxta præsentem Articulum esse peccatum. Quod si verum est, iterum dico, Deum tam in novi, quàm in antiqui fœderis Scripturis, homines miserè delusisse, quando timorem sui, & quidem ut vindicis, atque adeò gehennæ, etiam ubi nulla sit charitatis mentio, tanto suaserit molimine, tanquam per-

utilem ad fugam peccati, bonique necessarii prosecutionem. Unde Ecclesia Sancta, quæ teste Apostolo est Columna, & firmamentum veritatis, deducta in errorem fuerit, credens, ut Patrum traditione accepimus, atque definiens oppositum Quesnellianis de timore dogmatibus. Non hîc memoro solam CLEMENTIS XI. Constitutionem UNIGENITUS, quamquam hæc omnibus Christifidelibus sufficiat, & abunde quidem, quando totius Christiani orbis pronissimus assensus, atque obedientia accessit; sunt & Alexandri VIII. anathemata contra Articulum 14. ex 31. *Timor gehennæ non est supernaturalis*: Et contra 15. *Attritio, quæ ex gehennæ & pœnarum metu concipitur sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis*. Præcesserat anathema Leonis X. datum anno 1520. contra Lutheri Articulos 41. quorum Sextus est, *Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, hæc contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem*. Quam Pontificis definitionem secuta est Tridentina Synodus, iteratoque anathemate Lutheranum Articulum damnavit. Expendam eum mox, quantum opus fuerit, ut ejusdem cum proscriptis Quesnelli erroribus omnimodus aperiatur consensus. Interim Alexandri VIII. maneat Diplomate confirmatum, explicatumque, quod ab œcumenica Synodo verbis aliis fuerat constitutum; scilicet *timorem gehennæ*, saltem aliquem, & *Attritionem* etiam aliquam, *quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, esse bonum motum ac supernaturalem*. Hinc præsens Quesnelli Articulus convincitur de errore, quando illimitatè asserit peccari, quoties solo metu, ac proindè attritione, qualis in Decreto Alexandri describitur, à malo declinamus. Anathema igitur iterum iterumque Quesnelliano Articulo affirmanti indefinitè, & significatione universali peccare Judæos, (eadem de reliquis hominibus ratio est) quoties malum, non nisi formidine evitatur.

Nulla hîc disceptatio est, utrum delinqueret, qui Deum nunquam super omnia amaret, nunquam bonum exerceret, aut malum fugeret; nisi sola formidine: Clarissima est Alexandri VIII. definitio, & præceptum Dei maximum atque indispensabile charitatis; sed inter Catholicos, & Novatores dissidium est, an omnibus actibus, quibus bonum amplectimur, aut malum rejicimus solâ formidine, delinquamus? Affirmat Ecclesia nova; Apostolica verò pernegat, & asserentes imposterum renovato sæpius damnat anathemate. Neque istud à Romanis solùm Pontificibus inflictum est, sed ut jam indicavi, ab œcumenico etiam Concilio. Audiatur Tridentinum Sess. 6. Canone 8. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit*.

7 At, inquies, discrimen inter Quesnelli sententiam, & Lutheranam illo Canone profligatam, est quòd posterior peccati arguat timorem Gehennæ, & contritionem ex timore etiam quem charitas imperaverit; Quesnellus autem rejiciat timorem, dum solus est, & natam ex eo solo evitationem peccati. Nos Lutherum ipsum, aliàs vidimus contra hujus imputationem erroris sæpiùs reclamantem: de quo quidquid sit, rursùs affirmare non vereor Theologos & populum Christianum à Tridentina Synodo miserè deceptos, si meus illius fuerit, gehennæ metum, per quem ad Dei misericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, quoties sic ad Dei Misericordiam de peccatis dolendo confugere, vel à peccando abstinere suaserit solus timor; tunc autem tantummodo istum ad Dei misericordiam recursum, dolorem de peccatis præteritis, & abstinentiam à novis, non esse peccatum, neque peccatores pejores facere, quando timor ex charitate profluxerit; omnis scilicet volitio, & actio, quæ non nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur, necessariò oritur ex amore nostri ac mundi illicito, ut traditur in sæpe relatâ Quesnelli Propositione 44.

Si is fuisset Concilii sensus, quem nemo sub ejus verbis catholicus intellexerit, fraudulenta fuisset definitio, ut modò talis novaturientium interpretatio ineptissima est. Franciscus Sylvius Thomista nobilis, & inter Duacensis Academiæ ornamenta minimè vulgare 2. 2. quæst. 19. art. 3. ait: *Quòd timor servilis sit bonus, & ad salutem perutilis, fide certum est, definitum in Tridentino, & antea à Leone X. contra Lutherum*. Timorem servilem non intelligi elicitum à charitate, agnoscunt universi; metus enim ex amo-

amoris imperio proveniens, filiis, aut justis incipientibus proprius est. Ex Lovaniensibus Jacobus (non Michael) Bajus lib. 2. Rel. 9. Christ. cap. 84. *Ex quibus liquet quàm falsò Lutherus dixerit timorem servilem esse malum; quia efficiat hominem hypocritam magisque peccatorem; cùm proprius ejus effectus sit, voluntatem à peccando impedire*. Infinitus sim, si enumerare Neotericos authores, & referre singulos voluero, Thomistas, Scotistas, & aliarum Classium Catholicos, sequentes sententiam, quam Leonis Pontificis, & Tridentini contra Lutherum stabilivit authoritas. Omnibus haud novaturientibus Scholasticis nota loquor. An autem ex tali formidine concepta attritio ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficiat, an præterea requiratur aliqua dilectio nondum supremo judicio perspicuè determinatum est, atque intereà ab Alexandro VII. vetitum, in alterutram contendentium partem censuris, aut contumeliis sævire, donec à Sede Apostolica definitum aliquid fuerit. Attamen sapiens Doctorum observatio est, nihil indè meritò erui, quo vel minima probabilitatis species concilietur sententiæ neganti servilis formidinis, & natæ ex ea attritionis bonitatem, quæ excludere valeat voluntatem peccandi; passim enim diffidentium catholicorum pars utraque istam attritionis honestatem, viresque supponens, unicè in dubium vocaverat, vocatque etiamnum, utrum ad Sacramentum Pœnitentiæ non requiratur præterea aliqua dilectio. Is quæstionis status clarissimè panditur ipsâ Alexandrini Diplomatis narratione: *Sanctissimus Dominus noster Alexander Papa VII. cùm acceperit non sinè gravi animi mœrore, Scholasticos quosdam acriùs, nec absque fidelium scandalo, inter se contendere, an illa attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ excludens voluntatem peccandi cum spe veniæ, ad impetrandam gratiam in Sacramento pœnitentiæ, requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei; asserentibus quibusdam, negantibus aliis, & invicem adversam sententiam censurantibus &c.*

Sanctorum Patrum agmina cum principum Scholasticorum manipulo inexpugnabili in campum reducere, contra ultimam Damnati Articuli partem non est operæ pretium; quia error ejus in 62. Articulo ab iisdem tot confossus spiculis, tot confectus vulneribus, mactatusque est, ut non nisi in pessumdata insanientium mente valeat reviviscere.

CAPUT II.

Eliduntur Adversantium argumenta desumpta ex Scripturis.

1 Collator duo, quæ Hexapla prætermiserant, ex Scriptura suppeditat: Rom. 6. v. 14. *Peccatum vobis non dominabitur, non enim sub lege estis, sed sub gratia*: & Gal. 3. v. 10. *Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea*.

Priorem locum sic Angelicus interpretatur: „ *Peccatum enim vobis non dominabitur*; scilicet si cœperitis peccato resistere, & vos Deo exhibere, secundùm illud Jacobi 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis: resistite Diabolo, & fugiet à vobis.„ Quæ conditio in Quesnelli novitatibus locum non habet, sed veluti supervacanea habenda est: ubi nempe juxta Prop. 10. *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*. Prop. 11. *Gratia non est aliud quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet*; vel enim abest cœleste illud auxilium, vel adest: eo absente resistere Diabolo & appropinquare Deo non possumus, ut adversarii nobiscum fatentur adversùs Pelagium & Massilienses ejus reliquias. Si autem adsit, atque omnis gratia talis sit, ut nihil eam impedire valeat aut retardare; si ipsa sit voluntas Dei jubentis, & facientis suâ Omnipotentiâ quod vult, non est in potestate hominis gratiâ præventi, consentire Diabolo, vel non resistere, sed ad Deum appropinquat necessariò; imò per Prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*: & cur minoris roboris sit gratia secunda, tertia, & sic de cæteris? Itaque omne Spiritûs Sancti supernaturale auxilium, justitiam, si ante non fuerit, confert: si adfuerit conservat & auget. Tale divinæ gratiæ cujuslibet in voluntates nostras dominium nunquam agnovit Christi Ecclesia, quam docere aliter serò nititur Quesnelliana Novaturiens.

2 Audiatur iterum interpres Angelicus „ Quamdiu aliquis sic est sub lege, ut non impleat voluntariè legem, peccatum in eo dominatur, ex quo voluntas hominis inclinatur, ut velit id quod est contrarium legi; Sed per gratiam tale do-

„ minium tollitur: ut scilicet homo servet „ legem, non quasi sub lege existens; sed „ sicut liber. Gal. 4. non sumus ancillæ filii, sed liberæ: qua libertate Christus „ nos liberavit. Hanc autem gratiam facientem hominem liberè legem implere, „ non conferebant legalia sacramenta; „ sed conferunt eam Sacramenta Christi. „ Et ideò illi, qui se ceremoniis legis subjiciebant, quantum pertinet ad virtutem „ ipsorum Sacramentorum legalium, non „ erant sub gratia; sed sub lege; nisi fortè „ per fidem Christi gratiam adipiscerentur. Illi qui Sacramentis Christi se subjiciunt, ex eorum virtute gratiam consequuntur, ut non sint sub lege; sed sub „ gratia, nisi fortè per suam culpam se subjiciant servituti peccati. „ Tunc scilicet iterum sub lege sunt, quia obnoxii suppliciis lege contra refractarios constitutis: Verùm sicut non omnis qui sub gratia est, in omnibus omnino actibus operatur ex gratia, aliàs omnia justorum opera essent justa, nulla delicta, etiam levissima; qui error in Constantiensi Concilio proscriptus est: sic etiam non omnia opera in iis, qui peccati subjacent dominio, labem contrahunt iniquitatis. Oppositum in eodem Concilio damnatum est, ac dein à tribus Pontificibus inter Bajanos Articulos trigesimoquinto: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*: & 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*. Cujus dogmatis utrobique condemnatio est manifesta contradictorii definitio; quam accepere Pontifices ex Tridentino Sess. 6. can. 7. anathema infligente: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quâcumque ratione facta sint, verè esse peccata*. Eodem Canone anathema decernitur dicentibus: *Quanto vehementiùs quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum graviùs peccare*. Quod tamen in Quesnelli sententia foret verissimum; Si per Prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*: & per 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum: nihil ardoris, nisi ad se præcipitandum: nihil virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. Evidens nempe ex utroque errore profluit consecutio, quòd ante primam gratiam, quæ est peccatorum remissio, omnis actio non solummodo peccatum sit; sed etiam quantò vehementiùs quis nititur se disponere ad gratiam, tantò peccet ampliùs; utpotè tanto vehementiùs utens lumine ad aberrandum, ardore ad se præcipitandum, viribus ad se vulnerandum.

3. Si autem juxta doctrinam Catholicam, & ab Ecclesia iteratis sæpiùs definitionibus consecratam, agnoscere oporteat in peccatoribus actiones aliquas à peccati macula immunes, idem statuendum est necessariò de iis, qui sub lege sunt; non enim deterior in hoc fuit conditio Judæorum sub lege viventium, quàm Atheorum, & Gentilium sinè lege. Porrò non *omnia opera infidelium esse peccata*, neque *omnes Philosophorum virtutes vitia*, discimus ex Traditione Patrum maximè Augustini, & succedente trium Pontificum contra Baji Articulos anathemate. Corruit itaque Quesnelli enunciatio: *Sub maledicto legis nunquam fit bonum; quia peccatur sive faciendo malum; sive illud non nisi ob timorem evitando*: ubi sensus est *sub maledicto legis peccari semper*, ut sit legitima prioris periodi confirmatio, futura aliàs ineptissima, si ex eo quod aliquando, vel etiam sæpius delinquatur; nullum unquam fieri bonum intuleris. Ex quibus omnibus manifestum est, quòd etiamsi cunctis sub lege, vel sub legis maledicto existentibus peccatum supposueris dominari; minimè tamen hinc sequatur, nullam in illis fieri unquam actionem bonam, nullam innocuam, aut expertem vitii. Dixi *sub lege, vel sub legis maledicto existentibus*, quia utrumque adversariis est significationis ejusdem, & usûs promiscui; ut enim Articulum suum de existentibus *sub maledicto legis* stabiliant, utuntur illo Apostoli ad Rom. cap. 6. v. 14. *Peccatum vobis non dominabitur; non enim sub lege estis; sed sub gratia*: ut autem Pauli assertio cum sua probatione dignum Spiritu Sancto oraculum est; ita Quesnelli indè deductum consectarium digna tot errorum hæresumque magistro aberratio, non à fidei solùm veritate; sed ab ipso rationis lumine prorsùs aliena. Peccatum scilicet dominatur infidelibus, & peccatoribus quibuscumque, vel uno crimine, seu noxâ lethiferâ sub potestate Diaboli redactis: sed quis, nisi expunctis scripturis, proculcatis Ecclesiæ sanctionibus, pessumdatâ Patrum omnium traditione, ipso extincto intellectûs lumine, contra quotidianis exemplis firmatissimam experientiam asserat, tale esse seu peccati, seu Diaboli in singulos sibi subditos dominium, ut nulla in iis actio honesta sit, nulla indifferens, aut à peccato libera? Oppositum mox patebit luculentiùs.

4. Alter Apostoli locus nobis objicitur ex Epist. ad Gal. cap. 3. v. 10. *Quicumque ex operi-*

ribus legis sunt, sub maledicto sunt, scriptum est enim: maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis ut faciat ea. Consulamus more nostro commentarium Angelici lectione 4. „ *Quicunque ex operibus legis &c.* id est, quicunque in operibus legis confidunt, & putant se justificari per ea, sub maledicto sunt. Aliud enim est esse ex operibus legis, & aliud est servare legem; nam hoc est legem implere, & qui eam implet, non est maledictus. Esse verò ex operibus legis, est in eis confidere, & spem ponere, & qui in eis hoc modo sunt, sub maledicto sunt, scilicet transgressionis: quod quidem non facit lex; quia concupiscentia non venit ex lege; sed cognitio peccati, ad quod proni sumus per concupiscentiam probibitam per legem. In quantum ergo lex cognitionem peccati facit, & non præbet auxilium contra peccatum, dicuntur esse sub maledicto; cùm nequeant illud per ipsa opera evadere. Sunt autem quædam opera legis ceremonialia, quæ in observationibus fiebant: alia sunt opera, quæ pertinent ad mores, de quibus sunt mandata moralia. Unde secundum Glossam hoc quod hic dicitur, Quicunque ex operibus legis sunt &c. intelligendum est de operibus ceremonialibus & non de moralibus.„

5. Qua explicatione suppositâ, nihil ex loco Apostoli eruitur pro Quesnelli Articulo. Ex eo enim quod omnes, qui in operibus legis confidunt, & quidem ceremonialibus tantùm, sub maledicto sint, neque se liberare ab eo possint per istiusmodi legis opera, in quibus unicè confidunt, exclusâ Servatoris fide & gratiâ, minimè sequitur, omnes qui hac ratione sub maledicto positi sunt, nunquam boni aliquid moraliter agere, nunquam à novo abstinere vitio, sed semper aut malis incumbere operibus, aut peccatum committere sola illud formidine evitando. Nihil de hoc in Angelici, aut alterius probati authoris commentario est; sed fœtus novæ Ecclesiæ, Lutherano atque Calviniano lumine illustratæ. Ita Calvinus 2. Instit. cap.7. S.10. *Secundum legis officium .... quo magis sese retinent, eò fortiùs inde accenduntur, fervent bulliunt, parati quidvis facere, nisi legis terror obstaret.* Adeône in omnibus sive Judæis, sive Christianis, qui aliquo crimine se Diaboli, & peccati dominio subjecerint, proinde etiam maledicto legis, ut eodem ad Galatas capite dicitur, *Scriptum est enim, maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt*; adeône, inquam, in peccatoribus singulis ratio omnis periit, & pessumdata omnis in bonum propensio, imò corrupta libertas, ut nullam unquam pariat actionem cum divino sive naturalis, sive superioris ordinis auxilio conformem regulis honestatis, aut Dei legibus non contrariam?

6 Quonam autem revelante spiritu Quesnellus didicit peccatorem in omni opere à Dei placitis non alieno agere impulsum formidine; nunquam alia ratione honestâ, vel innoxiâ? Nunquam nisi intentione perversâ honorare parentes, diligere liberos aut patriam? nunquam pascere famelicum, vestire nudum & algentem frigore, nunquam legere librum pium, vel aures præbere concionanti? Miror profectò, nec ullus tam horridæ sententiæ conscius, mirari unquam satis poterit, eam inter homines ingenio non hebetes, neque leviter excultos studiis, fautores consequi potuisse.

Plures ibidem Apostolici textûs explicationes Aquinas suggerit, sed nullum vel in minimo apice adversariis patrocinantem.

CAPUT III.

S. Augustinus Quesnello minimè suffragatur.

1 Prolixa hic nobis adversarii ex Augustino ostentant testimonia, eaque veluti roboris tanti pro sustinendo contra anathema Articulo, ut si locum Quesnelli integrum cum Augustini textibus contuleris, *non ovum ovo simile magis reperiatur*. Ea est *Collatoris* nominatim confidentia. Integrum autem Quesnelli locum non ipse, sed Hexapla referunt, ut hic exhibeo. „Quatuor scilicet status, per quos transit humanum genus, etiam communiter Electi, ut docet Apostolus. Primus est finè lege: secundus sub lege; tertius sub gratiâ: quartus in pace & gloria cœlesti. In primo vincitur homo à peccato, quod neque cognoscit, neque oppugnat: in secundo & cognoscens vincitur, & pugnans: in tertio & pugnat, & refert victoriam: in quarto finè certamine triumphat; in pace videlicet cœlesti stabilitur in bono, adeò ut nulli in posterum futurus sit obnoxius mutationi. Sub gratiæ imperio, ubi quis impellitur spiritu, operatur infallibiter bonum:

„*Sub*

„ *sub maledicto legis nunquam fit bonum* ; „ *quia peccatur* , *sive faciendo malum* , *sive* „ *illud non nisi ob timorem evitando*. „ Hactenus Quesnellus , ubi quilibet perspicit excerptionem damnati Articuli fuisse fidelissimam , neque esse quidpiam in antecedentibus, quod ad aliam ipsum determinet significationem , quàm quæ in Articuli vocibus ab omni rescissis circumstantiâ elucet: & quidem ea , quam desumpseris ab authore , sensum Propositionis obvium & odiosissimum , ab eodem fuisse intentum omnimodè convincit.

2 Audienda est modò Augustini sententia, quæ tanto nobis fastu ab adversario intorquetur. Enchiridii cap.118. num.31. „ Cùm in altissimis ignorantiæ tenebris „ nullâ resistente ratione secundùm car- „ nem vivitur, hæc sunt prima hominis. „ Deinde cùm per legem cognitio fuerit „ facta peccati, si nondum divinus adjuvat „ Spiritus , secundùm legem volens vive- „ re , vincitur , & sciens peccat, peccato- „ que subditus servit. A quo enim quis „ devictus est , huic & servus addictus est. „ .... hæc sunt secunda hominis. Si au- „ tem respexit Deus , ut ad implenda, quæ „ mandat, ipse adjuvare credatur , & agi „ homo cœperit Dei Spiritu , concupisci- „ tur adversùs carnem fortiori robore cha- „ ritatis ; ut , quamvis adhuc sit , quod ho- „ mini repugnet ex homine , nondum totâ „ infirmitate sanatâ , ex fide tamen justus „ vivat , justêque vivat , in quantum non „ cedit malæ concupiscentiæ , vincente „ delectatione justitiæ. Hæc sunt tertia „ bonæ spei hominis ; in quibus si piâ per- „ severantiâ quisque proficiat , postrema „ pax restat , quæ post hanc vitam in re- „ quie Spiritûs , deinde in resurrectione „ etiam carnis implebitur. Harum qua- „ tuor differentiarum prima est ante le- „ gem : secunda sub lege: tertia sub gratia: „ quarta in pace plenâ atque perfectâ.

Idem in Expositione quarumdam Prop. Epist. ad Rom. cap.13. „ Quatuor istos gra- „ dus hominis distinguamus , ante legem , „ sub lege , sub gratia , in pace. Ante le- „ gem sequimur concupiscentiam carnis : „ sub lege trahimur ab ea : sub gratia, nec „ sequimur eam , nec trahimur ab ea. In „ pace nulla est concupiscentia carnis. An- „ te legem ergo non pugnamus , & pecca- „ mus ; sed etiam approbamus peccata : „ sub lege pugnamus ; sed vincimur ; fa- „ temur enim mala esse, quæ facimus , & „ fatendo mala esse , utique nolumus face- „ re ; sed quia nondum est gratia , supera- „ mur. In isto gradu ostenditur nobis quo- „ modo jaceamus , & dum surgere volu- „ mus & cadimus , graviùs affligimur. In- „ de hic dicitur *lex subintravit ut abunda-* „ *ret delictum*.... Sic ergo jacens cùm se „ quisque cognoverit , per se ipsum sur- „ gere non valere , imploret liberatoris „ auxilium. Venit ergo gratia quæ do- „ net peccata præterita , ut conantem ad- „ juvet , & tribuat charitatem justitiæ , & „ auferat metum : quod cùm fit , tametsi „ desideria quædam carnis , dum in hac vi- „ ta sumus , adversùs Spiritum nostrum „ pugnant , ut eum ducant in peccatum ; „ non tamen his desideriis consentiens spi- „ ritus , quoniam est fixus in gratia , & „ charitate Dei , desinit peccare. Non „ enim in ipso desiderio pravo ; sed in no- „ stra consensione peccamus. „ In geminis hisce Augustini sententiis se fundans Collatoris observatio, ait , *non ovum ovo simile magis reperiri* , quàm integrum Quesnelli textum superiùs relatum , si cum Augustinianis contuleris. „ Quatuor enim hominis „ status ubi recitavit (Quesnellus) *ante* „ *legem* , *sub lege* , *sub gratia* , *in pace* , sic „ subdit : *sub imperio gratiæ* , id est , in sta- „ tu tertio , *ubi spiritu ducimur* , *infallibi-* „ *liter fit bonum.* *Sub maledicto legis* in secun- „ do statu *nunquam fit bonum* , *quia pecca-* „ *tur* , *sive faciendo malum* , *sive illud non* „ *nisi ob timorem evitando*. *Sine lege* in sta- „ tu primo *neque malum cognoscitur* , *neque* „ *bonum prout oportet*. „

3 Quemadmodum diversæ hominum ætates , diversa habere solent oblectamenta , sibi propria studia & actiones , ita & gradibus , conditionibus , seu statibus variis obtingere exercitia , moresque non parum dispares. Immeritò tamen definitiones ex iis conficias generales ; ut quæ singulis hominum gradibus , aut classibus propria enuntiantur , ad singula generum deriventur individua. Rustici censetur inurbani, mercatores inhiare lucris , Nobiles gloriæ: pueri addicti lusibus , fœminæ pigmentis & ornatui vano , inconstantes , & garrulæ. Non tamen ea vitia conveniunt prorsùs omnibus , & absque exceptione. Apostolus Epistolâ 1. ad Corinthios cap.7. ait : *Qui sine uxore est* , *solicitus est quæ Domini sunt* , *quomodo placeat Deo*. *Qui autem cum uxore est* , *solicitus est quæ sunt mundi* ; *quomodo placeat uxori* , *& divisus est*. Et, *Mulier innupta & virgo* , *cogitat quæ Domini sunt ut sit Sancta corpore & spiritu*. *Quæ autem nupta est* , *cogitat quæ sunt mundi* , *quomodo placeat viro*. Quæ iterum in speciem illimi-

mitatè dicta multiplicem judicio omnium non refugiunt exceptionem. Religiosorum status iter ad perfectionem est: Episcoporum ipsa perfectio, non tamen quilibet institutum Religionis etiam Sanctissimæ amplexus iter illud suum ità prosequitur, ut non subinde ab eo recedere comperiatur. Quot unctione consecratos Deo Antistites non luxit omne ferè seculum à charitate non solis moribus, sed etiam schismate deficientes, & qui schisma comitari solent, erroribus in fide! Frivolum proinde est ex quatuor diversorum statuum apud Augustinum descriptionibus concludere, quod homines singuli ad quemcunque è quatuor statibus pertinentes, non solùm sæpius; sed in omnibus actibus ea impleant prædicata, quæ suo ordini tribuuntur propria.

Erroneum quidem istud principium adversariis necessarium est; quomodo enim adversùs Christi Ecclesiam, quę columna & firmamentum veritatis est, invehere aliter possent, & stabilire novaturientem? Beatitudini cœlesti, quæ quatuor statuum postremus, & unicus omnimodè perfectus est, competere agnoscimus, ut homines singuli in eo positi, sint *in pace plena atque perfecta*, ubi *nulla est concupiscentia carnis*; Verùm inter Catholicos, maximè post iteratas toties Ecclesiæ definitiones, asserere nemo potest de ullo ex tribus aliis mortalium statibus, quòd actiones singulæ cujuscunque hominis, in eorum aliquo constituti, in idem conveniant prædicatum, quod ab Hipponensium Antistite adscribitur conditioni, seu statui. A majore scilicet parte desumitur denominatio: horreum dicitur frumento plenum, licèt mixtas habeat paleas, ager plenus zizaniis etsi hinc indè boni grani quidpiam contineat. Sic prima hominum conditio plena peccatis est cum ignorantia, & ex ignorantia commissis. Secunda scatet delictis cum legis notitia perpetratis. Tertia virtutibus ornatissima est, quamvis maculæ subinde aliquid interveniar levioris. Prima conditio complectitur indubiè infideles, & Philosophos de quibus asserueratBajus Art. 25. à tribus Pontificibus condemnato. *Omnia opera infidelium sunt peccata; & Philosophorum virtutes sunt vitia.*

4 Oppositum universa tenet Ecclesia obmurmurantibus frustrà Quesnellianis, penès quos, *Necesse est infidelem in omni opere peccare*: qui error præter tria superiorum Pontificum Sancti Pii, Gregorii XIII. Urbani VIII. anathemata, sensit etiam recentius Alexandri VIII. illum inter Articulos 31. condemnantis. Sed non senserit Quesnellus, pridem adversùs anathemata obduratus, ideoque ne latum quidem unguem à suis recedere solitus proscriptis quarer, & quinquies opinionibus. Sed & *Romani*, inquit, *majore pollent ingenio, quàm ut existiment, nos terreri sententiâ latæ excommunicationis Pontifici reservatæ*: Ita Quesnelli epistola nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* pag. 30. Neque ad illud anno 1691. sibi opus duxerat appellatione ad Concilium, gestiens vel tunc exemptionis privilegio, nescio unde præterquam ab inferis accepto, & novæ fidei introducendæ commodissimo, in eadem epistola pag. 18. *Habemus nos hoc singulare præ cæteris, quo nobis bene est, quodque retinebimus, eandem semper prosequendi semitam, quidquid opponi contigerit à Censoribus Romanis, & quodcunque Decretum ab illo emanaverit tribunali*. Verùm quibus Romanorum Pontificum authoritas pro nihilo est, quid facient Augustino, cujus se discipulos, quasi antomasticè profitentur? nisi & ista professio non minùs, quàm Alexandrinæ contra Jansenium Formulæ subscriptio, inanis sit, neque minùs candore vacua, quàm veritate? sed de hoc aliàs. Quid, inquam, Quesnelliani facient Augustino, qui locis plurimis agnoscit *bona opera* in gentilibus etiam omnis expertia vitii, utpote *Dei dona, virtutes, continentiam, justitiam & actus strenuos, quibus à Deo temporale præmium promeruerunt*? Videri hæc apud Doctorem Sanctissimum possunt lib. 5. de Civitate cap. 12. epist. 99. & 130. lib. de Spiritu & litera cap. 26. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 22. ad Marcellinum epist. 5. Ex his textus Augustini integros dedi superiore tomo aliquoties, ubi pro eadem sententia attuli Chrysostomum, Hieronymum, Prosperum &c.

Compertissimum itaque est, in aliquibus primâ hominum conditione à Doctore maximo comprehensis, reperiri quædam opera bona, & ab omni immunia iniquitate. Si autem in impiis & idololatris, admittendæ quædam sunt actiones à rationis, honestatis, justitiæ regula non discrepantes, quo argumento verisimili denegabitur omnis actio proba & innocua omnibus prorsus peccatoribus *sub lege* degentibus, vel etiam sub ejus *maledicto*?

5 Quesnello *sub lege* esse, & sub ejus *maledicto*, synonima sunt, quia, inquit Documento 5. pag. 253. *Esse sub lege, est esse sub dominatione peccati, propterea quod homini illic existenti sine gratia, sine amore, sine charitate, aliud in corde non sit præter*

for-

formidinem servilem. Esse autem sub peccati dominio, sinè gratia, sinè amore, sinè charitate, penès Quesnellum est esse sub maledicto minimè leviter, utpote in peccandi necessitate perpetua, denegatâ pariter omni penitùs boni operis potestate. Per primum enim Quesnelli Articulum *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque illius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?* Art.57. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes: & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*; videlicet benevolus & justificans. 44. *Non sunt nisi duo amores unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.* Dum istum Numinis amorem interpretor justificantem, non habitum intelligo; sed actum, cujus intuitu habitus per Spiritum Sanctum in corde diffunditur. Quanquam si in rigore Articulus accipiatur, præsupponere videtur charitatis, sive justificantis gratiæ habitum veluti prærequisitum, si non necessariò priùs tempore, saltem naturâ, vel ratione, utpote omnis meriti propriè dicti, & remunerationis similis fundamentum. Hac ratione primus charitatis, quantumlibet perfectæ actus in pœnitentia peccatoris, non censetur justificationis gratiam promereri; sed hæc gratuita est, & gratis animo infunditur.

6 Art.45. *Amore Dei in corde peccatoris non ampliùs regnante*; ut in nullius regnat animo peccatoris, in nullius, ut vidimus, sub lege degentis, *necesse est in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* Ad eandem generalem & necessariam actionum omnium corruptionem sola sufficit, quæ sub lege viventibus indeclinabilis affirmatur, omnis gratiæ privatio. *Esse sub lege, est esse sub dominatione peccati, propterea quod homini illic existenti sinè gratia, sinè amore, sinè charitate, aliud in corde non fit præter formidinem servilem*, nullius boni operis, sed solius mali, Quesnello judice, fœcundam; nam Prop.62. *Qui à malo non abstinet nisi, timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.* Quid fructûs à timore servili sperari valeat melioris, quando Prop.66. timor ille annumeratur *bestiarum passionibus*, cum quibus ad Deum appropinquare videatur nefas? *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, neque per timorem sicuti bestiæ.* Imò quid timor ille aliud pariat, quàm impietatem, blasphemias, desperationem? Prop.67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*; Ideoque Prop.60. *Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem.*

Et quidem sola, quæ sub lege viventibus à Quesnello tribuitur privatio gratiæ, quam non complectitur malorum congeriem? Prop.40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.* 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

7 Unica non quidem abstergendi propositionis malitiam; sed utcunque minuendi ratio aliquibus videbitur, si dicantur consectaria illa maximè horrida, & peccandi necessitas continua, quæ sub lege, & ejus maledicto viventibus imponuntur, esse peccatoribus voluntaria & libera in radice, ex eo quod sub lege, ejusque maledicto liberrima se constituerint voluntate. Verùm & hæc evasio, in Quesnelli systemate frivola est. Non enim potuit homo impedire ne in maledictum incideret, quia per Prop.40. jam citatam *sinè gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.* 39. *voluntas quàm gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* Neque exteriores gratiæ juvare miserum potuerunt, nè in peccatum rueret & maledictum juxta Prop.5. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes & gratia exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.* Quòd autem gratia interior, quæ sola à Theologis communiter gratiæ nomine appellatur, homini, in Quesnelli sententia, desit quando ille in delictum saltèm grave, seu maledictum prolabitur, patet quia omnis penès illum gratia invictissimè efficit opus, ad quod à Deo, veluti sufficiens conceditur. Neque in illius potestate est gratiam ab operando coercere, vel suspendere juxta Prop.10. *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.* Prop.11. *Gratia*

tia

tia non est aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis & facientis quod jubet. Utrobique, ut vides, non uni aut alteri gratiæ ea virtus tribuitur, sed omnibus, ut definitio universarum est. Confirmat illam Propositio 19. *Dei gratia nihil aliud est, quam omnipotens ejus voluntas: hæc est idea quàm Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.* 20. *Vera gratiæ idea est, quòd Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.* 21. *Gratia Jesu Christi est gratia fortis, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis Filium suum.*

8 Eximenda hic quibusdam est hallucinatio, quâ existimant Jansenio & ejus sectatoribus *Gratiam Jesu Christi*, aliàs *medicinalem*, non esse quamlibet infirmis hominibus concedi solitam; sed specialem quamdam paucioribus obvenientem. Certum est Jansenium nullam agnoscere interiorem gratiam in hoc statu, nisi victricem, medicinalem, & Christi meritis obtentam. Secunda hæc est inter quinque Jansenii hæreses: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*. Quæ autem vocantur ab eo gratiæ pro homine lapso, non medicinales, non Christi Liberatoris, exteriores sunt, & ad erudiendum solummodo intellectum idoneæ, non ad movendam quantùm sufficit voluntatem. Secundam quam dixi Jansenii, nemo apertiùs & pertinaciùs sustinuit Quesnello, audaciâ Magistrum superans non Arnaldum tantummodo, sed etiam Jansenium. Testatissimum id faciunt propositiones, quas ex *Observationibus Moralibus* protuli, traditas imperterritè, post iterata toties anathemata, & Constitutiones, totius orbis Catholici, atque ipsius in primis Galliæ obedientiâ & consensione receptas. Non solùm actio & effectus indeclinabilis tribuitur à Quesnello cuilibet gratiæ; Sed & soli victrici omnis boni operis exercendi, & vitandorum lapsuum facultas, adeò ut nunquam boni malive electio libera in hominis potestate sit. Non posse enim denegari consensum gratiæ tot vidimus Quesnelli Articulis affirmatum; non posse autem quidpiam boni fieri, neque malum penitùs devitari sinè efficacis gratiæ præsidio, toties à Quesnello asseritur, quot numerantur ejus axiomata, quibus & naturæ, gratiâ destitutæ, subtrahitur omnis innocuæ possibilitas actionis, & omni gratiæ affingitur virtus quodammodo omnipotens. Prop. 16. *Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris* [cujuscunque] *gratiæ; quia nihil resistit omnipotenti*. Addidi *cujuscunque*, quia prorsus congruit definitionibus tam multis, quas gratiæ in genere, proinde cuilibet, Quesnelliana novitas superiùs affinxit, & pluribus confirmat propositionibus, quas primo tomo videre Lector potuit singulas, studiosiùs, quàm necesse fuerat, confutatas.

9 Conciliari itaque cum doctrina Catholica nequaquam poterit ea Augustinianorum statuum præpostera explicatio, quasi omnis humana actio ante legem cognitam, & sub lege, ejusque maledicto sit transgressio; omnis autem justorum sub gratia viventium actus sit gratiæ & justitiæ conveniens. Nón est inter Catholicos tiro Theologus qui nesciat, longè aliud esse, hominem ante legis notitiam, & sub ejus maledicto asseri peccatorem, sive etiam peccare communiter, aliud delinquere ipsum in eo statu semper, & in singulis actibus. Sic aliud pariter est vivere in gratia, atque per gratiam operari sæpe, vel etiam sæpissimè, aliud opera omnia & singula esse ex gratia. Nonne & *justus*, teste Spiritu Sancto, *labitur septies*? Utinam non & sæpius quotidie! Denique nec ita priores gemini status accipiendi sunt, veluti destituti omni penitùs gratiæ auxilio, ut accipiunt adversarii, feriente illos anathemate Alexandri VIII. vibrato in Articulum 5. ex 31. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum: adeòque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam & inermem sinè omni gratia sufficiente*.

Neque Arnaldinæ simul & Quesnellianæ, contra Decretum illud Apostolicum, furiæ, neque Articuli ejusdem, post damnationem magìs temeraria & irreligiosa defensio in *Difficultatibus Steyaertio propositis* parte 9. pag. 212. & sequentibus illum unquam ab anathemate liberabunt. Utriusque verò Novatoris impudentia, ausa doctrinæ oppositæ, ipsique Apostolicæ definitioni, inferre Pelagianismi calumniam, nihil ponderis apud Catholicos detrahit stabilitæ à Pontifice veritati; sed novam Sectam necesse est catholicis omnibus, ut magìs notam, reddat etiam magis execrabilem.

10 Duplex prior hominis conditio ideo dicitur non esse sub gratia; quia neque habitum sanctificantem continet, neque transeuntia auxilia nisi rarissimè sequitur: atque ita geminis illis statibus non gratia; sed concupiscentia dominatur. Non autem re-

gnare hæc dicitur in statu tertio, quamvis animum, etiam tunc pulset frequentissimè, quia passim repellitur, non nisi pro levioribus subinde defectibus, consensûs aliquid surripiens, teste Augustino libro de Spiritu & litera cap.26. *Sicut non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sinè quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua opera bona, sinè quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.* Rationem antea hanc reddiderat: *ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat illis, quâ legitimum aliquid anima rationalis & sentit, & facit.* Peccato quidem perditur sanctitas; Sed non rationalis anima, quæ etiam in impiis, ut ex Augustino discimus, non desinit *legitimum aliquid & sentire, & facere.* Ea Doctoris maximi tum assertio, tum probatio partim primo hominum statui convenit, partim secundo.

Idem Sanctus lib.1. de peccatorum meritis cap.22. *Unde fit ut homo ab ineunte ætate ... ad virtutes cæteras provectior aptiorque consurgat, & tamen eo loci fit, ubi ei prædicari gratia Christiana non possit.* Ad quem statum homo istiusmodi ab adversariis remittetur? Non ad tertium, ut patet. Si verò ad primum aut secundum; non itaque in illo opera omnia peccato inquinata sunt; etsi plurima.

Confirmat illud Augustinus lib.de Spiritu & litera cap.26. *In numero etiam hominum impiorum, nec Deum verum veraciter justèque colentium, quædam facta legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm non vituperare possumus; verùm etiam meritò justèque laudamus; quanquam si discutiatur, quo fine fiant; vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem defensionemque mereantur.* Ubi evidens est, in infidelibus opera paucissima quidem, aliqua tamen spectatis omnibus, etiam fine quo fiunt, justitiæ debitam laudem defensionemque promereri. Quod si verum est, ut est verissimum, eatenus, præcipuè quia non omnia illa esse peccata, à tribus contra Bajum Pontificibus definitum est, liquet, non omnia primæ conditionis opera vitio laborare.

11 Perspicuum porrò est, neque adversarius ausus fuerit inficiari, non minorem; sed potiorem longè id habere locum in statu secundo, ubi veri Dei, ejusque sanctissimæ legis cognitio est, & religiosus aliquis cultus; licèt propter delicta aliqua imperfectus, ideoque ad salutem non sufficiens. Constat itaque ab Augustino distinctione quatuor graduum non intendi, quòd sicut in quarto homines pace perpetuâ fruuntur, ita in tribus prioribus actus omnes uniformes adeò sint, ut in tertio, qui sub gratia est, omnes & singuli ex illa fiant; nulli unquam ex concupiscentia; in secundo gradu, qui propter mortiferam aliquam legis transgressionem, subjacet maledicto, actiones singulæ maledictæ sint; nulla legi consona ac honestati, omnia peccatoris opera sint peccata, nulla innocua. Nè de gradu quidem primo, seu infimo istud affirmabitur absque errore Augustinianis dogmatibus contrario, & iterato sæpius ab Ecclesia anathemate.

Gradus igitur, status, conditio illa triplex denotat actus singulis proprios, & communiter ibi elici solitos: sed non semper & absque ulla penitùs exceptione, ut de secundi statûs actibus fingit Quesnelliana novitas: *Sub maledicto legis nunquam fit bonum; quia peccatur, sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.* Novitatis istius partibus singulis convincendis solus cuilibet homini veritatem amanti sufficere debet Augustinus. Meminerimus præcedentis Articuli, juxta quem *Baptizatus adhuc est sub lege; si legem non impleat, aut adimpleat ex solo timore.* Omnis autem legi subditus, neque eam adimplens, sub ejusdem indubiè maledicto est. Quid modò Sanctissimus Antistes de hujus secundi gradûs hominibus, quos Quesnelli impetit Articulus? In psalm.127. inferorum supplicia memorans ait: *Audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt impiis timent, & continent se à peccato. Habent timorem & per timorem continent se à peccato: timent quidem; sed non amant justitiam. Cùm autem per timorem continent se à peccato fit consuetudo justitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulcescit Deus: & jam incipit homo justè vivere.* Supponitur homo initio fuisse in statu peccati, utpote timens æterna supplicia; Sed nondum amans justitiam; metu tamen se tantisper continuit à novorum commissione criminum, & cum auxilio gratiæ, crescente etiam salutari formidine, *amari incipit, quod durum* ante fuerat præceptum pœnitentiæ, & mortificationis *membrorum quæ sunt super terram*, ut docet Augustini Commentarius in Epist.1. Joan.

12 Quærere ex adversario lubet, quomodo ex luctuosa illa maledicti conditione proripere se homines valeant? Si enim omnis illic humana actio peccatum sit, non apparet quæ possit esse conveniens ad justitiam præparatio. Tridentina Synodus Sess.6.

Seß.6. cap.6. *Disponuntur*, inquit, *ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt: atque illud in primis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, & dum peccatores se esse intelligentes, à divina justitia timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei Misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est, Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.*

13 Dein paucis terminato c.6. septimum sic inchoatur: *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur*: atque ità liberatio à maledicto Legis, sive remissio peccatorum non *est prima gratia, quam Deus peccatori concedit*, ut ab adversario fingitur Prop.28., sed pluribus ad eam actibus liberis disponitur animus. Disponi autem ad justitiam pravis vel etiam indifferentibus operibus non potest. Necesse igitur est sub maledicto legis agnoscere opera quædam bona, quæ viam præparent charitati, ut cum benedictione tandem maledictio commutetur, & infausta servitus cum adoptione salutiferâ filiorum. Secuta hic est Tridentina Synodus Augustinum, qui bonis actibus, etiam timoris, sub maledicto elicitis, virtutem tribuit, quâ veluti dispositione congruâ ad Ecclesiam homines justitiamque, auxiliante simul gratiâ, perducuntur, lib. de Catechizandis rudibus cap.5. *Rarissimè accidit, imò verò nunquam, ut quisquam veniat, volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus.* Ibid. *Ipsa etiam severitate, quâ corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, Charitas ædificanda est.* Eodem lib. cap.17. „ Sunt „ qui propterea volunt esse Christiani, ut „ aut promereantur homines, à quibus „ temporalia commoda expectant, aut „ quia offendere nolunt, quos timent: sed „ isti reprobi sunt; etsi ad tempus eos por„ tat Ecclesia; sicut area usque ad tempus „ ventilationis paleam sustinet: si non se „ correxerint, & propter futuram sempi„ ternam requiem Christiani esse cœpe„ rint, in fine separabuntur. Nec sibi „ blandiantur, quod in area possint esse „ cum frumento Dei; quia in horreo cum „ illo non erunt; sed igni debito destinan„ tur. Sunt etiam alii meliore quidem spe; „ sed tamen non minore periculo, qui jam „ Deum timent, & non irrident Christia„ num nomen, nec simulato corde intrant „ Ecclesiam Dei; Sed in ista vita expectant „ felicitatem, ut feliciores sint in rebus „ terrenis, quàm illi, qui non colunt „ Deum: ideoque, cùm viderint quosdam „ sceleratos & impios ita seculi prosperi„ tate pollere & excellere; se autem vel „ minùs habere ista, vel amittere, pertur„ bantur tanquam sinè causa Deum co„ lant, & facilè à fide deficiunt. Qui au„ tem propter beatitudinem sempiternam, „ & perpetuam requiem, quæ post hanc „ vitam Sanctis futura promittitur, vult „ fieri Christianus, ut non eat in ignem „ æternum cum Diabolo; sed in regnum „ æternum intret cum Christo, verè ipse „ Christianus est, cautus in omni tentatio„ ne, ne prosperis rebus corrumpatur, & „ ne frangatur adversis, & in abundantia „ bonorum terrenorum modestus & tem„ perans, & in tribulationibus fortis & „ patiens; qui etiam proficiendo perveniet „ ad talem animum, ut plus amet Deum, „ quam timeat gehennam: ut etiamsi dicat „ illi Deus, utere deliciis carnalibus sem„ piternis, & quantum potes, pecca; nec „ morieris, nec in gehennam mitteris; „ sed mecum tantummodo non eris, ex„ horrescat, & omnino non peccet, non „ jam ut illud quod timebat, non incidat; „ sed ne illum, quem sic amat, offendat; „ in quo uno est requies, quam oculus „ non vidit &c.

14 Statuamus itaque ex Augustini sententia Judæum, qui cælesti radio illustratur eò usque ut antiqui fœderis scripturas, præcipuè Prophetarum de Christo oracula attentiùs conferens cum iis, quæ indubitatæ de eodem testantur historiæ, remittit aliquantum de sua pertinacia, & obligationem credendi, suscipiendique baptismatis apprehendens salubri horrore concutitur, ne differendo nimiùm conversionem, periculum adeat desertionis, damnationisque perpetuæ. Tandem firmiter statuit, & omnino vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo; sed in regnum æternum intret cum Christo: En casum nobis ab Antistite Hipponensi propositum. Quid autem de eodem Sanctus definiat, jam ejus verbis percepimus. Verè, in-

inquit, Christianus est, fide, & spe bonâ; etsi nondum dilectione Dei benevolâ super omnia & justificante præditus; sed ad hanc solicitâ novorum criminum fugâ & bonorum operum exercitio se præparet, cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, & ne frangatur adversis, & in abundantia bonorum terrenorum modestus & temperans, & in tribulationibus fortis & patiens: *qui etiam proficiendo perveniet ad* charitatem seu *talem animum, ut plus amet Deum, quàm timeat gehennam, ut etiam si dicat illi Deus, utere deliciis carnalibus sempiternis, & quantum potes pecca, nec morieris &c.* ut supra. Hic tandem à peccatis præteritis, simul & à maledicto legis Neophytus liberatur, ad amorem Dei super omnia tot dispositionibus provectus. Neque deerunt forsitan Theologi, qui ne hic quidem dilectionem super omnia benevolam reperiant; sed amorem solummodo, quem Salesius lib.2. de amore Dei cap.17. vocat *concupiscentiæ sanctæ & bene ordinatæ*.

Supponamus tamen dilectionem hîc, etsi minùs perspicuè expressam, subintelligi perfectiorem, sufficit mihi, non antea; sed hic primùm apparere Neophytum justificatum, legisque liberum maledicto. Quotquot igitur Augustinus retulit & laudavit actus dilectioni prævios, eliciti fuere cùm adhuc homo esset subditus maledicto legis. Similia Augustinus habet in Psalm.85. & 127. Serm.145. aliàs 3. inter editos ex Manuscriptis Carthus. Serm.178. aliàs 19. de verbis Apostoli. Denique nisi sub maledicto legis agnoscantur aliquæ actiones bonæ, occluditur Judæis janua, quâ ad Ecclesiam simul & justitiam pervenire unquam valeant; non enim justificationis forma adultis peccatoribus infunditur, nisi multæ præcesserint dispositiones, quæ in statu peccati, atque adeò maledicti, auxiliante etiam tunc Dei gratiâ, præmittantur.

15 Act. cap.2. narratur prædicatio Petri, quam millium aliquot Judæorum secuta est conversio: *His auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus, Viri fratres? Petrus verò ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum.* Quesnellus verò cum suis novæ Ecclesiæ Apostolis censet opera omnia remissionem illam præcedentia, esse peccata, ideoque minimè idoneas ad eam dispositiones; sunt enim elicita *sub maledicto legis*, sub quo *nunquam fit bonum, sed peccatur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.* Compunctio igitur illa cordis, sive liber in illam consensus, consultatio illa, *Quid faciemus, viri fratres?* & omnis à Petro inculcata pœnitentia præmittenda baptismnti, ut hujus demùm gratiâ acciperetur *peccatorum remissio*, juxta Quesnellum minimè bonæ actiones fuerint; sed inanes, noxiæ & inquinatæ vitio. Quapropter si censuit Petrus Judæos, non nisi suscepto revera baptismate justificandos, & simul omnia Judæorum opera, ante justificationem esse peccata, debuit illos non ad pœnitentiam baptismo præviam solicitè hortari; sed ab ea potiùs avertere. Quin & in omnibus tam Christianis peccatoribus quàm Judæis ante justificationem nulla actio bona erit, nulla etiam attritio expers peccati, utpote sub maledicto legis elicita, si præsenti Articulo junxeris sexagesimum tertium: *Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judæus; si legem non adimpleat, vel adimpleat ex solo timore.* Legem indubiè non adimplet quisquis transgreditur peccato lethifero.

Sub lege igitur sicut Judæus, est peccator quilibet antequam reconcilietur: neque melior sub lege conditio est, in Quesnelli sententia, quàm sub legis maledicto: juxta Documentum scilicet ejus tertium pag.253. *Esse sub lege, est esse sub dominatione peccati*, illic enim constitutus homo *est sine gratia sine amore, sine charitate, solam habens in animo formidinem servilem.* Nihil deterius dici potuit, neque à Quesnello dicitur de existentibus sub legis maledicto. Sed neque insulsum aliquid magis, neque contumeliosius atque injustius affingi Augustino potuit, quàm absurda adeò novitas, tot consectariis turgens à doctrina sana & catholica alienissimis ut non dilucidè solùm; sed & [forté nimiùm] pro lectoris commodo copiosè demonstratum est.

16 Minoris ponderis, imò nullius, pro confirmando Quesnelli Articulo sunt quæ objiciuntur ex lib. de Spiritu & litera cap. 19. & Serm.32. aliàs 20. de Diversis. Priore loco dicitur: *Ex hac promissione, hoc est ex Dei beneficio lex impletur, sine qua promissione prævaricatores facit, vel usque ad effectum mali operis, si etiam repagula timoris concupiscentiæ flamma transcenderit, vel certè in sola voluntate, si timor pœnæ suavitatem libidinis vicerit.* Ubi meritò contra Pelagianos asseritur legem non impleri solis naturæ viribus; sed *Dei beneficio*, sive auxilio divinæ gratiæ, quod omne penitùs deesse tum Judæis omnibus sub legis maledicto viventibus, tum etiam baptizatis peccatoribus fingere novatores possunt; sed nulla

ra-

ratione, vel authoritate ſtabilire. Oppoſitum de Judæis oſtendi Tom. I. contra Art. 6. & 7. de Chriſtianis contra Art. 1. & alibi ſæpius. Quod hic Auguſtinus aſſerit de timore naturali, qui non eſt *ex Dei beneficio*, non officit *timori gehennæ*, quem ſupernaturalem eſſe, & ſingulari hominibus Dei beneficio concedi oſtendimus ex Scripturis, Patribus, Doctoribus Angelico & Seraphico, & recentiùs ex Saleſio, Tridentino Concilio, Alexandro VIII. contra Art. 14. & 15. ex 31. Vide etiam Tom. 2. diſputata contra Propoſitionem 60. & duas ſequentes. Neque in Auguſtini ſententia quidpiam eſt, unde colligas omnia & ſingula peccatoris ſive in veteri, ſive in nova lege opera eſſe peccata, ut à Queſuello aſſeritur præſenti Articulo ſimul & ſuperiore. Non plus confici ab adverſariis poteſt ex Serm. 32. aliàs 20. de diverſis ubi legimus *illa decem præcepta, ipſa ſunt quæ erant in illo populo vetere; ſed illum populum decem præcepta timore opprimebant. Non enim erat in illis charitas, quæ eſt per gratiam: præcepta Dei pœnalia erant illi populo, quæ impleri non poterant timore: conabantur; ſed cupiditate ſuperabantur .... Qui tranſit ad Chriſtum, tranſit de timore ad amorem, & incipit amore jam poſſe, quod timore non poterat*. Ubi iterum *timor* exprimitur qui *non eſt per gratiam*, Sed naturalis & naturalium pœnarum, quas lex vetus tranſgreſſoribus decernebat. Quanquam etiam lex decem præcepta continens, & in illis primum ac maximum Charitatis, impleri nequeat ſinè amore. Neque mandatum de diligendo proximo ſolus ſinè amore implet timor. Plura poteſt fortis ut mors dilectio: Charitas omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet; quæ non tribuuntur elogia timori. Verùm nihil boni operis quantumvis facilis fieri, nunquam malum vitari etiam abſente tentatione gravi poſſe ſolâ formidine, vel ullius inferioris ordinis virtute, quàm ſie charitas, pernegamus, neque ullo unquam reddetur probabile argumento. Ridiculum denique eſt & multiplici calumniæ obnoxium affricare cuilibet Judæo, & ſingulis ejus actionibus, quidquid vitii aut defectûs convenit & jure tribuitur populo ſeu multitudini.

CAP. IV.

Fruſtrà Adverſarii patronum invocant Gregorium Magnum.

1 PLacet adverſariis illud Gregorii Magni lib. 9. Moralium cap. 41. „ Tunc ſolùm Deo vera obſequia „ reddimus, cùm eum propter „ amoris fiduciam non timemus: cùm nos „ ad bona opera affectus, non metus dirigit: cum malum noſtræ menti jam non „ placet, etiamſi licet. Nam qui à perverſitatis opere ex timore reſtringitur, „ perverſa libenter ageret, ſi liceret: nequaquam ergo veraciter rectus eſt, qui „ adhuc à pravitatis deſiderio liber non „ eſt... Vera obſequia Deo non reddimus, ſi ex timore mandatis illius, & „ non potiùs ex amore ſervimus. „ Textus hic objicitur tam in Hexaplis, quàm in ſubſidiaria eorum Collatione, utrobique citando librum 9. Moralium caput 41. mea autem editio non numerat in libro illo niſi capita quadraginta. In ultimo autem, aut ullo vicinorum nihil reperio ſimile, ſed in fine capitis 37. *Tunc veraciter reatus noſtri dolor plangitur, cùm tenebroſa illa inferni retributio intento timore prævidetur*. Si tunc veraciter plangitur reatûs noſtri dolor, non igitur novum committitur peccatum, quoties tenebroſa illa inferni retributio intento timore prævidetur, licèt nobilior charitatis intentio abfuerit, à qua præſcindit etiam Gregorius. Supponamus tamen ſententiam ab adverſariis oppoſitam alicubi reperiri: ſimilis eſt illi, quam intorquent alii ex Gregorii lib. I. cap. 11. *Eccleſia, ſimplicitatis ſuæ & rectitudinis vias timore inchoat; ſed charitate conſummat: cui tunc eſt funditus à malo recedere, cùm ex amore Dei cœperit jam nolle peccare. Cum verò adhuc timore bona agit, à malo penitùs non receſſit*.

2 Anni ſunt ampliùs quinquaginta cum eadē ſententia ab authore *Quæſtionis Quodlibeticæ de ſufficientia attritionis* adduceretur, cui tunc Tractatu eruditiſſimo *De Attritione ex metu gehennæ* cap. 5. reſponſum fuit, *S. Gregorium illic agere de timore inefficaci, & ignavo, ſubdit enim: Eo ipſo peccat, quo peccare vellet, ſi inultè poſſet*. Num. 94. explicat author ſimiles aliquot veterum locutiones, *de timore ſerviliter ſervili*. In allegatis igitur ab adverſario vocibus, quarum circunſtantias diſcutere non poſſumus, videtur ſenſus iſtiuſmodi: *Tunc ſolùm Deo vera obſequia reddimus, cùm eum propter amo-*

amoris fiduciam non timemus; per vera obsequia intelligendo vera antonomasticè, meritoria scilicet ex charitate perfecta, de qua dicitur à Ioanne Epist. 1. cap. 4. *Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foràs mittit timorem; quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate*. De eadem ait Augustinus Lib. 83. Quæstionum Quæstione 36. *Charitatis venenum est spes adipiscendorum, aut retinendorum temporalium: nutrimentum ejus est imminutio cupiditatis: perfectio, nulla cupiditas: signum profectûs ejus nullus timor*. Idem sanctus in citata Joannis verba de charitate & timore: *Quantum illa crescit, tantum ille decrescit, & quantum illa fit interior, tantum timor pellitur foràs: major charitas, minor timor: minor charitas, major timor, si autem nullus timor, non est quà intret charitas; quia timor medicamentum, charitas sanitas*. Serm. 18. de verbis Apostoli *Timor est custos & pædagogus legis, donec veniat charitas*.

3 Consonat Basilius hom. 8. in Psalmum 32. *Necessariò velut introductorius ad pietatem timor assumitur: dilectio verò deinceps succedens à timore scientificè adaptatos perficit*. Si timor est pædagogus & custos legis introductorius ad charitatem, donec ipsa veniat, ut ait Augustinus, non igitur est transgressio legis, quoties hæc non nisi formidine observatur. Medicamentum perniciosum est, nec medicaminis dignum nomine, si ægritudinem depellere adeò non potest, ut eo sumpto, nisi aliunde sanitas conferatur, novam semper ægritudinem accedere necesse fit. Quomodo veluti *introductorius assumitur ad pietatem timor*, si gressus singuli quibus ad pietatem, sive charitatem proceditur, nova delicta sint, novi obices dilectionis? Non enim alia virtus inferior penès adversarios ullam potest actionem reddere à vitio immunem, *Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*. Prop. 46.

Orthodoxus nemo, & sanæ mentis Theologus, timoris absentiam requirit veluti conditionem necessariam, ut actus eliciatur innoxius, vel etiam præditus honestate; sed timoris societas solùm indicat, charitatem in homine nondum ad perfectionis apicem pertigisse.

4 Quod in objecta Gregorii sententia sequitur, *Nam qui à perversitatis opere ex timore restringitur, perversa libenter ageret, si liceret nequaquam ergo veraciter rectus est, qui adhuc à pravitatis desiderio liber non est*, de ignavo iterùm & naturali timore intellige, qui fugam pœnæ præferat vitiationi culpæ. Aliam autem saniorem pœnæ formidinem agnosci à Gregorio patet ex ipso libro 9. cap. 37. superiùs relato. *Tunc veraciter reatûs nostri dolor plangitur; cùm tenebrosa illa inferni retributio intento timore prævidetur*. Quomodò *veraciter plangitur* reatus præteritus, si dum plangis, iterùm delinquis? *Pœnitentia*, inquit Gregorius homiliâ 3. in Euangelia, *est perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare*. Planctum istiusmodi salutiferum excitat metus futurorum, non quasi, ut Quesnelli contendit assertio, *sub maledicto legis nunquam fiat bonum, & semper peccetur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando*.

Contrarium Gregorius docet lib. 5. in 1. Regum cap. 2. ad ea verba *Servite Domino, & timete eum in veritate*. *Hæc* [inquit] *via bona & recta est, qua ad æternam vitam tendis & feliciter pervenit. Per timorem quippe Domini devitantur mala* lib. 2. in 1. Regum cap. 2. *Tunc quippe peccare desinimus, cum supernâ gratiâ mollitis cordibus, futura tormenta formidamus*: ubi ab omni altioris ordinis motivo præscinditur.

Homilia 26. in Euangelia *Hunc tanti timoris judicem ante oculos ponite: hunc venturum timete, ut cùm venerit, securi videatis. Timendus ergo est, ne timeatur. Terror ejus nos ad usum bonæ Operationis exerceat: metus illius vitam nostram à pravitate compescat*. Homiliâ 7. in Ezechielem de timore Judicii: *Tunc Electi terribilem non videbunt; quia modò terrorem illius considerare non cessant; studiosè enim considerant, quàm terribilis ad judicium veniet: culpas anteactas deflent: imminentes declinant: pavorem illius quotidie ante oculos mentis ponunt, & timendo agunt, ne quando venerit, pertimescant .... Et quia ipse pavor ejus, quem in suis cogitationibus tenent, eorum mentes protegit, rectè subjungitur* &c. *si enim pavendus in eorum cordibus non esset, protector & modò à peccatis, & post à suppliciis non fuisset. Quia autem semper considerant, quis pavor ex judicio immineat, virtutum pennas in rectitudinem conservant*.

5 Dices, Electos non timere solùm; sed etiam diligere: ac proinde formidini jungere charitatem; hac autem non illâ solâ fieri, ut Deus Sanctis in Judicio non appareat terrificus; Propositio verò Quesnelli agit contra illos, qui *malum non nisi ob timorem evitant*.

* Sic est; Electi ad beatitudinem non solo timore; sed etiam dilectione perveniunt.

Ve-

Verùm timor eos ad fpem & dilectionem difpofuit juxta folitum juftificationis ordinem, qui in Tridentino Concilio defcribitur feff.6. cap.6. „ Difponuntur autem ad „ ipfam juftitiam, dum excitati divinâ gra- „ tiâ & adjuti, fidem ex auditu concipien- „ tes, liberè moventur in Deum creden- „ tes vera effe, quæ divinitus revelata & „ promiffa funt; atque illud in primis à „ Deo juftificari impium per gratiam ejus „ per redemptionem, quæ eft in Chrifto „ Jefu; & dum peccatores fe effe intelli- „ gentes, à divinæ juftitiæ timore, quo „ utiliter concutiuntur, ad confiderandam „ Dei mifericordiam fe convertendo, in „ fpem eriguntur, fidentes Deum fibi pro- „ pter Chriftum propitium fore, illumque „ tanquam omnis juftitiæ fontem diligere „ incipiunt: ac propterea moventur ad- „ versùs peccata per odium aliquod & de- „ teftationem, hoc eft per eam pœniten- „ tiam, quam ante Baptifmum agere „ oportet.„

Horrore fcilicet perculfi terribilis Judicii, & fequentium illud perennium fuppliciorum, dum fide tenent certiffimâ promiffam à Deo effe pœnitentibus mifericordiam, neque defutura conantibus auxilia; imò Deum conatus omnium prævenire, qui 2. Petri cap.3. *Nolens aliquos perire; fed omnes ad pœnitentiam reverti*, clamat Matth.11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eftis, & ego reficiam vos*. Hæc, inquam, peccatores dum fide retinent indubitatâ; neque aliunde, quàm à Deo expectari poffe delictorum veniam, vitationem cruciatuum, ac beatitudinem, decernunt converfionis initium: atque iftud, ut patet, in facra per fidem conceptâ formidine, veluti in petra maximè folidâ fundatum, juxta illud Proverbiorum cap.14. *Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruina mortis*. Ecclefiaftici cap.25. *Qui tenet illam cui affimilabitur? Timor Domini initium dilectionis ejus*.

Quifquis enim Deum ferio timet, veluti judicem nulli mortalium declinabilem, & vindicem malorum adeò terrificum, imperat fibi mandatorum omnium obfervationem, pœnitentiam potiffimùm & charitatem. Verùm ut perfectiora fuccrefcunt lentiùs, ad virtutum principem mox provehi peccator non folet, quod vel ex relato Tridentini ordine difcimus, nifi mediis timoris, aliarumque bonarum gradibus actionum. Si igitur timor cum divinæ gratiæ auxilio & fpem homini, & pœnitentiam ac charitatem imperare valeat, ut valet procul dubio, de aperta convincitur falfitate Articulus damnatus, afferens, *Sub maledicto legis nunquam fieri bonum; quia peccatur five faciendo malum; five illud non nifi ob timorem evitando*. Quomodo enim in malefana hac hypothefi peccator fe poterit ex maledicto legis fubducere, atque ad Deum accurrere invitantem? Non patitur Quefnellus ut veniat timore; quia juxta Art.66. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipfum venire cum brutalibus paffionibus, neque adduci per inftinctum naturalem, aut per timorem ficut beftiæ; fed per fidem & per amorem ficut filii*.

6 Ratio Quefnelli manifefta eft, nec minùs apertus error, quod adæquata fit actuum humanorum in cupiditatem & charitatem partitio Art.46. *Cupiditas aut charitas ufum fenfuum bonum vel malum faciunt*. Pro ufu autem fenfuum non alia valet ratio quàm pro cæterarum ufibus facultatum. Ideo de omni actu ad legis obedientiam pertinente enuntiat Articulus 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eft charitas.... alioquin non eft nifi hypocrifis, aut falfa juftitia*. Art.58: *Nec Deus eft, nec religio, ubi non eft charitas*, imò hac deficiente omnis actio noftra & volitio peccatum eft. Art.44: *Non funt nifi duo amores, unde volitiones & actiones omnes noftræ nafcuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipfos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eft, non refert, & propter hoc ipfum fit malus*. Tam multiplex & clara Quefnelli enuntiatio dubitare de ejus mente neminem finit, quin omnis actio & volitio quæ charitas non eft, vel ab ea non proficifcitur, inter vitia numeretur.

7 Verùm quid fi non folùm ex Tridentino & S. Gregorio tot fuperiùs fententiis allegato inftiterimus pro timore, tanquam aptiffima ad fpem dilectionemque difpofitione; fed etiam Auguftini Difcipulos ex ipfo convicerimus Auguftino, charitatem in præfenti & communiffimo divinæ providentiæ ordine non procedere nifi prævio timore? Convicimus non femel, & obvia pro eo funt Doctoris maximi axiomata.

De verbis Apoftoli Serm.13. *Timor eft fervus charitatis. Nè poffideat Diabolus cor tuum, præcedat fervus in corde tuo, & fervet Dominæ venturæ locum: fac vel timore pœnæ; fi nondum potes amore juftitiæ*. In Epift. Joannis Tractatu 9. *Initium fapientiæ timor Domini: timor quafi præparat locum charitati... Si autem nullus eft timor, non eft quà intret charitas*. Iterum *fi nullus eft timor, non eft quà*

quà intret charitas; *ficut videmus per fetam introduci linum*, *quando aliquid fuitur*; *priùs feta intrat*. Ibid. *Opus eft ergo ut intret timor primò*, *per quem veniat Charitas*: *timor medicamentum*, *charitas fanitas*. Lib. de catechizandis rudibus conftituit Auguftinus feveritatis divinæ *terrorem faluberrimum*, quo veluti fundamento *charitas ædificanda fit*.

Imitatus hoc S. Gregorius lib.28. Moralium cap.8. *Cùm futurorum*, inquit, *timor infunditur*, *ut bonæ vitæ furgat ædificium*, *jam fundamenta conftruuntur*. Idem Sanctiffimus Doctor & Pontifex Homiliâ 34. in Euangelia: *Prava mens*, *fi non priùs per timorem evertitur*, *ab affuetis vitiis non emundatur*. Ubique timoris infigne texitur elogium; ubique vis & poteftas prædicatur ad extirpanda vitia, ad acquirendas virtutes, etiam principem charitatem accommodatiffima, imò veluti neceffaria: unde fingularis prorfus, & mirabilis omnibus videatur novæ Ecclefiæ prærogativa, divinis oraculis, & univerfæ hactenus incognita traditioni, ut peccatores quoslibet ad virtutem eminentiffimam nullo tranfito inferiori boni operis medio repente promoveat. Ecquod verò opus medium admittatur, ubi fola abfentia charitatis, fufficit ut quævis actio, quantumvis bona hominibus apparuerit, maculam contrahat cupiditatis?

Juxta S. Gregorium Homiliâ 27. in Euangelii Joannis caput.15. v.12. *Sunt nonnulli*, *qui diligunt proximos*; *fed per affectum cognationis & carnis*; *quibus tamen in hac dilectione facra eloquia non contradicunt*. *Sed aliud eft quod fponte impenditur naturæ*, *aliud quòd præceptis Dominicis ex virtute debetur obedientiæ*. Si affectus carnis & fanguinis obtinere ab homine poffit dilectionem proximi innocuam, cui facra eloquia non contradicunt, cur affectus timoris Domini, judicii adeò terribilis, atque æternorum cruciatuum incuffus à Deo peccatoribus, nequeat eos, etiam divini fpiritûs concurrente auxilio, ad ullum inducere opus bonum, vel faltem à nova liberum iniquitate? Timorem viam fternere charitati, proindeque difpofitiones animo imperare introducendæ illi perquàm idoneas, tot vidimus fcripturarum Patrumque teftimoniis, Auguftini potiffimùm & Gregorii confirmatum, ut nulla valeat adverfariorum pertinaciæ, & voluntariæ cæcitati obtendi excufatio.

8 Ut autem errorem adeò abfonum & omni contrarium rationi venditent pro veritate, neceffe eft lectoribus, nefcio quo præftigiorum fafcino, lumen penitùs adimant intellectûs, etiam naturale, ne videant, timori & quidem vehementiffimo, & mali graviffimi, quale eft æterna damnatio, ineffe tantillum roboris, quo opus aliquod bonum, faltem non difficile, vel fugam mali, etiam ubi gravis non arferit tentatio, perfuadere animo valeat. Exempla obvia funt: dum infantem, ne ab incurrente equo obteratur, quis abripit, cæcum avertit ne in præceps ruat, exiguum debitum folvit & graviter indigenti porrigit fruftum panis: cur actiones illas, & mille fimiles à quibus paffim non molefta retrahit paffio, impetrare ab animo nequeat Dei vindicis metus, vel quælibet alia five fupernaturalis, five naturalis ordinis honefta ratio abfque novi commiffione peccati, etiam in illis, quos præteriti premit confcientia delicti, five ut propofitio enuntiat, maledictum legis?

Quot exteriora crimina in furibus, latronibus, adulteris, & fimilibus humani generis peftibus non impedit metus fupplicii, aut alterius incommodi temporalis, quantumlibet ad ea graviffimæ ferat impetus tentationis, neque fupernaturalis ratio in confilium adhibeatur, aut fingulare imploretur, fentiaturve numinis auxilium! Imò S. Gregorius eorum miratur ftultitiam qui fuperioris ordinis haud moti ratione, ne fuppliciorum quidem formidine à Criminibus avertuntur. Lib.26. Moralium cap.27: *Sæpe* [inquit] *qui jubentis verba non audiunt*, *ferientis verberibus admonentur*, *ut ad bona æterna faltem pœnæ trahant*, *quos præmia non invitant*... *Sunt nonnulli*, *quos à perditis moribus nec tormenta compefcunt*.... *Fatuitas quippe ftultitiæ eft*, *quòd illos fic iniquitas obligat*, *ut à culpa eos nec pœna compefcat*. Verùm digna mihi fapientum examine videtur quæftio, quæ major fatuitas ftultitiæ fit, nè pœnis quidem à culpa compefci, an nullam in exiftentibus fub maledicto legis agnofcere actionem bonam, nifi metu elicitam: an denique actionem omnem nonnifi timore, quantumvis falutifero æternæ damnationis exercitam arguere peccati?

Prima ftultitiæ fatuitas malefanis peccatoribus propria eft: pofterior utraque nimiùm fapere volentibus fupra Ecclefiam, neque ei credere condemnanti hunc novi fymboli errorem duplicem, & craffiffimum, *Sub maledicto legis nunquam fit bonum*; *quia peccatur five faciendo malum*, *five illud non nifi ob timorem evitando*.

CAPUT V.

Refertur subdola Hexaplorum pro Quesnello Apologia.

1 MAgnifica hic nobis objicitur inscriptio : *Quesnellus se ipso justificatus* ; quam pluribus confirmare moliuntur Hexapla argumentis, quot nempe sententiis in *Observationum Moralium* libro, unde Articuli ad censuram excerpti sunt, asseritur bonitas timoris & utilitas. Ipsa Hexapla audiamus „ Duo in timore distinguere oportet : utilitatem ejus in se, & sufficientiæ defectum. E duobus posterius Quesnellus „ stabilit in propositionibus condemnatis; „ sed primum non destruit. Cum Ecclesiæ „ Patribus affirmat, solam, & omni destitutam amore formidinem, non posse depellere ex animo propensionem in peccatum. Sed non negat timorem esse ad „ aliqua utilem, atque ad amorem ducere „ & præparare. Ad amovendos itaque „ pravos sensus, qui Propositionibus illis „ tribui possent, satis est ostendere *Observationes* Quesnelli complures, quibus „ agnoscit formidinis utilitatem, prærogativas, etiam necessitatem.

2. „ In Joannis 5, v.4. Perturbatio, quæ reperitur in pœnitentia, est ex gratia: quem „ motum non ob aliud excitat divinorum „ timor judiciorum, nisi ut procuret pacem solidam, & perpetuam tranquillitatem.

„ In Matth. cap.3. v.7. Rigor sanctus „ melior est fallaci dulcedine: hæc peccatorem in vitiis sopit: ille expergefacit, „ efficiens ut sentiat statum peccati, metuque salutari conscientiam commovet.

„ In Matth. cap.16. v.27. Novum Christianæ vitæ principium est, fidem sæpe „ elicere judiciorum Dei, & salutiferum „ eorum expetere timorem.

„ In 1. Epist. Joannis cap.4. v.18. Quam „ bonus es Domine, etiam quando tradis „ formidini peccatorem, cùm hæc non excruciet, nisi ut cogat quærere consolationem, dulcedinem, & pacem animi in „ charitate!

„ In Joannis cap.8. v.24. Fallax prudentia est velle peccatoribus eximere terrorem judiciorum Dei, horribiles eis occultando veritates. Oportet eos periculorum demonstrationibus adigere, ut „ ad Jesu brachia convolent, velut unicum „ peccatoribus asylum.

„ In Epistolæ 2. ad Corinth. cap.5. v.10. „ Quantumlibet gaudium nobis spes suggerit de nostra restitutione, & firmando „ in patria habitaculo, non dimittamus salutiferam judiciorum Dei formidinem. „ Judex ille justus est, sapiens, inexorabilis : indeclinabile ejus judicium, hora „ incerta, sententia nulli obnoxia appellationi : neque tamen est qui recogitet.

„ In Epistolam 2. ad Corinthios cap.13. „ v.2. Si peccatorem non excitet formido „ supplicii, blanditur is sibi facilè impunitatis fiduciâ...... Comminatio reddit „ institutioni magis idoneum, culpis „ eximit & suppliciis.

„ In Actorum caput 11. v.2. Deus animum timore præparat ad dilectionem.

„ In Epistolam 1. ad Thessal. (caput „ omittitur) v.3. Formido utilis, perturbatio salutaris, quas in nobis excitat fides judiciorum Dei, nostræque cognitio corruptionis.

„ In Actorum cap.9. v.5. & 6. Gradus „ varii conversionis peccatoris : timere incipit ; cùm enim Deus ipse sit, qui offenditur, Servator qui persecutionem „ patitur, quid non habet [peccator] „ quod timeat?... Timor judiciorum Dei „ incrementum accipit & dominatur mox „ in animo, quem illuminavit Deus ac tetigit. Qui illo non terretur, neque Deum „ satis novit, neque peccatum.

3. „ In Actorum caput 2. v.42. Terrifica „ mysteria æquè prædicanda sunt, ac ea „ quæ tribuunt fiduciam... Christus non „ minùs Judex noster est, quàm Servator.

„ In Matth. cap.12. v.41. Ruinæ temporalis metus pœnitentiam obtinet à populo, qui neque Moysen habuit, neque „ Christum, neque legem, neque Prophetas, & cui præter hunc nullus fortè unquam obtigit prædicator.

„ In Matth. caput 3. v.10. Duæ res efficiunt damnationem, æterna excommunicatio per separationem corporis Christi, privationem Dei... & Ignis æterni „ supplicium. Hoc timeamus; sed magis „ excommunicationem illam perpetuam.

„ In Matth. caput 5. v.29. Utinam peccator sæpe comparationem instituat, „ quam hic à Christo discimus, vanam fluxamque peccati dulcedinem inter, & „ tormenta inferorum perennia, omnemque superantia cogitationem.

„ In Matth. caput 8. v.31. Nihil efficere potest Diabolus, nisi permittente „ Deo,

„ Deo;& veluti executor ejus justitiæ:hanc „ igitur justitiam adorandam oportet me- „ tuere; sed magis peccatum, sinè quo ju- „ stitia otiosa est.

Hactenus Apologia, quæ nihil seriæ defensionis continet; sed ab initio ad finem usque plena fraudibus est, non quidem Quesnello aut ejus affeclâ; sed vero professionis Catholicæ Theologo protsus indignis. Quod nè temere à me jactatum existimes, considera attentiùs, quæ sequuntur.

CAPUT VI.

Apologia subdola confutatur.

1 TUrpiter Adversarius dissimulat, quod damnata asserit Propositio, *sub maledicto legis nunquam fieri bonum, sed peccari* (in omnibus actibus) *sive faciendo malum; sive illud non nisi ob timorem evitando.* Aliud scilicet est timorem non sufficere ad expellendam penitùs propensionem in peccata, aliud in statu peccati nullum fieri opus bonum: omnia iniquitatis,vel cupiditatis pravæ maculâ coinquinari. In peccatoribus semper est peccatum habitu, sed non actu: neque habitus ille, præsertim in delicti unici reis semper motus excitat ad noxia pellicientes adeò, ut nullum temporis momentum sit à tentationibus liberum. Non omnis etiam tentatio adeò vehemens est, ut ante justificationem, nunquam ei à peccatoribus resistatur.

Esse *sub maledicto legis*, *& esse sub lege sicut Judæum* Quesnello veluti synonyma sunt. Omnis portò *baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, vel adimpleat ex solo timore*, ut ait Articulus præcedens: & juxta quidem authoris recens *Monitum quintum* pag.253. *esse sub lege est esse sub dominatione peccati, quia homo illic existens sinè gratia, sinè amore, sinè charitate, nihil in anima habet, nisi formidinem servilem.* Sed quis Quesnellum seu Theologus, seu Philosophus, extra Bajanorum & Jansenistarum forsitan insanientium scholam docuit, omnes virtutum habitus frequentatis bonis actibus antea acquisitos, annorumque plurium exercitio radicatos unico statim peccato mortifero extirpari?

Vidimus quidem novum Theologum Articulo primo, exclamatione patheticâ, sciscitantem: *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?* Omnia ista penès Quesnellum competere peccatori cuilibet, patet, tam ex circumstantiâ authoris, & cæterorum ejus dogmatum, quàm ex sensu hìc verborum obvio, juxta quem peccator omnis dicitur *amittere Deum & ejus gratiam*, intelligendo de habituali, seu amicitia, ut Aulicus excidit gratiâ Principis, quem graviter offendit. Erronea autem, si non & hæretica Quesnelli sententia est; peccatorem, quandiu in statu illo permanet,nullum habere gratiæ,etiam transeuntis auxilium; juxta *Monitum*, scilicet ejus jam relatum, *homo sub dominatione peccati est sinè gratia, sinè amore, sinè charitate, solam in animo habens formidinem servilem*: & per Art. 28. *Prima gratia quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.*

2 Compertissimum quoque est, timorem servilem penès Quesnellum non esse ex gratia; quia juxta Art. 66. Timor passionibus æquiparatur brutalibus; servilis arguitur veluti plenus blasphemiis. Art. 27. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque induci per instinctum naturalem, aut per timorem sicuti bestia; sed per fidem & amorem sicut filii. Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.*

Nota pariter est Propositio inter 31. ab Alexandro VIII. damnatas decimaquarta. *Timor gehennæ non est supernaturalis*, & 15. *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.* Utraque est Jansenij, Quesnelli & cæterorum eadem castra sequentium. Sensus itaque Quesnelli exploratissimus est, peccatorem quandiu in illo statu duraverit, nullum unquam efficere opus bonum; sed peccare in omnibus actibus. Neutrum autem clienti suo errorem Hexapla sive *Observatione* sua futili, sive collectis ex illo textibus eximere possunt, vel conantur, vel cupiunt; sed incautorum tantummodo illudere simplicitati.

Memoriâ Quesnelli exciderit condemnatio Articuli Joannis Huss in Constantiensi Concilio; spreverit autem faciliùs Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. contra Articulos, vulgò Bajanos, anathemata: inter quos trigesimus quintus est: *Omne, quod agit peccator, aut servus peccati, peccatum est.* 40. *In omnibus actibus suis peccator servit dominanti cupiditati*: Quas senten-

tias

tias, in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, relati Pontifices proscripsere. Sensum verò illum non fuisse alium, quàm Quesnelli, ne Quesnellus quidem ipse negaverit, videlicet omnia peccatorum in damnationis statu perseverantium opera esse peccata.

3. Nemo Novatoribus illis tribuit, neque nos tribuimus Quesnello errorem adeò stolidum, ut charitatis, & pœnitentiæ actus, quo peccator aliquis restituitur justitiæ, inter vitia numeretur. Sed mirabilis adversariorum cæcitas est, quod iterata toties anathemata non videant, vel magis detestabilis perfidia, si conscii sensum ab Ecclesia toties condemnatum, audeant resuscitare, spretis definitionibus, de quibus ipse Cardinalis Noaillius profitetur nihil illis deesse, ut universam obstringant Ecclesiam: *Certum illi*, (scilicet Clero Gallicano in Comitiis Generalibus anni 1705. inquit) *fuit, Pontificiis Decretis adversus Jansenium nihil deesse ut universam Ecclesiam obligent, & circa illa nec appellationem admitti, nec mutationem expectari posse. Idem & de Apostolicis, adversus Bajum, Molinosium, & librum vulgo dictum, Les maximes des saints, definitionibus professurum Clerum existimo; fide illis actum fuisset*. Ita Eminentissimus in Epistola ad Clementem XI. scripta anno 1711.

Alius Quesnelliani Articuli error insipiens est, quod in statu peccati, omnis evitario delicti sit non nisi ex formidine: *Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando*. Extra legem vixere Philosophi, & cæteri vivunt Ethnici, in quibus non omnia opera esse obnoxia delicto, ex Traditione Patrum, sacrorumque interpretum, ex Romanorum Pontificum contra Bajum definitionibus, Ecclesiæque consensione unanimi indubitatum est, *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia*, ajebat Bajus Art. 25. Qui error à tribus memoratis Pontificibus anathemate profligatus est. Si autem ne Ethnici quidem, etsi criminibus obsiti, in singulis suis actibus perversè, vel ex motivo illicito operentur, cur deteriorem hic affingamus Christianis peccatoribus sortem, ut semper inhonesta moliantur, ut non nisi formidinis impulsu mala devitent, siquidem finis ille aut prohibitus est, aut ad declinanda crimina non sufficiens?

4. Pars istaQuesnelliani dogmatis cõplectitur errores geminos: ambos exoticos, & peccatorum omnium experientiæ, cæterorumque sensui, & rationis, etiam naturalis dictamini contrarios: videlicet quod omnes sive Judæi, sive Christiani peccato vel uni lethifero obnoxii, quoties bonum sectari visi fuerint, vel malum fugere, timoris impulsum secuti sint, & quidem solum, absque ullo erga bonum affectu; quia *sub maledicto legis*, sub quo ut Quesnellum *Monito Quinto*, & Propositione 63. audivimus interpretantem, comprehenditur tum Judæus, tum Baptizatus quilibet peccator, *nunquam fit bonum*; *sed peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando*. Neque utrumque hunc iterum, neque alterutrum errorem, ullus ex coacervatis Quesnelli textibus, neque ipsa Hexaplorum *Observatio* excusat. Textus enim solummodo commendant timorem judiciorum Dei, quæ commendatio an satis consonet Propositioni 66. & 67. dispiciam locis propriis. Supponatur interim commendatio seria, & quòd Quesnellus non reprehendat formidinem pœnæ; sed asserat solùm, ut Hexapla contenduut, quod non sit sufficiens ad impediendam propensionem noxiam, & avertendum assensum hominis à peccato; nihil adhuc rationis conspicimus, quo stabiliatur contra Judæos & Christianos quoslibet peccatores accusatio prima, quòd nihil in ipsis unquam fit operis boni: Secunda quòd omnis in illis actio peccatum sit: Tertia quòd in iisdem omnia, quæ apparet vitatio mali, ac proinde omnis quæ videtur opposita peccato actio honesta profluat ex timore: Quarta quòd nullum motivum aliud bonum formidinem comitetur.

5. Ex quatuor illis contra peccatores calumniis, nulla est quæ speciem veri præ se ferat, nullam à damnato Articulo, vel authoris sensu amolitur Hexaplorum *Observatio*, vel collectio textuum: nullam quoque ratione probabili unquam nova factio confirmabit. Frivola itaque Propositionis excusatio est, cum dicitur *Timori soli & absque dilectione non satis inesse virium ut evellat ex animo inclinationem quâ peccato affigitur*; Nam etsi timor solus expellere nequeat peccatum antea commissum, & habitu perseverans, quò fit ut animus habitu adhæreat iniquitati; attamen habitus ille, sive habitualis adhæsio non omnibus momentis in nova prosilit peccata, neque illecebras, & tentationes parit semper adeò fortes, ut nullus timor, nulla inferior charitate virtus, aut ratio, divino adjuta subsidio, movere satis animum valeat ad resistendum, abstinendumque à no-

vo vitio, vel boni quidpiam exercendum.

Frivola itaque est Hexaplorum *Observatio* ludens subdolè *adhæsionis*, sive *affixionis* vocabulo, quod si pro consensûs pravi habitu manente accipitur, veritatem continet; Sed ad propositum controversiæ caput minimè pertinentem; si de continua novorum semper actuum malorum serie intelligitur, ineptissima suppositio est, nullo argumento verisimili à Novatoribus probata hactenus, aut imposterum confirmanda. Quapropter remanet damnati Articuli error quadruplex absurdissimus, quem nullâ sui parte ab illo divellere unquam adversarii poterunt, aut defendere: periculum faciant si libuerit.

6. Quorsum ergo gloriosa illa *Observationis* Epigraphe *Quesnellus se ipso Justificatus*, nisi ad fallendos simplices, suisque authoribus apud cæteros augendam, quam pridem suis fraudibus contraxerant, perfidiæ infamiam? In ipsis Quesnelli textibus quos copiosè Hexapla conquisiverunt nihil candidi est, sed ex dolosis toti sunt consuti locutionibus. Delibemus aliquid ex singulis. Ante omnia lector meminerit de peccatoribus disputationem esse. Ad hos enim solos ex mente Quesnelli pertinet *sub maledicto legis esse, nunquam bonum facere, sed peccare, sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando*. Pro hac itaque hypothesi expendantur jactatæ tantâ confidentiâ Quesnelli Sententiæ.

I. *Perturbatio quæ reperitur in Pœnitentia est ex gratia: quem motum non ob aliud excitat divinorum timor judiciorum, nisi ut procuret pacem solidam, & perpetuam tranquillitatem*. Timor hic juxta Quesnellum non est hominis à lege maledicti; sed justi. Est enim timor salutaris necessariò ex *fide*, utpote quæ, teste Tridentino Concilio Sess. 6. cap. 8. *Est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*; Imò juxta Quesnellum Articulo 26. *Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem*. 27. *Fides est prima gratia & fons omnium aliarum*. Timor autem ex fide proveniens justificat necessariò; per Art. 51. *Fides justificat quando operatur*, cujus enuntiationis obvia significatio est, Fidem justificare quandocumque operatur.

Est etiam timor iste necessariò ex charitate, utpote profluens ex fide, quæ sinè charitate otiatur juxta Art. eundem. *Fides non operatur nisi per charitatem*: Præterea juxta Articulum 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*, quæ sine charitate pœnitentibus non præstatur. Nullus igitur hic sermo est de statu hominis sub maledicto legis, neque de Formidine, quæ ad eundem pertinet statum; in quo non solùm mala est charitatis privatio; sed ipsa etiam in Quesnelli Sententia formido; quod Hexaplorum *Observatio*, & passim hodiernæ Propositionum vindiciæ dissimulant fide pessimâ. Nos in hoc etiam novæ Ecclesiæ sensum, ac fallaciam detegamus.

7. Ajo itaque juxta novos Theologos timorem ipsum sub maledicto legis, sive in peccatoribus tum Judæis, tum baptismate initiatis peccatum esse. Non enim est ex gratia; aliàs non esset hominis à lege maledicti, seu peccatoris, sed justi; quia juxta memoratum superiùs *Monitum* Quesnelli *Quintum* pag. 253. *Esse sub lege est esse sub dominatione peccati; nam ibi constitutus homo sinè gratia, sinè amore, sinè charitate, nihil habet in anima nisi timorem servilem*. Homo autem sinè gratia & amore quid boni operis faciat, quid immunis à vitio?

Timor in hac hypothesi ab homine elicitus quomodo delicti effugiet maculam? Nam Prop. 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum sine gratia liberatoris*. 39. *Voluntas quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum: ardoris nisi ad se præcipitandum: virium nisi ad se vulnerandum. Est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*. Sinè amore autem Numinis, qui juxta Quesnellum ab existentibus sub maledicto legis exulat, quæ potest esse actio libera simul & innocua? Prop. 45. *Amore Dei in corde peccatoris amplius non regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Sub maledicto legis non regnare amorem Dei in corde hominis, à nobis pariter, atque ab adversariis agnoscitur.

Quâ igitur ratione timor in Quesnelli Sententia poterit tunc evadere corruptionem? Prop. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Denique, ut in *Monito Quinto* jam vidimus, *sub lege* (ac proinde sub legis maledicto) *nihil est in corde hominis præter formidinem servilem*; hanc autem quis bonam prædicet, quis non detestetur ut sacrilegam, si juxta Propo-

positionem 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem?*

8. Hinc collige, quàm seriò, vel potius fallaciter Hexapla observarint: *Duo in timore distinguere oportere, utilitatem ejus in se, & sufficientiæ defectum; è duobus stabiliri à Quesnello posteriùs, sed priùs non destrui... timorem esse ad aliqua utilem, atque ad amorem ducere ac præparare: ad amovendos itaque pravos sensus qui Propositionibus illis* (præsenti. & 63.) *tribui possent, satis est ostendere observationes Quesnelli complures, quibus agnoscit formidinis utilitatem, prærogativas, etiam necessitatem.* Cùm sub lege juxta Quesnelli *Monitum, nihil sit in corde hominis præter formidinem servilem,* atque hæc *non sibi repræsentet Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem,* mirari iterum cogimur novos Theologos perspicaci adeò præditos ingenio, ut in tali formidine *utilitatem, prærogativas, necessitatem* detegant; imò *ductum ac præparationem ad amorem.* Hactenus Philosophiæ Ethicæ magistros non legimus vel audivimus docentes, quod *non sibi repræsentare aliquem nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem,* sit *præparare se, ac ducere ad amorem ejus,* quem *non nisi* talibus *sibi* consuevit coloribus depingendum: neque ullum existimo terrarum angulum esse extra Ecclesiam novam, adeò barbarum, ubi *dominatio dura, imperiosa, injusta, intractabilis,* illecebra sit amoris. Verùm dicam, quod res est: non tam fatui sunt adversarii, ut istud sibi persuadeant; neque autumo tam impudentes, ut credi cupiant ab aliis; sed cæcos reddit erroris defendendi pertinacia, & Schismaticus furor, ut temerè arripiant apparentis quidlibet apologiæ, haud soliciti de consectariis, neque de dicto veteri, *mendacem oportuit esse memorem.*

9. Quæ in primam Quesnelli Sententiam observavi, sequentibus lector facilè applicabit. Experiamur. *Rigor sanctus melior est fallaci dulcedine: hæc peccatorem in vitiis sopit: ille expergefacit, efficiens ut sentiat statum peccati, metuque salutari conscientiam commovet.* Hæccine iterum à Quesnello dicta intelligi poterunt de statu hominis sub legis maledicto? Si inficias iveris, ineptissima damnati Articuli apologia est; sin affirmaveris, quærò quis in illo statu esse valeat *Rigor sanctus* qui *expergefaciat peccatorem,* ut eum fructu *sentiat statum peccati:* ut *metu conscientiam commoveat salutari,* ubi juxta superius Quesnelli *Monitum, Homo sinè gratia est, sinè amore, nihil in corde tenens nisi formidinem servilem.* Solus Pelagius *salutare* quidpiam agnoscit in homine sinè gratia. Neque timor servilis, ut à Quesnello describitur, potest esse effectus gratiæ; neque rebus salutaribus, sed maximè damnabilibus annumerari. Agi in hac sententia de statu hominis sub maledicto legis, colligo ex eo, quod ibi homo statum sentiat peccati; omnis autem, & solus peccator, maledicto legis est obnoxius.

Novum vitæ Christianæ principium est, fidem sæpe elicere Judiciorum Dei, & salutiferum eorum petere timorem. Iterum interrogo, num ista ad statum hominis sub legis maledicto constituti pertineant? Asserere oportet, ne evanida sit objectio. At sub maledicto legis, ubi homo juxta Quesnelli *Monitum* est *sine gratia, sine amore,* quæ potest elici fides judiciorum Dei, nisi, ut sæpe alibi nobis adversarii occinunt, *Fides humana, vel diabolica?*

10. Ita Jansenius lib. 5. de gratia Christi c. 6. *Nullam ipse* (Augustinus) *agnoscit fidem veram atque Christianam ... nisi ex Dei charitate dimanet,* cap. 7. *Amor Dei, nisi voluntatem hominis ad credendum flectat, non est fides Christiana; sed vel dæmonum, pœnarum timore, vel carnalis ex mundi amore, quarum neutra est fides, qua Christiani nuncupamur.* Hinc illa profluxit apud Lovanienses Conclusio in publicis Thesibus anno 1676. die 25. Junij. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam vera fides: & etiamsi videantur credere, non est fides Divina; sed humana.*

Hunc quidem Articulum inter 31. duodecimum prostravit anathemate Alexander VIII. Sed quibus non intemperiis Quesnellus & Arnaldus in Decretum illud Pontificium invecti sunt! Nota est impudens Quesnelli Epistola typis edita nomine *Abbatis ad quendam Romanæ Curiæ Prælatum:* Nec minus famosæ sunt *Difficultates* Quesnello Arnaldicæ *propositæ Domino Steyaert,* ubi parte 9. pag. 203. dicitur: *Esse in hoc Decreto obscuritates impenetrabiles, vel ex hoc exemplo compertum est: quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: &, etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana.* Addit pag. 206. *Condemnare non potes hanc 12. propositionem, nisi condemnando te ipsum, Sanctum Thomam, & reliquos passim Theologos.* Eundem errorem sustinet Quesnellus in *Protestatione* contra Constitutionem *Unigenitus,* pag. 200. & ante in lib. cui titulus: *Constitu-*

stitutio Sanctissimi D. N. Clementis Papæ XI. data 8. *Septembris* 1713. *cum observationibus in Propositiones condemnatas* pag. 199. Contra Censuram Propositionis 57. Secuta sunt Hexapla, & horum subsidiaria *Collatio* pag. 78.

11. Errandi occasio accepta est ex perperam intellecto Augustini Sermone 156. aliàs 13. de verbis Apostoli, ubi Sanctus agens contra Pelagianos, fidem solis naturæ viribus partam, negat esse fidem Christianam & salutarem; sed similem fidei Dæmonum; nam & *Dæmones credunt, & contremiscunt*.

Denique eundem tertium Quesnelli textum nihil facere pro præsenti Articulo, patet; quia hic agitur de statu hominis *sub maledicto legis*, ubi juxta Quesnelli MONITUM, *homo est sinè gratia, sinè amore, sinè charitate; nihil habens in animo nisi formidinem servilem*. Textus verò tertius statuit *Novum vitæ Christianæ principium, fidem sæpe elicere judiciorum Dei, & salutiferum eorum petere timorem*. Sinè gratia autem clarum est, non posse subsistere illud *novum vitæ Christianæ*, sed tantùm Pelagianæ *principium*; non *sæpe*, sed neque semel *elici fidem judiciorum DEI* sicut oportet, neque *peti salutiferum eorum timorem*.

Quesnelli Textus 4. *Quàm bonus es Domine, etiam quando tradis formidini peccatorem, cùm hæc non excruciet, nisi ut cogat quærere consolationem, dulcedinem, & pacem animi in charitate!* Sub maledicto legis non esse timorem filiis proprium, ac ne ejus quidem initium in Quesnelli Sententia liquet ex eo, quod etiam initium timoris ad filios pertinentis pariter dilectionis principio imbuatur, quod à statu illo Quesnellus suo *Monito* removet; statuens illic hominem *sinè gratia, sinè amore, cum sola formidine servili*. Non minùs evidens est, non posse in Quesnelli Sententia Deum tradere peccatorem timori istiusmodi magis quàm blasphemiæ, quâ timor servilis, illi statui proprius scatet, si sexagesimo septimo Quesnelli Articulo credimus. Quomodo verò timor hic excrucians peccatorem, cogat eum quærere consolationem, dulcedinem, & pacem animi in charitate; à qua maximè idoneus est peccatorem avertere? Quale enim incentivum charitatis est, *non sibi repræsentare Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*? istud servili timori imputat Propositio 67.

12. Textus 5. *Fallax prudentia est, velle peccatoribus eximere timorem judiciorum Dei, horribiles eis occultando veritates. Oportet eos periculorum demonstrationibus adigere, ut ad Jesu brachia convolent velut unicum peccatoribus asylum*. Candidior, quàm Quesnellus & magis cohærentia loqui visus est ejus apud Belgas condiscipulus, qui Tractatu 6. de actibus humanis quæst. 2. Dub. 3. Sic monet: *Malè faciunt Concionatores hæc proponentes, quæ ad detestanda peccata ex metu inducant*. Quapropter Jonas, insistendo novatoris Monito, longè aliam pœnitentiæ prædicandæ rationem inire debuerat, & contemptâ, quàm à Deo acceperat, methodo, initium concionis ducere à charitate. Tam præposterè pius fuit etiam monitor Lutherus, Sermone 6. de pœnitentia, & in Assertione Articuli sexti; Verùm Catholicis authoritas gravior est Prophetæ, ipsiusque Numinis per eum prædicantis. Unde meritò eandem Methodum approbat Synodus Tridentina Sess. 14. cap. 4. recensitâ scilicet attritione varia, etiam illâ, quæ ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, de eâdem ait: *Quamvis sinè Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; Tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt*.

13. Quem igitur *timorem judiciorum Dei* Quesnellus vetat *eximi peccatoribus*? Non filialem, qui gratiam supponit, & amorem, neque peccatoribus inest; sed justificatis & filiis. Non etiam initialem, qui cùm ex gratiæ auxilio, & quædam fidei operatio sit, est remissio peccatorum & justificatio, juxta Art. 28. *Prima gratia, quàm Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*: 51. *Fides justificat quando operatur; Sed non operatur nisi per charitatem*. Præterea initialis timor provenit partim ex Dei amore, qui, Quesnello judice, locum non obtinet in homine *sub lege* constituto.

Superest itaque in peccatoribus, utpote *sub maledicto legis* degentibus, timor solummodo servilis, testimonio, seu *Monito* Quesnelli: *sub lege homo sinè gratia est, sinè amore, sinè charitate, nihil habens in anima nisi timorem servilem*: Sub lege autem esse accidit omni peccatori Art. 63. *Baptizatus adhuc sub lege est sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore*. Quomodo igitur peccatorem adigas demonstrationibus periculorum, ut ad

ad Jesu brachia convolet, velut unicum peccat oribus asylum?

Demonstrationibus quidem periculorum excitabitur timor judiciorum Dei; Sed qualis peccatoribus est *finè gratia, finè amore, fiuè charitate*? Jam monuisti, *solùm esse servilem*. Num verò is tibi satis videtur pollere viribus, ut peccatorem *adigat ad Jesu brachia convolare velut unicum peccatoribus asylum; si Timor servilis non sibi repræsentat Deum nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*, Art. 67? Vel in tua hypothesi est neganda Divinitas Christo, vel timor servilis eum non aliter sibi, quàm velut istiusmodi Dominum repræsentans, minimè accommodatus est, ut ad Christum veluti misericordem confugere doceat; sed ab eo velut barbaro & tyranno profugere.

14. *Quantumlibet nobis gaudium spes suggerit de nostra restitutione, & firmando iu patria habitaculo, non dimittamus salutiferam Judiciorum Dei formidiuem. Judex ille justus est, sapiens, inexorabilis: indeclinabile ejus Judicium: hora incerta: sententia nulli obnoxia appellationi: neque tamen est qui recogitet!* Tota hæc Quesnelli enuntiatio venenum minimè amovet à damnato Articulo, in quo status discutitur peccatoris sub maledicto legis; allegata verò excusatio tota est de homine justificato, & à maledicto legis ad filiorum sortem feliciter translato; cui enim in Quesnelli Systemate gaudium spes suggerit de sui restitutione & firmando in patria habitaculo? Peccator maledicto legis subjacens juxta relatum sæpius MONITUM, *est fiuè gratia, finè amore, finè charitate, nihil habens iu animo nisi formidinem servilem*, Prop. 57. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes. & uon est spes in Deo, ubi non est amor Dei.* Combinato igitur Monito cum damnato isto ejusdem authoris axiomate, evidens est *sub maledicto legis*, ubi solus relinquitur timor servilis, finè gratia, finè amore, spem esse non posse, quæ ab amore juxta hypothesim Quesnelli non sejungitur.

15 Neque ad spem sufficit amor, qualem cum Scholasticis S. Salesius lib. 10. de Amore Dei cap. 6. vocat *Concupiscentia sancta & bene ordiuata, per quem uon trahimus Deum ad uos; sed ei nos coujungimus, ut finali nostræ felicitati*; quem amorem ibi distinguit Salesius, ut in Scholis Catholicis passim distinguitur, ab amore qui charitas appellatur. Penès adversarios autem Prop. 58. *Nec Deus est uec Religio, ubi non est charitas.* Homini cui nec Deus est, nec religio, quis tribuat, *spem*, & *quod à spe producitur gaudium de sui restitutione & firmando in Patria habitaculo*? Rursus Prop. 53. *Sola charitas Christiano modo facit actiones Christiauas, per relationem ad Deum & Jesum Christum.*

Denique juxta Quesnellum non est in homine actus spei finè justificatione; producitur enim per fidem; *Fides autem justificat quando*, sive quandocumque *operatur; sed non operatur nisi per charitatem*, Prop. 52.

Sexta itaque Quesnelli excusatio minimè nos edocet bonitatem timoris, de quo agitur, *sub maledicto legis*; ubi homo juxta Quesnellum est *finè gratia, finè amore*, &, ut Propositio asserit, *nunquam fit bonum; quia peccatur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.*

Exc. 7. *Si peccatorem nō excitet formido supplicii, blanditur sibi facilè impunitatis fiduciâ... Comminatio reddit eum institutioui magis idoneum: culpis denique eximit & suppliciis.* Hæc iterum si ad timorem referas, qui in damnato Articulo est, Quesnellum denuntiant Pelagianum. Timor enim, qui in homine *sub maledicto legis est*, solis elicitur naturæ viribus in Quesnelli Sententia; Nam ut in *Mouito* legimus, *sub lege homo est finè gratia, finè amore, fiuè charitate, non haben s in animo nisi formidiuem servilem*, quam adscribere gratiæ non poteris absque impietate; Si quidem juxta Articulum 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum uisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*: quam repræsentationem inter grati æ Divinæ opera solus atheus, & Divinitatis irrisor subdolus numerabit.

16 Excus. 8. *Deus animum timore præparat ad dilectiouem.* Quod in ejusdem authoris Sententia significat, DEUM animam crimine & blasphemiâ multiplici disponere ad amorem. Agitur enim de timore, qui in peccatore est, atque adeò *sub lege*, & *maledicto*. Quæ scilicet hic ab adversario fit commemoratio timoris ex Quesnello, profertur velut explicatio, excusatio, defensio ejus, quod in Propositione asseritur, proinde de eodem timore oratio utraque intelligenda est. Ex timore autem solo quoties operatio fit, peccatur juxta Articulos de charitate, quos tomo repuli superiore. Juxta præsentem itaque assertionem, *sub maledicto legis nunquam fit bonum; sed peccatur* (in omni opere) *sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitaudo*: proinde delinquitur, quoties mali fugiendi sola ratio est metus; quod locum

habe-

habere in omnibus sub maledicto legis viventibus, Propositio, ut patet, enuntiat. Indubiè autem *sub lege* est quisquis ejus subditur *maledicto*. Junge his cum *Monito quinto* Articulum, *Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judeus; Si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore*.

Quòd peccator in hoc statu remanens, legem non adimpleat, clarum est; proindè Quesnello judice, sub lege est. Porrò juxta *Monitum* ejus *esse sub lege, est esse sub dominatione peccati; quia homo in illo statu est sinè gratia; sinè amore, sinè charitate, solam habens in animo formidinem servilem*. Dispiciat modò lector, an tali formidini applicari ab adversario possit, quod pro defensione præsentis Articuli ipse objicit ex Quesnelli *Observationibus*, in Acta Apostolorum cap. 11. v. 2. & à me hic expenditur, *DEUS animum præparat timore ad dilectionem*.

17. Contendo itaq; nihil hìc præter dolum putidum esse; nam dogma quidem Catholicis Theologis indubitatum est, timorem DEI, & judiciorum ejus, atque suppliciorum, disponere peccatores ad pœnitentiam, etiam talem, quæ dilectionis aliquod initium est, ut post scripturarum Oracula, & Traditionem Patrum, ex Synodo discimus Tridentinâ Sess. 6. cap. 6. Verùm quis istud conciliet cum Novatientium severitate, quâ de multiplici crimine & blasphemiâ condemnatur timor servilis, & quidquid ex sola formidine fit arguitur delicti.

Quapropter fallaciâ circumventus errat certissimè, quisquis autumat, penès adversarios animum solâ occupatum formidine, illâ præparari ad amorem; etenim Art. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur: Amor DEI qui omnia agit propter DEUM, quemque DEUS remuneratur, & amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad DEUM referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Nulla igitur actio amorem DEI præveniens, disponere ad ipsum potest, utpote noxam suâ præferens origine; non enim nascitur ex amore DEI, omnia agente propter DEUM; quò deficiente principio, necesse est oriatur ex virulento vitiorum omnium fonte, videlicet *ex amore quo nos ipsos ac mundum diligimus*, ut in memorato describitur Articulo.

Evidens proinde est timorem, qui dilectionem DEI omnem prævenit, ad eum disponere juxta adversarios non posse, nisi peccati turpitudinem, dispositionem dixeris ad Dei amorem, quod sinè impietate, aut stultitia nullus affirmaverit. Hinc quisquis rationis usu præditus est, facilè perspicit fieri in novo Systemate non posse, ut Deus animum, antequam sie dilectionem Divinam conceperit, ad eam præparet timore.

18. Non erit inutile notare quædam ex Jansenio unde lucis aliquid splendidioris affulgeat dignoscendæ sententiæ Quesnelli. Lib. 5. de gratia Christi cap. 1. dividit timorem in castum seu filialem, & spurium seu servilem. In indice monemur, quod *Timor castus nascatur ex amore charitativo*. Sic itaque omnis timor DEI, qui spurius, sive servilis (& juxta Quesnellum blasphemiis plenus) non sit, nascitur ex amore, qui verè sit charitas. In eodem Indice dicitur *per timorem Dei ad amorem Dei perveniri*. Quod quidem etiam hic asserit Quesnellus; Sed, si timoris nomine castum intelligas, non potest accipi amor primus, utpote qui timoris casti principium est; cùm ideo timeat homo DEUM offendere, quia diligit.

Quis igitur timor in Quesnelli Sententia ad primum Dei amorem potest perducere? Nullus omninò. Decipere vult proinde simplices, quando ad probandam formidinis utilitatem etiam sub maledicto legis, profert ex suo opere textum timori servili, & homini sub maledictione legis posito, minimè convenientem. Sed neque Catholicos inter & adversarios lis est de timore, qui simul charitas esset; vel ab ea imperaretur, sed de timore charitatis experte penitùs, num ejus impulsu, peccarum aliquod absque consensu in delictum aliud, evitetur. Affirmant Catholici communissimè, paucis à novitate opposita, & pietatis specie deceptis. Patet autem ex iisquæ hactenus deducta sunt, fieri nequaquam posse in Quesnelli Sententia, ut timor ullus ad primam DEI præparet dilectionem; quia omnis à Dei amore non proveniens, ex prava nascitur cupiditate: unde omnia timoris elogia, omnis commendatio de nullo apud novatores intelligi possunt, nisi, qui simul charitas est, vel ab ea proficiscitur.

Operam perderem, si loca Quesnelli reliqua excuterem distinctius; cùm nihil in posterioribus sit, quod prioribus non consentiat, & de inutilitate ad excusanda damnata Quesnelli dogmata convictum à me modò non abunde fuerit. Hactenus calumnias amoliti sumus à DEI vindicis timore, qui sanctum & saluberrimum Divinæ

næ clementiæ donum eſt, mortalibus concedi ſolitum, ut ſeveri judicis adventus nihil inveniat æternis dignum cruciatibus; ſed ad ſuorum obedientiam mandatorum, amoremque compellat, quos neque infinita bonitas, neque præmiorum ejus cœleſtium magnitudo poſſet adducere. Adeò autem averſatur novitas timorem, ut neque ejus in lege veteri Prædicatoribus, Prophetis, & Sacerdotibus Sanctiſſimis parcat. Unde & horum nobis incumbit modò adverſus maledicentiam defenſio.

Sexageſima quinta Propoſitio Damnata.

Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui ſunt abſque eo, quod ullum DEO dederint filium, cùm non effecerint, niſi mancipia per timorem. *Obſerv. mor. in Marci caput* 12. *v.* 1.

CAP. I.

Error convincitur ſcripturis ſacris, etiam ſuppoſito aliorum Queſnelli dogmatum præſidio.

1. Libro Tobiæ capite 2. de ſe ſuiſque ait Tobias ſenior uxori: *Filii Sanctorum ſumus*. Dein & cap. 8. idem uxorem ſuam monet Tobias junior, qui cum ea tribus diebus & noctibus in oratione, juxta conſilium Angeli tranſactis, à DEO ſervatus incolumis, Diaboli inſidias ſuperavit. Cap. 14. narratur quomodo Tobias junior, juxta patris ſui morientis mandatum Niniven deſeruerit: *Tobias abſceſſit ex Ninive cum uxore ſua & filiis, & filiorum filiis, & reverſus eſt ad ſoceros ſuos, invenitque eos incolumes in ſenectute bona: & curam eorum geſſit: et ipſe clauſit oculos eorum: & omnem hæreditatem domus Raguelis ipſe percepit: viditque quintam generationem, filios filiorum ſuorum: & completis annis nonaginta novem in timore Domini, cum gaudio ſepelierunt eum. Omnis autem cognatio ejus, & omnis generatio ejus in bona vita, & in ſancta converſatione permanſit, ita ut accepti eſſent, tam DEO, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra.*

Num *omnis cognatio*, & *omnis generatio* Tobiæ, quæ in converſatione ſancta permanſit, *ita ut accepti eſſent, tam Deo, quàm hominibus* rejici à Queſnello meruit inter *mancipia per timorem*, nemine reperto digno, qui juſtis, ſeu Dei filiis adſcriberetur? Iniquam adeò in tot ſanctos calumniam, & apertum Divini teſtimonii contemptum neceſſe eſt horreat omnis animus fidelis & Chriſtianus; ſed novæ Eccleſiæ Apoſtolis vix aliquid apparet tam ſanctum, quod in novitatis gratiam commaculari non debeat, aut peſſumdari.

Exodi cap. 4. v. 22. *Tulit ergo Moyſes uxorem ſuam, & filios ſuos, & impoſuit eos ſuper aſinum, reverſuſque eſt in Ægyptum, portans virgam Dei in manu ſua: dixitque ei Dominus revertenti in Ægyptum: vide ut omnia oſtenta, quæ poſui in manu tua facias coram Pharaone: Ego indurabo cor ejus, & non dimittet populum: diceſque ad eum: Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus Iſrael*. Dignatur Deus populum Iſraeliticum nomine *filii* ſui, & quidem primogeniti: non igitur omnes immenſæ iſtius multitudinis cenſuit eſſe mera mancipia; ſed ex eis aliquos filios, neque adeò paucos, quin amabilis ea denominatio toti populo conveniret: *Filius meus primogenitus Iſrael*.

2. Filius hic Numini adeò dilectus, inſtituendus, regendus, ducendus Moyſi à ſuprema providentia traditus eſt: & licèt, ut humana fert infirmitas, multos in acquiſita juſtitia inconſtantes, & pronos in vitia, cœleſtis amoris illecebra non ſatis contineret in officio, quos proinde opus fuerit minis, terroribus, ſuppliciis urgere, nemini tamen poteſt prudens oriri dubitatio, quin Moyſes modis omnibus inculcans populo totius obſervationem Decalogi, cum legalibus ceremoniis, non potiſſimùm hortatus fuerit ad impletionem primi ac maximi mandati de diligendo DEO ex tota anima, & ex totis viribus.

Hujus autem præcepti exercitium, non poteſt non adoptare quemlibet in DEI filium; ut enim dicitur Joannis Epiſt. 1. cap. 4. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt*. Et Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 18. ait: *Nullum eſt iſto dono excellentius: ſolum eſt quod dividit inter filios regni, & filios damnationis æternæ*.

Pſalmo 81. *Ego dixi dii eſtis, & filii Excelſi omnes*: ita Rex pſaltes, in teſtamento veteri, ejuſdem fœderis juſtos alloquitur.

Quantùm autem hoc elogium sortem superat mancipiorum! Non solùm filii DEI, sed ipsi quodammodo dii prædicantur, ad quem illos apicem, adstipulante Divinâ gratiâ, perduxit institutio Prophetarum, Sacerdotum, aliorumque in illo fœdere Magistrorum. Iniqua proinde Quesnelli contra *Moysen, Prophetas, Sacerdotes, Doctores legis* sententia atque exprobratio est, omnes *mortuos esse absque eo, quod ullum Deo dederint filium*; quasi *non effecerint, nisi mancipia per timorem*. Eliseum reliquit Elias, cùm raperetur, duplicis sui spiritûs hæredem: & cui unquam Catholico incidit effutire de antiquis omnibus Prophetarum filiis, consanguineis, familiaribus, discipulis, quod à sorte Patrum ac Magistrorum suorum, & filiorum DEI perpetuò manserint exclusi, vacui omni Numinis dilectione; sed timentes solummodo more mancipiorum? Pudenda in tot viros sanctissimos Novatoris calumnia.

3. Apostolus ad Romanos cap. 9. de fratribus suis Judæis ait: *Qui sunt cognati mei secundùm carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, ex quibus est Christus secundùm carnem*. In quem locum ita Angelicus Interpres: *Quorum est adoptio filiorum DEI: unde dicitur Exodi 4. Primogenitus meus Israel. Et hoc quidem dicitur quantum ad spirituales viros, qui fuerunt in illo populo; quantum ad carnales verò supra cap. 8. innuit, quòd acceperunt spiritum servitutis in timore*: spirituales autem viros, ad quos pertinet adoprio filiorum, temerè Quesnellus restringit ad solos Moysen, Prophetas, Sacerdotes, & Doctores, quasi isti omnibus suis Prophetiis, monitis, hortationibus neminem ad DEI amorem, amicitiam, adoptionem filiorum unquam cum Divino adjutorio, sicut oportuit, disposuissent. Si ita se res habuit, omnes sanctissimi illi Duces populi videbuntur defuisse turpiter suo officio, & quoties ad mandatorum impellerent observantiam, primum & præcipuum silentio præteriisse, aut commendasse perfrigidè: quæ indignissima fuisset Magistrorum prævaricatio, ipsosque ab acquisito aliàs gradu sanctimoniæ dejecisset; nam si illi, ut decuit, suo fuissent munere perfuncti, non est verisimile tot annorum, imò seculorum spatio neminem ad primi præcepti obedientiam adducendum.

Liber Deuteronomii plenus est inculcationibus dilectionis ad quam Moyses, DEI nomine, populum instigat. cap. 11. v. 1. *Ama itaque Dominum Deum tuum, & observa præcepta ejus, & ceremonias, judicia atque mandata in omni tempore*. v. 12. *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, ac servias Domino DEO tuo in toto corde, & in tota anima tua?* v. 22. *si enim custodieritis mandata, quæ ego præcipio vobis, & feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus viis ejus, adhærentes ei, disperdet Dominus omnes gentes illas*, DEO, & Israeliticis ejus cultoribus inimicas. Perspicimus uno capite ter solicitè commendatam dilectionem, ter iterum dabo mox ejusdem libri capite trigesimo inculcatam. Plura istiusmodi inspicientibus suggerent sive explicitè, sive implicitè singula antiquæ legis volumina; amor enim ad justificationem necessarius certissimè apud veteres intelligitur, quoties deficiente reconciliationis Sacramento, quod semper illis defuit, conversio imperatur. Isa. cap. 1. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum . . . Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur*. Ezechielis cap. 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat? . . . Quare moriemini domus Israel? quia nolo mortem morientis dicit Dominus: revertimini, & vivite*. Cap. 33. *Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus DEUS: nolo mortem impii; sed ut convertatur impius à via sua & vivat. Convertimini, convertimini: impietas impii non nocebit ei*.

4. Dicesne dilectionis gratiam universo isti populo exceptis Prophetis, Sacerdotibus, & populi Doctoribus, fuisse denegatam penitùs, solique quodammodo reservatam novo fœderi? Nihil eo asserto magìs est injurium Divinæ misericordiæ; nihil magìs oppositum sapientiæ infinitæ, atq; oraculis scripturarum. Sic nempe DEUS per Moysen ad gentem Judaicam Deuteronomii cap. 30. ait: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum, in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut possis vivere . . . Revertetur enim Dominus, ut gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gavisus est in patribus tuis: si tamen audieris vocem Domini DEI tui, & custodieris præcepta ejus, & ceremonias, quæ in hac lege conscripta sunt: & revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum . . . Sed juxta te* est

est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illud. Considera, quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bouum: & è contrario mortem & malum, ut diligas Dominum DEUM tuum, & ambules iu viis ejus. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semeu tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhareas. Minimè decuisset DEi sapientiam ingeminata toties sui dilectio, ejusdemque iteratio præcepti universo impositi populo; si voluisset illud à solis observari Prophetis, & Doctoribus legis. Voluisset autem ineptissimè servari ab iis, qnibus defuissent sufficientia ad illud præsidia, ut tomo 1. locis pluribus ostensum est, & contra præsentem Articulum compendio repetetur capite proximo.

5 Celeberrima est Ninivitarnm pœnitentia à timore inchoata; sed quæ nobilioribus dein exercitiis provecta, misericordiam à DEO consequitur; civitati quidem immunitatem ab excidio; plurimorum autem animis etiam reconciliationem, atque justitiam sinè dilectione DEI benevola & super omnia minimè impetrandam. Libro itaque Jonæ cap. 3. dicitur: *Et credide. ruut viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejuuium, & vestiti suut saccis à majore usque ad miuorem, & perveuit verbum ad Regem Ninive, & surrexit de solio suo, & abjecit vestimeutum suum à se, & indutus est sacco, & sedit iu cinere; & clamavit, & dixit in Niuive ex ore Regio & Principum ejus dicens: Homiues & jumenta, & boves & pecora uon gustent quidquam, nec pascantur, & aquam nou bibant: & operiantur saccis homiues & jumeuta, & clamens ad Deum in fortitudine: & couvertatur vir à via sua mala; & ab intquitate, quæ est iu manibus eorum. Quis scit, si couvertatur, & iguoscat Deus, & revertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & uou fecit.* In quem locum Cornelius à Lapide *Credere in Deum*, inquit, *est non tantùm fidem; sed & spem, & fiduciam omnem cum amore coujunctam collocare iu Deo: se, resque suas curæ Dei committere: Sua omnia iu fidem Dei resignare: salutem suam Deo credere. Ita hic Niniviræ credentes prædicatioui Jonæ, crediderunt per fidem, Deum Hebræorum, quem prædicabat Jonas, esse verum Deum: ac proindè vera esse hæc Jonæ oracula, verèque everteudam Niniven, nisi pœnitentiam agerent, cousequenter sperarunt iu Deum, quod eos ad pœniteutiam*

admitteret, & pœnitentibus parceret, eosque iu gratiam reciperet. Nisi enim haue spem habuissent, uúnquam tam arduam pœnitentiam suscepissent.

6 Inchoatam igitur timore pœnitentiam, spe promoverunt, dilectione terminarunt. Istud nè Quesnellus quidem, nisi subruto plurium suarum Propositionum systemate, negare poterit. Quod enim Ninivitarum ad DEUM clamaverit pœnitentia, & ab eo audita fuerit, clarissimè Scriptura enuntiat, neque de eo ullus Catholicus dubitat. Meminerit autem Quesnellns Propositionis suæ 54. *Sola Charitas est, quæ Deo loquitur: hanc solam Deus audit.* Quapropter si Jonas Propheta priùs mancipia fecerit per timorem, necesse est ea in filios converterit per dilectionem.

Juxta Prop. 58. *Nec Deus est, uec Religio, ubi uon est charitas.* Ninivitis autem in tantâ pœnitentiâ, neque Deum fuisse, neque Religionem minimè verisimile est.

Prop. 57. *Totum deest peccatori, quaudo ei deest spes, & non est spes in Deo ubi uou est amor Dei.* Non totum defuisse Niniviris pœnitentibus, videlicet fidem, scriptura perspicua declarat; spem etiam ostendit ratio à Cornelio interprete indicata; non enim sinè spe veniæ tanta austeritatis opera peregissent. Si igitur memorato Quesnelli Articulo credimus, Ninivitæ non prorsus caruerint amore.

Præterea ex fide in Deum de imminenti, nî se corrigerent, exitio, ad asylum pœnitentiæ confugêre. Fides itaque & ex ea conceptus timor, hanc illis pœnitentiam impetravit. Porrò juxta Articulum 51. *Fides justificat, quando operatur; sed uou operatur, nisi per charitatem:* Ubi cuilibet operationi fidei, & justificatio tribuitur ut effectus, & charitas ut principium, saltèm cooperans. Unde non poterit Quesnellus à Ninivitis pœnitentibus omnem DEI excludere dilectionem, neque universos rejicere inter mancipia, nullo agnito Numinis amante, & propter amorem recepto in filium.

7 Denique *Fides est prima gratia* per Art. 27. & per 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio,* proinde justificatio & adoptio in filium. Si omnem gratiam Ninivitis Quesnellus abjudicet, omnis eorum pœnitentia novum fuerit peccatum, per Art. 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sinè gratia liberatoris.* Tunc autem impingit in Tridentinam Synodum, quæ sess. 4. cap. 14. ubi de attri-

tione dixerat: *Quamvis sine Sacramento per se ad justitiam perducere Peccatorem nequeat; tamen eum ad DEI gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum disponit*; Mox Ninivitarum exemplo ita stabilit definitionem: *Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Deo impetrarunt*. Non igitur omnia eorum opera fuere obnoxia peccato, non omnis expertia gratiæ, neque amore Numinis destituta: ubicumque autem gratia est, ubicumque pœnitentia ex gratia & fide profluens, illic necesse est, Quesnello judice, justificationem reperiri, ac proinde adoptionem in filium, quam sine amore in Testamento vetere adultorum nemini obtigisse certissimum est.

CAP. II.

Prosecutio librorum sacrorum: ubi sola Machabæorum Historia convincendæ calumniæ abunde sufficit.

1 NE in infinitum protendatur oratio, si libros Testamenti veteris reliquos omnes suscepero accuratiùs discutiendos, sola Machabæorum historia exhibet nobis copiosos heroum exercitus, quos solis constitisse mancipiis timoris, absque ullis veri Numinis, ejusque legis sanctissimæ amatoribus, nemo hactenus interpretum affirmavit, neque, credo mortalium quempiam, penès quem aliqua religio, & sacrorum voluminum reverentia est, suspicari. Primus Jansenius huic insaniæ fundamenta posuit, supra quæ Quesnellus Magistro suo in multis audentior, insignem adeò adversùs omnem Judaicum populum fabricavit calumniam: *Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt, absque eo, quòd ullum Deo dederint filium; cùm non effecerint nisi mancipia per timorem*. Audiatur verò Machabæorum liber primus capite 1. *Multi de populo Israel definierunt apud se, ut non manducarent immunda: & elegerunt magis mori, quàm cibis coinquinari immundis: & noluerunt infringere legem Dei sanctam, & trucidati sunt: & facta est ira magna super populum valde*. Si æternæ testimonio Veritatis, *majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, quæ certior exquiri poterit amoris erga Deum, ejusque legem probatio, quàm quæ hic legitur *multorum de populo Israel*, qui *elegerunt magis mori, quàm cibis coinquinari immundis, & noluerunt infringere legem Dei sanctam, & trucidati sunt*? Quis nisi iniquissimus virtutis adeò heroicæ æstimator, imò contemptor detestabilis, talibus detrahat laudem justitiæ, meritumque & præmium filiorum? De his Josephus lib. 12. cap. 7. *Quamobrem quotidie necabantur excruciati tormentis crudelissimis: Flagris etiam cæsi, & lacerata corpora; Vivi adhuc & spirantes suffigebantur crucibus. Uxores autem eorum & circumcisos liberos strangulabant juxta mandatum Regium, & suspendebant à crucifixorum parentum cervicibus. Hæc omnia Judæorum masculi & fœminæ patiebantur fortiter, Divinæ legis amore & reverentiâ*. Audiant adversarii: *patiebantur fortiter*, non soli Sacerdotes, & Doctores legis; sed promiscuum vulgus *masculi & fœminæ*; non servili formidine; sed *Divinæ legis amore & reverentiâ*;

Prosequamur in textu sacro: cap. 2. „ Exclamavit Mathathias voce magna in „ civitate, dicens: Omnis, qui zelum habet legis, statuens Testamentum, exeat „ post me: & fugit ipse, & filii ejus in „ montes, & reliquerunt quæcunque habebant in civitate. Tunc descenderunt „ multi quærentes judicium & justitiam, „ in desertum: & sederunt ibi ipsi, & filii „ eorum, & mulieres eorum, & pecora „ eorum, quoniam inundaverunt super „ eos mala... Dixerunt (milites impii) „ ad eos: Exite & facite secundùm verbum Regis Antiochi & vivetis. Et dixerunt [Israelitæ] non exibimus, neque „ faciemus verbum Regis, ut polluamus „ diem Sabbatorum. Et concitaverunt „ (impii) adversùs eos prælium, & non responderunt eis [Israelitæ] nec lapidem „ miserunt in eos, nec oppilaverunt loca „ occulta, dicentes: Moriamur omnes in „ simplicitate nostra: & testes super nos „ erunt cœlum & terra, quod injustè perditis nos... Et mortui sunt ipsi & uxores eorum, & filii eorum... usque ad „ mille animas hominum... Tunc congregata est ad eos Synagoga Assidæorum fortis viribus ex Israel, omnis voluntarius in lege, & omnes qui fugiebant à malis, additi sunt ad eos, & facti „ sunt illis in firmamentum. „

2 Si quid honestatis aut verecundiæ superest adversariis, caverint in scriptis, præsertim publicis tot Duces & milites pro Dei lege contemnentes bona temporalia, etiam sanguinem & vitam, caverint, & religiosissimas eorum uxores, & utriusque se-

sexûs liberos, virorum ubique fortitudinem imitantes, ablegare inter mancipia timoris, atque adimere debitam tot meritis laudem justitiæ, nomenque filiorum. Sola quæ eodem capite sequitur Mathathiæ ad suos hortatio, calumniam Novaturientium retundit, longè nobilioribus institutis suos erudiens, & zelum excitans ad bella Domini fortiter gerenda, metûs servilis rationibus ne commemoratis quidem. „ Nunc ergo ô filii [inquit] æmulatores „ estote legis, & date animas vestras pro „ Testamento patrum vestrorum: & me„ mentote operum patrum, quæ fecerunt „ in generationibus suis ... Abraham „ nonne in tentatione inventus est fidelis, „ & reputatum est ei ad justitiam? ... „ David in sua misericordia consecutus „ est sedem regni in secula. Elias dum „ zelat zelum legis, receptus est in cœ„ lum. Ananias & Azarias & Misael cre„ dentes liberati sunt de flamma. Daniel „ in sua simplicitate liberatus est de ore „ leonum: & ita cogitate per generatio„ nem & generationem; quia omnes, qui „ sperant in eum, non infirmantur: & à „ verbis viri peccatoris ne timueritis ... „ Vos ergo filii confortamini, & viriliter „ agite in lege; quia in ipsa gloriosi eri„ tis ... Adducetis ad vos omnes facto„ res legis, & vindicate vindictam populi „ vestri: retribuite retributionem genti„ bus, & intendite in præceptum legis: „ & benedixit eos, & appositus est ad „ Patres suos., „ Num & hic Sacerdos mortuus est, *absque eo quod ullum dederit Deo filium, & non effecerit nisi mancipia per timorem?*

Mathathiæ successit Judas Machabæus, qui capite 3. exercitum sic alloquitur: „ Accingimini & estote filii potentes, & „ estote parati in mane ut pugnetis adver„ sùs nationes has, quæ convenerunt ad„ versùs nos, disperdere nos & sancta no„ stra; quoniam melius est nos mori in „ bello, quàm videre mala gentis nostræ „ & Sanctorum. Sicut autem fuerit volun„ tas in cœlo, ita fiat., „ Pugna fortissima & mors pro Sanctis, id est, pro lege DEI, & ad eam spectantibus, non vilium mancipiorum est, sed nobilitate piâ insignium filiorum.

3 Ictus Adversariis nostris maximè fatalis infligitur capite 4. ubi refertur ista Judæ ad DEUM oratio. „ Benedictus es Salvator „ Israel ... Conclude exercitum istum „ in manu populi tui Israel: & confun„ dantur in exercitu suo & equitibus ... „ Dejice illos *gladio diligentium te*, & col„ laudent te omnes, qui noverunt no„ men tuum in hymnis: & commiserunt „ prælium, & ceciderunt de exercitu Ly„ siæ quinque millia virorum ... Dixit „ autem Judas, & frater ejus: Ecce con„ triti sunt inimici nostri: ascendamus „ nunc mundare sancta & renovare: Et „ congregatus est omnis exercitus, & as„ cenderunt in Montem Sion: & vide„ runt sanctificationem desertam, & al„ tare profanatum, & portas exustas, & „ in atriis virgulta nata sicut in saltu, vel „ in montibus; & Pastophoria diruta: & „ & planxerunt planctu magno, & impo„ suerunt cinerem super caput suum: & „ ceciderunt in faciem super terram, & „ exclamaverunt tubis signorum, & cla„ maverunt in cœlum. Tunc ordinavit Ju„ das viros, ut pugnarent adversùs eos, „ qui erant in arce, donec emundarent san„ cta. Et elegit Sacerdotes sinè macula, „ voluntatem habentes in lege Dei, & mun„ daverunt sancta.„

Ubique nihil de formidine servili, de amore autem & reverentia erga Dei legem luculentum testimonium est, non solummodo pugna fortis & plena periculo; sed etiam planctus ille magnus in cinere ob violationem sacrorum. Similibus plena sunt duodecim reliqua ejusdem libri capita, uti & totus liber 2. ex quo gemina refero exempla, quæ ad refellendam proscripti Articuli temeritatem sufficerent, etsi deforent cætera.

Cap. 12. post fugatos adversarios à Judæ exercitu, seu magis Judæ apud Deum precibus, dicitur „ Sequenti die venit cum „ suis Judas, ut corpora prostratorum tol„ leret, & cum parentibus poneret in se„ pulchris paternis. Invenerunt autem „ sub tunicis interfectorum de donariis „ Idolorum, quæ apud Jamniam fuerunt, „ à quibus lex prohibet Judæos: Omni„ bus ergo manifestum factum est, ob „ hanc causam eos corruisse. Omnes ita„ que benedixerunt justum judicium Do„ mini, qui occulta fecerat manifesta: atq; „ ita ad preces conversi, rogaverunt; ut „ id quod factum erat delictum, oblivio„ ni traderetur. At verò fortissimus Ju„ das hortabatur populum conservare se „ sinè peccato, sub oculis videntes, quæ „ facta sunt pro peccatis eorum, qui pro„ strati sunt: Et factâ collatione, duode„ cim millia drachmas argenti misit Je„ rosolymam offerri pro peccatis mortuo„ rum sacrificium, bene & religiosè de re-

„ sur-

„ surrectione cogitans. Nisi enim eos, qui „ ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro „ mortuis. Et, quia considerabat, quod „ hi, qui *cum pietate dormitionem acceperant*, *optimam haberent repositam gratiam*. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.

4 In quem locum Cornelius à Lapide sic notat. „ *Qui cum pietate*, id est in statu gratiæ certantes, & dimicantes pro „ vera fide, pietate & cultu Dei, dormitionem acceperant, id est occubuerant; „ mors enim in scriptura vocatur somnus, „ per analogiam & similitudinem. Sancta „ ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis, id est à „ pœnis peccatorum, solvantur. Hoc est „ epiphonema scriptoris canonici, quod „ fidem Synagogæ priscæ de purgatorio, „ & suffragiis pro animabus in eo detentis „ clarè adstruit. Hæc ergo fuit fides Ecclesiæ ab omni ævo certa & indubitata. Sanctum ergo est Sacrificium pro defunctis; quia sanctum DEO sancto immolatur. Idem est pium, tum in animas, „ quas horrendis purgatorii cruciatibus „ ignibusque liberat: tum in cælites beatosque, quorum numerum, indeque lætitiam & gloriam adauget, tum in Ecclesiam, cui novos apud Deum patronos „ & advocatos conciliat, tum in ipsumet „ sacrificantem, cui animæ ab ipso liberatæ vicariam gratiam rependunt, orantes „ Deum assiduè pro ejus salute. Quare „ valde pium, & utile est, crebro orare „ pro defunctis, idque oranti multa conciliat bona. „

5 Si verò Quesnellus Judæ Sacerdoti Maximo & sanctissimo director Spiritûs fuisset, aut ab eo adhibitus ad consilium, indubiè author fuisset, ut ab istiusmodi Sacrificio abstineret, utpote inutili, cùm offerretur pro mortuis *sub lege*, quod juxta *Monitum* ejus *quintum* pag. 253. idem est ac mori *sub dominatione peccati*, *sinè gratia*, *sinè amore*, *& charitate*, *cum sola formidine servili*, plena blasphemiis juxta Art. 67. Quapropter licèt *sancta & salubris sit cogitatio pro defunctis exorare*, *ut à peccatis solvantur*, supposito quòd in statu gratiæ obierint; licèt etiam recta *consideratio* sit, *quòd qui cum pietate dormitionem acceperint*, *optimam habeant repositam gratiam*; Attamen erras plurimum in hypothesi, dum ais, *quod hi, qui cum pietate* &c. cùm omnes hi milites adeò non obierint cum pietate, ut deprehensis penès eos spoliis *de donariis Idolorum* à quibus lex jusserat abstinere, constet esse mortuos in peccato, ob quod à Deo morte sublati sint; cùm soli ex toto fidelium exercitu perierint, reliquis omnibus mirabili DEI providentiâ & protectione conservatis.

Neque de hoc crimine ante mortem conteri potuerunt, cùm *sub lege*, id est, juxta Quesnelli *Monitum*, *sub dominatione peccati* decesserint *sinè gratia*, *sinè amore*, *sinè charitate*, *nihil habentes in anima nisi formidinem servilem*. Sed & quidquid sit de hoc militum facto, quod à noxâ saltem lethiferâ excusare forsitan potuerit in rudi populo, sive prohibitionis ignorantia, sive error quòd legem in casu suæ, suorumque egestatis, non adeò graviter putaverint obligare, cùm non ex falsorum reverentiâ Numinum, sed cum horum contemptu eos donaria sustulisse, nullus dubitaverit; verumtamen milites necessariò juxta præsentem Articulum rei fuerint omissi præcepti gravissimi de diligendo DEO super omnia, quod nemo finitur ignorare, atque in hoc reatu obierint; si quidem *Moyses*, *Propheta*, *Sacerdotes*, *& Doctores legis mortui sunt*, *absque eo quod ullum Deo dederint filium*, *cùm non effecerint nisi mancipia per timorem*.

6 Temeraria hæc contra Judam belli Ducem, & Sacerdotem Maximum atque sanctissimum calumnia est; quasi suos ad pugnandum fortiter exhortans, timorem solummodo incusserit, non excitaverit ad amorem Numinis dum pro lege ejus & sacris nihil pertimescendum periculi, identidem inculcaret.

Sed & milites non sinè DEI dilectione implorasse ejus auxilium & obtinuisse, Quesnellus immeritò & contra se ipsum negaverit. Eodem scilicet capite 12. de Judæ militibus dicitur: *cùm Omnipotentem invocassent*, *qui potestate sua vires hostium confringit*, *ceperunt civitatem*. Et cap. præcedenti: *Ut autem Machabæus*, *& qui cum eo erant*, *cognoverunt expugnari præsidia*, *cum fletu & lacrymis rogabant Dominum*, *& omnis turba simul*, *ut bonum Angelum mitteret ad salutem Israel*. *Et ipse primus Machabæus sumptis armis*, *cæteros adhortatus est simul secum periculum subire*, *& ferre auxilium fratribus suis*. *Cumque animo prompto pariter procederent*, *Jerosolymis apparuit præcedens eos eques in veste candida*, *armis aureis hastam vibrans*. *Tunc omnes benedixerunt misericordem Dominum*. *Leonum autem more impetu irruentes in hostes*, *prostra-*

straverunt ex eis undecim millia peditum, & equitum mille sexcentos.

Tam validas Judaici exercitus preces, pietatis aliquid continuisse, & non solum timorem mancipiis proprium, atque in Quesnelli sententia plenum blasphemiis, nemo sanæ mentis negaverit; aliàs promptè adeò exauditi non fuissent, potissimum Quesnello judice, juxta quem Art. 54. *Sola charitas est, quæ Deo loquitur: hanc solā Deus audit.* Rectè igitur Judas censuit de militibus suis, non tantùm vivis, qui religiosè ab illicitis spoliis abstinuerant: sed etiam de mortuis, saltem aliquibus, qui transgressionis suæ pœnas morte dederant, nihilominus *cum pietate*, qua tantis se exposuere periculis, *eos dormitionem accepisse*; aliàs non missurus *duodecim millia drachmas argenti Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium*, quibus prodesse minimè potuisset. Tunc nempe *superfluum videretur & vanum orare pro mortuis* illis, qui æterno jam nolcerentur addicti supplicio.

7. At fieri potuit ut Judas, bene de aliquorum salute sperans, deceptus fuerit: omnibus justo Dei judicio condemnatis, atque inde pia quidem fuerit oblatio, neque inutilis offerenti, & quibuscunque in Sacrificium istud consentientibus; sed infructuosa & superflua defunctis.

Nolim de possibilitate metaphysica contentiosiùs disceptare: neque de eorum salute fidem quasi necessariam exigo; sed quidquid sit de possibili omnium damnatione: duo interim statuo à nemine æqui rectique judicii in dubium revocanda. Primum: fieri posse, ut ex militibus illis aliqui, vel ob ignorantiam excusentur à delicto mortifero; vel saucii agnoscentes Dei vindicis manum, necessariâ illud pœnitudine expiarint, juxta illud Psalmi 77. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur.* Alterum, ex ipsius Judæ verbis evidens est, ipsum sibi habuisse persuasum, aliquos in statu gratiæ obiisse, *quia considerabat, quod hi, qui cum pietate* (pro qua fuerant præliati) *dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.* Ejusdem pariter sive persuasionis, sive spei optimæ fuisse exercitum, & fidelem Ecclesiam, patet ex eo, quòd aliàs milites superstites ægre tulissent, tantum pecuniæ gerendo bello necessariæ profundi in Sacrificia pro damnatis: neque superfluæ istiusmodi ceremoniæ consentire, minus etiam cooperari voluisset Jerosolymæ populus. Communis quoque interpretum cum Damasceno consentiens Judæ, Quesnello contraria, existimatio est. Verba Damasceni referam capite seq. Quæ autem, præterqnam hæreticorum authoritas, quæ ratio Novatorem in tam atrox de omnibus ibi defunctis judicium, adeò communi sensui oppositum impellere debuit? Generalis scilicet, Divinæ sapientiæ, bonitati, justitiæ maximè injuria, quam tradit & copiosè refutavimus Articulo 6. & 7. *Discrimen inter fœdus Judaicum & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto verò Deus peccatori dat, quod jubet, illum suâ gratiâ purificando. Quæ utilitas in homine pro veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ verò felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis!* In utriusque Articuli minimè catholicâ hypothesi, milites illi omni sufficiente gratia destituti tentationem vincere, Deique servare mandata non potuerint, neque salubri pœnitentiâ conteri, neque Deum super omnia, sicut oportuit, diligere. Hujus cum Quesnello sententiæ non fuisse Judam & fidelem istius temporis Ecclesiam, ex relata sacri textûs historia exploratum est.

8. Aliud habetur non minùs validum ad dejiciendam novitatem testimonium ex eodem lib. cap. 15. ubi *exhortati Judæ sermonibus bonis valde ... & animi juvenum confortati, statuerunt dimicare & confligere fortiter, ut virtus de negotiis judicaret; eò quòd civitas sancta & templum periclitarentur. Erat enim pro uxoribus & filiis, itemque pro fratribus & cognatis minor sollicitudo; maximus verò & primus pro sanctitate timor erat templi. Ac tandem Judas, & qui cum eo erant, invocato Deo per orationes, congressi sunt, manu quidem pugnantes; sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt, non minus triginta quinque millia, præsentiâ Dei magnificè delectati.* Exaudita itaque à Deo fuit Judaici exercitûs oratio; unde si stare Quesnellus voluerit Articulo suo 54. juxta quem *sola charitas est, quæ DEO loquitur: hanc solam Deus audit*, expungere debet, & justo anathemate detestari Articulum præsentem: *Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt absque eo quod ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint, nisi mancipia per timorem.* Non enim sine aperta calumnia, ipsius Canonici Scriptoris testimonio facilè convincendâ, accusari exercitus hic potest veluti compositus ex solis per timorem mancipiis, & quod idem

idem Quesnello est, reprobis, nullis justis seu filiis per dilectionem. Servorumne impiorum & blasphemiis infamium, quales omnes timori servili deditos exhibet Propositio 67. an verò filiorum & Dei legem diligentium testificatio est *solicitudo minor pro uxoribus, filiis, fratribus, & cognatis; maximus verò, & primus timor pro sanctitate templi*; pro qua sanguinem profundere parati, præsentissimis se periculis alacres offerebant?

9. Ultimum, quod obterendo Articulo solum sufficeret, & nulli est obnoxium ludificationi, legitur libri 2. Machabæorum cap. 6. de Eleazaro, & cap. 7. de septem fratribus, qui unà cum matre ab Antiocho comprehensi, gloriosum subiere martyrium: &, licèt ante Christi tempora defuncti, ab universa tamen Christianorum Ecclesia, tanquam sancti & martyres celebrantur. Num etiam hos impetit Quesnellianæ Propositionis contumelia, *Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium; cùm non effecerint nisi mancipia per timorem*? Eleazari passio Judæis omnibus exemplum, & adolescentibus septemMachabæis fratribus salutifera fuit institutio, ut notat S. Gregorius Nazianzenus audiendus capite sequenti. Ut autem multiplex illud & nobilissimum pro lege certamen nihil servile continet, nihil formidolosum, ita sinè execrabili calumnia, jactari contra Eleazarum minimè potest, quod *non nisi mancipia effecerit per timorem*, nullum autem Deo *filium dederit* per dilectionem, veramque justitiam.

Ita de Sacerdote illo legimus lib. 2. cap.
„ 6. Eleazarus unus de primoribus scriba-
„ rum vir ætate provectus, & vultu deco-
„ rus, aperto ore hians compellebatur
„ carnem porcinam manducare. At ille
„ gloriosissimam mortem magis, quam odi-
„ bilem vitam complectens voluntariè
„ præibat ad supplicium; intuens autem
„ quemadmodum oporteret accedere, pa-
„ tienter sustinens destinavit non admitte-
„ re illicita propter vitæ amorem. Hi au-
„ tem qui adstabant, iniqua miseratione
„ commoti, propter antiquam viri amici-
„ tiam, tollentes eum secretò rogabant
„ afferri carnes, quibus vesci ei licebat, ut
„ simularetur manducasse, sicut Rex im-
„ peraverat, de sacrificii carnibus, ut hoc
„ facto à morte liberaretur: & propter ve-
„ terem viri amicitiam, hanc in eo facie-
„ bant humanitatem. At ille cogitare cœ-
„ pit ætatis, ac dignitatis suæ eminentiam
„ dignam, & ingenitæ nobilitatis caniti-
„ em, atque à puero optimo conversatio-
„ nis actus, & secundùm sanctæ, & à Deo
„ conditæ legis constituta, respondit ci-
„ tò, dicens præmitti se velle in infernum;
„ Non enim ætati nostræ dignum est, in-
„ quit, fingere, ut multi adolescentium,
„ arbitrantes Eleazarum nonaginta anno-
„ rum transivisse ad vitam alienigenarum,
„ & ipsi propter meam dissimulationem, &
„ propter modicum vitæ corruptibilis de-
„ cipiantur... Quamobrem fortiter vitâ
„ excedendo, senectute quidem dignus
„ apparebo; adolescentibus autem exem-
„ plum forte relinquam; si prompto ani-
„ mo, ac fortiter pro gravissimis ac sanctissi-
„ mis legibus honesta morte perfungar...
„ Cùm plagis perimeretur, ingemuit &
„ dixit: Domine qui habes sanctam scien-
„ tiam, manifestè tu scis; quia cum à mor-
„ te possem liberari, duros corporis susti-
„ neo dolores: secundùm animam verò
„ propter timorem tuum libenter hæc pa-
„ tior. Et iste quidem hoc modo vitâ de-
„ cessit, non solum juvenibus; sed & uni-
„ versæ genti memoriam mortis suæ ad
„ exemplum virtutis & fortitudinis dere-
„ linquens. „

10. Cernimus *Scribam* sive legis peritum atque Doctorem, & ut Josephus filius Gorionis lib. 3. cap. 2. & 4. vocat, *Sacerdotem*, non instar *mancipii* invitè pertractum, sed *voluntariè* procedentem, imò præeuntem alacriter ad supplicium, *libenter patientem cùm posset à morte liberari*; Denique *volentem præmitti in infernum* potiùs, quàm *sanctæ & à Deo conditæ legis constituta, quæ à puero optimæ conversationis actibus* religiosè servaverat, dissimulare, eorumque se fingere transgressorem. Ità legis Doctor, ità Sacerdos, *propter gravissimas & sanctissimas leges honestâ morte perfunctus, adolescentibus exemplum forte reliquit, prompto animo ac fortiter* pro *sanctis, & conditis à Deo legibus* moriendi.

Edicant igitur adversarii an Eleazarus hoc modo vita discedens, neque solùm juvenibus; sed & universæ genti memoriam mortis suæ ad exemp lum virtutis & fortitudinis derelinquens, timore solummodò servili juvenes, velut mancipia instituerit, non verò ut filios per dilectionem. Si *velle præmitti in infernum* potiùs, quàm legis fingere violationem, documentum fuerit non sanctis Dei filiis; sed vilibus solùm timoris mancipiis efficiendis conveniens; in pluribus nostri Testamenti martyribus illustriora piæ fortitudinis, & charitatis exempla

pla

pla vix reperies. Quales verò Eleazarus discipulos effecerit, num mancipia solùm timore, an etiam DEI filios pietate & justitiâ, æquus arbiter statuat ex septem fratrum Machabæorum cum matre suppliciis, quorum passio etiam à Christianis annuâ devotione Kalendis Augusti meruit celebrari.

11 Historia refertur lib. 2. Machabæorum cap. 7. Isti apud Gregorium Nazianzenum Antiocho liberè professi sunt, cujus magistri institutione profecerint: *Eleazari discipuli sumus: pater priùs decertavit: filii postea certabunt*. Et apud S. Ambrosium: *Sequimur patrem filii, discipuli Doctorem*. Scriptura cap. indicato sic narrat. „ Contigit autem & septem fratres unà cum matre sua apprehensos, compelli à Rege edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos. Vnus autem ex illis, qui erat primus, sic ait: quid quæris, & quid vis discere à nobis? *Parati sumus mori magìs, quàm patrias Dei leges prævaricari*.... Mortuo itaque illo primo, hoc modo, sequentem deducebant ad illudendum, & cute capitis ejus cum capillis abstractâ, interrogabant, si manducaret, priusquam toto corpore per membra singula puniretur. At ille respondens, patriâ voce, dixit: Non faciam,... & in ultimo spiritu constitutus, sic ait: Tu quidem, sceleftissime, in præsenti vita nos perdis; Sed *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit*. Post hunc tertius illuditur, & linguam postulatus citò protulit, & manus constanter extendit: & cum fiducia ait: E cœlo ista possideo; sed *propter DEI leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero*: ita ut Rex, & qui eum ipso erant, mirarentur adolescentis animum, quòd tanquam nihilum duceret cruciatus...

Quartus.. cùm jam esset ad mortem, sic ait: *Potius est ab hominibus morti datos spem expectare à Deo, iterum ab ipso resuscitandos*... Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoriâ digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, *propter spem, quam in Deum habebat*, singulos illorum hortabatur voce patriâ fortiter, repleta sapientiâ, & fœmineæ cogitationi masculinum animum inserens, dixit ad eos.... Mundi creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, & spiritum, *vobis iterum cum misericordia reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges ejus*.

12 Cùm adhuc adolescentior superesset... inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patriâ voce: Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novem mensibus portavi... Peto Nate, ut aspicias ad cœlum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt: & intelligas quia ex nihilo fecit illa DEUS, & hominum genus: *ita fiet, ut non timeas carnificem istum; sed dignum fratribus tuis te recipiam*. Cùm hæc illa adhuc diceret, ait adolescens: Quem sustinetis? *Non obedio præcepto Regis; sed præcepto legis*... *Ego sicut fratres mei, animam & corpus meum trado pro patriis legibus*: invocans DEUM, maturiùs genti nostræ propitium fieri, *teque cum tormentis & verberibus confiteri, quod ipse est Deus solus. In me verò, & in fratribus meis desinet Omnipotentis ira*, quæ super omne genus nostrum justè superinducta est... *Et hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens*. Novissimè autem post filios & mater consumpta est.,,

Quid hic sive in septem adolescentibus, sive in eorum matre & magistra religiosissima, Dei, quàm sui, filiorumque amantiore invenies servile, & non eximiis Dei cultoribus atque amatoribus dignum? Sic filii à matre, sic à Magistro & Sacerdote Eleazaro instituti animatique, quamlibet hæreticorum calumniam non minùs, quàm Antiochi minas & supplicia superatunt. Pergetne adhuc novaturiens temeritas contra veritatem adeò manifestam tot factis, & historiis in Scriptura sacra, ipso dictante Spiritu sancto, testatissimis confirmatam, asserere quòd *Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sint absque eo quod ullum Deo dederint filium; cùm non effecerint nisi mancipia per timorem*?

CAPUT III.

Idem error authoritate SS. Patrum & Interpretum, etiam Josephi Hebræi testimonio convellitur.

1. Nimia foret præsentis capitis prolixitas, si quotquot superiùs ex variis Scripturarum libris retuli textus sacros, susciperem singulos commentariis Patrum, & interpretum illustrandos. Quapropter soli Machabæorū historiæ

ad convincendum errorem sufficientissimæ, Patres dabo & interpretes præcipuos; imò ipsa sacra historia ab authore canonico in plerisque tam dilucidè descripta est, ut sancti Patres ornamento potiùs serviant, quàm necessariæ explicationi.

S. Chrysostomus in Psalmum 43. de Machabæis militibus ait: „ Ad bellum euntes... Dei supernè auxilium invocabant, ut adesset, opem ferret, & manum præberet, propter quem bellum gerebant, pro cujus gloria decertabant. „ Gerere bellum Domini, & pro ejus gloria decertare, mancipiisne vilibus, & sola ductis formidine, an nobiliore prædiris virtute fidelibus, & adoptione filiorum non indignis proprium est? Idem Sanctus Homilia de Machabæis „ Agonem (inquit) proponens Christus non juvenes exercitos ad certamina athletas; sed primævos adolescentulos, & cum ipsis senem Eleazarum, simulque mulierem anum, matrem septem adolescentium vult considerari. „

Aurelius Prudentius hymno de S. Romano

„ Narravi & illud nobile ac memorabile
„ Certamen, unà matre quod septem editi
„ Gessere pueri; sed tamen factis viri.

S. Ambrosius lib. 2. de Jacob & vita beata cap. 11. „ Insultare licet tyranno, qui dum callidè à sene incipiendum putat, magistrum eligit, qui discipulos faceret fortiores: quorum velut puerilem ætatem præmiis provocabat ad culpam, arguebat terroribus ad formidinem. At illi non degeneres tanto Duci, respondent: Quid contemnis, vel circumscribis ut pueros? Sed fides cana est: Sed valida disciplina. Experire, certa, subjice quibus placet pœnis puerilia viscera, non invenies corda puerilia. „ Num eæ vilium mancipiorum voces sunt, an legitimorum maximè, dignorumque cœlesti hæreditate filiorum? Mox addit Ambrosius. „ Quam [Antiochi crudelitatem] vicit senectus, superabat æmula senectutis pueritia. „

De secundo fratre ibid. „ Secundus accessit, nec degener fratris munera piæ confessionis implevit; & cùm detraheretur membrana capitis, respondit: Aufertis quidem membranam; sed habeo galeam spiritualem, quam non potestis auferre. Et verò hanc galeam nemo auferre potest; sicut postea Apostolus docuit in Ecclesia Domini; quia caput viri Christus est, & ejus sumus membra. Rectè puer istam divino spiritu doctrinam prævidebat. Exuebant immanes bestiæ corium capitis, & pardalicis feritatibus sæviebant. At ille deficiens: *Quàm dulce est, inquit, mori pro religione! Quàm suavis omnis acerbitas mortis pro pietate*; quia manet horum remuneratio laborum! Tua sunt, Rex, graviora tormenta: tu tuis vehementiùs torqueris suppliciis; quia vides te vinci in potestate. „

a Cui adeò *dulce est mori pro religione*: *cui suavis omnis acerbitas mortis pro pietate*, servusne meticulosus est, non amans justitiam; sed timens verbera; an verò filius, & è numero eorum, de quibus Spiritus sanctus enuntiat *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*: & illud: *Ego dixi, dii estis, & filii Excelsi omnes*?

De tertio fratre ait S. Cyprianus Exhortatione ad martyrium. „ Manus amputandas constanter extendit, multùm beatus genere isto supplicii, cui contigit extensis ad pœnam manibus passionis Dominicæ instar imitari. „ Tam nobilis & generosa *Dominicæ passionis imitatio*, illam etiam multo tempore præveniens, ab inertis mancipii timore, atque socordiâ plurimùm aliena est, eique directissimè opposita. Eundem Martyrem Ambrosius loco superiùs indicato exhibet, sic Antiocho respondentem. „ Non faciam voluntatem tuam, non succumbam imperio tuo, per beatam illam fratrum passionem & nobilem vitam non negabo germanitatem. *Quævis adhibeto supplicia, quibus magis urgens; hoc proficies asperitate pœnarum, ut majora testimonia nostræ germanitatis accipias*. Jussit itaque ei linguam amputari: & ille exclamans: Victus es, inquit, Antioche, qui organum abscindi jubes. Confessus es, te respondere non posse rationi, majoraque probas linguæ nostræ flagella, quàm tua verbera; *nos enim tua verbera non timemus*: tu nostræ vocis flagella non potes sustinere. Sed hæc pietatis flagella sunt, tua flagella perfidiæ. Sed etiam sublata, gravi te suo cadens murmure flagellabit. Evadere tu putas Antioche, si vocem eripias? Et tacentes Deus audit: & magis audit. Ecce aperui os meum: laxavi linguam meam: abscinde linguam; sed *non abscindes constantiam*: *non virtutem auferes*: non rationem obliterabis: *non eripies testimonium veritatis*: non eripies cordis clamorem. Si lingua amputatur, sanguis clamabit, & dicetur tibi: Vox sanguinis fratris tui clamat

ad

„ ad me... Loquaciora sunt vulnera; etsi „ vulnera teguntur; etsi abscondatur ci- „ catrix, non absconditur fides: nec ta- „ men plaudas, quòd auferendo linguam, „ confessionem laudis eripias: *Satis enim* „ *Deum sermone laudavi: nunc passione lau-* „ *demus.* „ Hactenus de Fratrum tertio Ambrosius. Antequam ad quartum progrediar, passionem tertii æquis ponderibus appendat expendatque Quesnellus, quantum potest, rigidissimus censor, nihil in ea servile, nihil non conveniens amantissimo DEI filio reperiet, aut non glorioso dignum Martyre, etiam novi fœderis.

3 Et hoc ita defuncto, quartum vexabant impii carnifices, & carnificibus Rex crudelior. In illius & trium sequentium martyrium sic meritò notat à Lapide: „ Hi posteriores plus passi sunt, quàm priores; Primò, quia acerbiùs in eos ira Regis efferbuit, ob tot acres priorum in Regem exprobrationes: Secundò quia hi ætate erant juniores, ideoque viribus & [spectato communi naturæ ordine] animo inferiores: Tertiò quia hi compatiendo fratribus ita excruciatis, per compassionem patiebantur eadem, quæ ipsi: Quartò quia eadem passuros se mox cernebant. Itaque acri fratrum torturâ, & longâ suæ torturæ repræsentatione, æquè ac expectatione graviùs torquebantur. „

Unde S. Leo Sermone in Nativitate septem Machabæorum ait „ Regis impietas id excogitavit, ut victoriam sibi & de primis promitteret, quos finè tolerantiæ cruciaret exemplo: & de postremis, quos in supplicio torqueret alieno. *Multiplicatæ sunt Martyrum palmæ, & dum singuli in omnibus vincunt, præter coronas proprias, omnes acquisivere septenas.* Quid illustriùs diceretur de Martyribus novi Testamenti? Neque hos verò, neque illos excludi numero filiorum, & abjici inter timoris mancipia ullus sustinebit Catholicus: forte nec audebit hujus temporis hæreticus. Quis igitur patrocinetur Articulo Quesnelli, errorem continenti adeò temerarium, imò fatuum: *Moyses, Propheta, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium; sed tantùm mancipia per timorem*?

4 De quarto adolescente Martyre refert pariter S. Ambrosius lib. 2. de Jacob cap. 11. „ Jussit (Antiochus) quartum vinciri ad rotam, ut ejus vertigine membris omnibus solveretur. At ille cùm „ torqueretur immaniter, *Dissolvis, inquit, corporis membra; sed adjungis gratiam passioni: nec eripis solatium morti.* „ Est enim vox tonitrui in rota; quia in „ bono & inoffenso vitæ istius cursu cœleste resultat oraculum.

De quinto sic idem Sanctus eodem cap. „ Quintus cùm sisteretur, cæso priùs, „ eidem jussit ignes admoveri, subjici, incendi. Manabat è vulneribus cruor, & „ effossis visceribus sanguis effusus ipsos „ flammarum extinguebat globos. *At ille inter flammarum crepitus audiebatur dicens: Gratias tibi Domine, quòd dedisti nobis dicere: Transivimus per ignem:* & „ sicut alibi idem tuus dicit Propheta: „ *Igne nos examinasti*, sicut igne examinatur argentum. Adstabo tibi sicut aurum purgatus incendio: & si quid fuit „ culpæ, ignis excussit. *Itaque & iste transfiguratus à corruptela ad incorruptionem,* „ *vitam exhalavit.* „ Sic animam Deo reddidit immaculatam, in sinum Abrahæ mox mox recipiendus ut filius, non inter Diaboli mancipia relegandus ad tenebras exteriores, & stridorem dentium, sortem infelicissimam omnium, qui charitatis munere destituti, filiorum beatitudine non donabuntur. Manans è vulneribus cruor, atque ipsos extinguens flammarum globos, accendens autem ampliùs amoris, quo æstuabat animus, incendium; uti crepitus quoque flammarum, omni linguâ clamosiùs prædicabant, nihil in Martyre esse servile, nihil timidum, nihil quadruplici illâ turgens blasphemiâ, quam timori servili propriam Articulus Quesnelli 67. affingit.

5 Similem in sexto Martyre animi in Deum erecti fortitudinem agnoscens Ambrosius, hanc ei in atroci supplicio tribuit orationem. „ Nostrorum hoc delictorum „ est pretium, ut peccantes puniamur: „ & *gratias Domino*, quòd hîc à nobis duplicia peccata exiguntur, ut *ibi nobis consolatio deferatur. Gratias autem & tibi* „ (Antioche) *quòd tam durus & immitis es,* „ ut talibus nostris suppliciis, Dominus, in „ quem peccavimus, genti nostræ propitius fiat. *Nos quoque ablevamus ærumnam, dum fidei passionibus delectamur.* „

Eane in passionibus delectatio, & actio gratiarum indicium mancipii est, & istiusmodi timoris effectus, an ardentissimæ, & filiis propriæ charitatis?

Fratrum ultimus sic loquens inducitur à Josepho lib. 2. de Machabæis cap. 11. „ Ego

„ Ego ætate fratribus junior, animo sum „ æqualis; ad eadem enim & geniti & edu- „ cati, pro iisdem similiter mori debemus. „ Itaque si tibi videtur abstinentem ab im- „ mundorum esu torqnere, torque. Hæc lo- „ cutum ducunt ad rotam, & ab ea ille „ membratim distenditur, discerptisque „ membris succenditur, & aenta ferra „ igne candentia ejus tergo admoventur, „ ac perforata ejus latera, & viscera com- „ buruntur. At ille inter tormenta: *O sa-* „ *crum certamen*, *inquit*, *ad quod,ob pieta-* „ *tem exercendi doloribus tot fratres vocati*, „ *non victi sumus*. *Est enim invicta, o tyran-* „ *ne, pia scientia virtute armata*. Moriar „ ego quoque cum fratribus meis, & tibi „ ipse quoque magnas addam furias, o no- „ vorum tormentorum excogitator, & ve- „ rè piorum hostis: Sex adolescentes „ tyrannidem tuam abolevimus. Nam „ quod rationem nostram de sententia di- „ movere non potuisti, neque ad immun- „ dorum esum cogere, an non est tui „ abolitio? *Frigidus est nobis ignis tuus, &* „ *nullius doloris efficientes catapultæ*. Non „ enim tyranni; sed Divinæ legis satel- „ lites nos stipant; ideoque invictam ha- „ bemus rationem.„ Hìc quoque lu- cernis, si voluerit, adhibitis quærat Quesnellus sedulò, num servilis quidpiam formidinis detegere valeat, & non ubique amantissimo Dei per adoptionem filio, & martyre dignum, etiam maximè Christiano.

6 Josephi historiam hic passim sequitur, cum reliquis Patribus, Ambrosius lib 2. de Jacob cap. 12.„ Talis hæc pugna „ est,ut ille gloriosus vicerit, qui crude- „ liùs occisus fuerit. Itaque *nemo timuit*: „ *nemo trepidavit*: *nullus ad mortem ex tot* „ *fratribus pigrior fuit*; *sed omnes tanquam* „ *ad immortalitatis viam,ita ad mortem per* „ *acerba supplicia concurrerunt*: *& mater* „ consona cernens filiorum agmina, *tan-* „ *quam pia anima sui membra corporis in fi-* „ *liis offerebat*, & per artus proprios vi- „ debatur sibi subire tormenta.„ Idem lib. 11. epist. 7.„ Haud degenet Abraha- „ midarum & Machabæorum concertatus „ *puerorum*, *quorum alii super flammas ca-* „ *nebant*: *alii cùm exurerentur*, *non roga-* „ *bant*, *ut parceretur*; *sed invehebantur*,*ut* „ *ampliùs persecutor inflammaretur*.„ Si etiam hic adversario nihil appareat virtutis, nihil fortitudinis, & amoris digni filiis adoptivis, nihil præter formidinem servilem, nos multò æquiùs ab ineptissimo ipsius appellabimus judicio ad omninm tatione utentium tribunal, quàm ipse à sapientissima Sedis Apostolicæ sententia, ad Concilium provocet imaginarium.

7 Denique idem Sanctus Machabæorum septem adolescentium victoriam, & sanctitatem tribuit Eleazaro. „ *Hic enim*, „ (inquit)primitiæ eorum, qui ante Chri- „ stum passi sunt, quemadmodum Stepha- „ nus,eorum, qui post Christum, vir, Sa- „ cerdos,& natu grandis ... *Septem insu-* „ *per filios offerens institutionis suæ fructum*, „ *hostiam viventem*, *Deo placentem*, *omni* „ *sacrificio clariorem*, *& puriorem*. *Filiorum* „ *enim virtutes parentibus adscribere æquis-* „ *simum ac justissimum est*.„ Quesnellus verò Moysi, Prophetis, Sacerdotibus, Doctoribus antiqui fœderis, non alios adscribit institutionis fructus, quàm formidinem servilem, nulli justitiam, aut virtutem, quam sequatur adoptio in DEI filium.

Septem secuta filios mater, quæ in heroicæ suæ fortirudinis admirationem robustissimos Christianorum semper rapiet athletas, sanctorum Patrum, & inter hos maximè disertorum, in sui laudibus quodammodo exhausit eloquentiam.

Gregorius Nazianzenus Oratione 22. „ O virilem (inquit) animam in muliebri „ corpore! O Sacrificium, Abrahæ Sacri- „ ficio majus ac præstantius! Nam ille u- „ num alacri animo obtulit; hæc autem „ populum universum filiotum Deo con- „ secravit.

S. Ambrosius lib. 1. Officiorum cap. 4. „ *Spectabat læta filiorum quot funera*, *tot* „ *trophæa*: *& morientium vocibus*, *plus* „ *quàm psallentium cantibus delectabatur*. „ Pulcherrimam ventris sui cytharam (sep- „ tem quasi fidibus instructam) in filiis „ suis cernens,& pietatis harmoniam omni „ lyræ numero dulciorem.

S. Chrysostomus de verbis Isaiæ hom. 4. „ *Mater Martyrum*, *septies ipsa Marty-* „ *rium præstitit*; dum enim illi torque- „ bantur, illa plagam accipiebat.

S. Cyprianus lib. de exhortatione ad martyrium.„ Tam grande martyrium „ Deo præbuit virtute oculorum suorum, „ quàm præbuerunt filii ejus tormentis, & „ passione membrorum.

Iterum Nazianzenus:„ Strenua mater, „ & verè illorum tali virtute præditorum „ partus, illa, inquam, præclara & magna- „ nima legis alumna... Filios non secus „ atque avicula, pullos suos arripiente an- „ gue, aut aliâ quapiam insidiosâ ferâ, „ circumvolabat, stridebat, obsecrabat,

„ unà

„ unà cum ipsis certabat, *nihil denique* „ *non dicebat, aut faciebat, quo illos ad vi-* „ *ctoriam paratiores, alacrioresque redderet.* „ Cruoris guttas rapiebat, fragmenta „ membrorum excipiebat, reliquias adorabat: hunc colligebat, illum porrigebat, alium parabat: omnibus acclamabat: Euge strenui mei milites: Euge „ in corporibus fermè incorporei: *Euge* „ *legis, canaque senectutis meæ, atque civitatis, quæ vos aluit, & ad eam virtutis* „ *magnitudinem evexit, præsidium ac propugnaculum.* Paululùm adhuc, & vicimus: *defatigantur carnifices, hoc unum* „ *timeo. Paululùm adhuc, & ego inter mulieres beata, & vos inter adolescentes beati.* An fortasse matris vos desiderium „ angit? Nequaquam deseram, hoc vobis „ polliceor.

8 Tandem consummato filiorum martyrio, sic ipsa ibidem ovans progreditur. „ Mater omnium matrū sacratissima effecta „ sum: *nihil mundo reliqui feci: omnia Deo* „ *tradidi*: thesaurum meum, spes meas senectutis altrices. *Quàm magnificè honorata sum!* Quàm excellenter senectus „ mea curata atque tractata est! *Habeo* „ *educationis vestræ præmia, ô filii, quoniam* „ *omnes virtutis causâ decertantes vidi,* „ *omnes victores aspexi*: Mihi verò charissimi filii, nequaquam mortui atque extincti; sed DEO oblati estis.

Rursus Ambrosius lib. 2. de Jacob cap. 12. „ Non sic Luna inter Stellas refulget, „ ut inter filios mater, & cùm eos ad „ martyrium illuminatura deduceret, refulgebat, & cùm amplexata victores „ in medio filiorum jaceret. O verè mater „ adamante fortior, melle dulcior, flore „ fragrantior! *O indissolubile pietatis vinculum! O verè valida charitas, sicut mors* „ *dura, sicut inferi. Zelus devotionis; ac* „ *fides! Nulla tantarum diluvia passionum* „ *tuam potuerunt charitatem excludere, nulla inundare eam flumina tantarum acerbitatum.*„ Audiant adversarii verè validam charitatem, quam nulla excludere potuerunt diluvia passionum.

9 Martyrii ejus circumstantias ex Josepho discimus: „ Novissimè filiis omnibus „ consumptis, admirabilis tantorum „ athletarum parens, in cruenta pœnarum „ carnificina flexis repentè genibus, corporis à Deo dissolutionem efflagitabat: „ non enim vivendi cupiditate; sed filiorum causâ, tantum tempus se protraxisse „ testabatur. Septem igitur triumphos „ mater pientissima suscepit. Antiochus „ faucibus stridet: matrem generosam affligi jubet: tyrannicè hæc rapitur: tenerls nudatur artubus: in altum manus alligantur: sæviùs illuditur flagellis: læsis mœret uberibus, ac flammivomæ adjecta sartagini, ambustos ultro filios comitatur in pœnas. „

Ita Hebræus historicus: Præter quem, & numeratos SS. Patres Machabæorum Martyrum elogia dedêre, Augustinus in Epist. 1. Joannis, tract. 8. & serm. 109. de Diversis, Gaudentius Brixianus tractatu de Machabæis. S. Ephrem Serm. de morte: Victorinus Afer in Carm. de Machabæis. S. Prosper parte 2. prædict. cap. 40. S. Bernardus Epist. 98. Theophilus Alexandrinus Epist. 3. Paschali.

10 Ex posterioris sententia aliquid delibandum est, quo tota concludatur relatio. „ Quid memorem [inquit] insignes „ Machabæorum victorias, qui ne illicitis „ carnibus vescerenrur, corpora obtulêre „ cruciatibus, totiusque orbis in Ecclesiis „ Christi, laudibus prædicantur, *fortiores* „ *pœnis, ardentiores, quibus comburebantur ignibus.* Victa sunt in eis omnia crudelitatis ingenia, & quidquid ira persecutoris invenerat, *patientium fortitudo* „ *superavit: inter pœnas magis paternæ legis, quàm dolorum memores.* Lacerabantur viscera: tabo, & sanie artus diffluebant; & tamen sententia perseverabat immobilis: *liber erat animus, & mala præsentia futurorum spe despiciebant.* „ *Lassabantur tortores, & non lassabatur* „ *fides.*„ Quid magis formidini mancipiorum contrarium excogitari valeat, qnid magis liberorum fortitudini congruum, quis Divinæ legis zelus ardentior, quod certius testimonium charitatis, ego quidem non assequor. Optima apud omnes & certissima Divini amoris probatio est, piorum executio operum, & sanguinis potissimum pro cœlestis reverentia mandati, religiosa profusio; quantum scilicet interiùs arsisse credimus amoris incendium, quo animus urentes exteriùs flammas quasi non sentiens contempsit! Quis igitur tolerari posse in Ecclesia censeat istam Quesnelli sive imprudentiam, si non attenderit, sive calumniam & impietatem, si intellexerit quod scripsit: *Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt, absque eo quod ullum DEO dederint filium, cùm non effecerint nisi mancipia per timorem?*

CA-

CAPUT IV.

Propositionis exponitur fundamentum & origo, unde plurimùm crescit erroris perversitas.

1 FUndamentum erroris adeò incredibilis, atque adversùs populum Dei electum contumeliosi, est aberratio alia Divinæ non parum detrahens bonitati, cujus misericordia super omnia Divinitatis opera meritò prædicatur. Fundamentum, inquam, iniquæ contumeliæ est Articulus 6. *Discrimen inter fœdus Judaicum, & Christianum est, quod in illo DEUS exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto vero DEUS peccatori dat quod jubet, illum suâ gratiâ purificando.* 7. *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo illum Deus reliquit propriæ ejus infirmitati, imponendo ipsi suam legem. Quæ verò felicitas non est admitti ad fœdus, in quo DEUS nobis donat, quod petit à nobis?*

Hanc Deo erga Judæos inclementiam, & crudelitatem in exigenda sub pœnis gravissimis observantia mandatorum impossibili, damnaverat Alexander VIII. Articulo quinto inter triginta & unum: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum; adeòque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam sinè omni gratia sufficienti.*

Trucem adeò falsitatem, & piis auribus horribilem, nihilominus post anathema sustinere veriti non sunt Arnaldus & Quesnellus in *Difficultatibus propositis Domino Steyaert*, quas *Causa Quesnelliana*, sive processus contra hunc Novatorem Juridicus vocat *Quesnello-Arnaldicas*; quia eas fariscens senio Arnaldus edidit, adjutore studiorum domestico Quesnello.

Illic parte 9. pag. 219. dicitur. *Obtestor omnes ratione utentes, ut considerent, an fieri posset, ut aliquis Propositionis illius quintæ censuram componeret cum hoc sancti Augustini axiomate, quo ad defendendam Ecclesiam adversùs Pelagianam hæresim utitur:* GRATIA NON DATUR SECUNDUM MERITA. Pag. 222. *An igitur oportet nuntium remittere omnibus gratiæ adversùs Pelagianos, & Semipelagianos defensoribus; quia hi conciliari nequeunt cum quodam Inquisitionis Decreto, tot aliunde vitiis laborante?* Pro defensoribus gratiæ hic, ut passim alibi, Arnaldus cum suo discipulo intelligit Jansenianos.

2 *Quemadmodum* enim *DEUS Salomoni reservaverat ædificationem templi, ita jure diximus materiam de gratia, per quam Jesus Christus in animis fidelium, tanquam in suo templo regnat, à Deo Iprensium Antistiti Jansenio reservatam fuisse clariùs dilucidandam, & tam longi operis executionem diuturnis ejus laboribus fuisse destinatam.* Ita Arnaldus, in Apologia pro Jansenio p. 92.

Similiter Quesnelli *Notæ in epistolam Steyaert*, pag. 18. applaudunt *Jansenio*, quasi eò tandem res ejus devenerit, ut *jam demum credere cœperit orbis catholicus, nihil in eo non esse catholicum*. Jansenius autem lib. 3. de gratia Christi, capiti 11. hanc præmittit epigraphen: *Infideles carent gratiâ sufficiente ad salutem tam proximâ, quàm remoteâ, & omnibus principiis ejus.* In ipso cap. *Et quidem eos omni tali gratiâ carere, nullam in Augustini principiis dubitationem continet.* Simili modo loquitur de Judæis, Tom. 3. lib. 3. cap. 5. *Fuit quidam sub lege status, sub quo generaliter, paucis exceptis, ante Salvatoris adventum, non dabatur gratia sufficiens implendi id quod jubebatur; multò minùs gratia sufficiens ad salutem.* Pauci, quos ex maledictione illa communi Jansenius excipit sunt Moyses, Prophetæ, Patriarchæ, c. 7. & 8. *Non adfuit hominibus sub lege veteri viventibus gratia sufficiens servandi legem, vel ullum præceptum ejus; sed potiùs impediens.*

Eodem Tomo, libro 1. cap. 8. *Lex justitiam reddidit difficiliorem, & quasi muro interposito impossibilem.* Ibid. *Hallucinatur, quisquis legem eo scopo datam putat, ut ejus luce eruditi, faciliùs peccata vitarent, aut per gratiam sufficientem eam servarent; hoc enim Apostolo, & Augustino è diametro contrarium est; Sed ut multitudine, & magnitudine peccatorum, quæ ex lege sciebatur futura, eorum superbia frangeretur.* Idem traditur cap. 11. Rursus cap. 9. *Carnalis homo, qui legem accipit... Videlicet, ut, quod lex jubet, facere aut nolit, aut velit, utrumvis fecerit, plerumque peccabit graviùs, quàm sinè lege peccavisset: graviter quidem, si facere nolit: periculosiùs si voluerit.*

Tomo 3. lib. 3. cap. 5. *Legislatio illum habebat scopum, ut intonante præcepto, ac terribiliter pœnas, nisi hoc facerent, comminante, gratiæ necessitatem, ipsâ gratiæ adjuvantis subtractione docerentur.* Eodem Tom. lib. 1. cap. 11. *Lege comminante doctus, territus, & conclusus... Nihil illi reliquum superest, nisi ut exclamet: Reus sum, fateor, ægrotus sum: vincere volens, pejus victus, atque prostratus sum.* Cap. 12. *Lex tanquam pædagogus, severus, atque terribilis, infirmos ani-*

mos

mos ad Dei gratiam agnoſcendam, invocandamque, terrore ſupplicii perduxit.

Liceat nobis ex magnis iſtiusmodi non ſolùm Theologis; ſed Theologiæ, atque ipſius, ſi fieri poſſet, Eccleſiæ Reformatoribus, ſciſcitari, quomodò, ut contendunt ipſi, Judæus omni gratiâ deſtitutus, à lege, veluti pædagogo ſevero, ac terribili, ad Chriſti gratiam agnoſcendam, invocandamque, terrore ſupplicii unquam pertrahi valeat? Hactenus ab Auguſtino & Eccleſia edocti contra Semipelagianos fuimus, initium converſionis non poſſe eſſe ex inſtitutione legis, vel naturæ viribus ſinè gratia; nunc autem Janſeniani agminis Princeps perducere nos ad petendam utiliter gratiam vult, naturalis ope formidinis.

Quapropter Queſnello & cæteris Janſenii diſcipulis conciliandum id relinquo cum eo, quod Janſenius ait, Tom. 2. lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ, cap. 18. *Ita peccato periit libertas arbitrii ad faciendum bonum, ut ante gratiam non ſolùm non poſſit univerſam legem moralis honeſtatis implere; ſed nec unam quidem, nec unum opus ejus: ita inducta eſt peccandi neceſſitas, ut in omni actu, quo legem ſibi videtur, vel ſervare, vel tranſgredi, reus alicujus peccati teneatur*: Lib. 3. cap. 20. *Viribus naturæ peccatum ſinè peccato non vitatur; nec lex ulla ſervatur*. De timore autem aſſerit Tom. 3. editionis Lovan. columna 587. *Præceptum bonum ex timore ne quidem concupiſci poteſt*; Quomodo igitur timoris inſtinctu gratia implorari?

4 Sed ut Janſenium dimittamus, Queſnellum ſæpe retuli in Monito ſuo quinto pag. 253. enunciantem. *Eſſe ſub lege eſt eſſe ſub dominatione peccati; quia homo illic exiſtens ſinè gratia, ſinè amore, ſinè charitate, non habet in animo niſi timorem ſervilem*. Quid proinde, *Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis* omnibus ſuis hortationibus apud populum profecerint, juxta Queſnelli ſententiam, diſcimus tum ex relato *Monito*, tum ex præſenti ejuſdem Articulo: *Mortui* nempe *ſunt abſque eo quod ullum Deo dederint filium; cùm non effecerint niſi mancipia per timorem*; eumque, ut patet, ſervilem, *mancipiis* proprium, & obſequio ac cultui DEI minimè utilem, ſed noxium magis, beſtialem, atque ſacrilegum, juxta Propoſitionem 66. & 67. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicuti beſtiæ; ſed per fidem, & per amorem, ſicuti filii. Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem*. En fructum tot ingentium laborum, atque conaminum, quibus Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores ſanctiſſimi excoluêre populum Iſraeliticum, ut ne in uno quidem excitare amorem erga Deum potuerint, dum omnis eorum opera non inutiliter ſolùm, ſed maximè damnabiliter terminata eſt, in procuranda beſtiali paſſione, & multiplici contra DEUM blaſphemiâ.

5 Prop. 49. *Ut nullum peccatum eſt ſinè amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſinè amore DEI*. Nullum igitur opus bonum elicere ex animis populi potuere Moyſes, aut Prophetæ, ſiquidem nullum unquam dilectionis actum, à quopiam iſtius multitudinis obtinere valuerint, ſed timorem tantummodo ſervilem, qui, ut ex Queſnello vidimus, nonniſi blaſphemiis plenus eſt, atque ad Dei minimè præparans amorem, ſinè quo nihil boni operis eſt, ut Propoſitio Queſnelli jam relata enuntiat.

Iſraelis populo, juxta eundem Theologum, totum defuit; quia Prop. 57. *Totum deeſt peccatori, quando ei deeſt ſpes, & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei*. Peccatorem eſſe populum, & hominem quemlibet Dei non amantem agnoſcimus: neque id probatione indiget, maximè apud Queſnellum, penès quem, Prop. 58. *Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt charitas*. Hanc ab omnibus iſtius populi exulaſſe enuntiat præſens Articulus: *Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui ſunt, abſque eo, quod ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint, niſi mancipia per timorem*. Et quidem *mancipia* iſtiusmodi, in quibus *nec Deus eſt, nec Religio*.

6 Itane populum iſtiusmodi atheum quodammodo, & in atheiſmo, aut illi non diſſimili impietate perpetuò obſtinatiùs permanentem, abſque ullius ad bonam frugē converſione, vocaverit Deus *populum* ſuum *electum*, *vineam* ſuam *electam*? ad eum direxerit tot mandata ſaluberrima, tot ceremonias, tot monita, & oracula Prophetarum? Tot ei contulerit beneficia, tantam præſtiterit contra Reges potentiſſimos protectionem, nemine Deum diligente, omnibus eum non ſibi aliter repræſentantibus, quàm veluti tyrannum, ac barbarum, nec meliore proſequentibus affectu, quàm odio, quali averſari ſubditi ſolent *Dominos duros, imperioſos, injuſtos, intractabiles*?

Nullus unquam ex Judaico populo Deum

um oraverit juxta Quesnellum, utpote carens perpetuò charitate, sinè qua, nec *Deus est, nec Religio*; & Art. 54. *Sola charitas est, quæ DEO loquitur, hanc solam Deus audit.* Sed & quomodo ex illo populo ullus Deum precaretur utiliter, quando actiones singulas, ipsasque preces corrumperet cupiditas? Art.46.*Cupiditas,aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*. De usu cæterarum animæ facultatum par ratio est. Et per Art. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque DEUS remuneratur: & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert; & propter hoc ipsum fit malus*. Itaque penès Quesnellum, deficiente Judaicum populum dilectione, omnia ejus opera vitiis annumerari necesse est.

Neque ullius boni actûs potestas adfuit, *quid* enim *aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*, Art. 1? Quod DEUM, ejusque gratiam in circumcisione acceptam Judæi in perpetuum amiserint, Quesnello extra dubium est; quia juxta præsentem Art. semper defuit illi populo charitas, sinè qua, *nec DEUS est, nec Religio*.

Odium quoque, & horrorem à dogmate non amoliris asserendo bonorum operum, atque in primis dilectionis defectum fuisse Judæis liberum, atque adeò potuisse eos DEUM diligere si voluissent. Quæro enim an velle potuerint?

Inficiatur Quesnellus Art. 2. *Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque ea non solùm nihil fit; sed nec fieri potest*. Efficacem gratiam defuisse patet ex defectu operis; voluisset enim indubiè populus diligere, si auxilium ad volitionem efficax habuisset. Neque omissionis reus fit ex eo, quòd DEUS amorem ejusque volitionem præceperit; excusationem enim populo suggerit Articulus 3. *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das quod præcipis*, ut non dedisse te, ex ipsa populi omissione compertissimum est.

Prosequatur Judaica turba excusationem, Art.4. *Ita Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo*; non aliter, nec aliàs nobis boni operis faciendi, vel volendi possibilitas obtingit, ut hic à Quesnello instituimur. Sanè diligendi DEI, sicut oportet, ut actio immunis à peccato sit, nulla homini facultas absque gratia est; quia Art.40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. Defuisse autem illi populo omnem gratiam indubitatum novo Theologo est, Prop. 6. & 7. uti & *Monito* 5. sæpius relatis.

8. Si quid auxilii supernaturalis adfuisset Judaico populo, non defuisset charitas, & justificatio, quia juxta Prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*, quæ, cùm sinè dilectione adultis peccatoribus non concederetur, necesse est primam gratiam ab illa non distinguere.

Theologi omnes cum Angelico, parte 3. quæst.62. art. 6. docent: in circumcisione olim collatam fuisse sanctificationis gratiam, non quidem virtute Sacramenti; sed professionis fidei. Verùm quomodo professio illa fieri potuit à populo, in quo nulla fuit Dei dilectio? Si quidem juxta Quesnellum, Art. 51. *Fides justificat, quando operatur; sed non operatur, nisi per charitatem*. Professio autem fidei, sicut & circumcisio, quædam fidei operatio est, quæ si elici nequeat, nisi per charitatem, periit in multitudine universa populi fructus circumcisionis, nisi ad illum fides suffecerit Prophetarum, paucorumque similium sanctorum; quia penès novos Theologos, non est fides, ubi non est dilectio.

9. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana*, inquiebat Belga novaturiens, Arnaldo, & Quesnello addictissimus, propositione, inter 31. ab Alexandro VIII. condemnatas, duodecimâ; mox etiam contra Christi Vicarium defensâ, *Difficultatibus* Quesnello-Arnaldicis, *propositis Domino Steyaert*, part. 9. pag. 203. & 206. Evidens scilicet novi Symboli conditoribus est, fidem Divinam sinè dilectione non posse subsistere juxta complures Articulos jam relatos, nempe quadragesimum quartum; ubi *omnis actio, quæ non nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur, nascitur ex amore mundi malo*. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque ejus actiones corrumpat*. 57. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in*

in Deo, ubi non est amor Dei. 58. *Nec Deus est, nec Religio, ubi non est Charitas.* Perspicuum nempe est non esse fidem Divinam; ubi totum deest, adeò ut nec Deus sit, nec Religio.

10 Habemus hic Propositionis iniquissimæ cum universo de fide & charitate proscripto systemate complura ac prorsus exitialia fundamenta. Videndum superest num aliquod erroris tam horridi patrocinium ex Scripturis, Patribus, aut alicujus notæ Theologis adversarius proferat.

C A P. V.

Conficta ex sacris literis approbatio erroris destruitur.

1 Vix usquam alibi adversarius in congerendis sacris textibus copiosior est, sed & vix usquam alibi ineptior; adeò in ejus oppositionibus nihil est quod spem aliquam, vel speciem præbeat apologiæ.

Joannis 1. v. 17. *Lex per Moysen data est: gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Igitur inquit novus Theologus, *Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt absque eo quod ullum DEO dederint filium; cùm non effecerint nisi mancipia per timorem.* Nonne hebetes esse oportet omnes in Ecclesia sancta Interpretes; cùm ex illis nullus hactenus in tam conspicuo Divinæ sapientiæ testimonio eam repererit novi dogmatis veritatem? Imò nobis deducta ex antecedente conclusio apparet tam absona, ut miraremur vehementiùs, si ullus novitatibus hæreticis aliunde non initiatus, fundamento tam dispari talem superstrueret fabricam cogitasset.

Lex per Moysen non veluti authorem; sed supremi Numinis Ministrum data est. At Jesus Christus verus author gratiæ fuit, & veritatis ad salutem necessariæ, quam figuræ veteres adumbrarunt. Sic & Angelicus in expositione aurea commentatur. „ „ Euangelista præfert Christum legislatori Moysi, ... quantum ad excellentiam „ & dignitatem operum; quia per Moysen „ lex data est [gratia per Christum] & bo„ tum duorum tantum unum excellit, „ quantum figuratum excellit figuram, & „ veritas ipsam umbram... Item excellit „ quantum ad modum operandi, quia lex „ data est per Moysen sicut per proponen„ tem, non per facientem; quia solus Do„ minus est legifer noster: gratia autem & „ veritas facta est per Christum, sicut per „ Dominum, & authorem veritatis, & „ gratiæ ... Item lex promittebat auxilium „ gratiæ, sed non solvebat ... Item per Sa„ crificia & ceremonias veritatem novæ „ gratiæ figurabat, ipso suo ritu clamans „ eam figuram: & ideò necesse fuit, quod „ Christus veniret, qui morte propria alie„ nas mortes perimeret, & conferret au„ xilium novæ gratiæ, ut faciliter & de„ lectabiliter adimpleremus præcepta. „ Vel aliter: veritas per Christum facta „ est, quantum ad sapientiam & veritatem „ occultam à seculis, quam veniens in „ mundo apertè docuit. „ His S. Thomas complectitur quidquid in veteribus passim legitur dispersum. In eundem sensum convenit textus Arabicus: *Gratia & veritas necessaria fuerunt per Jesum Christum*, & Zacharias Lucæ 1. *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum*, non sinè gratiæ auxilio ex Christi meritis.

S. Chrysostomus, *per Christum facta est gratia, quia cum potestate remittebat peccata*; non autem Moyses, non Prophetæ cæteri, ac Sacerdotes. *Veritas, quia per figuras adimplevit.* Denique S. Augustinus hìc: *Quomodo exhibita est veritas? quia, factum est quod promissum est*: factum scilicet, auxiliante Christi gratia & fide, quod à Moyse, Prophetis, & legis Doctoribus fuerat promissum.

Sed quid ex hoc veritatis ab omnibus agnitæ testimonio evuitur pro confirmanda contra Moysen, Prophetas quosque sanctissimos calumniâ; quasi omnibus suis monitis atque hortationibus neminem ad virtutem salutemque instituerint, sed ad miseram mancipiorum solummodo conditionem per timorem? Neque ut *gratia* & fidei *veritas* Prophetis, & Patriarchis fieret per Christum, expectanda necessariò fuit decretæ incarnationis, & meritorum eam sequentium adimpletio; prævisione Numinis ad hoc sufficiente, ita neque suspendi usque ad Salvatoris adventum debuit gratia conferenda populo.

2 Instat adversarius illo ad Romanos cap. 8. v. 15. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis in quo clamamus Abba, Pater.* Ex hoc loco concludit Angelicus. „ Lex „ igitur vetus data est in timore, quod si„ gnificabant tonitrua, & alia hujusmodi, „ quæ facta sunt in datione veteris legis, „ ut dicitur Exodi 19. & ideo dicitur Hebr. „ 12. & ita erat terribile quod videbatur:

„ & ideo lex vetus per inflictionem pœnarum inducens ad mandata Dei servanda, data est in spiritu servitutis. Unde dicitur Gal. 4. Unum quidem in Monte Sina in servitutem generans: & ideo hic dicit, rectè dictum est, quod qui *spiritu DEI aguntur* &c. Non enim iterum in nova lege, sicut in veteri lege fuit, *accepistis spiritum servitutis in timore*, scilicet pœnatum, quem timorem Spiritus sanctus faciebat; sed accepistis spiritum, scilicet charitatis, qui est adoptionis filiorum, id est per quem adoptamur in filios Dei. Gal. 4. ut adoptionem filiorum reciperemus. Non autem hoc dicitur quasi sit alius & alius spiritus; Sed quia idem est spiritus, scilicet qui in quibusdam facit timorem servilem, quasi imperfectum, in aliis facit amorem, quasi quoddam perfectum. „

3 Sicut autem Sophista ridiculus censeretur, qui inde deduceret Moysen, Prophetas, Patriarchas, Sacerdotes, & legis Doctores, qui in lege veteri sapientiæ, fortitudinis, justitiæ, misericordiæ, castitatis, cæterarumque Virtutum operibus fulserunt, fuisse mera mancipia per timorem, vacua Charitate, & excludenda numero filiorum Dei, ita neque ullus ratione præditus rectè conficiet, Prophetas illos, Patriarchas, Sacerdotes, & Doctores sanctissimos in sola hominibus inculcanda servili formidine hæsisse, & quotiescumque ad mandatorum observantiam hortati fuerint, excepisse impiè, vel prætériisse turpiter primum ac præcipuum Charitatis. Itane Patriarchæ liberos suos, Magistri discipulos, Prophetæ populum instruxerunt? Hac ratione neque ipsi institutores gravi socordiæ culpâ caruissent, indigni, qui sanctitatis gloriâ apud suos & posteros celebrarentur.

Si verò Moyses, Aaron, Prophetæ, & Patriarchæ, officio suo prædicandi amoris ad salutem necessarii non defuerint, quis nisi insigniter temerarius affirmare præsumat, omnem istinsmodi prædicationem à nemine Judaici populi fuisse, ut oportuit, acceptam? Objecta igitur Apostoli sententia præfert fortem nostram antiquo fœderi, ubi lex inscripta tabulis lapideis, cum tonitribus, & aliis signis terrificis, cum pœnâ gravi temporaneâ, etiam mortis supplicio; dum tamen lex ipsa necessarium ad sui observationem non impertiebatur auxilium; & à Deo tunc benevolè quidem, ob incarnandi filii merita, parciùs tamen obvenire mortalibus consueverat. In novo autem fœdere, non tabulis lapideis; sed cordibus lex inscribitur: non sculpturâ corporeâ, sed spiritu: non cum ostentis & signis terrificis; sed copiosâ gratiâ, & charitate: ipsa quoque Sacramenta, quæ lege continentur, vasa gratiarum sunt auxiliis cœlestibus refertissima.

Verùm sicut illa legis veteris imperfectio non obsuit, quin Moyses, & Aaron, Prophetæ, & Patriarchæ gratiam aliunde quàm ex lege, ejusque sacramentis & ceremoniis acceperint, à Divina scilicet misericordia, intuitu meritorum venturi suo tempore Salvatoris; quibus gratiarum præsidiis fidem conceperint, & charitatem: sic neque eadem legis veteris collatio in spiritu timoris, impedire Dei beneficentiam debuit, quin propter ejusdem merita Servatoris, pluribus è populo electo non sufficientia solùm; sed efficacia quoque concederet ad justificationem salutemque subsidia.

4 Non magìs premimur illo Epistolæ 2. ad Corinthios, cap. 3. v. 7. *Qui & idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non literâ, sed Spiritu. Litera enim occidit; Spiritus autem vivificat.* Quis ibi videat contineri mirabile istud Quesnelli consectarium: igitur *Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium; cùm non effecerint nisi mancipia per timorem*, utique servilem, qui juxta novitatis Euangelium, à justitia & salute abstrahit potiùs, quàm ad eam vel remotissimè disponat? Nam per Prop. 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*, à quo nihil bonitatis, nihil clementiæ sperandum sit.

Deus *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti*. Ideone ineptos fecit, aut reliquit ministros veteris, Moysen, & cæteros Prophetas, ac Sacerdotes? Minimè; *DEUS enim cuilibet rei dat ea, per quæ possit consequi perfectionem suæ naturæ*, inquit Angelicus in hunc locum. Sed, ut lex nova nobilior est vetere, ita & ministerium.

5 *Litera occidit*, non propriè, & per se, est enim bona & sancta. Sed *occasionaliter occidit*, ut monet S. Thomas. „ Nam litera Legis, dat solam cognitionem peccati. Ex hoc autem quod cognosco peccatum solum duo sequuntur. Nam lex, dum per eam cognoscitur, non reprimit concupiscentiam; sed magis occasionaliter auget, in quantum concupiscentia ferventiùs fertur in rem prohibitam. Unde hujusmodi cognitio, non dum

„ dum destructâ causâ concupiscentiæ, occîdit. Hinc verò addit prævaricationem; nam graviùs est peccare contra legem scriptam & naturalem simul, quàm contra legem naturalem solùm. Licèt autem occasionaliter occidat, in quantum scilicet auget concupiscentiam, & addit prævaricationem, non tamen est mala lex vetus, quia ad minùs prohibet mala. Est tamen imperfecta in quantum non removet causam. Est ergo lex sinè spiritu interiùs imprimens legem in corde, occasio mortis: & ideo necessarium fuit dare legem spiritûs, qui charitatem in corde faciens, vivificet.„

Verùm sicut iterum ea legis veteris imperfectio efficere non potuit, quin Moyses, Prophetæ, Patriarchæ, & Sacerdotes aliqui ac Doctores, gratiâ ex Christi meritis acceptâ justificati fuerint, ita neque imperfectio, ministerio illorum propria, quâ Sacerdotium vetus cedit novo, impedire illos debuit ab excitandis hominibus ad Dei cultum, omniumque mandatorum, quàm accuratissimam impletionem.

Si dixeris, Prophetas, & Patriarchas justitiam fuisse consecutos diffusione charitatis in cordibus per Spiritum Sanctum, quæ novi fœderis participatio quædam est, non refragabimur; verùm & similis communicatio derivari ab eis docendo, monendo, orando, potuit ad filios, & discipulos, quos ad virtutum exercitia obedientiamque mandatorum, rationibus & exemplis, aspirante Spiritus sancti gratia perduxerunt, ut Mardochæus Estherem, Tobias senior juniorem, suos utrorque consanguineos, & familiares, Eleazarus, & Machabæorum mater filios, Judas sequentem se populum pro templo, & Dei legibus magis, quàm pro fortunis, liberis, & uxoribus, contra numerosos Antiochi exercitus fortissimè prælianrem.

6 Ex hactenus responsis facilis explicatio, & solutio est ejus, quod adversarius intorquet ex versu 7. 8. & 9. Ubi lex vetus dicitur: *ministratio mortis*, *ministratio damnationis*; Lex autem nova, *ministratio Spiritûs, & justitia*. Sit enim lex vetus mortis, & damnationis ministratio *occasionaliter*, *& per accidens*, ut cum Aquinate omnes interpretes exponunt: quod respondere coguntur adversarii de Moyse, Prophetis, Patriarchis in lege veteri constitutis, quibus Justitiam, & Sanctitatem Dei filiis propriam detrahere non possunt, facilè nos applicabimus aliis eorum institutione cum auxilio gratiæ in Dei filios efformatis; Videlicet

quòd eam non legis in lapidibus scriptæ præsidio, aut naturæ viribus operati sint, sed cœlesti munere.

Similis responsio dissipat quidquid tenebrarum novatores ex reliquis Scripturę textibus, vel etiam ex Patribus aucupantur. Sola Epistola ad Galatas, ad stabiliendum errorem sufficere Adversariis visa est, & quasi tota in hunc finem à Divino Spiritu dictata. Illic scilicet cap. 2. v. 21. dicitur. „ *Si per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est*. Cap. 3. v. 21. & 22. *Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus*. Cap. 4. v. 45. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret: ut adoptionem filiorum reciperemus*. v. 7. *Itaque jam non est servus; sed liber*, v. 22. & sequentibus: *Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, & alterum de libera ... Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta: unum quidem in monte Sina, in servitutem generans, quæ est Agar; Sina enim est mons Arabiæ, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Jerusalem*, libera est, *quæ est mater nostra*, v. 28. *Nos autem, fratres, secundum Isaac, promissionis filii sumus*, v. 31. *Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii; sed liberæ, quâ libertate Christus nos liberavit*.

Galatæ gentiles fuerant à Judęo-Christianis ad fidem conversi, ab iis docebantur legem Mosaicam jungere Christianæ, quod meritò reprehendit Apostolus; nam licèt Judæis conversionis initio permitteretur etiam legis veteris observatio, ut faciliùs ad Christum adducerentur, & Synagoga sepeliretur cum honore. Iis tamen qui ex gentilibus fidem Christi, & Ecclesiam amplecterentur, non erat par ratio; sed utriusque conjunctio legis, videbatur ex errore profluere Christianę fidei contrario; qui pluribus aliquamdiu Christianis Judaizantibus adhæsit, videlicet Religionem Christianam, non sufficere ad salutem, nisi accedente pariter Mosaicâ. Hunc Galaris errorem eximit Apostolus, quatuor primis Epistolæ capitibus, totus in inculcanda fide Christi, & operibus ad eam pertinentibus.

7 Agnoscimus itaque justitiam non esse per legem; sed per fidem, & gratiam Christi meritis imperratam; non in Christianis solummodo novi fœderis, sed etiam in

Moyse, Prophetis, & quibuscumque aliis eorum institutione, & hortationibus, auxiliante gratia, ad justitiam perductis, quos ex mancipiis reddidere adoptionis filios. Non igitur lex; sed gratia sanctificat, sinè qua omnes homines conclusi perpetuò manent, & constricti vinculis peccatorum. Ubi autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, qui peccatores redimeret; sed hic noluit in tam sera tempora, differri penitùs sui sanguinis fructum, quem suis etiam secundùm carnem progenitoribus, & quibuscumque post Adami lapsum hominibus, promeritus præparavit. Recepere eum aliqui non in vanum, iique non soli Moyses, Aaron, & Prophetæ, atque soli Patriarchæ, Sacerdotes, & Doctores; sed eorum quoque subindè filii & discipuli, non discoli. Lex vetus inscripta lapidibus, cùm in se gratiam non contineret, largiri subditis non poterat, proinde neque à servitute peccati, & diaboli liberare; sed multitudine Ceremoniarum, Judæos graviter onerantium, intentato quoque transgressoribus supplicio mortis, servilem passim, & naturalem ingerebat formidinem; Charitatem autem, Justitiam, & beatitudinem filiorum tribuere non poterat. Hæc prærogativa fidei Christianæ est, non mortuæ; Sed vivæ per dilectionem, & ex Christi gratia progenitæ; cujus ut participes fuere Prophetæ, & Patriarchę, ita & quicunque ex familiaribus, vel fideli populo ex eorum, & exemplis, & monitis, cum Christi gratia proficere non detrectarunt. Sic nihil in Divinis scripturarum oraculis est propitium novitati.

CAP. VI.

Sancti Patres & Tridentina Synodus pro errore perperàm adducuntur.

1 Qualis data divinis oraculis, prorsus convenit etiam Patribus explicatio.

S. Augustinus tract. 3. in Joannem num. 16. in illud: *Lex per Moysen data est*, ait: „ Per Servum Lex data est: reos fecit. „ Per Imperatorem indulgentia data est: „ reos liberavit. Non sibi aliquid servus „ assignet, quàm quod per illum factum „ est. „ De ministris quoque novi fœderis legimus, quòd *neque qui plantat sit aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus*: unde nullus mortalium sibi tribuere debet sanctificationem alterius; sed Deo gratiæ authori; sinè quo omnis humana vox, præceptio, & doctrina est veluti sonus æris, aut cymbali tinnientis: quæ veritas non in solo Testamento vetere, sed in novo quoque locum obtinet. Neque in objecta Augustini sententia opponitur Moyses prædicatoribus novæ Legis; sed ejus conditori, & omnis gratiæ largitori Christo: *servus Imperatori*.

Moysen, licèt servi nomine appellatum, nullus negaverit verum fuisse DEI adoptione filium: & quicumque nos Dei filios esse confidimus, etiam servorum Dei nomine cum Apostolo gloriamur; ipse quoque Summus Ecclesiæ in terris Pontifex, & Christi Vicarius, titulum sibi non inglorium vindicat *Servus Servorum Dei*. Verùm qualiscumque ea *servorum* appellatio & totius conversionis, justitiæ, salutis, ad Christum veluti authorem datoremque relatio, minimè impedit, quin ministri Euangelii, quos ad fidem & Ecclesiam convertunt, dicantur gignere Deo filios, atque diaboli subducere servituti. Ideò nec apparet, cur Moysi, Prophetis, Patriarchis, Sacerdotibus, ac Doctoribus sanctissimis, alios ad veri Dei cultum perducentibus laus similis denegetur, quemadmodum Tobiam seniorem, & Machabæorum matrem veros Deo dedisse filios ex sacra historia compertissimum est.

2 Urgent Adversarii, ex eodem sancto Antistite, si urgere censendi sunt, qui nihil ad quæstionem attinens, sed omnia disparatissima proferunt. In expositione Epistolæ ad Galatas, num. 24. „ Sanati sunt ab „ impietate superbiæ, ut reconciliarentur „ Deo, quicumque homines humilitatem „ Christi, & per revelationem, antequam „ fieret, & per Euangelium, posteaquam „ facta est, credendo dilexerunt, diligendo „ imitati sunt. Sed hęc justitia fidei, quia „ non pro merito data est hominibus; sed „ pro misericordia & gratia Dei, non erat „ popularis antequam DEUS homo inter „ homines nasceretur. Semen autem, cui „ promissum est, populum significat: non „ illos paucissimos, qui revelationibus „ eam futuram cernentes, quamvis per „ eandem salvi fierent, populum tamen „ salvum facere non poterant.

Aliud est justitiam tempore Testamenti veteris, non fuisse *popularem*, atque penès *paucissimos* repertam, quod ait Augustinus; aliud penès neminem è populo, penès neminem è filiis, familiaribus, discipulis Prophetarum, atque Patriarcharum, quod Quesnellus asserit, nullâ nixus ratione verisimili, nulli-

nullius Teſtimonio veteris aut recentioris. Non eſt *populare*, ſapientiâ prædìtum eſſe aut ſanctitate; ideone nullus uſpiam in populo ſanctus reperitur, aut ſapiens? Quàm multa vitia tribuuntur multitudini, à quibus ſi neminem eximi patiaris, convinceris facilè de calumnia! Nationes inter altera luxurię, altera crapulæ, altera ſuperbiæ, altera avaritię, & quibus non vitiis addicta, quęlibet ab aliis accuſatur, at nullam admittere quorumdam ſingularium exceptionem, nemo ſapiens excuſaverit à temeritate & inſania.

3 Fruſtra patrocinium quęritur in S. Fulgentio, lib. 2. de veritate prædeſtinationis, cap. 7. Cùm ait: „ Hæc igitur inter literam jubentem, & Spiritum vivificantem, id eſt inter legem, gratiamque diſtantia eſt; quia Lex convenit, gratia convertit hominis voluntatem, ut bonum velimus. Illa clamat; hæc donat. Illic voluntati hominis incutit juſtitia divina terrorem: hic infundit miſericordia charitatem. Per illam accepit voluntas Spiritum ſervitutis in timore: Per iſtam accepit Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater. „

Nihil à quæſtione de qua nobis cum adverſariis diſceptatio eſt, allegari remotiùs potuit, nihil magis alienum. Quis enim Catholicus dubitat, quin ſpiritus, & gratia, non lex, & litera ſanctificet? Neque ulli ſanę mentis incidit cogitatio de Moyſe, & Prophetis, quaſi filios DEO dederint per legem, ſinè gratia. Hæreſis ea Pelagii fuit atque Cœleſtii, niſi quòd ad fallendos Eccleſiæ Præpoſitos, atque eludendum anathema, *gratiæ* vocabulo uterentur, ſub quo legem intelligerent, doctrinam, monita atque exempla, quæ ab aliquibus exteriores gratiæ appellantur; at conſtat eas ad efficiendos Dei filios abſque interiore minimè ſufficere.

Sic neque ſufficit prædicatio Euangelii, quantumvis ardens, & Apoſtolica. Verùm ideone Apoſtolos accuſaveris, quaſi neminem unquam ſuis prædicationibus ad fidem & Chriſtum converterint, quia pręcipuas in converſione partes habuit, non humana & exterior prędicatio: ſed interior Divini unctio Spiritûs? Quoties in officio Canonico, vel Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ de Sancto aliquo legimus, quòd plures ad fidem perduxerit, aut ad bonam frugem, ſemper intelligimus ſenſu Catholico, ſic ut converſio potiſſimùm tribuatur gratię, cui exterior prædicatio quodammodo cooperata fuerit, veluti Divinæ Providentiæ inſtrumentum. Similis ratio convenit prædicationibus Moyſis, & Prophetarum: quoſcumque illæ dederint DEO fideles & juſtos, ac proinde filios, non ſinè gratiæ fecerunt adjutorio gratiæ, inquam, non in ſolis receptæ prædicatoribus; ſed potiſſimùm in auditoribus, quorum converſio affirmatur.

4 Suppoſitio quidem adverſariorum eſt, nihil gratiarum obtigiſſe hominibus ſub Teſtamento vetere conſtitutis, Propoſ. 6. *Diſcrimen inter fœdus Judaicum & Chriſtianum eſt, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia: in iſto verò Deus peccatori dat, quod jubet, illum ſuâ gratiâ purificando.* Prop. 7. *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ verò felicitas non eſt admitti ad fœdus, in quo nobis Deus donat quod petit à nobis?* Et inter Articulos 31. ab Alexandro VIII. proſcriptos quintus fuerat: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omninò accipiunt à Jeſu Chriſto influxum, ideoque hinc rectè inferes, voluntatem in illis eſſe nudam, & inermem ſinè omni gratia ſufficiente.*

Errorem hunc Divinæ miſericordiæ, & bonitati adeò injurium liber Queſnello-Arnaldicus *Difficultatum propoſitarum Domino Steyaert*, parte 9. à pag. 12. uſque ad 23. contra definitionem Pontificis, maleſanis declamationibus; ſed nulla ratione probabili defendit. Lector verò ſapiens conſideret, an prorſus temeraria ſit ſuſpicio eorum, qui exiſtimant nova dogmata eò collimare, ut Deum reddant Judaico populo odioſum, illumque adigant ad deſperationem. Quid enim & conflando odio & deſperationi excitandæ ſuggeri poteſt magis idoneum, quàm Deum exigere mandatorum obſervantiam impoſſibilem, atque æterna inferre tranſgredientibus ſupplicia?

Prolixior, ſed non magis propitia adverſariis eſt ſententia Gregorii Magni, lib. 9. Moral. cap. 40. num. 63. „ A peccati morte timor nos ſuſcitare non valuit; Sed ad ſtatum vitæ aſpirata manſuetudinis gratia erexit. Quod bene Eliſeo Sunamitis filium ſuſcitante ſignatur; qui cum baculo puerum mittens, extincto filio vitam minimè reddidit: per ſemetipſum verò veniens, ſeque ſuper mortuum ſternens, atque ad ejus membra ſe colligens, huc illucque deambulans, & in ore mortui ſepties aſpirans, hunc ad redivivam lucem protinus per Miniſterium compaſſionis animavit. Author quip-

„ quippe humani generis Deus,quasi mortuum puerum doluit, cùm extinctos nos „ iniquitatis aculeo miseratus aspexit, & „ quia per Moysen terrorem legis protulit, quasi per puerum virgam misit. Sed „ puer cum baculo mortuum suscitare non „ valuit; quia Paulo attestante, *Nihil ad perfectum adduxit Lex*. Ipse autem per „ semetipsum veniens, & super cadaver se „ humiliter sternens, ad exæquanda sibi „ mortui membra se collegit... Moxque „ vivens erigitur; quia is quem terroris „ virga suscitare non potuit, per amoris „ Spiritum puer ad vitam rediit. „

5 Similitudinem Gregorius exhibet, non æqualitatem. Illius autem, ut constat, assertio rationem exigit in aliquibus, non in omnibus convenientem: Æqualitas, aut similitudo omnimoda ad stabiliendum Pontificis sancti propositum minimè requiritur. Nos edocere voluit necessitatem duplicem; unam adventûs Christi, ad suscitandos ab interitu peccatores, alteram amoris, quando quidem formido sola ad recuperationem spiritûs, & vitam animæ non sufficit. Prior necessitas asseritur etiam à Bernardo, neque ab ullo in dubium vocatur catholico; neque illa, aut posterior, damnato suffragatur errori.

Ita Mellifluus Serm. 2. in cant. num. 5. Loquentem inducit veteris Testamenti hominem: „ Probet veridicos nuntios „ suos Deus, & sequatur eos ipse, ut sæ„ pius promiserunt: quia sinè ipso pos„ sunt facere nihil: misit puerum, tulit ba„ culum, & needum est vox, neque vita. „ Non surgo, non suscitor, non excutior „ de pulvere: non respiro in spem; si non „ Propheta ipse descendat, & osculetur „ me osculo oris sui. „

Idem sensus est Concilii Tridentini ab adversariis allegati: videlicet Sess. 6. cap. 1. ubi *agnoscere* jubemur & *fateri*, „ quod, „ cùm omnes homines in prævaricatione „ Adæ innocentiam perdidissent, facti im„ mundi, &, ut Apostolus inquit, naturâ „ filii iræ... Usque adeò servi erant pec„ cati, & sub potestate Diaboli ac mortis, „ ut non modò gentes per vim naturæ; „ sed ne Judæi quidem per ipsam etiam li„ teram legis Moysi inde liberari, aut sur„ gere possent; tametsi in eis liberum ar„ bitrium minimè extinctum esset, viribus „ licèt attenuatum & inclinatum. „

„ Sequitur statim cap. 2. „ Quo factum „ est, ut cœlestis Pater, pater misericordia„ rum, & Deus totius consolationis, Chri„ stum Jesum Filium suum, & ante legem „ & legis tempore, multis Sanctis Patribus „ declaratum ac promissum, cùm venit „ beata illa plenitudo temporis, ad homi„ nes miserit, ut & Judæos, qui sub lege „ erant, redimeret, & gentes, quæ non „ sectabantur justitiam, justitiam apprehen„ derent, atque omnes adoptionem filio„ rum reciperent. Hunc proposuit Deus „ propitiatorem per fidem in sanguine „ ipsius pro peccatis nostris; non solùm „ autem pro nostris; sed etiam pro totius „ mundi.

6 Redemptoris adventum Judæis æquè ac gentibus fuisse necessarium haud ignoramus, neque legem scriptam, neque Moysen cum virga, aut tabulis, neque Prophetas, cum omnibus suis documentis, hortationibus, oraculis potuisse vitam reddere animabus, nisi ipse Dei filius è superum sedibus descendens, mortuis sueeurrisset. Verùm Moyses, & Prophetæ æquè ac vulgus hominum, ut communi comprehendebantur interitu, ita non minùs, quàm cæteri eguêre thaumaturgo & medico Omnipotenti, qui non solum nosset ægris ac sauciis reddere sanitatem; sed etiam mortuis vitam. Cœlesti hoc Eliseo eguit etiam terrenus cum Eliâ. Istud autem præter cætera, geminos hos inter Eliseos interest discrimen, quod terreni ad operandum requireretur præsentia; cœlestis verò ac Divini in humana carne adventus operatus fuerit antequam esset. Ab eo ante quam mortalibus adesset mortalis, profluxêre gratiæ, spiritus & vita Moysi, & Sanctis omnibus Prophetis: De quo dubitare fas nemini Christianorum est.

Quemadmodum igitur salutifera Christi operatio ante Incarnationem non denegata fuerat Moysi, & Prophetis, quo revelante Quesnellus didicit, aut qua ratione probabili affirmat, ad solum Moysen, & Prophetas Servatoris in antiquo fœdere misericordiam fuisse restrictam, aliorum nemini collatum justitiæ donum? Nullo duce, nullo Doctore Catholico, hæc à Jansenistis novitas procuditur, ipsorum is fœtus ingenii est; nisi prioribus acceptum referre maluerint hæreticis. Fundamentum ponere visus est Jansenius, Tom. 3. lib. 3. cap. 7. & 8. Juxta quem: *Non adfuit hominibus sub veteri lege viventibus gratia sufficiens servandi legem, vel ullum præceptum ejus; sed potius impediens*; Affine est, quod Contra-Remonstrantes ajunt, quæ Calvinistarum secta est, in specimine Amstelodamiensi, Art. 57. *Judæi, quibus Christus prædicabat, non poterant se convertere, aut credere.*

Nun-

Nunquam etiam ipsis sufficiens gratia data est, qua ad conversionem aut salutem pertingerent [seu pertingere valerent.]

CAPUT VII.

Collatoris Observatio, dolo plena subvertitur.

1 QUi *Propositionum in Constitutione Clementis XI. damnatarum collationem cum quibusdam S. Scripturæ, & SS. Patrum testimoniis* edidit, hanc eis subjicit observationem.

„ Considerat Author (Propositionum)
„ Moysen, Prophetas, Sacerdotes, & Do-
„ ctores legis, in quantum ministri fuerunt
„ veteris Testamenti. Etenim eorum mi-
„ nisterio statim opponit Christi, seu novi
„ Testamenti ministerium; *Moyses, ac Pro-*
„ *phetæ, Sacerdotes, legisque Doctores mor-*
„ *tui sunt, absque eo quod filios Deo dede-*
„ *rint cùm non effecerint nisi mancipia per*
„ *timorem. Solus Christus ei filios dedit, quo-*
„ *niam Spiritum adoptionis filiorum, qui Dei*
„ *amor est, attulit: & adhuc magis post mor-*
„ *tem, perque fratres suos Apostolos, qui*
„ *nomine illius Ecclesiam duxerunt.* Quo
„ quid exactius dici potuit? Veteris Te-
„ stamenti Ministri ut tales, vivificantem
„ Spiritum minimè subministrarunt; at li-
„ teram occidentem duntaxat, metumque
„ servilem: secus Apostoli, aliique novi
„ Testamenti ministri, qui Spiritum confe-
„ runt. At fortassis Author nullos admit-
„ tit justos, seu adoptivos Dei filios tem-
„ pore veteris Testamenti? Quæ nugamen-
„ ta! Hæccine seriò dicuntur, aut refuta-
„ tione digna sunt? Videat, qui tam in-
„ dignè suspicatur, in *Considerationibus*
„ *Moralibus* loca sequentia: Marci cap. 8.
„ v. 2. Joannis cap. 6. v. 45. ad Rom. cap.
„ 3. v. 26. Nec opus est pluribus.

Imò neque locis illis opus erat; Pontifex enim feriens præsentem Articulum, non eum arguit, veluti negantem omnibus omnino antiqui fœderis tempore viventibus justitiam, adoptionemque in Dei Filios: manifestum quippe ex vocibus Propositionis est, non ibi negari justitiam Moysi, Prophetis, Sacerdotibus, & Doctoribus Legis; sed cæteris omnibus eorum institutioni commissis: *Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, Doctores Legis mortui sunt absque eo, quod ullum Deo dederint Filium; cùm non effecerint nisi mancipia per timorem.* Tergiversari hìc placuit *Collatori*, & Solis meridiani radios obducere nubibus, si posset; clarissima enim, ut patet, Quesnelli enuntiatio est. Quid autem sibi vult illa supposita à Collatore restrictio, *in quantum ministri fuerunt veteris Testamenti*, & iterum, *ut tales*? Num alio forsitan intuitu, sive sub ratione aliâ, quosdam dederint Deo Filios per amorem, quem piis suis institutionibus & monitis, Divina adjuvante gratiâ, instillaverint? Hæc quidem communis Fidelium, prorsus consona Divinæ bonitati atque clementiæ, æquissima simul de Moysis & Prophetarum sapientiâ ac pietate existimatio est; Sed an ea etiam Quesnelli, ipsique adhærentium Jansenistarum?

2 Ne præsens quidem *Collatoris observatio*, eam profiteri vult, vel tribuere Clienti: quæ etsi proscripto articulo venenum non adimeret, neque anathematis infringeret æquitatem; attamen videri posset erroris retractatio quædam, vel etiam authoris excusatio, qui in scriptione magis imprudentiâ lapsus crederetur, quàm execrabilem sectatus studio novitatem. Verùm non istud *Collatoris* consilium est: non istud ingenium Clientis, aut reliquæ factionis; cujus superbia & indè nata temeritas, atque obstinatio sententiam noscitur respuere Catholicis communem. Absoluta, ut inspicienti patet, simplicissima & nullius patiens restrictionis est in sensu obvio damnata Propositio.

Quisquis verò *Collatorem* audit subintelligere, *in quantum ministri fuerunt veteris Testamenti*, & *ut tales*, arbitrabitur superesse aliud distinctionis membrum, juxta quod de Moyse, Prophetis, Sacerdotibus & Doctoribus Legis asseri valeat, dedisse ipsos aliquot Deo Filios, & non sola mancipia per timorem; *in quantum* scilicet participes fuere gratiæ Christi, atque ita novi quodammodo fœderis, quâ orando, docendo, exhortando, suis quoque filiis, consanguineis, contubernalibus, Discipulis, aliisque ex fideli populo amorem Dei inspirare conati fuerint, felici in aliquibus successu.

Edicant igitur adversarii, num ea allubescat explicatio, aut suggerant ipsi meliorem, juxta quam universalis nimium, ideoque detestabilis assertio limitetur. Aliàs quod in Quesnelli volumine articulum sequitur, & ad ejus defensionem producitur à Collatore, explanatio quædam est proscripti dogmatis, sed virus non imminuens, neque mitigans horrorem, ut cuilibet expendenti fit evidens. Solus Christus Deo filios dedit, tanquam solus author & causa meri-

meritoria omnis gratiæ, post lapsum primi hominis concessæ: solus idem attulit spiritum adoptionis filiorum, qui Dei charitas est, & uberiorum, majorumque effusione gratiarum, illam magis communem, & veluti propriam reddidit viventibus novi tempore Testamenti; non ita tamen, ut spiritus ille ab omnibus nunc acceptus sit, vel ante Christi tempora omnibus denegatus. De his testimonium habemus ipsius adversarii jam relatum, quo etiam Quesnelli loca idem affirmantia designantur.

Sicut igitur illa novi fœderis prærogativa non negat Moysi, Prophetis, atque omnibus prorsus Sacerdotibus, & Doctoribus Legis, amore obtentam, conservatamque justitiam, quæ dos & adoptio filiorum est, non servitus mancipiorum; sic pariter nihil obest, quin iidem aliquos suis exhortationibus, auxiliante Christi gratiâ, ad similem promoverint adoptionem. *Quo quid exactius dici potuit?* Utor verbis adversarii; sed quæ ab ipso ineptissimè adhibentur ad confirmationem dogmatis proscripti; ut responsione perspicuâ & nullis eludendâ præstigiis jam ostensum est.

Ad *nugamenta* quod attinet, fingit ea, ridiculè nobis objiciens Collator; non enim Quesnelli articulum Constitutio damnat, quasi is *nullos admittat justos, seu adoptivos Dei filios tempore veteris Testamenti*; sed quod nullos agnoscat à *Moyse, Prophetis, Sacerdotibus & Doctoribus Legis* procreatos Deo per Christi gratiam filios; *& non nisi mancipia per timorem.*

Commune sapientium effatum est, quod simile generet sibi simile: quo quidem axiomate abutebatur Pelagius, ad destruendum originis peccatum in liberis à justo patre & matre progenitis; sed uti in naturalibus locum obtinet, sic & experientia, non quidem perpetua & generalis; at saltem frequentissima demonstrat in educatione & magisterio, parentes atque præceptores impios, reddere natos & discipulos suæ impietatis participes; Pios verò & Sanctos, aspirante Divinâ gratiâ, pietatem afflare & sanctimoniam etiam filiis, suæque sectatoribus disciplinæ; ita Xenocrates Polemonem è luxurioso castum, ex intemperante sobrium in ipsis præstitit tenebris gentilitatis; non tamen absque divini muneris præsidio: de quo Augustinus Epistola 130. fidem facit minimè dubiam.

4 Resciat itaque Collator, de quo accusetur, & convincatur Quesnelli articulus; non de sensu fictitio, quem verbis non subesse, ultro agnoscimus; sed ab ipso nobis adversario ridiculè affingitur, ut puerili adaptet materiam exclamationi, *quæ nugamenta! haeccine seriò dicuntur, aut refutatione digna sunt?* Dicuntur enimverò à nemine, proinde refutatione non indigent, neque digna fuerunt, quæ fingerentur, nisi ad circumventionem simplicium, ut verus error & absurdissimus dissimularetur, velut intactus ab anathemate, quando istud in sensum verteretur imaginarium.

Expectabimus igitur, ut adversarii, si quidem de anathematis æquitate contendere voluerint, rationis aliquid vel authoritatis utcunque saltem probabilis afferant, quo sensus Propositionis obvius à me hactenus impugnatus, quemque nec Collator Quesnello audet adimere, stabiliri aliquo usque videatur: vel, si nequaquam censuerint tolerabilem, rejicere eum palàm atque configere non detrectent; sic honori suo consulent, & veritati; quia etsi Propositio cum sua significatione obvia credetur semper meritissimè damnata; author quoque locutus improvidè; attamen hujus, si quæ fuerit bona Fides, & circa hoc bonitas sensûs intimi salvabitur.

Sunt autem & Propositiones aliæ, cum quibus difficiliùs concilies ipsius Moysis, Prophetarumque justitiam; quales sunt sexta, & septima. *Discrimen inter fœdus Judaicum & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto verò Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando.* Et *quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ verò felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?*

5 Verùm quidquid de erronea, aut etiam hæreticâ utriusque Dogmatis significatione sit, maximè horribilem præsentis articuli expressionem non conspicimus à Collatore corrigi, vel mitigari, licèt quasi nimis dilucidam, additionis ambiguæ tenebris involvere conatus sit. Afferente scilicet Paschasio Quesnello *Moysen, Prophetas, Sacerdotes, & Doctores Legis mortuos esse absque eo, quod ullum Deo dederint filium; cùm non effecerint nisi mancipia per timorem* (quo quid clariùs affirmari potuit?) Collator ex penu suo sophistico depromit indicatum superiùs acumen plumbeum, *in quantum ministri fuerunt veteris Testamenti:& ut tales,* quasi Quesnellus agnosceret eos sub consideratione aliâ dedisse Deo filios per amorem, & non effecisse solùm mancipia per timorem; ut nullus Catho-

Catho-

Catholicus dubitat, quin Prophetæ, & Patriarchæ, *in quantum* fide, & dilectione profecuti funt venturum in carne Filium Dei, fimilem fidem, fimilem amorem transfuderint fuis exhortationibus in filios & difcipulos, Divinâ, quæ femper à nobis fupponitur, gratiâ adjuvante.

Sed non audet benignam adeò de Quefnelli mente fuggerere interpretationem. Nihilominus veluti de Sede Apoftolica triumphans, illi exprobrat quafi ex Propofitionis vocibus collegerit, *Authorem nullos admittere juftos, feu adoptivos Dei filios tempore veteris Teftamenti. Quæ nugamenta! Hæccine feriò dicuntur, aut refutatione digna funt?* Nugamenta ea qualiacunque dixeris, tuo funt, Collator, ingenio excogitata, ut de umbris tuis, quafi de proftratis adverfariis inaniffimè triumphares. Damnatus enim articulus à Moyfis, Prophetarum, Sacerdotum, Doctorumque Legis five juftitia, five injuftitia apertiffimè præfcindit, adoptionem in filios foli denegans populo, cujus directio prioribus incumbebat.

6 Quanquam & horum videretur fanctitas revocari in dubium, quando præcipuum, quod fuarum effe partium ignorare non poterant, aut fegnitie, aut malevolentiâ prætermififfent; mandati videlicet primi & maximi, atque præ cæteris neceffarii inculcationem folicitam, idoneamque promovendo ejus in auditoribus, cum Divina gratia, exercitio.

7 Si verò dixeris, Prophetas & fanctos populi Doctores non defuiffe quidem munerifuo: fed eum obduratum nimis, excæcatumque diligere, prout oportuit, non potuiffe, ut pote finè ullâ gratiâ *fuæ infirmitati atque impotentiæ relictum*, juxta articulos fextum & feptimum fuperiùs relatos; hos quidem effe Quefnelliani Symboli agnofcimus, & conclufionem inde fluere legitimam, quantumvis à fide Catholica abhorrentem, quòd fruftranea fuerit omnis Prophetarum directa ad populum, pro eliciendo amore, adhortatio. Sed quomodo illo Quefnelli fyftemate non deftruitur Dei Sapientia, Sanctitas, Juftitia? Proverbiorum capite primo omnibus ratione utentibus, & quidem tempore antiqui fœderis denuntiatur: *Sapientia foris prædicat ... Convertimini, en proferam vobis fpiritum meum ... quia vocavi & renuiftis: extendi manum meam & non fuit qui afpiceret: defpexiftis omne confilium meum, & increpationes meas neglexiftis.*

Quæ Numinis per Salomonem exprobratio æquiffima penès Catholicos eft, juxta quos reprobis illis, mandatorum obfervatio impoffibilis non fuit, neque denegata omnis gratia fufficiens, quâ poffibilis obedientia redderetur. Quomodo aliàs feria effet Dei ad converfionem vocatio? Fraudulenta manifeftè Dei promiffio eft proferendi fui fpiritûs, fi poteftas iis, quibus promittitur, non fuerit accipiendi. Quandonam extendit manum fuam, utique auxiliatricem, eis, à quibus arripi noluit, quofque omni perpetuò fufficienti auxilio manere voluit deftitutos? finè illo converfionem effe impoffibilem, folus cum fuis ignoravit Pelagius. Extentio illa manuum ad peccatores, præcipuè Teftamenti veteris, repetitur Ifaiæ capite 65. & ad Rom. 10. *Extendi manus meas totâ die ad populum non credentem & contradicentem.* Ezechielis 18. *Nunquid voluntatis meæ eft mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis fuis & vivat? ... Quare moriemini domus Ifrael? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus: Revertimini & vivite.*

8 Non hic Prophetas, & fui fimiles Sanctos Sacerdotes, ac Doctores Ezechiel Dei nomine alloquitur; fed uti pater, *populum Ifrael* peccatorem. Si huic Magifter obtigiffet novæ fabricator Fidei Quefnellus, fuggeffiffet refponfum, quale Ezechiel non expectaffet, fcilicet: Voluntatis Dei indubiè eft mors impii, quidquid nomine & verbis Domini aliud annunties; quomodo enim vult, ut convertatur impius à via fua mala, & vivat in præfenti *fœdere*, *in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipfi fuam Legem*, abfque fupernaturalis gratiæ fubfidio, obfervatu impoffibilem juxta art. fextum? Et rurfus, juxta feptimum, *Exigit in hoc fœdere Deus fugam peccati, & implementum Legis à peccatore relinquendo illum in fua impotentia.* Apage igitur cum fallacibus iftis tuis de Divina erga nos mifericordia blanditiis. Proinde inanibus promiffis deludere nos define. Quomodo enim peccatum mortemque effugere implendo legem poffumus, miferi domûs Ifrael peccatores? quomodo reverti, & vivere, dum in noftra *relinquimur infirmitate & impotentia*? Excufa, fi potes, Dominum à mendacio, cùm ait: *Nolo mortem morientis.*

Juxta Monitum Quefnelli quintum pag. 253. *Effe fub lege, eft effe fub dominatione peccati; exiftens enim illic homo finè gratia, finè amore, finè charitate, nihil habet in animo nifi formidinem fervilem*, quæ juxta art. 67. *Non fibi repræfentat Deum, nifi, ut Dominum durum, imperiofum, injuftum, intractabilem.*

Qualis ea ad conversionem dispositio? Art. 56. *Totum deest peccatori, quando deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.* Quomodo verò spes, quomodo Dei amor cum tali repræsentatione, cum tali componetur formidine? Talem verò timorem, talia per timorem mancipia Ezechiel cum sociis suis Prophetis, Sacerdotibus, & Doctoribus Legis efficis art. præsenti 65. *Moyses, Propheta, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui sunt absque eo quod ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint nisi mancipia per timorem.* Neque ex hac mancipiorum sorte eximere vos possumus infelicis hujus Testamenti tempore, quo *Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia.* Hactenus Judæorum Quesnellianæ novitati conveniens oratio.

9 Non meliùs in eadem Quesnelli sententia excipi potuisset, alius ejusdem Prophetæ ad populum sermo cap. 33. *Sic locuti estis dicentes, iniquitates nostræ & peccata nostra super nos sunt... Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus: Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua & vivat. Convertimini, convertimini.... impietas impii non nocebit ei.*

A Quesnello edoctus populus iterum respondisset: Verissima nostra querela est, & calamitas humanis viribus immedicabilis: à Deo quoque derelinquimur *sine gratia, sine amore, sine charitate, nihil habentes in animo nisi formidinem servilem.* In hac unicè à parentibus educamur: talis est tua, Ezechiel, tuorumque sodalium Prophetarum, Sacerdotum, Doctorumque institutio, qua meliorem vacui omni gratiâ, procurare non possumus, ipso Numine à nobis *implementum Legis* durissimè *exigenti*, intereà dum ab eo in nostra *relinquimur infirmitate & impotentia.* Jubemur credere, quod *nolit mortem impii; sed ut convertatur impius à via sua, & vivat.* Et quidem patheticè ingeminans: *Convertimini, convertimini: impietas impii non nocebit ei.* Sed remanet semper ineluctabilis, in qua à *Deo relinquimur infirmitas*, & *impotentia*, qua impossibilis intelligitur nostris viribus conversio: neque solùm deest auxilium sufficiens, sed neque in nostra potestate est à Deo petere, sicut oportet.

Ad ipsam enim petitionem, subsidio gratiæ, qua, ut prosequuntur Judæi in Quesnelli sententia, penitùs caremus, indubiè opus est, ne justificationis & salutis initium ex nobis sit; quem errorem Fides Catholica detestatur. Omnem nobis deesse gratiam necessariam, ad conversionem discimus pariter ex Art. 28. juxta quem *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*: Unde si vel unicus Divini luminis radius resplendêret intellectui, & motio cœlestis vel tenuissima excitaret voluntatem, peccatum omne, nullo requisito à nobis ad pœnitendum conamine, depelleretur. Omne etiam pœnitentiæ studium, debet esse operatio ex *fide*, quæ per Art. 27. *Est prima gratia & fons omnium aliarum.* Per Art. autem 52. *Fides justificat quando operatur; sed non operatur, nisi per charitatem*: quæ necessariò ipsa prima gratia est; cùm hæc remissio peccatorum sit, neque sinè charitate ulla valeat ad justificationem præparatio.

10 Explica itaque nobis Propheta, quam à carentibus omni auxilio exigas conversionem, non aliter, quàm si volatum per aëra à destitutis alarum ministerio; quisquis enim non nisi mancipium per timorem est, sub lege esse noscitur, & juxta Monitum Quesnelli quintum *sinè gratia, sinè amore, sinè charitate.*

Et quidē longè plures Articuli sunt, quorum supposita veritas, hortationis tuæ inutilitatem perspicuè demonstrant: sunt illi quotquot nobis exibent robur insuperabile omnis gratiæ ex venturi Salvatoris meritis præparatæ; ut enim illic absque invictissimo gratiæ præsidio omnis humana industria, omne studium frustraneum est; ita si nulli gratiæ valeat homo resistere efficaciter, tuis minimè indiget monitis, ut consentiat; cùm omne supernaturale obtentum Salvatoris meritis auxilium, indissolubilem habeat cum effectu, ad quem conceditur, connexionem. Tales sunt Articulus 9. 10. & facile duodecim ex sequentibus, ut tomo 1. locis propriis ostensum est. Huc usque fuit inductio Judæorum juxta acatholicos Quesnelli sensus loquentium. Viderit itaque Collator, num, qui Constitutioni, & ejus defensoribus, imò plerisque Christiani orbis Episcopis affingit impudens *nugamenta, Observationem* ipse non protruserit nugacem, & Theologo prorsus indignam; Nam etsi ignorantibus primo aspectu videri potuit acuta; attamen maturiore eam expendentibus judicio, atque cum ipso conferentibus Articulo damnato, hebes censebitur, quæ veri erroris crimine dissimulato, cum somnii sui digladiatur phantasmate: Porro tanta adversariorum temeritas contra sapientissimum, simul atque æquissimum Apostolicæ Sedis judicium, meretur digressionis paululum acrioris scuticâ castigari.

DI-

DIGRESSIO

Parallelum inter Synagogam veterem, & novam Janseniſtarum Eccleſiam.

Pars I.

Sintne Janſeniſtæ filii per charitatem, & non mancipia magìs per timorem?

1 Contemptor idem temerarius eſt Synagogę veteris, qui præpoſterus Catholicæ reformator Eccleſiæ, & novę artifex. Urgendus porrò is eſt, ut univerſam ſuam, quaqumque extenditur, factionem circumſpiciat, atque certiora, ſi poteſt, inde proferat eximiæ erga Deum charitatis, & religioſę erga Legem ejus ſanctiſſimam reverentiæ exempla, quàm in prætenſis antiquæ legis *per timorem mancipiis* à me hactenus demonſtrata ſunt. *Heroes* ſuos Janſeniani magnificè prædicant, quos accenſere ſanctis, partim *confeſſoribus*, partim *Martyribus* non verentur. Ita ſeditioſa Gerberonii hiſtoria, cui titulus *Eccleſia Gallia afflicta*, pag. 136. *In hac* inquit, *perſecutione, ſub qua gemere cogitur Eccleſia Gallia, veritas & juſtitia habent non ſolùm Martyres viros; ſed etiam fœminas. Dans cette perſecution, qui fait gemir l' Egliſe de France, la verité & la juſtiee n'ont pas ſeulement des Martyrs: elles ont auſſi des Martyres*. Nobis autem in tota Janſeniſtarum multitudine, toto octoginta annorum ſpatio, ne unum quidem reperire licuit veri Confeſſoris, multò minus Martyris dignum nomine. De Janſenianæ Eccleſiæ perſecutione, lamento non minùs lugubri conqueritur Ægidius de Witte, latinè *Candidus*, in *Auguſtino Iprenſi vindicato, atque à damnatione Romanorum Pontificum Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. & Clementis XI. erepto, & eruto*. Inferiùs ponitur *Annus afflicta gratia* [Janſenianæ,] *LXX. Æra vulgaris MDCCXI.* Præmittitur hic Zachariæ gemitus cap. 1. v. 12. *Domine exercituum, uſqueqno tu non miſereberis Jeruſalem, & urbium Juda quibus iratus es? Iſte jam ſeptnageſimus annus eſt*. Sic ille Sectę inter Janſenianos vulgò *candida* princeps, quod de electi populi perſecutione Zacharias enuntiat, ſacrilegè applicat ſuæ hæreſeos, quaſi immeritò condemnatæ anathemati, & contumacibus ſuis ſectatoribus veluti infamiam, exilium, excommunicationem patientibus propter *juſtitiam ac veritatem*.

2 *Hæreticorum fraudibus* hanc parte 3. decimam nonam accenſuit Franciſcus Simonis ab annis quadraginta quatuor, in ipſo Titulo: *Obſtinare animum, & de pertinacia hæretica gloriari, ut de conſtantia Martyribus dignâ*. Præclarum & perelegans referamus exordium: „ Adeſte animis Hiſtoriarum ſanctarum Scriptores, quibus „ Acta Sanctorum Martyrum, atque Confeſſorum colligere, digerere, illuſtrare eſt „ curæ. Europam peragraſtis, bibliothecas viſuri maximè arcanas, nullum non „ moturi vetuſtum codicem, nę extaret uſpiam monumentum Chriſtianę conſtantiæ dignum faſtis Sanctorum, quod in „ veſtros Tomos non referretur, perennaturos ubique terrarum, cùm ſtabit Eccleſia. Sanctos à me accipite adhuc vobis „ incognitos, Ordine permagno, ſignatorum millia permulta; Sed Charactere „ beſtiæ, Sanctos omnes, & quidem Sanctos Martyres judicio ſuo; ſed hęreticos ad unum omnes.„

Quamvis autem nonniſi veteres hic author commemoret; nemo tamen utcumque peritus hiſtoriæ ſeculi ſuperioris, perlegens aureum iſtum *de fraudibus hæreticorum* tractatum, non conſpiciet in fraudibus ſingulis velut in ſpeculo fallacias Janſeniſtarum.

Odioſa quidem aliquibus videbitur; attamen veriſſima ubique comparatio eſt, quam, ſi qnis exemplis proſequi voluerit, non laborabit materiæ inopiâ, neque rem inutilem præſtabit Eccleſiæ, cui luctuoſum accidit, tot ſimplices fraudibus Janſeniſtarum circumventos, atque à ſuo avulſos infeliciter gremio perire.

Charitatem quidem, & pietatem præſeferunt aliqui recentis Schiſmatis propagatores; Sed quæcumque ea eſt ſeveritatis, modeſtiæ, Religionis affectatio, ſimilis videtur ei, quæ fuit olim Arnaldi Brixienſis Hæretici, cum quo luctandum fuit Doctori Mellifluo. De eo ita ſcribit Sanctus ad Rogerium Epiſcopum Epiſt. 195. *Adhuc forſan hæretis, & miramini, quemnam dicere velim? Arnaldum loquor de Brixia, qui utinam tam ſana eſſet doctrina, quàm diſtricta eſt vita: &, ſi vultis ſcire, homo eſt neque manducans, neque bibens; ſolo cum Diabolo jejunans, & ſitiens ſanguinem animorum: unus de numero illorum, qnos Apoſtolica vigilantia notat habentes formam pietatis; virtutem illius penitus abnegantes: & ipſe Dominus*, Ve-

Venient, *inquit*, *ad vos in vestimentis ovium*; *intrinsecùs autem sunt lupi rapaces*.

3 Mechliniensis Archiepiscopi Vicarius, nunc Illustrissimus Brugensium Antistes in præcellenti Opere *Causa Quesnelliana* Art. 10. §.3. ad appellatam perperàm à Gerberonio *Ecclesiam Franciæ* (Ludovici XIV. persecutionibus) *afflictam*, sapientissimè monet, vocari debuisse non Ecclesiam Franciæ, sed *Malignantium*; quia ut à majori parte desumenda denominatio est, constat non Regni Christianissimi populum; sed in aliqua ejus parte *malignantium* Congregationem, damnatis sæpiùs & hæreticis novitatibus patrocinari; nunc etiam aperto schismate, haberi omnibus execrandam.

In Calendario quidem Portûs Regii, authoritate regiâ nuper funditùs destructi, leguntur complures in novę Ecclesiæ relati Canonem, tum viri, tum fœminæ; de nullo tamen memoratum video, aut memini me audivisse hactenus, quod *profusione sanguinis*, sive novum, sive Catholicum defenderit Euangelium. Oratio quę pro inuocatione novorum illic Sanctorum præscribitur, confessionem solummodò indicat, non propriè martyrium. Quesnellus editę à se *Causa Arnaldina*, præmittit Magistri sui effigiem, cum hac nobili, si vera foret, epigraphe, *Antonius Arnaldus*, *Doctor in fide*, *& veritate*. Illic autem Arnaldus depingitur imponens manum *Sancto J. C. Euangelio*, additâ promissione juratâ ejus defendendi *usque ad effusionem sanguinis*, quæ solita Sorbonicorum formula est; Sed in Janseniſtarum nemine hactenùs probata opere: nec facilè successuris probanda temporibus, quamdiù professiones illic fidei habebuntur versatiles, ut nautæ Batavi ditionum omnium exerunt vexilla, prout ad deceptionem hostium necessitas, vel utilitas postulaverit.

4 Nota est Epistola secunda Antonii Arnaldi data 7. kal. Februarii 1660. ad Fratrem suum Henricum Andegavensem Episcopum, quam Quesnellus dignam censuit ut subdolæ suæ, & pseudonymæ *Defensioni Ecclesiæ Romanæ*, *ac Summorum Pontificum*, insereretur, pag. 487. & aliquot sequentibus. Circa medium Epistolæ narratur, *Magnam eruditorum partem*, *à quibus ejusmodi subscriptiones* (formulæ contra Jansenium) *extorta sunt*, *hoc animo*, *quod postulabatur*, *præstitisse*; *videlicet subscriptiones illas*, *quasi meras ceremonias spectando*, *quibus necesse non sit congruere interiorem mentis assensum*: *atque adeò hac persuasione imbuti*, *licèt quinque Propositiones in Jansenio extare non credant*; *tamen id subscriptione suâ confirmare nihil verentur*. Quod ne in dubium quis revocare valeat, addit, *non ignoras*, *Præsul Illustrissime*, *res à me totâ Galliâ pervulgatas narrari*.

5 Quam quidem suorum callidè Jansenizantium *eruditorum*, & simul Deum stolidè fallere volentium perfidiam Arnaldus approbare noluit; Verùm Quesnellus eam, aut similem novæ hæreseos progressibus necessariam conspicatus, novam comminiscitur priore nequiorem, utpote quæ mendacio addidit perjurium, malitiamque dolosiore intextam vafritie. Sed neque hanc approbare potuit du Vaucelius Gallus, fictitio Wallonii nomine Romæ aliàs latens, totiusque novæ Ecclesiæ partes agens dexterrimè, donec detectis ex Belgio fraudibus, fugâ sibi consulere, atque in Hollandiam se recipere coactus est.

Is suorum nemini cedens acumine ingenii; Quesnellum autem plurimùm superans candore, non dissimulavit, Christianæ dissonam simplicitati esse artem istiusmodi, ejurandi quinque dogmata in sensu, qui à Jansenio intenditur, & tamen ejusdem sensum mente retinendi, velut innoxium, Catholicum, & prorsus Augustinianum. Hac arte quidem, inquit, eluditur formula Alexandri VII., illuditur Episcopis, juramentum juxta illam simplex postulantibus: arguuntur ignorantiæ, imò erroris Arnaldus, & quatuor Antistites, qui tale sibi juramentum rati esse illicitum gravibus se exposuêre molestiis, eligentes potiùs Arnaldus exilium, Antistites suspensionis periculum, quin etiam privationis; Sed &, quod pejus est, simulatio similis potuisset omnem fallere tyrannorum vigilantiam, & Christianos quoslibet eripere suppliciis, atque ita nullos oportuisset esse in Ecclesia Martyres.

Cur enim non & ipsi, ut *Eruditi* præsentis temporis Jansenistę, restrictionis istiusmodi præsidio, externam præbere tyrannis obedientiam non potuissent, adolere thus idolo, & qualemcumque profiteri vocibus, aliisque signis exterioribus impietatem? Externam scilicet idololatriam, & Professionem quamlibet infidelitatis, *quasi meras ceremonias spectassent*, *quibus necesse non sit congruere interiorem mentis assensum*: *atque adeò hac persuasione imbuti*, *licèt* quod exteriùs profiterentur, *non crederent*, *tamen id subscriptione sua*, & quolibet altero signo extrinseco [ut Jansenistæ] *confirmare nihil vererentur*,

No-

Notam aliàs indicavi in celebri quadam Belgii Catholici civitate sectam Judæorum execrabilem, quæ Religionem constituens in solo ferè intrinseco, Christianos ritus omnes, etiam Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ sacrilegè usurpat, Liberos ad Scholas mittit Catholicas, jubet nomen dare sacris Angelorum & Deiparæ congregationibus, seu sodalitiis: atque in his prælucere consodalibus exemplo modestiæ, & munificentiæ in ornandis altaribus, ac statuis Sanctorum, quam proinde nisi ex arcta cum Judæis Batavis nihil dissimulantibus necessitudine, non facilè discreveris à Christianis. In solo mortis articulo à sacris nostris abstinet: & ad fallendos tum Ecclesiasticos, tum Laicos Magistratus, cura familiaribus est celandi morbum, donec æger expiraverit. Tunc accersitur Parochus ut accelerет cum viatico, & Oleo Sancto; ægrum enim catarrho obrui, & jam è vivis forsitan excessisse.

Artemne dissimulandi hi acceperint ab Augustini Batavi Discipulis, an posteriores à prioribus, aut secta uttaque suo illam excogitaverit ingenio, parum interest: neque multum decora novæ Ecclesiæ est illa cum Judæorum perfidissimis convenientia. Sed nihil ne ea fallacia servile continet? Satisne digna est DEI filiis, charitatis perpetuæ præconibus, atque exactoribus adeò tigidis?

6 Quesnellus effracto per suos Archiepiscopi Bruxellis palatio, judicium effugit, & debitas tot criminibus pœnas; Brigodæus autem socius ejus domesticus, cum elabi non posset, pœnitentiam vaferrimè simulavit, & quamcumque præscriptam fidei professionem, cum impositâ pœna amplexus, mox ut è carcere dimissus ad suos rediit, priorem perfidiam deteriore auxit pertinaciâ.

Ipse Gabriel Gerberon vix carceri eidem mancipatus fuerat, quin libello supplice, sed fraudibus pleno, se ultrò obtulerit non solùm ad fidei Professionem anti-Jansenianam; sed etiam ad conscribendas atque edendas publicè lucubrationes pro suprema, & falli nescia Romanorum Pontificum, etiam, ut ajebat, in definiendis Facti quæstionibus authoritate. Cùm verò hanc sibi fallaciam conspiceret non successisse, paulò post ad judicium deductus, rogatusque de infamibus contra Bullas Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. scriptionibus, ut & de ejusdem Urbani, ac recentioribus Innocentii X., atque Alexandri VII. contra Jansenium Constitutionibus impudentissimè oppugnatis, respondit, quidquid istud scriptionis fuerit, solidis nixum rationibus prodiisse. A Mechliniensi Archiepiscopo traditus Regi Galliæ securiùs custodiendus, cùm alia elabendi spes non suppeteret, nisi mendacio, & hypocrisi, conversionem finxit, ejuratâ Jansenii hæresi, juxta formulam Alexandri VII. neque ullo penitùs prætermisso resipiscentiæ indicio: Unde ad suum tandem Monasterium remissus est octogenarius. Post obitum verò relicto perfidiæ suæ scripto, ut ad Pontificem mitteretur, iniquitatis mysterium revelavit. Ita quidem cum ab humano judicio nihil sibi duceret amplius metuendum, quo spiritu, cùm viveret, operatus fuerit, moriens ostendit.

Nonne de talibus Jansenistarum ducibus atque institutoribus dici potiùs oportuit, quàm de *Moyse, Prophetis, Sacerdotibus, ac Doctoribus, mori illos absque eo quod ullum Deo dederint filium; cùm non effecerint, nisi mancipia per timorem*, & fallacias servili formidine deteriores?

7 De Sancyrano Jansenii Magistro juridicum habetur, & confirmatum Sacramento testimonium viri Religiosissimi Joannis de Jovaud Cisterciensis Abbatis, & Secretarii Generalis, datum Anno 1638. 17. Junii, in quo post horrida complura novitatis dogmata, ait Sancyranum in omnibus congressibus vehementer commendasse, ut sententias à se propositas nemini proderet, allegans illud ex sacris paginis, *Occultè propter metum Judæorum. Quocirca referebat* (Sancyranus) *historiam inter se, & alium Ecclesiasticum peractam. Verebar, inquit, ne, quæ ipsi communicaveram principia, denuntiaret Episcopo Pictaviensi, aut alteri: quod ut impedirem, statim hominem rogavi, ut confessionem meam sacramentaliter exciperet. Ille primùm hæsit attonitus ex tam subita & inexpectata postulatione; aures autem confitenti mox præbuit. Confitebar autem deliquisse me, talia ei dogmata inculcando, rogabamque, ut ab hoc delicto me absolveret. Sic hominem ad arcanum obstringebam, quod alias servare non potuisset. Hac Sancyranus narrans adeò effundebatur in risum, ut nunquam eum tanta effusione ridentem conspexerim. Neque risum continebat Dominus Barcos ejus nepos.*

8 Quid hic primùm mirabimur in novæ sectæ principe & prætenso Ecclesiæ Reformatore? Fidemne pessimam in novitatibus inculcandis subdolè, nec minùs fallaciter retractandis? An abusum Sacramenti sacrilegum? An denique in narrando suo cti-

crimine levitatem atque impudentiam? Quàm piè is nepotem suum Barcos, quàm religiosè Jansenium, Arnaldum, & reliquos instituerit discipulos, ex tam illustri specimine apparet non difficilis conjectura: certè minùs temeraria est suspicio de ipso, quàm de *Moyse Prophetis*, & aliis Sanctis *Sacerdotibus, ac Doctoribus*, quod *mortuus sit absque eo quod ullum dederit Deo filium, cùm non effecerit, nisi mancipia per timorem*.

Talis aliquando institutio se prodidit in Jansenio, quando nefandi operis editionem, tam arcano consilio meditatus est, ut sicut ex ejus ad Sancyranum Litteris cognovimus, maximè auxia ejus cura fuerit, ne quidpiam de hoc Romæ innotesceret, antequàm publica fuerit voluminis divulgatio. In hunc finem typos sibi ex Hollandia accersiverat, ut intrà domesticos suos parietes, clam omnibus negotium perageretur; sed Jansenio morte prævento, qui Testamenti tabulis conscripti fuere operis executores, Lovaniensem Typographum, & ejus Famulos juramento ad silentium obstrinxere. In ipsa fronte rudis codicis, in quem Jansenius materiem ante compositionem congesserat, metus se prodidit non divinus, & machinationis minimè rectæ conscientia. Ibi testatur illicò scopum suum esse damnatorum in Bajo dogmatum resuscitationem: *Ad excusandas ἀτιμίαν Rab. M.* Propositiones scilicet Magistri Michaëlis. Paulò post in margine legitur, *impedimentum doctrinæ veteris introducendæ*. Tum in corpore manuscripti: *Non sine arte Satanæ procuratum fuisse videtur obstaculum condemnationis M. B.* (Michaëlis Baji,) *ut qui doctrinam illam gratiæ novitiam destrueret vellet, & veterem introducere, contra Sedem Apostolicam luctari in speciem videatur. Nihil enim invidiosius clamabitur, quàm illam Sedem dedecorari* defensione dogmatum ab ipsa anathemate confixorum.

9 Quod refero Jansenii scriptum, ipsius exaratum manu præ oculis habui, antequàm Sedi Apostolicæ traderetur. Submisit quidem se Pontifici Jansenius tum morti proximus, tum sæpiùs in vita; unde ejus animæ spero Deum fuisse propitium; attamen vereor, ut illius consilium, viginti annorum spatio, quos famoso impendit operi, sinistra penitùs fuerit intentione vacuum. Ipsum certè opus & tenebrarum fuit, ejusque editio plena metu fundatissimo, utpotè, quod Urbani VIII. testimonio Constitutione In EMINENTI, *compertum fuit, multas ex Propositionibus olim damnatis*, (à Pio V. & Gregorio XIII.) *continere & magno cum Catholicorum scandalo, & authoritatis dictæ Sedis contemptu contra præfatas damnationes & prohibitiones defendere ... malè in scandalum totius Reipublicæ Christianæ & Fidei Catholicæ perniciem vertenti*.

Quapropter etiam de novaturiente hoc paucorum mensium Episcopo, minor apparuisset temeritas suspicari, quàm asserere de *Moyse* & universo *Prophetarum, Sacerdotum, Doctorumque Legis* agmine, *mortuum esse absque eo quod ullum Deo dederit filium; cùm non effecerit nisi mancipia per timorem*, & alios forsitan affectus turpi formidine haud meliores. Talem spiritum Sancyranus & Jansenius, conscientiæ non securissimæ judicem timorem, scilicet terrenum, & pœnarum solummodo humanarum, qui furibus quoque in peccandi proposito manentibus potest esse communis, ad suos videri potuerunt transmisisse discipulos, Arnaldum in primis atque Quesnellum.

Ab his namque tota quodammodo vita, qua Sancyrani se, & Jansenii novitatibus addixere, in timore hominum continuò transacta est. Ab anno potissimùm 1644. malè olere cœperat Arnaldi doctrina, maximè post editam pro Jansenii erroribus Apologiam molis non exiguæ, quam mox altera similis magnitudinis, & non inferioris malitiæ secura est: utraque quidem Anonyma: sed author indicio non uno & famâ publicâ detectus, latère diù non potuit, pudendo fœtu genitorem ubique per Galliam, & finitimas regiones sonoris nimiùm vocibus inclamante. Utraque Apologia Romam ad Sedis Apostolicæ tribunal delata sententiam subiit condemnationis anno 1654. die 23. Aprilis, quo Decreto etiam prostrata cernitur *Theologia familiaris Joannis Vergerii Abbatis Sancyrani*. Anno dein sequente ad judicium Sorbonæ vocata est *Secunda Arnaldi Epistola ad Ducem & Parem Franciæ*.

10 Hinc eum gravior metus incessit, ne censurâ hæreseos feriretur, quam evadere opus ejus non potuit. Solemnis contra eam lata est sententia in generalibus Sorbonæ Comitiis anno 1656. die Januarii ultimo post diligens duorum mensium examen, & varias ab Arnaldo interpositas suæ Epistolæ vindicias: quæ cum eadem etiam ab Alexandro VII. die 6. Septembris anni 1657. proscriptæ sunt. Ab eo tempore cum censuris undique acceptis, cum hæreseos infamia, dein & cum metu justissimi carceris lucta ipsi perpetua fuit. Paratam sibi Parisiis Bastillam noverat, cùm adhuc in ea degeret Metropoli, si latibulum suum detegi

detegi contigiffet. Ita teftatus ipfe eft adamicos fcribens anno 1690. die 20. Aprilis, poft quam Parifiis in Belgium cum Quefnello,& aliis profugus fedem clanculùm fixerat Bruxellis, donec à Gubernatore detectus, & juffus Belgio Hifpanico excedere fe in Hollandiam recepit: fed & illic nimius Gallorum hofpitum numerus metum incuffit benevolis alioquin receptoribus. Quapropter non nifi menfium aliquot moras trahere illic licuit.

11 Unde hæc errantium turba,aliud fibi fupereffe non cenfuit, nifi vel cum qualicunque carceris periculo in Belgium Hifpanorum regredi, & Gubernatore infcio latêre, vel afylum in agro Leodienfi quærere. Pofterius amicis initio tutius vifum fuit: fed neque illic diu celari novi hofpites potuerunt, concurrentibus undique ad fuum Oraculum Janfeniftis. Princeps itaque accepto perniciofornm hofpitum indicio, inquiri in eos fedulò juffit ut comprehenderet. Mutandum proinde iterum exilium fuit, & Belgium Hifpanicum qualicunque periculo repetendum. Illic commendatitiis cujufdam Principis extranei ad Gubernatorem Literis, atque hujus conniventiâ, Erronibus delitefcere minore difcrimine licuit, donec Humberti à Precipiano novi Mechlinienfium Archiepifcopi pro Fide Catholica & contra Janfeniftas ardentiffimi adventus, periculum revexit gravius, totamque turbavit malignantium Ecclefiam, ut difcimus ex eorum Literis relatis in proceffu juridicio, five caufa Quefnelliana, Art. 1. pag. 16. 17. 18. 19. & 20.

Simul atque fcilicet Antiftitis iftius à Brugenfium Sede ad Archiepifcopalem Mechlinienfium futura tranflatio novis Auguftini difcipulis innotuerat, unus inter illos non infimæ notæ, utpote librorum modeftè Janfenizantium Approbator Mechliniæ ordinarius, de funefto fuis nuntio certiorem reddebat cognatum fuum literis datis 27. Maji 1690. ita concludens Gallicè. *Voici bien des prefages de ce que l'on doit attendre pour les pauvres Janfeniftes; cependant on efpere que Dieu n'abandonnera pas la caufe des Defenfeurs de fa Verité.* En, inquit, *quot præfagia de iis, quæ miferis imminent Janfeniftis! Attamen fperamus fore, ut Deus Veritatis fuæ Defenfores non deferat.*

12 Quamvis autem Quefnellus, ficut ad amicum fcripferat, *à folito hominum commercio fegregatus locum incoleret vix paucis amicis notum, paucioribus pervium*, & Arnaldus 20. Augufti anno 1690. *fumus in domuncula, è qua prorfus non eximus, & ubi nemo nos audet invifere, præter duos Ecclefiafticos, qui eam antea foliti erant frequentare.* Tota nihilominus pro utroque maximè folicita erat Ecclefia nova, cujus generalis Agens Walonius ita ad Quefnellum ex Urbe fcribebat 7. Aprilis 1691. *Dominus Davi* (Arnaldus) *& ejus Socius* (Quefnellus) *quantamcunque fe occultandi curam habeant, nihil ex ea folicitudine prudenter poffunt remittere: ita exigit præfens rerum conditio,ut amicorum Batavorum Literis moneor.* Idem anno 1701. 19. Novembris ad eundem: *Pergo anxius effe pro Patre Priore* (Quefnello.) *Innotuit ejus hofpitium Domino Areade* (Mechlinienfi Archiepifcopo,) *& Rouleriis* [Patribus Societatis.] *Quantumvis autem fe claufum teneat, occultetque; non eft tamen ibi à talibus ereditoribus fecurus.*

13 Denique Arnaldus quidem in latibulo Bruxellenfi mortuus eft: ubi fepultus, ignoratur: aliàs in Cœmeterio Fidelium non tolerandus. Aliquot poft annos Quefnellus juffu Regis & Archiepifcopi è latebris erutus, & carceri mancipatus; fed ex illo fuorum operâ effracto, ut aliàs monui, profugus, cùm in terris catholicis pedem amplius figere non poffet, amicos repetiit Batavos, atque illic libertate fruitur hæreticâ, contra Sedem Apoftolicam, eique adhærentem Ecclefiam, quantum libuerit infaniendi.

Sors eft eadem Ægidii Candidi, inter Janfeniftas vulgò *Candidos* Principis, qui ne Mechlinienfi Archiepifcopo graviores pro novitatibus, audaciâ, rebellione pœnas daret, Ecclefiæ collegiatæ Decanatum cum Paftoratu deferens, neque Gandavi toleratus ab Epifcopo, licèt inde oriundus Auerghermium pagum Aldenardâ non procul diffitum, fe recepit; fed & poftquam Gubernator Aldenardenfis immiffâ militum turma, Janfeniftarum conventiculum diffipaffet; tandem in Hollandiam afylum Janfeniftarum ordinarium fe recipere coactus eft.

Illic ante Quefnelli ad Concilium contra Bullam *Unigenitus* appellationem, ipfe contra Conftitutionem *Vineam Domini Sabaoth* fynodum convocavit, pro fua authoritate œcumenicam, typis editâ ad omnes Chriftiani Orbis Antiftites Epiftolâ.

14 Quid cenfebimus de quibufdam Sorbonicis, qui quidem Janfenianis partibus faventes, tamen, ne à gradu impedirentur academico, juravere formulâ ab Alexandro VII. contra Janfenii hærefim præfcriptâ:fubfcripfere etiam cenfuræ hærefeos &

& alteri schismatis contra Propositiones Arnaldi geminas ex secunda ejus ad Parem Franciæ Epistolâ excerptas. Iterum dum suscipiendi fuere sacri ordines, Alexandrinam formulam Sacramento prævio confirmarunt. Iidem post famoso CASUI CONSCIENTIÆ Jansenianam hæresim resuscitanti calculum adjecerant, quem mox Regiæ indignationis, & pœnæ gravioris formidine revocantes condemnavere. Dein iterato & in perpetuum valituro anathemate, Jansenismum in secunda Arnaldi Epistola solemnibus Comitiis prostraverunt: recepta ab ipsis solemniter fuit Constitutio *Unigenitus*, quam Rege mortuo, veluti soluto fræno, metuque liberi hodie rejiciunt. Ne verò censuris Ecclesiasticis videantur obnoxii, provocant ad Concilium toto fortè seculo non indicendum.

Quales igitur Ipsi Discipulos, & quali imbutos spiritu dare nuperrimè cœperint regno Christianissimo, quales Deo? Num filios per charitatem, an *mancipia per timorem*, cumque minimè Divinum; sed humanum; si non etiam mundanum & utroque forsitan deteriorem? Filiosne Deo dabunt, an vilissima timoris & superbiæ mancipia, qui Bullam *Unigenitus*, quam cane pejus & angue oderunt, ne beneficio excludantur Ecclesiastico pingui, & fortè superioris ordinis, admittere se simulant, obedientiam mentiuntur? Qualis Monachorum institutio à tali Abbate expectanda est, qui ipsâ solemnis Benedictionis horâ, Constitutioni cum gravi scandalo obstiterat; ne tamen Benedictio negaretur, illam se admittere chirographo testatus est. Neo-Episcopum adeò famæ suæ, & conscientiæ prodigum nullum novi. Qualibus alioquin Antistes istiusmodi esset gignendis idoneus, liberisne per amorem, an per metum mancipiis? Si ab his novæ Ecclesiæ capitibus progredi ad inferioris ordinis Magistros & Discipulos animus esset, narrationem vix tomus integer caperet. Adducta specimina sufficiant, ut minùs temeraria iterum censeretur de istiusmodi Novatoribus suspicio, quàm eorumdem contra Moysen, Prophetas, Sacerdotes, & cæteros Legis veteris Doctores assertio, mortuos esse absque eo quod ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint nisi mancipia per timorem. Et quidem timor à Moyse & Prophetis incuti solitus, erat timor salutaris, utpotè Dei vindicis: timor de quo Augustinus monet Lib. de gratia & libero arbitrio cap. 18. *Cavere debemus ne nos arbitremur non accepisse spiritum timoris Dei, quod sine dubio magnum est donum Dei ... non quo timore Petrus Christum negavit; sed illius timoris spiritum accepimus, de quo dicit ipse Dominus Christus*.

15 Non diù post occupatas aliquot ex præcipuis Belgii Civitatibus à Ludovico XIV. gloriosæ memoriæ, Diœcesi N. obtigit Episcopus nationis Gallicæ à Jansenio & damnatis ex eo hæresibus, ut profitebatur, alienus; In novitates tamen aliquas (ob quas ejus Epistola Romæ confixa est,) & Jansenistarum rigorem exoticum propensior. Is, ut indoles fert hominum, amare sibi similes, quos noverat rigori deditos ad munia adhibebat non vulgaria, atque in partem sollicitudinis vocabat præcipuam. Ex his duo famosissimi mihi noti fuerunt: unus in Diœcesi mea Archipresbyter & Ecclesiastes eloquens contra benignas de moribus opiniones vehementer invehi solitus, & plusquàm Catonicam affectans in publico gravitatem; cum sexu tamen sequiore clàm familiarior, quàm à me deceat explicari. De hoc famâ nimiùm percrebrescente, Parochiam & Diœcesim deserere coactus, alibi à memorato superiùs patrono susceptus avidè, & Parochiæ amplissimæ præfectus est.

16 Illic statim ex Antistitis genio, totâ eloquentiæ vi rigorem in concionibus venditare; sed mollitiem in conversationibus cum sexu prosequens blandiore. Unde obortâ etiam illic infamiâ, in Diœcesim tertiam, eamque remotiorem sibi censuit commigrandum. Ibi benevolè eum amplexa est Presbyterorum congregatio, quæ à Jansenii fautoribus ex Gallia in Belgium vocata, novitatis spiritum illuc contulerat; & licèt successu temporis subintraverint aliqui doctrinæ veteris tenaces, communiùs tamen prævaluit factio Novatorum; cui non leve subsidium allatura videbatur tanti accessio Candidati. Verùm is tirocinii tempore nondùm expleto, clam abiit insalutato hospite, relictâ solùm schedulâ, quâ se *agi spiritu in desertum*, fidem faceret Superiori.

Neque de eo quidpiam annis pluribus rescitum est in Belgio, quò se gentium recepisset; donec præcepta fuit Duacensi, ut cæteris ditionis Gallicæ Academiis, defensio Propositionum quatuor contra Sedis Apostolicæ authoritatem: atque omnibus Theologiæ Doctoribus, hoc onus Duaci detrectantibus, ipse, nescio ubi Doctoris laureâ donatus, ex Gallia Belgium repetere non erubuit, atque odiosam avidè suscipiens conditionem, omnibus mox dignitatibus cumulatus est.

17 Hinc

17 Hinc tanto securiùs hæresim palàm tradere Jansenianam cœpit, donec ab ipsis Sorbonicis, atque ab Atrebatensi suo Episcopo convictus, & condemnatus, à Regiis desertus Ministris, atque à Christianissimo privatus fuit Cathedrâ, & excedere Duaco jussus.

Cùm verò in exilio non admodum remoto, hæresim fovere atque defendere obstinatiùs pergeret, commercio literarum cum suis, quos Duaci corruperat, detecto, ab ipso sibi aliàs propitio Antistite, Epistolâ typis editâ graviter increpitus est, ac Mandato Regio exilium prius cum longinquiore commutavit. Denique etiam ibi, ut typis proditum est, fræni impatiens, novâque spurcitiei contractâ infamiâ, Castro, veluti carceri, inclusus est Lugdunensi, ubi vitam mirabilem & turbulentissimam, salubri utinam clauserit pœnitentiâ!

Alius, cujus meminisse cœperam, è Galliâ in Belgium advectus, ut Vicariam Episcopo præstaret operam, totius mox sibi præfixit Ecclesiæ reformationem: deformationem dixerint alii. Strepitûs excitavit plurimum novitatibus, & rigore Belgis non facilè tolerando. Contemptis ipse populi querimoniis, reformationis prosequens institutum, videbatur sibi sanctitatis minimè vulgaris, & castitatis propemodum Angelicæ famam promittere. Quot igitur non crederes eum dedisse Deo filios per charitatem? An vero ipse vitæ suæ sacrilegæ nimiùm conscius, veritusque perpetuò ne crimina erumperent, non fuerit mancipium per timorem, alii statuant. Constat ejus tandem flagitia toto propalata ac fœtentia Belgio, punita graviter fuisse à Rege Christianissimo, qui missis è Gallia mandatis comprehendi eum, & Parisios advehi curavit publico illic carceri mancipandum.

Quam quidem novi Apostoli sui sortem nova cum Walonio multum luxit Ecclesia, ut ex istius ad Quesnellum literis colligitur; sed reum nullus defendere potuit vel tentavit.

18 Alii addunt, quòd licèt in hoc Archireformatore non apparuerit vera charitas Christiana; non tamen prorsus defuerit Turcica: quando scilicet, Turcis ad Viennam Austriæ cæsis, ingemuit, atque intellectis tot præterea circumstantiis aggravantibus, inter quas prima erat Viennæ, solutâ obsidione, liberatio, cum pluribus mox inde secutis effectibus, Orhomanicæ funestis tyrannidi, ad singulos respondisse fertur *Tanto pejus!* Quæ responsio Gallicis versibus in compitis tunc decantata atque à me audita frequentiùs, istud etiamnum reliquit impressum memoriæ vestigium clausulæ ad singulos repetitæ identidem articulos: *Tant pis dit .... tant pis. Eò pejus ait NN. eò pejus!*

19 Tales efficit novum Euangelium Apostolos: talibus nova Ecclesia per Belgium propaganda institutoribus ac reformatoribus fuit. Verùm ut ad Quesnellum accedamus propiùs, aliquid de sacra ejus familia addendum est.

P. Thorentier congregationis Oratorii in Gallia Assistens generalis, meritò conqueritur de Jansenistarum inter suos audaciâ, qui in Epistola dedicatoria Thesium Andegavensi Episcopo oblatarum, *Non alio,* [inquiunt] *quàm Andilii & Arnaldi doctrina lacte enutriri filios passus est Generalis noster Præpositus.* Thorentierii literæ datæ fuerunt 25. Junii 1691. ad Patrem Picqueri Montensis Oratorii Superiorem, quem utì & cæteros istius Collegii Presbyteros, lugente meritò & exprobrante Thorentierio, Quesnellus præoccupaverat, in sua contra Ecclesiam rebellione, & novitatibus obfirmans.

Generalis autem *Præpositus* qui *non alio*, quàm *Andilii* (qui Arnaldi Frater fuit) *& ipsius Arnaldi doctrina lacte enutriri filios passus est*, ni fallar is fuerit de cujus exilio Quesnellus contra Regem Galliæ, veluti de persecutione iniquissima conqueritur. Verùm suppositâ Thesium veritate duo fiunt omnibus compertissima, scilicet Generalis istius Præpositi exilium à Rege Christianissimo, non nisi summâ æquitate & sapientiâ, imò & clementiâ decretum fuisse; cùm talis inducta in ordinem corruptio videretur aliquantò graviùs, quàm exilii supplicium promereri. Ut enim Thorentierius observat *Congregatio Oratorii universa mirata fuit hac se declaratione Thesium redditam penitùs Jansenianam.*

Conclusio quoque ista P. Assistentis apparet non illegitima. Quomodo enim Janseniana non esset *Arnaldino lacte & non alio enutrita* Congregatio?

20 Notissima est utraque Arnaldi Apologia pro Janseniano opere, etiam post Urbani VIII. anathema. Apologiâ primâ pag. 92. *Deus Jansenio destinaverat materiam de Christi gratiâ clariùs dilucidandam, quemadmodum Templi ædificationem reservaverat Salomoni.* His & similibus Arnaldi ejusque signa sequentium, lucubrationibus effectum fuerit, ut si verum asserit Quesnellus, Notis in Epistolam Steyaertii pag. 18. de sensu Jansenii, *jam demum credere cæpe-rit*

rit orbis Catholicus, *nihil in ipso non esse catholicum*. Tantum scilicet progressum, talibus promotoribus, si ipsis credimus, in *Orbe catholico* fecerit Jansenismus, ut quidquid uspiam catholicorum fuerat, desertâ Romanâ Ecclesiâ, confertis agminibus convolaverit ad Jansenianam. Is fructus educationis est, primùm in iis *Generalis Præpositi filiis*, quos *non alio doctrina lacte enutriri passus est, quàm Andilii, & Arnaldi*: deinde & in cæteris, in quos per istiusmodi canales lac pestiferum defluxit.

Sed melioresne ii filii sunt, quàm quos, *Moyses & Propheta*, divinorum lacte mandatorum *Deo dederint enutritos*, quos veluti indignos nomine filiorum, *non nisi mancipia per timorem* esse, jubet Quesnelli temeritas? In nemine scilicet progenitorum à Prophetis, in nullo familiarium ac discipulorum, charitatem agnosci nova secta patitur. Verùm patiturne saltem in suis hoc tempore adversariis Christianis, Romano Pontifice eique obediente Ecclesia? Omnem eis abjudicat pietatis sensum, & veram Fidem, sinè qua juxta Apostolum impossibile est placere Deo, & juxta Quesnellum ne minima quidem est gratia; nam per art. 26. *Nulla dantur gratia nisi per fidem*. Art. 27. *Fides est prima gratia & fons omnium aliarum*: ut itaque fides, ita & charitas in sola est novaturientium Ecclesia, ita nullum penès nos Dei filium reperire est; sed in iis solummodo, quibus *non alio* obtigit *enutriri lacte, quàm Andilii & Arnaldi*, & in quos educatio similis, disciplinæ & dogmatum participatione pertransiit.

21 Sanctioresne Deo filios, quàm *Moyses & Propheta Deo dederit*, in Quesnelli Congregatione tyronibus in Belgio Præfectus, sive ut vulgò dicitur, Magister Novitiorum, inter suos celebris titulo *Masculi valde zelosi pro sancto Cornelio* Jansenio, adeò ut libellos Quesnellianis novitatibus, etiam hæresi manifestè scatentes, tyronibus passim divenderet, neque à disseminandis exitialibus istiusmodi zizaniis comprimi posset, etiam à Superiore sæpius monitus, donec ab Archiepiscopo Mechliniensi in carcerem conjectus, debitas audaciæ pœnas, etsi meritis inferiores dedit? Videri hæc possunt in processu contra eum juridico, atque Archiepiscopali sententiâ typis editâ, insertâque Causæ Quesnellianæ pag. 135, 136, 137, 151, 266.

Nonne talis magister *Zelosus* adeò *masculus pro sancto Cornelio* Batavo, cujus æquè ac *Andilii & Arnaldi lacte*, & *non alio enutriri filios* voluisset, præclarè comparatus videbatur instituendis tyronibus ad officia pietatis? Ea charitas Janseniana est, quam ignotavere *Moyses & Propheta*, cujus defectu eos oportuitè vita discedere, *absque eo, quod ullum Deo dederint filium*: Sed neque istiusmodi charitas Prophetis sanctissimis revelata est, mirificis novæ, & anti-Romanæ Ecclesiæ servata fundatoribus. Quæ adversariis hic objicio crimina publica, & partim à secularis, partim ab Ecclesiastici fori punita Principibus, præterquàm quod digressioni congruæ, atque ad reprimendam novaturientium proterviam opportunæ, necessaria videantur, refellendæ simul serviunt calumniæ, ab illis in omnes sinè discrimine Principes jactatæ, Articulo 96. *DEUS permittit, ut omnes potestates sint contraria prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratia*. Quæ petulantium nimis ingeniorum temeritas, loco proprio pro meritis castiganda est.

PARS II.

An Quesnellus, & ejus Secta in Hollandia Deo filios dederit per Charitatem.

1 Quamvis à Jansenii tempore in Hollandiæ Clero apparuerint aliqui faventes Novitatibus; ea tamen humani intellectûs infirmitas facilè condonari poterat, quamdiù à voluntate abfuit pertinacia: Ita scilicet comparati hactenus videbantur omnes illic vineam Domini excolentes, ut quidquid oriretur dissidii, ad Romanam Curiam referretur, atque inde promanantia responsa, vix aliter, quàm supremi oracula Numinis exciperentur. Talibus insistens Majorum vestigiis Joannes Neercassellius Castoriensis Episcopus, in Batavorum Provinciis Vicarius Apostolicus, erga Arnaldum, & Quesnellum non satis providè benevolus, accepto Innocentii XI. contra Propositiones 65. saluberrimo Decreto, hanc ad suos dedit dignam Catholico Antistite Epistolam Anno 1679. 8. Aprilis, „ Salvator „ & Magister noster Jesus Christus ... apeu„ ruit os sui in terris Vicarii Sanctissimi D. „ N. Innocentii XI, ut sexaginta quinque „ Propositiones tanquam scandalosas, & „ in praxi perniciosas condemnaret, & „ sub excommunicationis pœnâ præcipe„ ret, ne quis illas vel in libris, vel in The„ sibus, vel in Sermone ad alium finem au„ de-

„ deret allegare, quàm ad eas impugnan-
„ dum, atque illarum perniciem fidelibus
„ exponendum.

„ Peccarem Reverendi viri, & Fratres
„ Chariſſimi, in illam devotionem, quâ
„ Chriſti Vicarium veneramini, ſi vos ar-
„ bitrarer monendos, ut ejus definitioni
„ veſtros ſenſus ſubjiceretis. Creditis,
„ cum Irenæo lib. 3. cap. 3. *eis, qui ſunt un-*
„ *dique fideles, neceſſe eſſe ad Romanam Ec-*
„ *cleſiam, propter potentiorem ejus*, ſive in
„ profligandis erroribus, ſive in aſſerenda
„ veritate *principalitatem*, religioſè *conve-*
„ *nire*. Vos *nullum primum, niſi Chriſtum*,
„ cum Hieronymo Epiſt. 57. ad Damaſum
„ *ſequentes*, Beatiſſimo Patri Noſtro Inno-
„ centio XI. *id eſt Cathedræ Petri* commu-
„ nione fidei ac doctrinæ *conſociamini*, *ſci-*
„ *entes ſuper illam Petram ædificatam Ec-*
„ *cleſiam*, *eoſque omnes*, *qui extra hanc do-*
„ *mum agnum comederint*, *eſſe profanos*.

„ Vos nullis privatis Scriptoribus, &
„ Opinatoribus adhærentes, pro reveren-
„ tiâ Apoſtolicæ Sedis, ad quam teſte Cy-
„ priano Epiſt. 55. *Perfidia non poteſt ha-*
„ *bere acceſſum*, cum eodem Hieronymo
„ Epiſt. cit. neſcitis Vitalem, Meletium re-
„ ſpuitis, ignoratis Paulinum, perſuaſi cun-
„ ctos *ſpargere*, *qui cum Romano Pontifice*
„ *non colligunt*: *hoc eſt*, *qui Chriſti non ſunt*,
„ *eſſe Antichriſti*. Sicuti enim in rebus con-
„ troverſis *ad Romanorum fidem Apoſtolico*
„ *ore laudatam*, pro antiquo more recur-
„ ritis, inde cum Epiſcopis Terraconenſi-
„ bus *reſponſa* prudentiſſimè *quærentes*, *un-*
„ *de nihil errore*, *nihil præſumptione*; *Sed*
„ *Pontificali totum deliberatione præcipitur*:
„ Ita etiam cum Epiſcopis Dardaniæ *Apo-*
„ *ſtolicæ & ſingulari Sedi*, *communi fide &*
„ *devotione parere contenditis*.

„ Demum conſentitis S. Bernardo ad
„ Romanum Pontificem Innocentium epiſt.
„ 190. his verbis: *Oportet ad veſtrum re-*
„ *ferri Apoſtolatum pericula quæque & ſcan-*
„ *dala emergentia in regno Dei*; *ea præſer-*
„ *tim*, *quæ de fide contingunt*: *Dignumque*
„ *arbitror*, *ibi potiſſimùm reſarciri damna*
„ *fidei*, *ubi non poſſit fides ſentire defectum*;
„ *hæc quippe prærogativa Sedis*. Cùm
„ huic unanimi Sanctorum Patrum doctri-
„ næ, atque Traditioni Apoſtolicæ devo-
„ tum præbeatis aſſenſum, non eſt quod
„ vos doceam, quæ ſummo in terris Paſ-
„ tori, ejuſque ſanctionibus obedientia de-
„ beatur.

2 Ita cenſuit Vicarius ille, ita Miſſio-
narii, antequam illuc appellerent Arnal-
dus & Queſnellus, qui ab eodem Vicario
improvidè invitati, exceptique ſunt, hoſpi-
tii fructu, qualis ferè ab incendiariis, vel
peſte afflatis lethiferâ expectandus eſt. Mox
illic luxari cœpit Pontificia Authoritas,
flacceſcere in dies magis erga Decreta Apo-
ſtolica ſubmiſſio, atque introductâ pariter
fidei novitate, in apertam prorumpere hy-
pocriſis rebellionem.

In Proceſſu Juridico, ſeu *Cauſa Queſ-
nelliana*, de turbatâ & corruptâ in non pau-
cis à Queſnello Miſſione Hollandicâ ſic le-
gitur Articulo 2. pag 162. „ Ex noxiis
„ Queſnelli Scriptis, ex ſeditioſis ejus
„ conſiliis, ex Schiſmatica illa *Reſolu-*
„ *tione* in vineam illam Domini talis in-
„ ducta fuit cataſtrophe, ut ipſi Acatho-
„ lici fatentes in Synodis ſuis Dordraci,
„ Hagæ-comitis, & Middelburgi quon-
„ dam habitis, quòd Miniſter Eccleſiæ per
„ Superiorem ſuum, omni juriſdictione &
„ functione Eccleſiaſticâ privari poſſit, gra-
„ viter indignentur, ob unius Vicarii de-
„ poſitionem tantas in populo excitari
„ commotiones: atque ut omnes illi, qui
„ ante adventum Arnaldi, Queſnelli, Ger-
„ beronii, & aliorum è Gallia profugo-
„ rum, Eccleſiam Batavicam conſpexere,
„ altum ingemiſcant, petantque cum ad-
„ miratione: *Haccine eſt illa Jezabel?*

„ Afflictiſſimæ huic Eccleſiæ, Illuſtriſ-
„ ſime ac Reverendiſsime Domine Judex,
„ cæterique Domini Aſſeſſores, veſtri ju-
„ dicii æquitas ſuccurret, dum publica
„ ſententiâ, qua Queſnellus declarandus
„ eſt turbatum in fœderato Belgio conci-
„ tator, authoritatem ejus apud cordatio-
„ res è Clero infringet, vel ſaltem dimi-
„ nuet, ut tantum nocere deſinat lupus il-
„ le rapax, ſub veſtimento ovis latitans,
„ qui myſticum Chriſti corpus ſeditioſis
„ ſuis ſcriptis, tam turpiter dilaceravit, &
„ membra corporis illius Schiſmaticâ ſuâ
„ *Reſolutione* inobedientiam inſpirante, à
„ Capite ſuo avellere non extimuit. „ Ita
Cauſa Queſnelliana. *Reſolutio* illa ſchiſma-
tica mox refertur.

Interim notandum, quod ab eo tempo-
re quo Queſnellus cum ſuis pedem intulit
Hollandiæ, benevolis ſuis receptoribus
ſuggeſſerit ſpiritum audaciæ, temeritatis,
ac Schiſmatis, ut nullum tolerent ampliùs
Vicarium, niſi ſuis partibus addictum; al-
teri cuicumque inſidias ſtruant, eaſque
apud Hollandiæ Ordines moveant difficul-
tates, ut ſub pœnis graviſſimis ab omni ju-
beatur adminiſtratione deſiſtere.

3 Attamen novorum Sacerdotum turba
inexpectata conſpicitur, qui ante dies ali-

quot laici discesserant, quò profectò, scire nemini Catholico hactenus licuit. Reversi mox divina celebrant mysteria: Confessiones audiunt, aliaque administrant Sacramenta; munia obeunt Missionariorum. A quo autem manuum impositionem acceperint, aut dimissionis literas, ne ipsi quidem Nuntio jussu Pontificis interroganti revelare volunt; Adeò est negotium ambulans in tenebris; quamvis sacrilegium quotidianum & publicum in totius illic conspectu Ecclesiæ, Dæmonium appareat meridianum. Nullum in Hollandia Episcopum esse constat, neque ullum in Belgio Cæsareo aut vicinis Germaniæ Provinciis, qui absque facultate Nuntii, aut constituti à Pontifice Vicarii Apostolici, contra notissimam SS. D. N. prohibitionem Ordines conferat, aliàs tam initians, quàm initiatus, ipso facto & juris dispositione, præter peccati lethiferi maculam, contrahit suspensionem.

At insignes illi rigidioris ethicæ præcones, veri hypocritæ excolantes culicem, & deglutientes camelum, impositionem manuum sacrilegè furati, pœnitentiæ cæterorumque administrationibus Sacramentorum, infelicem populum adeò non sanctificant, ut novâ continuò maculent iniquitate, atque in exitium secum pertrahant sempiternum. Qualem proinde ejusmodi Sacerdotes, & illegitimi patres datuti sunt progeniem, nisi spuriam, neque hæreditate dignam filiorum, sed luctuosissimâ mancipiorum apud inferos serviture? De baptismate quod etiam ab hæreticis & laicis collatum novimus suo non valore destitui, neque in parvulis & quibusdam ignorantibus carere fructu & robore sanctificationis, nulla nobis disputatio est; sed de administratione potissimum Sacramenti pœnitentiæ, cujus valor præter dispositionem congruam in suscipientibus, jurisdictionem, & potestatem legitimam, neque censuris Ecclesiasticis ligatam exigit in Administris.

4 Qualis autem in prætensis istiusmodi presbyteris fingetur, post iteratam toties à Pontifice, Cardinalibus, Nuntiis Apostolicis contrariam declarationem? In Brevi scilicet Apostolico dato 7. Aprilis Anno 1703. *Universis Catholicis in partibus Hollandiæ, & Provinciarum conterminarum constitutis*, eos Pontifex pro sua monet paterna solicitudine, de Archiepiscopo Sebasteno suspenso à munere Vicarii (qui postea etiam depositus omnino fuit, & post obitum sepulturâ Ecclesiasticâ, & suffragiis fidelium privatus) monet, inquam, eos sanctissimus Pontifex, de suspensa omni istius Vicarii jurisdictione, quodque ea, præterquam constituto à se Provicario, competeret „ nulli alteri, Proviceariatûs, Archipres„ byteratûs, aut assertorum capitulorum, „ ut vocantur, Assessoratûs, seu cujusvis al„ terius muneris, aut officii obtentu, Pa„ stores, Missionarios, Deservitores, aut „ alios quoscunque ad animarum curam, „ Sacramentorumque administrationem, „ etiam prætextu necessitatis, constituen„ di, seu deputandi facultatem ullam com„ petere declaravimus, & nihilominus ad „ abundantiorem cautelam, & quatenus „ opus esset, omnes & singulas deputatio„ nes supradictorum officiorum nomine „ forsitan, ut supra factas, cum omnibus „ inde secutis, prorsus irritas, & nullius ro„ boris, vel momenti esse decrevimus.

„ Omnibus propterea Clericis Missio„ num præfatarum Apostolicâ authorita„ te, & sub excommunicationis ipso facto, „ & absque alia declaratione, incurrendæ „ pœnâ, districtiùs inhibentes, ne in illa„ rum spirituali regimine se ingerere quo„ vis pacto auderent, vel præsumerent. „ Nunc verò ut, quod paucis denuntiatum „ est, omnibus istarum regionum Catholi„ cis, pleniùs innotescat, nullusque am„ pliùs de Pontificia voluntate nostra am„ bigendi supersit locus, ea de re vos om„ nes, dilecti filii, per præsentes literas „ duximus admonendos; de vestra quidem „ eximia pietate, constantique erga Sedem „ Apostolicam obedientiâ planè confisi, „ nullam in posterum apud vos fidem, aut „ aditum inventuros paucos illos Eccle„ siæ simul atque Reipublicæ turbatores, „ qui subdolis artibus, falsisque narratio„ nibus candidos animos vestros decipere, „ aut etiam, si possent, in errorem induce„ re conati sunt.

„ 5 Sinite illos, dilecti Filii, quia cæci „ sunt, atque utinam illos non excæcave„ rit malitia eorum! Ostendite vos veras „ Christi oves esse, quæ supremi in terris „ Pastoris ab eodem Domino constituti „ monitis obsequuntur, & non audiunt vo„ cem alienorum.

„ Alieni profectò sunt, qui dum gre„ gem Dei dividere tentant, mactare po„ tiùs ac perdere, quàm custodire velle de„ prehenduntur. Obtendunt illi quidem „ exactioris disciplinæ speciem, ac de rigi„ dioris Theologiæ sibi famâ blandiuntur; „ quales verò animo sensus foveant, quovè „ mente colliment, quicunque sapiens re„ rum æstimator facilè judicabit, certissimâ

„ illâ,

„ illâ, qua nos ad eos, qui veniunt inve-
„ ftimentis ovium, dignofcendos, Salva-
„ tor nofter inftruxit, adhibitâ regulâ, à
„ fructibus eorum cognofcetis eos.

„ Quis enim, ut cætera taceamus, tot
„ hac in caufa ab iis editos libellos videat
„ injuriis, maledictis, mendaciis, calum-
„ niis, apertâque in Apoftolicam Sedem
„ irreverentiâ, ac temeritate undique fca-
„ tentes, quos magno vel ipfis heterodo-
„ xis fcandalo fuiffe comperimus; quin fta-
„ tim agnofcat, quàm longè illorum au-
„ thores, defenforefque à Spiritu Dei fint,
„ qui non eft diffenfionis Deus; fed pa-
„ cis: quàm longè à fincera Chrifti cha-
„ ritate, quam adeò verbis prædicant, fa-
„ ctis deftruunt; quàm longè demum à ve-
„ ræ humilitatis & obedientiæ, quæ cæ-
„ terarum virtutum fundamenta funt, tra-
„ mite; dum adverfus ipfam B. Petri Se-
„ dem, Chriftianorum omnium matrem, &
„ Magiftram caput attollere, ejufque man-
„ datis obviam ire, quin imò & potefta-
„ tem convellere ac palàm impetere non
„ erubefcunt ...

„ Hæc omnia, dilecti Filii, vobis fimili-
„ ter innotefcere neceffarium duximus, ut
„ quicumque apud vos Catholicorum no-
„ mine cenferi volunt, non fint ficut parvu-
„ li fluctuantes; Sed fciant, quem Paftorem
„ in viâ Domini fequi, & cujus mandatis
„ parêre teneantur. Satagite igitur, ut qui
„ rectè credendi gratiam à Domino con-
„ fecuti eftis, bonorum operum, & præci-
„ puè charitatis, humilitatis, obedientiæ
„ fructibus eidem Domino refpondeatis;
„ fruftrà enim fuerit catholicè credidiffe,
„ nifi cæterarum quoque virtutum fuffra-
„ gio reportetis finem fidei veftræ falutem
„ animarum. „

6 Similis fub idem tempus fuit monitio S. Congregationis de Propaganda fide refpondens Archiepifcopi Sebafteni literis:
„ Tuarum quoque partium fuerit, eofdem
„ [tibi adhærentes, Pontifici rebelles Pref-
„ byteros] fedulò admonere, ut confcientię
„ fuę confulant, & Ecclefiafticas cenfu-
„ ras, quibus non pauci juxta Catholicas
„ fanctiones irretiti funt, minimè parvi-
„ pendant; Dominus enim eft patiens red-
„ ditor. Tu verò, quidquid demùm actu-
„ ri funt, prorfus noli eorum culpis invol-
„ vi, ne tremendæ nimis Chrifti fenten-
„ tiæ obnoxius fias: væ homini illi, per
„ quem fcandalum venit. Et ifta quidem
„ cùm facræ Congregationis, tum etiam
„ Sanctitatis fuæ nomine Amplitudini tuæ
„ fignificanda habui „ inquiebat Cardinalis Carolus Barberinus memorato Sacro Cœtui Præfectus.

7 Quin Pontificium Breve plurimis Catholicorum faluti fuerit, non dubito; verùm anti-Romani aliquot, & pfeudo-Apoftolici ex Clero Miffionarii, cum fuis pfeudo-Provicariis, aliud fibi oraculum elegerant, cujus refponfis contra omnia Vaticani, ac Montis Quirinalis fulmina fatis fibi tutum, remoto omni dubio, arbitrati funt, neque hodiedum eximi eis poteft adeò malefana opinio. Provicarius illic Schifmaticus Quefnellum literis confuluerat de quæftionibus geminis: ***Prima; An in præfenti rerum ftatu poffit, falvâ confcientiâ, recurri ad fuperiores Poteftates***, feu acatholicos contra Romani Pontificis difpofitionem: ***Secunda, an in his rerum circumftantiis Provicarius ab Epifcopo defignatus, & confirmatus à Capitulo, functiones illius muneris obire poffit?***

Interrogans fupponit Vicarium Hollandiæ, dum ad obeunda munia Epifcopalia à Pontifice defignationem accipit Epifcopatûs qualifcumque in partibus infidelium, ut Petrus Codde creatus eft Archiepifcopus Sebaftenus, quæ Sedes in Armenia eft, cenfeatur Archiepifcopus Ultrajectinus, quod negat Pontifex, cujus certiffimè eft conferre titulos, & Sedes diftribuere Epifcopales. Sed Provicarius ille, etfi à Pontifice depofitus cum Vicario, à quo poteftatem acceperat fubdelegatam, eam retinere, invito & reclamante palàm Pontifice cupiens, confirmari in fententia poftulat à Quefnello; Qui mox in promptu habuit pro Schifmatico fuo Provicario contra Pontificem de quæftione utraque protrudere judicium.

8 Refolutionem fuam ftabilit argumentis, quæ, ut *Caufa Quefnelliana* pag. 139. adnotat, *Calvino*, quàm Romanæ Ecclefiæ Prefbytero digniora funt: Pauca fpeciminis loco referam: „ Evidens eft (inquit) Fœ-
„ deratos Ordines plus rationis habere,
„ quàm Romanæ communionis Principes,
„ ut examinent mandata, quæ ad ditiones
„ fuas à Romana Curia deftinantur; & me-
„ tuant ne quidpiam illa contra bonum
„ Reipublicæ machinetur; quia monachi
„ illic plurimùm intenti funt, ut introdu-
„ cant, quidquid in Romanæ Curiæ jugo
„ onerofiffimum eft, atque hæc, quantum
„ in ipfa eft, laborat pariter, ut fuum illic
„ ftabiliat dominatum ...

„ Proteftantes funt indubiè longè ma-
„ gis idonei, ut judicent de caufa Archi-
„ epifcopi Sebafteni, eique adhærentium
„ Pa-

„ Pastorum contra libellos famosos. So-
„ lummodo sunt quæstiones facti, quæ fa-
„ cilè illustrantur, dispersi per patriam li-
„ belli sunt: ad Superiores pertinet de iis
„ judicare, & cognoscere, quinam inquie-
„ ti illi sint, & pacis publicæ perturbato-
„ res, & tanto plus æquitati consonum est,
„ ad Magistratus illos recurrere, quòd,
„ postquam Sebastenus ad omnes sibi pro-
„ positas accusationes responderat, suam-
„ que demonstraverat innocentiam eâ ra-
„ tione, qua omnes necesse fuerit convinci,
„ nihilominus Roma eum opprimit suspen-
„ sione plenâ ignominiæ, atque eodem
„ modo commaculat omnes, quos suo loco
„ constituerat Administros; quasi crimi-
„ num rei essent, nullâ contra eos forma-
„ tâ accusatione juridica, & ne indicatis
„ quidem accusationum articulis. „

9 Hactenus responsio est ad Quæstionem primam. Secundam pari impudentia, & contra Sedem Apostolicam rebellione, Quesnellus prosequitur dicens „ Videtur
„ mihi nihil hactenus occurrere, quod
„ Provicarium ab implendo suo munere
„ debeat impedire. Quo posito, non solùm
„ potest, sed etiam tenetur; non enim li-
„ citum est gregem sibi commissum de-
„ serere.

„ Mandata Romana certissimè subrepti-
„ tia sunt, innitentia factis nihil veri ha-
„ bentibus, & plenis calumniâ, fabricatis
„ ab hostibus Cleri ad opprimendum ejus
„ Episcopum. Hujus suspensio, & abro-
„ gatio Provicariorum in Romanæ Curiæ
„ Decretis conjunctæ sunt. Consentire uni
„ foret simul alterum admittere. Sebasteni
„ autem suspensioni subscribere est coo-
„ perari ejus oppressioni, & suffragari ju-
„ dicio, quo nullum extitit unquam magis
„ illegitimum, ab omni judicii formâ, &
„ regulâ alienum.

„ Nova servitus, quam illi volunt impo-
„ nere Ecclesiæ Batavicæ, consecutionem
„ infert perniciosissimam, novitatem mani-
„ festam; unde janua aperiatur molitioni-
„ bus quibusvis, non solum Romanæ Cu-
„ riæ, sed etiam ambitiosorum omnium,
„ præpotentis potissimùm factionis, quæ
„ noscitur tum in hac, tum in cæteris Ec-
„ clesiis dominationem affectare. Ad eos
„ itaque, quibus hujus Ecclesię incumbit
„ cura, Supremo Pastore absente, pertinet
„ se opponere, reverenter quidem, & si-
„ mul fortissimè.

„ Fateor, res agitur momenti gravissimi,
„ & terrificis obnoxia successibus. Omnes
„ forsitan conatus nostri, & oppositio non
„ proderunt Ecclesiæ isti: Succumbemus
„ sub potentia Ministrorum Romanæ Cu-
„ riæ, intorquebitur excommunicatio, in-
„ vehentur omnes in refractarios, accusa-
„ buntur bi inobedientiæ, rebellionis ac
„ schismatis; sed quando certi sumus, nos
„ Dei, Ecclesiæ, Pastoris, eique fideliter
„ cooperantium, simul æquitatis, & inno-
„ centiæ causam defendere, oportet se
„ committere Deo, atque in ejus confi-
„ dere gratiâ, ad præliandum pro eo for-
„ titer, adorando arcana ejus consilia, qui-
„ bus fortè statuitur exploranda servorum
„ suorum fides & constantia, ut meritis pa-
„ tientiæ, corona tandem immarcescibilis
„ tribuatur.

10 Ut concludatur Schismatica resolutio, & magis obfirmetur sectariorum pertinacia „ Prævideo [inquit] graves tur-
„ bines, quos vestra poterit excitare
„ resistentia, &, si Romana curia obsti-
„ nata manserit in priorum executione
„ Decretorum, extrema omnia tentabit;
„ sed non est abbreviata manus Domini,
„ & corda Pontificum æquè ac Regum in
„ manu ejus sunt. Causa justa est: sive au-
„ tem perdatur, sive vincatur, quisquis
„ eam defenderit, extra omne jacturæ pe-
„ riculum est, omnia lucraturus, vitam li-
„ cèt perdiderit; si pro Deo causam Dei
„ tueatur. „

Ità diceres ipsam loqui in novo Apostolo pietatem, si suos contra Diocletiani tyrannidem, non contra sanctissimi Pontificis æquitate, clementiâ, sapientiâ plenam dispositionem accenderet.

Hinc facilè Lector intelligis, quàm funestas fuerit Hollandiæ Missionibus Quesnelli illuc, atque ejusmodi ex Galliis irruptio profugorum, & temporis quantumvis exigui commoratio; minimè enim infœcunda fuit pestiferorum seminum, quibus Ecclesia illa, tot olim Sanctorum Antistitum, & Sacerdotum gloriosa parens, Schismaticorum hodie infelici lolio penè pessumdatur ac suffocatur; nam licèt etiamnum, quæ Dei misericordia est, non desint tum è Clero, tum è Religiosis Ordinibus avitæ fidei ardentes & constantissimi præcones, verùm, ut populus avidus novitatum est, nova secta in sui propagationem maximè intenta, multos tum hypocrisi, tum falsis de Romanæ Curiæ, veluti ambitione, avaritia, injustitia narratiunculis, à Sede Apostolica avertere paularim cœpit, atque in hæreseos impietatisque suæ trahere societatem. Hi fructus sunt infelicis hospitii, novæ hæreseos disseminatoribus incautè præstiti.

Ea

Ea Quesnelli in Hollandia generatio est, non cœlestium filiorum per charitatem, quæ in hæretico, & contra Christi Vicarium furente Schismatico alia esse nequit, quàm mendax & fictitia. Neque illic servos Deo peperit per timorem; nam ab eo solet Christianorum animos, velut à passione bestiis propriâ absterrere; *Qui* enim (inquit Prop. 66.) *vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicuti bestia; sed per fidem & per amorem sicuti filii*.

12 Attamen ait S. Augustinus Tract. 9. in Epist. Joannis primam *si nullus est timor, non est qua intret charitas*: de quo plura contra Propositionem proximam. Atque hæc quidem non nisi specimina sunt ex innumeris pauca, nec nisi brevi relata compendio; omnibus verò & singulis ejus gestis & scriptis exitialibus referendis, quibus Hollandiam, Belgium catholicum, maximè Brabantiam & Hannoniam, dein & vicinum Belgio Leodium, Regnum Galliæ, Oratorii præcipuè Congregationem, Moniales Portûs Regii, Sorbonam, ipsosque cum Clero & Ordinibus Religiosis Episcopos, pervertere conatus sit, neque successu ubique irrito, tomus integer non sufficeret.

Abrumpenda digressio est; complurium enim adhuc Propositionum stadium superest decurrendum. Præsentem autem controversiam luctuosa terminet animadversio, & veluti sponte prosiliens ex allegatis conclusio; quòd nullibi Quesnellus filios Deo dedisse; sed abstraxisse plurimos deprehendatur, quos charitate, justitiâ, fide spoliatos, Diabolicæ mancipaverit in perpetuum servituti.

Sexagesimasexta Propositio damnata.

Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicuti bestiæ, sed per fidem, & per amorem sicuti filii. *Observ. Mor. Heb.* 12. *v.* 20. *edit. Anni* 1693.

CAPUT I.

Propositio est contraria SS. Scripturis, & rationi.

1 Quos nobis Theologos, quos Ascetas, Batavici Augustini schola suppeditat! Timorem Dei & judiciorum ejus, gehennæ quoque peccatoribus destinatæ, omnis Scriptura, omnis Patrum commendat, ingerit, inculcat authoritas: neque solùm velut utilissimum ad salutem; sed in hac lapsi hominis fragilitate etiam necessarium. Novæ autem fidei & charitatis perpetuæ præcones, timorem passionibus brutorum annumerantes, eum procul ab Ecclesiæ finibus arceri, & ab humano genere ad bestias relegari jubent.

At ubi isti, tam Philosophi, quàm Theologi mirabiles, qui ne sensum quidem bestiis concedere solent, timorem Dei & gehennæ, adeò à sensibus remotæ, solâ fide, non absque supernaturali infusum auxilio, bestiis communem facere didicerunt? Ubi Catholicos inter auditum est hactenus, timorem istum indignum esse homine, quicunque Deo appropinquare, sive ad Deum se convertere voluerit? Videant potiùs adversarii, quanto se privent ad virtutes, salutemque præsidio, quo Deus ipse Electos solet contra omnia pericula præmunire. Ex Scriptura & Traditione discimus, ideo terrificum judicem sæpe nobis ob mentis oculos ponendum, ut ejus formidine concussi, peccato nuntium remittamus, toto deinceps pectore occupandi exercitiis virtutum: unde fiet, ut adventus Judicis nobis horribilis futurus non sit.

2 Quæ verò ea inanis securitas & insanissimum consilium, cohibere animum ab omni timore, tanquam inutili, imò noxio, quibuscumque Deo volentibus appropinquare! Quâ novitate nulla potuit à Diabolo suggeri damnosior & magis Divinis oraculis ac Patrum omnium sapientissimis Monitis contraria. Non ignorat scilicet humani generis hostis, neque sanctificantem gratiam, neque charitatem peccatoribus infundi solitam sinè multâ prævià dispositione, atque in serie actuum, quos præparatio ad justificationem congrua complectitur, esse timorem Divini judicii, atque imminentium reprobis cruciatuum, quo nisi peccatorum socordia, & velut somnolentia excitetur, nunquam illi se libidinis, superbiæ, aliorumque vitiorum expedient illecebris. Gre-

Gregorius lib. 26. Moralium cap. 27. *Sæpe*, inquit, *qui jubentis verba non audiunt, ferientis verberibus admonentur, ut ad bona æterna saltem pœna trahant, quos præmia non invitant . . . sunt nonnulli quos à perditis moribus nec tormenta compescunt . . . Fatuitas quippe stultitia est, quod illos sic iniquitas obligat, ut à culpa eos nec pœna compescat.*

Quid ad hæc adversarii? Satis perspiciunt hac se pariter reprehensione feriri; si enim *fatuitas stultitia* est; sic iniquitate obligari, ut à culpa eos nec pœna compescat, patet *fatuitatem* simul *stultitia* esse, nullam admittere pœnæ formidinem; non enim à peccatis retrahere supplicium potest, nisi metuentes: qui nullo ejus timore tangitur, peccare propter illud non desinet. Qui igitur omnem peccatoribus timorem eximere volunt, veluti passionem indignam homine, & solis bestiis convenientem; illum impediendo, indubiè simul impediunt abstinentiam à peccato, aliàs timore supplicii obtinendam.

3 *Fatuitas* igitur *stultitia* à Gregorio reprehensa in peccatoribus, à novis inspiratur asceticis in ipso, ut vocant, *Moralis Euangelica compendio*, pro cujus contra Apostolicam censuram defensione, totam oportuit conturbari Ecclesiam: & needum statim finis, pertinaciâ ad summum temeritatis apicem provectâ.

Non unica hæc *stultitia fatuitas* est nefando contenta volumine: neque omnes censura complectitur, quantumvis 101. Propositionibus appareat copiosa. Hic autem quis satis mirabitur, novos Theologos, adeò, ut videri gestiunt, formandis ad perfectionem moribus intentos, omnem ex peccatorum animis, multò ampliùs justorum, eliminare voluisse formidinem veluti bestialem, ubi tot circumstant undique trepidandi rationes, indicatæ nobis à Spiritu sancto in Scripturis maximè dilucidis, atque earum securissimâ interprete Traditione Ecclesiæ perpetuâ.

Nullus majoribus, quàm Gentium Apostolus charitatem celebravit elogiis, nemo illius fructus & necessitatem persuasit fortiùs; remotissimus tamen fuit ab eliminando è Christianorum animis timore, quem sermonibus adeò efficacibus imprimit Philipp. 2. v. 12. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini*; Ubi, ut notant Interpretes, verbum *operamini* non est indicativi modi; sed imperativi. Videtur autem Apostolus respexisse ad illud Psalmi 2. v. 11. *Servite Domino in timore & exultate ei cum tremore.*

4 Indubiè ad Deum optimè acceditur fugâ prohibitorum operum, & exercitio fideli omnium, quæ præcipiuntur. Timor autem ad utrumque finem esse ducem maximè idoneum, testatur Ecclesiasticus locis plurimis. Cap. 1. *Timor Domini expellit peccatum; nam qui sinè timore est, non poterit justificari.* Quomodo itaque justificabitur cum sectatoribus Quesnellus, timorem à se longissimè removens, ne accessui ad Deum obicem ponat? Cui fidem habebimus, Ecclesiastico, an Quesnello? Prior ad timorem excitat ratione gravissima; nam qui sinè timore est, non poterit justificari: posterior intercludit aditum ad Deum omnibus appropinquare volentibus cum timore. Verùm quisquis salutis suæ prodigus, relicto Ecclesiastico, damnatum novatoris sequitur consilium, serò vesaniam deplorabit.

5 Nobis audiendi sunt potiùs cum Ecclesia Hagiographi. Cœptam in primis Ecclesiastici lectionem prosequamur: eodem cap. 1. *Initium Sapientiæ timor Domini . . . . Timor Domini scientiæ religiositas: religiositas custodiet, & justificabit cor: jucunditatem atque gaudium dabit.* Multò itaque religiosior esset Quesnelli scientia, si timorem Domini sibi præfigeret, neque excusso omni justissimæ formidinis fræno, quocunque fert temeritatis impetus, proruerет. Timorem Domini sequens, non involveretur anathemate, non fureret in adversarios, non inveheretur in Pontificem suum & communem fidelium Patrem: non discinderet inconsutilem Christi tunicam; sed pace frueretur cum *jucunditate*, ut Ecclesiasticus ait, *atque gaudio*.

Ibidem: *Timenti Dominum bene erit, & in diebus consummationis illius benedicetur. Plenitudo sapientiæ est*, & non solummodo initium, *timere Deum, & plenitudo à fructibus illius*, quibus vacuum esse oporter contemptorem formidinis atque calumniatorem. Paulò superiùs: *Timor Domini gloria & gloriatio, & lætitia & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium & longitudinem dierum. Timenti Dominum bene erit in extremis & in die defunctionis suæ benedicetur.* Timoris fructus adeò eximii, à Christianis minimè repellendi sunt; sed expetendi maximè, quorum bestias esse incapaces nullus hominum ignorat.

6 Denique *Corona Sapientiæ timor Domini replens pacem: & salutis fructum . . . . Radix Sapientiæ est timere Dominum.* Quid de sanctissimo & maximè salutifero Dei dono prædicari potest illustrius, quàm esse radi-

radicem, initium, plenitudinem Sapientiæ, quæ omnem pariter virtutis ac perfectionis plenitudinem laudemque complectitur? Hactenus Ecclesiastici caput primum; si ad secundum progredior, vix in illo versus est, qui adversarios non dejiciat, obterat, confringat. Hoc ejus exordium est: *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.*

Si errotem Quesnelli Ecclesiasticus prævidisset, non potuisset convellere manifestiùs. Novator timorem prohibet cuilibet ad Deum volenti appropinquare: Ecclesiasticus oppositum monet quemlibet *accedentem ad servitutem Dei: sta*, inquit, *in justitia & timore*, qui justitiæ ductor fidelissimus & custos est.

Ibidem: timorem Dei iterum commendans: *Serva*, inquit, *timorem illius, & in illo veterasce. Metuentes Dominum sustinete misericordiam ejus.* Num in bestialitate veterascere nos per Hagiographum jubet Spiritus sanctus? Aut si in timore veterascere honestum est, ut est certissimè, cur vetitum erit, aut indecorum ad Deum se convertere volentibus, cum illo appropinquare?

Timere, inquit Quesnellus, bestiarum est; sed non ita bestiis proprium, ut non etiam ratione & virtute præditis commune sit. Quanquam longè alius timor hominum, cum quo ad Deum juxta nos acceditur, quàm bestiarum est. Hic pœnarum solummodo materialium, ille spiritualium quoque, & supernaturalium, velut à supremo Numine infligendarum, quas non naturæ instinctu, non materiali aut naturali lumine cognitas; sed superiore fidei & Spiritus sancti documento, auxilioque creditas, rationibus honestissimis horremus & devitamus.

7 Hic timor, ut à sancta Dei Ecclesia, Pontificiis, & Tridentini Concilii definitionibus, Traditione Patrum, ipsiusque scripturæ divinitus revelatæ testimoniis erudimur, retrahit nos à criminibus committendis, commissa jubet plangere, persuadet nobis omnium virtutum studium, etiam charitatis. *Qui tenet illum, cui assimilabitur? Timor Domini initium dilectionis ejus*, inquit Ecclesiasticus, cap. 25. quod de timore Dei, etiam ut vindicis intellige, quem nobis etiam Christus incutit, ut in mandatorum omnium, maximè dilectionis observantia, quæ vera beatitudinis semita est, nos contineat.

Lucæ 12. *Dico autem vobis amicis meis: ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant: Ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Non bestias; sed homines, & maximè amicos suos Servator alloquitur: *Dico vobis amicis meis*, atque timorem salutiferum perennium pœnarum discernit à metu suppliciorum solis imminentium corporibus, qui posset esse bestiis communis, quemque velut exigui momenti, & subinde noxium dissuadet, ut tota amicorum suorum attentio dirigatur ad timendum eum, *qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam*: quod ne quis leviter dictum autumet, confirmat repetendo: *Ità dico vobis, hunc timete.*

8 Redeo ad Ecclesiastici Caput 2. *Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius: & qui diligunt illum, conservabunt viam illius. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei: & qui diligunt eum, replebuntur Lege ipsius. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Qui timent Dominum, custodiunt mandata ipsius, & patientiam habebunt usque ad inspectionem illius, dicentes: si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.*

Quot hortationis membra sunt, tot contra novitatem oracula. Errores Quesnello fortitan ex intellectûs ignorantia magis, quàm voluntatis perfidia profectos facilè condonamus: verùm contumax ejus in propugnandis contra Ecclesiam & Scripturas adeò dilucidas, superbia satis ostendit, eum à timore Domini alienum; quia ut apud Ecclesiasticum vidimus: *Qui timent Dominum, non erunt incredibiles* [seu increduli] *verbo illius.* Hæretici autem quantumlibet ad Scripturas provocent, non nisi fumos venditant, & inania, pro divinis eloquiis aberrantis suæ deliramenta phantasiæ.

Si timorem Domini à se Quesnellus non repelleret, *quæ beneplacita sunt ei, inquireret*, atque ab eo disceret securissimè, cui fratrum à Christo confirmatio commissa est: *Confirma fratres tuos.* Post latam autem ab eo sententiam, tam maturo conceptam judicio, tam frequenti, tam sedulo præmisso examine, non pertinaciùs recalcitraret, non diffidiis, clamoribus, contumeliis, & aperto Schismate conturbaret Ecclesiam.

Qui timent Dominum præparabunt corda sua, ut dignè coram illo ambulent: *& in conspectu illius sanctificabunt animas suas.*

Non incongrua igitur ad appropinquandum Deo præparatio timor est; cùm sanctificationem inferat animorum. *Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius*: neque dubium est quin mandatorum custodia, conveniens ad Deum accessio sit: *Et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius, dicentes: si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum*. Uti pœnitentiæ causam timorem Domini Quesnellus rejicit, ne *passionum brutalium* nimis particeps, & *bestiis* similis videatur, ita mirum non est, pœnitentiam in nova Ecclesia nullam frequentari, nullam conspici, nisi impiam, quæ est professionis fidei, etiam jurejurando antea confirmatæ, sacrilega retractatio. Talis de Quesnelli Secretario refertur initio processus juridici, sive *Causæ Quesnellianæ*, quam Procurator Fiscalis instituit, ut Edicto Citatorio præmittitur.

Similis retractatio reperitur in Gabriele Gerberonio, ut patuit ex ejus declaratione, quam moriens reliquit, ut ad Summum transmitteretur Pontificem. Quæ impietas, quod sacrilegium, utinam duorum, vel ducentorum etiam termino clauderetur! condemnatio doctrinæ Arnaldicæ velut hæreticæ, sexaginta quinque annorum spatio Theologorum omnium in Sorbona gradus Academicos suscipientium subscriptionibus confirmata: juramentum Alexandri VII., præscriptâ ab eo clarissimâ formulâ, contra quinque Jansenii Propositiones hæreticas in sensu ab authore intento, eoque ut sapientissimè declaravit Innocentius XII. non extraneo, vel alieno, sed proprio & obvio, quem ipsarum verba per se exhibent; juramentum, inquam, illud ab omnibus in Gallia ad sacros ordines promovendis præstitum, à quàm multis conspicimus aut emissum sacrilegè, aut impiè retractatum! Utinam nullus Doctor, aut quod luctuosius foret, Episcopus, sive pejerantium, sive adeò damnabiliter pœnitentium numero comprehendatur!

9° Quomodo juramentum obedientiæ, à quo nullus Episcopus consecrandus eximitur, quóque promittitur non sola Decretorum Pontificiorum observantia; sed omne studium, ut ab omnibus pareatur; Quomodo, inquam, jurata illa promissio conciliari poterit cum aliquorum Antistitum inobedientia adeò publicâ, tractis etiam in rebellionis societatem tum subditis, tum extraneis? judicium penès Deum, ejusque in terris Vicarium sit: tenuitati quidem meæ vel ex hoc maximè difficilis, quin imò impossibilis apparet conciliatio, quòd ea sit Propositionum apertissima iniquitas, ea proinde justitia ac sapientia condemnationis; prætetea totius Constitutionis Sanctissimæ tam prudens dispositio, ut nullus inde, nisi perquam frivolus elici valeat tergiversationis obtentus, nulla appellationibus & inobedientiæ excusatio: sed de hoc aliàs plura.

Proverb. 14. *Timor Domini fons vitæ, ut declinent à ruina mortis.* Declinatio à ruina mortis, appropinquatio est ad vitam perpetuam, ejusque largitorem Deum minimè dubia: etenim quid à fonte vitæ, nisi vita profluat?

Isaiæ 26. *à facie tua* [secundùm septuaginta Interpretes, à timore tuo] *Domine concepimus, & quasi parturivimus spiritum salutis*, quo ad Deum securissimè accedamus.

Malachiæ cap. 1. Timorem sui à nobis Deus postulat: *Si ego Pater, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Neque istud in antiquo solùm fœdere; sed etiam in novo Apoc. 14. *Timete Dominum, & date illi honorem; quia venit hora judicii ejus*.

10 Non potest à Deo avertere, quod nos à peccando retinet: Exodi 20. *Ut enim probaret vos, venit Deus, & ut terror illius esset in vobis, & non peccaretis.* Psalmo 111. *Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis*. Volitio tam sedula mandatorum, dux ad Deum fidelissima est. Ecclesiastici 15. *Qui timet Deum, faciet bona*. Psalmo 2. *Servite Domino in timore; & exultate ei cum tremore; apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Ab ea non declinassent adversarii; si à schismate, velut in abyssum certissimè propellente, ut oportuit abhorruissent; sed innovandi libido, superbiæ & rebellionis spiritus, omnem timori & tremori aditum occlusere.

Sapiens timet, & declinat à malo. Proverb. 14. *Consummatio timoris Dei, sapientia & sensus* Eccli. 21. *Non æmuletur cor tuum peccatores; sed in timore Domini esto tota die* Proverb. 13. Ratio redditur, cap. 28. *Beatus enim homo qui semper est pavidus; Qui verò mentis est dura, corruet in malum*. Non auferetur durities, quamdiu exclusus à peccatoribus manserit omnis timor: neque sapere incipient, antequam timere; quia *initium Sapientiæ timor Domini*, Eccli. 1. & Job 28. *Ecce timor Domini, ipsa est sapientia*. Quid opus pluribus? *Nihil melius est quàm timor Dei*, Eccli. 23. Porrò hic remo-

motus adeò est à brutalibus passionibus, ut iis domandis nihil magis ab Hagiographis reperiatur idoneum: adeò quoque conversionem sive accessum ad Deum non impedit, ut nihil ad eum impellat fortiùs, quemadmodum Patrum sententiis mox dabitur copiosiùs explicatum.

CAPUT II.

Damnatus Error destruitur à Sanctis Patribus.

1 S. Hieronymus in Jeremiæ cap.30. *Omnis mundus indiget misericordiâ Dei. Nullus securus ad Judicem pergat.* De Sancto Hilarione refert Hieronymus, quod moriens non exiguis pressus angustiis, & ad fiduciam se animans ingeminaret illud: *Egredere: quid times: egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta prope annis servisti Christo, & mortem times? in hac verba exhalavit spiritum.* Similia exempla congerit Climachus in gradu timoris. Hujus quoque defectum, & inde nasci solitam salutis negligentiam graviter reprehendit S. Gregorius lib. 29. Moralium cap. 9. *Væ miseris nobis, qui de electione nostra nullam adhuc Dei vocem cognovimus, & jam in otio torpemus. Væ etiam laudabili vita hominum, si remotâ pietate judicemur: quia districtè discussa, inde ante oculos judicis, unde se maximè placere suspicatur, obruitur.*

2 Torporis hujus & veluti lethargi causa est exitialis securitas, quam nisi salutaris timor excusserit, lapsus gravior & facilè mors æterna consequitur. Quomodo autem vult adversarius, ut peccatores ad Deum convertat sola dilectio, nullâ præeunte formidine? Non is, extra casus rarissimos, qui miracula sunt, non exempla, solitus conversionis Ordo est à Divina providentia dispositus, teste S. Gregorio Homil. 34. in Euang. *Prava mens, si non priùs per timorem evertitur, ab assuetis vitiis non emundatur.* Idem lib. 28. Mor. cap. 8. *Cùm,* inquit, *futurorum timor infunditur, ut bona vitæ surgat ædificium, jam fundamenta construuntur.* Et S. Augustinus lib. de Catechizandis rudibus cap. 5. *Ipsa etiam severitate, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda est.* Idem. S. Doctor Tract. 9. in Epist. 1. Joan. *Opus est ergo ut intret timor primò, per quem veniat charitas, timor medicamentum, charitas sanitas.* Ibid. *Si nullus est timor, non est quâ intret charitas: sicut videmus per setam introduci linum,*

quando aliquid suitur; Seta priùs intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet, quia ideo intravit ut introduceret charitatem.

Ad omnes timoris necessitatem extendit S. Bernardus Serm. 37. In Cantic. *Teneris memoriâ; neminem absque sui cognitione salvari; de qua nimirum mater salutis humilitas oritur, & timor Domini; qui & ipse sicut initium sapientiæ, ita est & salutis... Tam ergo utraque ignorantia cavenda est tibi, quàm sinè timore & amore Dei salus esse non potest.* Audiant adversarii sinè timore & amore Dei salutem esse non posse, teste Mellifluo: sinè timore prævio, & locum præparante, non ingredi charitatem: timorem esse medicamentum, sinè quo sanitas quæ ipsa charitas est, obtineri nequeat: timorem esse bonæ vitæ fundamentum discimus ex Augustino & Gregorio. Non igitur prohiberi, non etiam dissuaderi timor debuit, tanquam bestiis proprius, & hominibus indignus.

Quin imò, inquit iterum S. Bernardus Serm. 15. in Psalm. QUI HABITAT: *Timor maxima spei est materia; quia timor est donum Dei dirigens nos ad salutem, & ex perceptione præcedentium donorum, firma est expectatio futurorum: & quia placitum est Domino super timentes eum, & utique vita in voluntate ejus, & in beneplacito ejus æterna salus.*

3 Maxima verò omnibus, etiam sanctissimis, quamdiù in hac vita sunt, trepidandi ratio est, perseverantiæ incertitudo; nisi quos singularis revelatio, quæ paucissimis obtingit, reddiderit securos. Hoc timoris incitamentum stimulavit ipsum vas electionis Paulum Apostolum ad nihil prætermittendum, quo salutem suam bonis operibus firmaret, ut testatur: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Ceciderat nempe, sanctitate & sapientia summâ à Deo donatus Lucifer, cum tot Angelorum millibus: Ceciderant sapientissimi hominum Adam, Salomon, David, atque ipsa Petra Ecclesiæ, & Princeps Apostolorum. Non minùs funesta lugemus secuta in posteris, Origene, Tertulliano, Lucifero Calaritano, & similibus, de quibus soliloquiorum author cap.29. inter opera S. Augustini tom.9. *Vidimus,* inquit, *multos Domine, ex Patribus nostris, quod utique sinè magno tremore non recolo, sinè multo timore non confiteor, ascendisse primitùs quodammodo usque ad cœlos, & inter sidera nidum suum collocasse; postmodum autem cecidisse usque ad abys-*

abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de cœlo cecidisse ab impetu furentis caudæ draconis, & eos, qui jacebant in pulvere terræ, à facie sublevantis manûs tuæ Domine, mirabiliter ascendisse. Vidimus vivos morientes, & mortuos à morte surgentes, & eos qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quasi lutum ad nihilum defluxisse. Vidimus lucem obtenebrasse, & de tenebris lucem processisse, quia publicani, & meretrices præcedent incolas in regno Cœlorum; filii autem regni ejiciuntur in tenebras exteriores.

4 Et adhuc adversarius tot columnas concussas cecidisse conspiciens, trepidare arundines non patietur? Multi ex ipso perfectionis culmine, Deo non propinqui modò; sed unione sanctificantis gratiæ intimè uniti, concupiscentiæ illecebris ac Diaboli artibus, à Deo postmodum avulsi perierunt: At ne tyronibus quidem ac peccatoribus Deo appropinquare volentibus, ad ipsum venire licitum juxta adversarios fuerit cum timore, vel sicut bestiæ repellerentur; sed per fidem & amorem accedere unicè conceditur sicut filiis!

Aurem potiùs præbeamus, & nobiscum adversarii præbeant S. Chrysostomo, in eundem Pauli locum sic monenti, non solùm tyrones; sed etiam magistros: neque solos ad Deum accedere volentes per pœnitentiam; sed sanctificante pariter gratia conjunctissimos. *Artifex*, inquit, *tegulartus, etsi valdè peritus sit, cum timore tamen & tremore stat, metuens ne ab ædificio decidat: & tu credidisti; multa bona patrasti; in sublime ascendisti? cautè te ipsum continebis, & cum timore stabis: oculum vigilantem habebis, ne inde decidas: sunt enim multæ nequitiæ spirituales, quæ te dejicere conantur.*

Alterum non exigui timoris argumentum suggerit, S. Leo Serm. 8. de Epiphania dicens: *Hæc sanctis causa est tremendi, ac metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.* Superbis enim Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Ut nempe nimia confidentia & securitas, superbiæ solet esse filia, ita timor est humilitatis progenies.

5 Ultimam timoris rationem, ejusque obtinendi modum suggerit Chrysostomus in cap. 2. Epist. ad Philipp. v. 12. CUM METU ET TREMORE &c. *Quomodo*, inquit, *comparabitur iste timor? Si cogitaverimus Deum ubique præsentem esse, audire omnia, omnia videre, etiam quæ in corde sunt, & in profundo animi. Dic mihi, si tibi semper proximè juxta Principem standum esset, non cum timore adstares? Quando comedis, cogita præsentem esse Deum; adest enim. Quando dormiturus es, quando irasceris, quando rapis, quando delicias, & quidquid tandem feceris, cogita adesse Deum, & nunquam in risum incides, nunquam ad iracundiam accendêris; si cogitationem istam semper habueris, semper in timore eris, ac tremore, tanquam si propè Regem adstes.*

6 Nunc adversarius consideret, an omnes ita Principibus ac Regibus adstantes ad bestias rejiciendi sint: an S. Chrysostomus & cæteri Patres timorem docentes, bestiarum passionibus patrocinentur. Quid aliàs fieret Apostolo & reliquis Hagiographis, atque ipsi Spiritui Sancto authori præcipuo Scripturarum? Nihil enim timore in Scripturis frequentius urgetur, ut animis legentium altissimè imprimatur. Sanctos Patres mihi potiùs, quàm novos Theologos, & Ascetas exoticos constitui præceptores, præcipuè Augustinum: qui Concione 30. in Psalmum 118. ad istud, *Et à verbis tuis trepidavit cor meum*: ait: *Habuerunt quidem & illi [tyranni] verba minacia: Proscribo, occîdo &c; sed tua me potiùs verba terruerunt: Nolite timere eos, qui occidunt corpus; sed eum timete, qui potest corpus & animam perdere in gehennam. Ab his verbis tuis formidavit cor meum, & contempsi persecutorem meum, & vici Diabolum.* Brevissimè; sed nervosè in Psalmum 68. *Quis non bibat tribulationis temporalis poculum metuens ignis gehennam?*

S. Chrysostomus ad populum Antiochenum Hom. 15. interrogat; *Quid gehennâ gravius? sed hujus metu, nihil utilius. Gehennæ namque timor, regni nobis adfert coronam, nihil enim tantum peccata quidem consumit, virtutem crescere facit & germinare, quantum continui timoris natura. Propterea qui non vivit in timore, rectè illum agere non est facile; sicut vicissim cum timore viventem impossibile est peccare. Nisi bonus esset timor, non multos Christus impendisset sermones, & longos, de illa pœna & supplicio loquens.* S. Basilius in Psalmum 33. *Nisi timor instituendæ vitæ nostræ rudimenta faciat, impossibile fueris, castitatem sanctimoniamque legitimè observari.* Ibid. in illud *Divites eguerunt: Timor salutaris est, qui sanctitatis operatorius. Vis enarrem, qualis sit? si quando senseris te ad unum aliquod cieri, ac prosilire peccatum, ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mortalium tolerabile judicium... Hæc time, & hoc timore eruditus animam à concupiscentia ad hæc mala, velut fræno quodam, cohibe ab*

ab ea, quæ ad malum eſt, cupiditate. Hunc Domini timorem nos Pater promiſit ſe eſſe doctorum. Promiſitne Pater ſe doctorum eſſe timorem illicitum,& brutalibus paſſionibus æquiparatum? Doctorem turpitudinis Deum facere, eique attribuere ſuaſionem à ſanctimonia retrahentem, numerabit omnis Catholicus inter blaſphemias.

7 Et paulò ante: *Quemadmodum qui corporis membra habent clavis transfixa, ea habent ad operationem immobilia; ſic quorum animum occupavit Dei timor, omnem importunitatem, quæ ex peccati affectione ac perturbatione oritur, vitant. Timenti itaque non eſt inopia, hoc eſt, nihil illi ad ullam virtutem deeſt, qui per timorem ab omni prava actione cohibetur.* Si Deum timenti nihil ad virtutem deeſt, copioſa illa ad pietatem inſtructio oriens à timore, tutiſſima ad Deum manuductio eſt; adeò non debet hominem à Dei cultu ac pietate revocare. Imò, inquit, idem ſanctus in Pſalm. 32. *Neceſſariò velut introductorius ad pietatem timor aſſumitur; dilectio verò deinceps ſuccedens à timore ſcientifico adaptatos perficit.*

Ad formidinem veluti Divino obſequio perutilem, & præſertim incipientibus ad Deum accedere neceſſariam, ſancti Patres excitant nos, hortantur, impellunt.

Queſnellus verò,quantum fraudibus poteſt, retrahere conatur: attrahere cum reliquis SS. Doctoribus Hieronymus Tom. 3. ad Fabiolam manſione 28. *Timore ſupplicii & ejus loci, ubi eſt fletus & ſtridor dentium, deſerens Diaboli vincula, Chriſto Domino credentium turba colla ſubmittit.* Confirmat idem Auguſtinus Lib. de Catechizandis rudibus cap.5. *Rariſſimè accidit, imò verò nunquam, ut quiſquam veniat volens fieri Chriſtianus,qui non ſit aliquo Dei timore perculſus.*

Quod de venientibus ad Chriſtianiſmum Auguſtinus enuntiat, valet etiam in deſerentibus hæreſim,& à ſchiſmate volentibus ad Eccleſiam redire, ut rariſſimè, imò verò nunquam id opere exequantur, quos non aliqua Dei formido perculerit. Ideo in adverſariis, quamdiu circa præſentem Articulum & ſequentem de timore ſervili non mutaverint ſententiam, converſio apparet impoſſibilis; mox enim ubi Deus timorem inſpiraverit ſalutiferum, ſuperbus eum novatoris animus ad beſtias relegabit. Roganda igitur ſumma Numinis miſericordia, ut præſentem ante cæteros eis auferat errorem, quo ſublato ad converſionem reliquam via planior aperietur.

8 Charitatem cæteris virtutibus & Dei donis præcellere, nemo Catholicus diffitetur; verùm omnia præter eam contemnere hæreticis proprium eſt, quorum dum labia ſonant dilectionis dulcedinem, corda turgent felle amariſſimo odiorum adverſùs omnes, quos ſuis experiuntur novitatibus refragari. *Eccleſia* verò, inquit S. Gregorius lib. 19. Moralium cap. 11. *ſic ſcit bona ſuperiora ſuſcipere, ut noverit etiam inferiora venerari: quatenus nec ſumma æquet infimis nec rurſus ima deſpiciat, dum ſumma veneratur.*

Quam ſecutus regulam S. Bernardus Tract. de præcepto & diſpenſatione, *Bonus*, ait, *obedientiæ gradus eſt, ſi propter metum gehennæ quiſquam obedierit; melior tamen cùm ex amore obeditur.* Varios quoque in ipſa formidine agnoſcit bonitatis gradus Dominica 1. poſt octavam Epiphaniæ ſerm. 2. *Primus timor eſt, ne excruciemur in gehenna: ſecundus eſt ne excluſi à viſione Dei privemur tam ineffabili gloriâ: tertius replet animam omni ſolicitudine timidam, ne fortè deſeratur à gratia. Et quidem omnis timor Domini, ſicut aqua extinguit ignem, ſic extinguit peccati concupiſcentiam.* Ibid. Serm. 1. *Aqua repleantur, timore Domini cuſtodiantur; quoniam timor Domini fons vitæ: aqua, inquam, timor Domini eſt; ſi minùs ſapida; at optimè refrigerans animam noxiis deſideriis æſtuantem.*

Idem ſanctus ad illud Eccleſiaſtici cap. 7. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*, ſic monet: *Time quod in gehenna cruciatibus æternis & immenſis exponendus es.* Serm. de diverſis affectibus animæ; *jam verò ſecundo ſtatu incipit eſſe ſub Domino, qui tanquam ſervus carcerem timet, & metuit ne ſubigatur pœnis: in quo ſanè ſtatu converſio eſt, exituſque à ſeculo, & introitus vitæ*, proinde ad Deum appropinquatio.

Gregorius Nazianzenus oratione 40. in ſanctum Baptiſma. *Tres enim claſſes eorum, qui ſalutem conſequuntur eſſe ſcio; ſervorum videlicet, mercenariorum & filiorum. Si ſervus es, plagas time: ſi mercenarius, mercedem duntaxat ſpera: ſin autem ſupra hos aſſurgis, & filius es, ut patrem verere, ac bonis operibus ſtude; quia bonum eſt patri; etiamſi ex ea re nihil quæſtûs ad te rediturum ſit.* Saluſne ad beſtias pertinet, aut ad eos, qui brutalibus habenas laxant paſſionibus? Non igitur prima claſſis *beſtiarum* eſt, neque ad illas timor Domini, aut æternorum cruciatuum rejiciendus.

9 Hominem ad virtutis etiam perfectæ ſtudium induci formidine, docet clariſſimè Auguſtinus Serm. 214. de tempore: *Cùm time-*

timetur pœna, quam [Deus] *minatur, discitur amari præmium, quod pollicetur; ac sic per timorem pœnæ bona vita retinetur: per bonam vitam, bona conscientia comparatur, ut per bonam conscientiam nulla pœna timeatur. Quapropter discat timere, qui non vult timere: discat ad tempus esse solicitus, qui semper vult esse securus.* Homines timere satis noverat Quesnellus, quando, ut ad Cardinalem Norisium scripsit, è Galliis in Belgium profugit anno 1685. *ne quasi jussis Regiis rebellis è congregatione pellendus ad extremos Regni limites ablegarer.*

Neque Bruxellis, quò pervenit 25. Februarii, ab humana formidine immunis vixit, ut ipse in eadem Epistola testatur, *à solito hominum commercio segregatus, locum incolens vix paucis amicis notum, paucioribus pervium*, verebatur scilicet carcerem, in quem seriùs incidit, atque ex eo elapsus est citiùs, quàm Ecclesiæ tranquillitati, salutique congrueret animarum. Verùm *oportet hæreses esse*. In anxio illo metu hominum non attenderat Quesnellus ad illud Augustini in Psalmum 63. *Quod supra homines est time, & homines te non terrebunt. Mortem sempiternam time, & præsentem non curabis ... Ama ergo & time: ama quod promittit Deus: time quod minatur Deus: nec corrumpêris ex eo quod promittit, nec terreberis ex eo quod minatur homo.*

Formidinis à se tantopere commendatæ utilitates passim maximas prædicat Augustinus. Tract. 9. in Epist. I. Joannis, *Cœpit ergo timere diem judicii, timendo corrigit se, vigilat adversùs hostes suos, id est, peccata sua: incipit interiùs reviviscere, & mortificat membra sua, quæ sunt super terram, sicut dicit Apostolus: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: Spiritualia nequitiæ dicit membra super terram; nam sequitur & exponit, avaritiam, immunditiam, & cætera quæ illic exequitur.* In Psalm. 68. *Quis non bibat tribulationis temporalis poculum, metuens ignes gehennarum?*

10 Quod autem, ut notare cœperam, mirabile accidit, est Quesnellum, qui non exigua annis pluribus trepidare solitus fuit humana formidine, nullam in se, vel suis pati Dei vindicis. *Qui vult*, inquit, *Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque indui per instinctum naturalem, aut per timorem sicuti bestiæ; sed per fidem & amorem, sicuti filii.* Non ita Augustinus lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 18. *Cavere debemus, ne nos arbitremur non accepisse spiritum timoris Dei, quòd sinè dubio magnum est donum: non quo timore Petrus Christum negavit; sed illius timoris spiritum accepimus; de quo dicit ipse Dominus Christus: eum timete, qui habet potestatem, animam & corpus perdere in gehennam.* Potestne de timoris spiritu, qui magnum Dei donum fidelibus concessum est, asseri absque blasphemia, esse spiritum passionis brutalis, quæ impediat hominem appropinquare Deo?

Justissima contra adversarios censura est Clementis Alexandrini lib. 2. Stromatum: *Prima quidem ad salutem inclinatio nobis fides apparet, post quam timor, & spes, & pœnitentia ... Qui timorem autem accusant, legem insectantur: quod si legem, clarum est, quod illum quoque qui legem dedit.*

Fierine potest ut hæc & similia in Patrum voluminibus obvia timoris Elogia Quesnellus ignoraverit? Verùm familiaris novaturientibus spiritus est, præconceptis opinionibus litare sacra omnia, neque plus deferre Patribus, quàm suis videatur stabiliendis opinionibus opportunum, quibus sive jure, sive injuriâ accommodandæ sunt quælibet Patrum sententiæ, etiam oracula Scripturarum: de aptandis verò suis Ecclesiæ & Spir. S. dogmatibus cura minima est.

11 Convincendis hîc Augustini discipulis satis habere deberet ponderis illud sanctissimi Doctoris in Psalm. 127. de Inferorum suppliciis: *audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt impiis, timent, & continent se à peccato. Habent timorem, & per timorem continent se à peccato. Timent quidem; sed non amant justitiam. Quando autem continent se à peccatis, fit consuetudo justitiæ; & incipit quod durum erat, amari, & dulcescit Deus: & jam incipit homo justè vivere... Timet ne mittatur in gehennam ignis; bonus est & utilis iste timor*, ut scilicet homines à libidine retrahat, & perversæ cuilibet frænum injiciens cupiditati, peccatores assuefaciat justitiæ, amorem excitet mandatorum, & supremi Numinis dulcescat obsequium.

Hanc communis Magistri sententiam optimè assecutus author lib. 2. de vocatione gentiũ, c. 29. *Quid tam beatificum* (exclamat) *quàm hic timor ... Cùm ergo hic timor etiam per quandam vim magni terroris immittitur, non ibi ratio extinguitur, nec intellectus aufertur; sed illa potiùs quæ mentem premebat caligo discutitur, ut voluntas depravata prius, atque captiva, recta efficiatur & libera.*

Non igitur timore homo redditur bestialis, dum adeò non extinguitur per illum ratio, non intellectus tollitur, aut obscuratur, ut potiùs, quas brutalis passio offuderat tenebras, timor dissipet, depravatam

tam vitiis voluntatem, à bestiali revocet turpitudine, dissolutis etiam paulatim, quibus captiva tenebatur vinculis habituum, liberam efficiat & fide non mortua Christianam, denique inductâ Numinis dilectione quodammodo Divinam.

12 Augustini quoque Præceptor Ambrosius Serm. 8. in Psalmum 118. ad illud, *Particeps ego sum timentium te* sapienter monet: *Quia sunt qui ignava formidine pertimescunt, & hebeti trepidant metu, addidit, & custodientium mandata tua ... Qui ergo timet, custodit: ergo ejus est custodire, qui timeat.* In eundem Psal. Serm. 13. *Tunc cognoscitur Dominus, cùm timentium convertit affectus gravi terrore judicii.*

Rursus in eundem Psal. *Is qui in judiciis Dei sperat, servare potest verbum veritatis; quia dum veretur pœnam, custodit gratiam: ideoque ait: Et custodiam legem tuam semper.* Si ignavam adversarius formidinem, & trepidationem hebetem separans à valida, quæ legis & gratiæ custos optima est, reprehenderet, haberet ut patet suffragatorem Ambrosium; Verùm ubi timorem arguit sinè Discrimine, sinè exceptione, neminem inter Catholicos reperiet consentientem.

S. Gregorius Magnus lib. 2. in lib. 1. Regum cap. 2. ad illud: *Dominus mortificat & vivificat, ducit ad inferos, & reducit,* ita monet: *Ut mortificet, ducit ad inferos: & ut vivificet, reducit ab inferis. Omnipotenti etenim Deo ad inferos ducere, est peccatorum corda æternorum cruciatuum consideratione terrere. Ei quoque ab inferis reducere est territas pœnitentium, atque commissa lugentium mentes spe vitæ indesinentis attollere. Tunc enim peccare desinimus, cùm supernâ gratiâ mollitis cordibus futura tormenta formidamus, & ab inferis reducimur, cùm interno visitati solatio ad spem veniæ de pœnitentiæ lamento respiramus.*

13 Idem sanctus Homilia 7. in Ezechielem de timendo supremo Judice: *Hunc,* inquit, *ideo tunc electi terribilem non videbunt, quia modò terrorem illius considerare non cessant. Studiosè enim considerant, quàm terribilis ad judicium veniat: culpas anteactas deflent, imminentes declinant. Pavorem illius quotidie ante oculos mentis ponunt, & timendo agunt, ne, quando venerit, pertimescant, & quia ipse pavor ejus, quem in suis cogitationibus tenent, eorum mentes protegit, rectè subjungitur: Extenti super capita eorum desuper ... Si enim pavendus jam in eorum cordibus non esset, protector & modo à peccatis, & post à suppliciis non fuisset: Quia autem semper considerant, quis pavor ex judicio immineat, virtutum pennas in rectitudinem conservant.*

Homilia 26. in Euangelia. *Hunc tanti timoris judicem ante oculos ponite: hunc venturum timete, ut, cùm venerit, non timidi; sed securi videatis. Timendus ergo est, ne timeatur. Terror ejus nos ad usum bonæ operationis exerceat: metus illius vitam nostram à pravitate compescat.*

CAP. III.

Error Tridentino Concilio, & Apostolicis definitionibus convincitur.

1 Nihil cogitari potest Articulo Quesnelli magis oppositum, quàm Tridentina Synodus, sive Sessionem ejus sextam consideres, sive decimam quartam; utrobique enim timorem, conceptamque ex eo detestationem criminum prædicat veluti perutilem reconciliandis Deo peccatoribus dispositionem.

In primis sessione 6. cap. 6. *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divinà gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ Divinitus revelata & promissa sunt ... &, dum peccatores se esse intelligentes, à Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt:* Ubi de *præparationis* ad justificationem modo agitur, ut titulus promittebat, & totum caput exequitur.

Præparatio autem illa, ut patet, initium ducit à revelatorum fide: deinde homo sibi conscius peccatorum, *timore utiliter concutitur* imminentium suppliciorum, nisi pœnitentiam egerit. Ad hanc erigitur, & animatur spe veniæ, paulatim gradum faciens ad dilectionem, quam in peccatoris animum Quesnellus temerè confidit spretâ omni formidine introducendam; nam etsi denegari Deo nequeat modus alius possibilis, quàm prævio timore, ut tamen superiore capite à Patribus traditum vidimus, atque hic à Concilio confirmatum, modus justificationis communissimus, Divinâ disponente providentiâ, timorem exigit, quo via sternitur ad charitatem.

Nonne metus exitii Ninivitas adduxit ad pœnitentiam? *Hoc enim timore,* inquit Synodus Sessione 14. cap. 4. *utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam ter-*

terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Deo impetrarunt. Ita quidem in Spiritu sancto congregati Antistites. Verùm in Quesnelli sententia omnes erraverint. Repelli enim Ninivitæ debuerant cum timore, velut inutili, & bestiis digno, non hominibus. Jonas quoque cum sua plena terroribus prædicatione, reprehendi meruerat, ob excitatam terrificis adeò clamoribus & comminationibus in civium animis *passionem brutalem*, cùm sola eis proponenda fuerit cum *Fide dilectio*, sic nempe, & non aliter appropinquare Deo oportuit, rescissâ penitùs formidine, veluti rationalem animam nimiùm dedecente.

2 Eodem capite definit Synodus *Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ* (ut excludit aliquando) *declarat .... Dei donum esse, & Spiritûs sancti impulsum*. Non hic discutimus utrum attritio illa ad valorem & fructum absolutionis sufficiat; istud enim alterius disputationis, & hic minimè necessariæ argumentum est; sed an attritio illa excludere possit, & reipsa excludat aliquando voluntatem peccandi. Affirmat Synodus excludere vel supponit, ac proinde *Dei donum esse, & Spiritûs sancti impulsum*.

Ita Synodum se ipsâ satis perspicuam intellexit & explicuit Alexander VII. in S. Officii Decreto anni 1667. quintâ Maji. „ Sanctissimus Dominus Noster Alexander „ Papa VII. cùm acceperit non sinè gravi „ animi mœrore, scholasticos quosdam a„ criùs, nec absque fidelium scandalo in„ ter se contendere, an illa attritio, quæ „ concipitur ex metu gehennæ, excludens „ voluntatem peccandi cum spe veniæ, „ ad impetrandam gratiam in Sacramento „ pœnitentiæ, requirat insuper aliquem „ actum dilectionis Dei, asserentibus qui„ busdam, negantibus aliis; & invicem ad„ versam sententiam censurantibus, Sanc„ titas sua enixè cupiens vinculum pacis „ inter fideles servari .... Hoc præsenti „ Decreto in virtute sanctæ obedientiæ, & „ sub pœna excommunicationis latæ sen„ tentiæ, huic S. Sedi reservatæ, aliisque „ pœnis ejusdem S. Sedis arbitrio taxan„ dis, præcipit cunctis & singulis fidelibus, „ quocumque gradu ac dignitate, etiam „ Episcopali & majori, imò & Cardinalitiâ „ fulgentibus ut ... non audeant alicujus „ Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, „ aut contumeliæ notâ taxare alteram „ sententiam, sive negantem necessitatem „ aliqualis dilectionis Dei, in præfata at„ tritione ex metu gehennæ concepta, quæ „ hodie inter Scholasticos communior vi„ detur, sive asserentem dictæ dilectionis „ necessitatem, donec ab hac S. Sede fue„ rit aliquid in hac re definitum. „ Evidens autem est non levis *injuria*, seu *contumelia notâ taxari attritionem ex metu gehennæ conceptam*, sinè *dilectione Dei*, quando *metus* ille asseritur *passio brutalis*, & ex eo volens *appropinquare* Deo, dicitur agere *sicut bestia*.

3 Istud quoque in Decreti verbis perspicuum est, non fuisse ibi inter Catholicos controversiam, an descripta illic Attritio sit Spiritûs sancti impulsus, possetque peccandi excludere voluntatem, ut adversarii contra patentissimam veritatem in verbis Pontificis elucentem, contendere cœperunt, sed dissidium omne inter Theologos ibi memoratum, atque in sua utrimque pacificè disputandi relictum possessione fuit, utrum talis attritio, quæ & voluntatem peccandi excludere, & Spiritûs sancti impulsus esse, & comitem habere spem veniæ supponitur, *ad impetrandam gratiam in Sacramento pœnitentiæ requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei, asserentibus quibusdam, negantibus aliis*.

Is litis scholasticæ status ab Alexandro VII. perspicuè expositus fuit, cui novaturientium vafrities frustrà tenebras affundere conata est, ut ad aliam derivaretur materiam disceptatio, &, quod certum est, vocaretur in dubium. Sapientissimè istud nos monuere Carmelitani excalceati Salmanticenses scholæ Angelicæ discipuli Tract. 24. de pœnitentia disput. 7. de contritione dub. 1. num. 45. citata declaratione Pontificia, *unde*, inquiunt, *liquet eos, qui modò ut probent non sufficere solam attritionem, opponunt attritionem solam non posse excludere actualem voluntatem peccandi, destruere subjectum controversiæ, & punctum difficultatis non attingere*.

Manet itaque extra disputationem probabilem, quod talis attritio dilectionis expers, quidquid sit de ejus ad recipiendam in pœnitentiæ Sacramento gratiam sufficiente robore, vel non sufficiente, supernaturalis sit, ex gratia Salvatoris, ac proptera nullam habeat cum *passionibus brutalibus* connexionem.

4 Consideret etiam Lector, an se Quesnellus facilè subducturus sit Tridentino anathemati sess. 6. can. 8. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam*

Dei

Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit. Indulgere voluntariè passioni brutali, appropinquare Deo sicuti bestiæ, dedecet procul dubio hominem Christianum, proinde, maximè in Qnesnelli sententia, non excusabitur à peccato, atque ita peccatoribus ad justitiam etiam remotè disponendis timor adeò non erit utilis, ut etiam noxius futurus sit, & peccatores faciens deteriores.

S. Ignatium adversarii, etiam qui ejus ordinem odetunt, quasi à sanctissimo parente nimiùm degenerem, venerari se & colere profitentur. Proinde non dedignabuntur ejus hic audire sententiam, cui pondus addidit & authoritatem irrefragabilem Sedis Apostolicæ approbatio. Sic ille in Libello Exercitiorum, qui Divina magis inspiratione, quam humanâ industriâ conscriptus creditur; *Documento* 18. „ Quamvis summè laudabile sit, atque utile, ex „ dilectione pura inservire Deo, nihilominus tamen valdè commendandus Majestatis Divinæ timor. Neque porrò is „ timor solùm, quem filialem appellamus, „ qui pius est ac sanctus maximè; verùm „ etiam alter servilis dictus, quippe qui „ homini utilis est admodum, sæpenumero „ necessarius, ut à mortali peccato, quando incidere contingit, resurgere promptè studeamus: à quo dum erimus immunes atque alieni, faciliùs patebit ascensus ad timorem illum filialem Deo penitùs acceptum, qui nobis cum ipso Deo „ unionem præstat & conservat.

Hanc S. Ignatii sententiam confirmat authoritas Apostolica Pauli III. qui postquam Libellum accurato examine discuti curaverat, eum Bullâ Pastoralis Officii anno 1548. die ultima Julii sic approbavit: „ Documenta & Exercitia prædicta, ac „ omnia & singula in eis contenta, authoritate prædicta (*Apostolica*) ex certa scientia nostra approbamus, collaudamus, ac „ præsentis scripti patrocinio communimus, hortantes plurimum in Domino omnes & singulos utriusque sexus Christifideles ubilibet constitutos, ut tam piis „ docnmentis & exercitiis uti, & instrui „ devotè velint. „

5 Addere liceat aliquid ex Societatis Instituto à pluribus approbato Pontificibus, atque à Tridentinis Patribus laudato. Illic parte 3. cap. 1. §. 26. Ita suos Ignatius commonet: „ Omnes rectam habere intentionem studeant, non solùm circa vitæ „ suæ statum; verùm etiam circa res omnes particulares, id semper in eis sincerè „ spectantes, ut serviant, & placeant Divinæ Bonitati propter se ipsam, & propter charitatem, & eximia beneficia, quibus prævenit nos, potiùs quàm ob timorem pœnarum, vel spem præmiorum, „ quamvis hinc etiam juvari debeant: „ Ut ad Deum scilicet faciliùs adducantur, & promptiùs; atque in ejus obsequio firmiùs perseverent. Alienissimus itaque sacer ille timor est ab impediendo mortalium ad Deum accessum, aut rationali animo brutalibus maculando passionibus aut vitiis. Adversarii autem dignâ novatoribus fide, quoties pro necessitate amoris perpetui citant eam Ignatii sententiam, sistunt in eo, *vel spem præmiorum*, rescisso quod sequitur, & quo damnatæ Propositioni nihil est infestius.

Denique inextricabilis Quesnello laqueus est definitio Alexandri VIII. contra Propositiones duas ex 31. ab eodem Pontifice damnatis, quarum decimaqnarta est: *Timor gehennæ non est supernaturalis*; 15. *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis*. Si verò ut omnibus modò catholicis firmiter tenendum est, timor gehennæ, & concepta ex eo attritio, bonus motus, ac supernaturalis sit, liquet neque passionem brutalem esse, neque homines à Deo avertere; sed eis ad Deum adducendis stabiliendisque in justitia esse accommodatissimum.

CAPUT IV.

Damnata Propositio adversatur Scholasticorum omnium ac totius Ecclesiæ sensui.

1 SCholas Angelicam & Seraphicam Quesnello contrarias esse, novit quisquis in Theologicis peregrinus non est. Sic nempe S. Thomas part. 3. quæst. 85. art. 5. ad tertium: *Dicendum, quòd ipse etiam motus timoris procedit ex actu Dei convertentis cor: unde dicitur Deuteronom. 5. Quis det eos talem habere mentem, ut timeant me! Et ideo per hoc quòd pœnitentia à timore procedit, non excluditur, quin procedat ex actu Dei convertentis cor*. Evidens est, quòd pœnitentia procedens ex passione brutali, vel ex timore qualis est in bestiis, non procedat ex actu Dei convertentis cor: neque blasphemiæ notam evadit, quisquis asseruerit oppositum, videlicet motum timoris, qualis in brutis animantibus est, pro-

cedere ex Divinæ gratiæ auxilio, sive *ex actu Dei* peccatricem animam *convertentis*.

Ibidem in resolutione: *Alio modò possumus loqui de pœnitentia quantum ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur, quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor ... Secundus actus est motus Fidei. Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur ... Sic igitur patet quòd actus pœnitentiæ à timore servili procedit sicut à primo motu affectûs ad hoc ordinato; à timore autem filiali, sicut ab immediato & proximo principio*. Nonne quoque blasphemiam sapit, quod suppositâ Angelici doctrinâ verissimâ, sequitur ex Quesnelli Articulo, timorem bestiis proprium, esse unum ex *actibus quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur*: item *actum pœnitentiæ* à passione brutali *procedere*, *sicut à primo motu affectûs ad hoc ordinato*?

2 Idem sanctus in Epistolam ad Rom. cap. 8. lect. 3. ad illud, *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore*, monet, *observandum esse, quòd Spiritus Sanctus duos affectus facit in nobis: unum quidem timoris: Isaiæ 11. Replebit eum spiritus timoris Domini, alium amoris*. Indubiè iterùm blasphemiam sonat Quesnelli novitas, quatenus timorem, qui est effectus Spiritûs Sancti, non meliore nomine dignum statuit, quam passionis brutalis, sive hoc metu pereitum timere, ut solent bestiæ.

3 S. Bonaventura opusculo de gratia sanctificante lib. 5. cap. 4. *Timor servilis donum Spiritûs Sancti est ... Timor servilis Spiritui Sancto locum præparat, ut eum sicut seta filum introducat ...... Timor servilis duo facit: Primum est, quod viam præparat charitati; secundum quod, retrahit à peccato metu pœnæ tantùm*. Rectène dicitur, & absque blasphemiæ manifesto periculo, quod timor, qui passio brutalis, sive bestiis proprius est, sit in hominibus donum Spiritus Sancti, quod Spiritui sancto locum præparet, & retrahat (salubriter) à peccato?

Seraphicus dogma suum catholicum accipere potuit à Magistro suo Alexandro Alensi parte 3. quæst. 76. membro 2. 3. Hos Scholarum Principes secuti sunt omnium ordinum & nationum Theologi; Gabriel in 4. dist. 14. quæst. 2. dub. 3. Duvallius 2. 2. Tract. de spe, quæst. 3. art. 2. Gamachæus 1.2. quæst. 19. de dono timoris cap. 5. Bannez 2.2. quæst. 19. art. 4. conclusione 1. Durandus in 3. partem dist. 34. quæst. 4. num. 9. Dominicus Soto in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 5. Petrus le Desma in Theologia morali Tract. de Pœnitentia cap. 7. Alphonsus à Castro verbo Timor, hæresi 1. contra Lutheranos: & verbo Contritio. Navarrus Tom. 2. de contrit. cap. 1. num. 8. in Manuali. Bonacina tomo 1. disp. 5. quæst. 5. punct. 3. Prop. 3. num. 4. Puteanus 3. parte quæst. 85. art. 5. dub. 1. Lorca 2.2. quæst. 19. disp. 12. num. 4. Sect. 2. Pezantius quæst. 86. disp. 1. art. 5. Didacus Cabezudo in 3. partem de contritione quæst. 1. art. 2. dub. 2. Kellisonus 1. 2. quæst. 42. & 3. parte quæst. 1. de pœnitentia art. 2. Dionysius Carthusianus in 3. dist. 34. quæst. 3.

4 Neque existimo ullum ex catholicis Scriptoribus dissentire: aut fore me temerarium, si tot numerem damnato Articulo oppositos, quot pœnitentiam & contritionem editis libris pertractarunt. Testatur id Eckius contra Lutherum scribens lib. 1. de Pœnitentia cap. 6. dicens: *Fallitur hic apertissimè Ludderus, quòd existimat pœnitentem non posse odire peccatum, nisi afficiatur ad bonum; cùm omnis homo, qui spirat, noverit odiri peccatum propter timorem pœnæ ... Quomodo non odiret prodigus peccatum, ex quo in tantam venit miseriam ac omnium rerum inopiam? Hæc pro evacuatione fuci Ludderani, licèt per se frivoli & temerarii dicta sufficiant*. Si omnis homo, qui spirat, noverit odiri peccatum *propter timorem pœnæ*, non minus omnis Christianæ fidei principiis imbutus, novit ortum ex eo timore odium peccati ad Deum ducere, neque brutalibus adscribendum passionibus, velut germen, earum vitio maculatum.

Suspectus adversariis in hac materia esse non potest Historicus Tridentini Concilii Eminentissimus Pallavicinus, quem constat in Sacramento pœnitentiæ non nimium tribuere timori, & ex eo conceptæ pœnitentiæ; attamen lib 12. cap. 10. ait: *Reverà quantum ex actis conjicio, Theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur, tanquam inhonestum improbantium pœnæ timorem*. Neque suspectus esse potest Sylvius Thomista nobilis. Hic 2.2. Quæst. 19. art. 4. *Quod*, inquit, *timor servilis sit bonus, & ad salutem perutilis, fide certum est, definitum in Tridentino, & antea à Leone X. contra Lutherum*. Brutalis passio neque bona est, neque utilitatis unquam vel minimum contulit ad salutem, à qua potius quemlibet sibi obedientem avertit.

5 Guilielmus Estius, cujus alibi non semel patrocinium aucupantur adversarii in lib. 3. sententiarum dist. 34. §. 7. *Usque adeò autem fatendum est*, inquit, *bonum esse hunc pœnæ timorem, ut Apostolus eum testetur esse*

esse donum Spiritûs Sancti. In 4. distinctione 54. §. 13. *Quamvis igitur hic timor, neque sit justitia, neque aliquid justitiæ; quia servilis est; rectè tamen vocatur initium pœnitentiæ, justitiæ, & sapientiæ, quatenus nimirum hominem per peccatum à Deo alienatum ad pœnitentiam, justitiam, & sapientiam, & per consequens ad Deum ducit & revocat*. Si homines à Deo criminibus aversos ad pœnitentiam, ad justitiam, ad sapientiam, ad Deum ducit & revocat à peccatis, quis sapiens ad Deum cum timore appropinquare prohibeat?

Jacobus Bajus Doctor apud Lovanienses magni nominis, novitatibus Michaelis Baji non consentiens Lib. 2. de Religione Christiana cap. 84. *Ex quibus liquet, quàm falsò Lutherus dixerit, timorem servilem esse malum; quia efficit hominem hypocritam, magisque peccatorem, cùm proprius ejus effectus sit, voluntatem à peccando impedire... Hinc Deus primum hominem timore mortis à peccando deterruit, Judæosque suppliciorum comminatione*. Conqueri meritò possent quicumque territi à Deo comminationibus homines, quòd timorem ipse incusserit, ut suis jussibus obtemperarent; cùm à sanctitate & sapientia alienum sit, facere mala ut eveniant bona, passionibus brutalibus à Deo avertentibus indulgere, ut obedientia sequatur.

6 Joannes Malderus ex Doctore Lovaniensi Episcopus Antverpiensis 2.2. quæst. 19. art. 4. *Timorem gehennæ non esse malum definit Tridentinum sess. 6. can. 8. estque tam evidens, ac amare beatitudinem, quâ privat gehenna, esse bonum*. Num & beatitudinis æternæ amor passio brutalis est? Prosequamur aliquantum in Lovaniensibus, quorum authoritas adversariis potissimùm venerabilis est. Joannes Wiggers de virtutibus Theologicis quæst. 19. art. 4. *Timor pœnæ à Deo infligendæ secundùm se utilis est & bonus*. Guilielmus Mercerus ad supplementum D. Thomæ quæst. 1. art. de contritione ait: *Bonum esse detestari peccatum propter timorem gehennæ, non solùm ut occasionem (prout vexatio dicitur dare intellectum) sed etiam ut finem proximum; quia intentio finis ex objecto suo bona est, cùm sit voluntas fugiendi pœnam ex se odio dignam: & medium, scilicet detestari peccatum, est bonum, & proportionatum ad illum finem*. Tunc Lovanium nondum didicerat, neque ab ullo audiverat somniatum, gehennam cognosci à bestiis & timeri, ut ejus timor, brutalis passio censeretur; sive quòd quisquis *Deo appropinquare vult cum timore* qualicunque etiam gehennæ, velit accedere *sicut bestia*.

Sed neque hoc tempore Lovanienses Theologi, utpote Constitutioni UNIGENITUS consensu unanimi obedientes, novitatem istiusmodi insanissimam admittunt. Grammaticos ibi aliquot & Philosophos nihil moror, quibus non incongruè applicueris illud *Ne sutor ultra crepidam*. Eckius quoque eam imperitorum audaciam, ut Lutheranam, exciperet lib. 1. de pœnitentia cap. 5. *pellem detrahens asinis leoninam*. Invehitur illic Eckius in opinionem, quæ etiam Quesnelli est in præsenti Articulo, negantem timori cuilibet auxilium gratiæ. Uter autem absurdiùs loquatur Lutherus, an Quesnellus capite proximo examinabimus.

7 Ruardus Tapperus Luthero pariter infensissimus art. 4. pag. 185. *Attritio ex timore pœnarum supernaturalium, idonea dispositio est ad Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ gratiam percipiendam, ut cùm quis detestatur omnia peccata mortalia, & propterea confitetur, ne per peccatum excludatur à gloria, vel ne in supplicium ignis sempiterni conjiciatur: qui etiamsi cognoscat se non habere contritionem; sed tantùm hanc attritionem, probabilis est Doctorum sententia, quòd licitè accedit ad Baptismi & pœnitentiæ Sacramenta suscipienda*. Tantum hic nobis opus non est; quidquid enim sit de sufficiente, & ultima dispositione ad percipiendam Sacramenti gratiam requisitâ, satis præsenti articulo obterendo est, quod timor aliquis sit idonea, sive utilis ad Sacramentum præparatio, ut constet non esse brutalem & indecoram hominibus passionem.

Driedo de captiv. & redemp. Tract. 4. cap. 7. *Manifestum est timorem gehennæ ignis, qui & donum est Spiritûs Sancti, esse utilem ad justificationem impii, & ex illo conversionem hominis sæpenumero sumere originem*.

Judocus Ravestein Tiletanus parte 1. de præparatione ad justificationem cap. 1. *Ex fide per considerationem Divinæ justitiæ nascitur timor, quo utiliter concutiuntur homines ut peccata deserant*.

Thomas Stapletonus Tom. 2. proleg. 1. in lib. 5. *Hic timor, etsi servilis sit, nec semper necessaria dispositio, tamen & utilis est quoties adhibetur, & cum contraria dispositione nemo justificatur... tùm timor gehennæ objectum habeat proportionatum timori, & nullâ circumstantiâ extrinsecâ vitietur, necessariò debet esse bonus. Utiliter autem disponere inde constat, quòd & à peccatis cavere, & de præteritis dolere, & ad Dei misericordiam confugere docet*.

Joannes Fischerus Episcopus Roffen-

ſis Cardinalis, Martyrio, quàm purpurâ glorioſior ſcribens contra Lutheri Articulos pag. 65. ait: *Tria ſunt, quæ faciunt homines à vitiis temperare; ideſt, aut metus gehennæ &c.... Fides namque eſt, quæ futuri judicii, ac ſuppliciorum metu, vitiorum facit contagia declinari*. Metus, qui paſſio brutorum eſt, ſive quo ſicut beſtiæ formidamus, differt plurimùm à timore Divini Judicii, atque imminentium ex eo ſuppliciorum.

8 Roffenſi ſocium demus non minus virtutibus & ſcientiâ, quàm dignitatibus eminentem Bellarminum. Is de pœnitentia lib. 2. cap. 17. timores quatuor recenſet, quorum primus eſt naturalis, qui paſſio quædam eſt partis inferioris. De iſtiuſmodi timore nulla diſceptatio eſt. Secundus à Theologis dicitur mundanus, quo ad vitandum incommodum temporale Deus offenditur. Tali formidine Petrus Chriſtum negavit: neque de hac dubium eſt quin mala ſit.

Tertius, inquit Bellarminus, *eſt timor pœnæ, quam Deus ipſe peccatoribus comminatur; ſed cum timore offenſionis Divinæ ita conjunctus, ut licet homo vehementer pœnam timeat; magìs tamen offenſionem Dei, quàm pœnam illam timeat. Atque hic timor ſervilis dici ſolet quoad ſubſtantiam; ſed abſque ſervilitate, & ordinatus ac bonus eſt... Quartus timor eſt propriè ſervilis, quo videlicet peccator ita Deum punientem timet, ut ſolius pœnæ fugiendæ cauſâ, à peccatis perpetrandis caveat, & de perpetratis doleat... De hoc igitur timore tota controverſia eſt; hunc enim Lutherus damnabat, ut qui faceret homines hypocritas, & magìs peccatores: & hunc eundem Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 4. bonum atque utilem eſſe, & à Deo excitari docet.*

Denique audiatur S. Franciſcus Saleſius, qui ut teſtatur Eccleſia in Officio Canonico, *ſcriptis cœleſti doctrina refertis Eccleſiam illuſtravit, quibus iter ad Chriſtianam perfectionem tutum ac planum demonſtrat*. Is Lib. 11. de amore Dei cap. 16. *Quantùm*, inquit, *ad timores ſervorum & mercenariorum, non procedunt quidem ab amore; ſed ordinariè ipſum præcedunt, ut ſint ei inſtar prodromorum & hoſpitii deſignatorum. Sunt iſti ſæpe perutiles ejus ſervitio... Divina Bonitas volens in anima hominis collocare magnam virtutum diverſitatem, & tandem eam exornare ſacro ſuo amore, utitur acu timoris ſervilis & mercenarii, quâ ordinariè omnium primò corda noſtra punguntur.*

Cap. 17. *Quamvis timor ſervilis & mercenarius plurimùm ſit utilis pro hac vita mortali &c.*

Cap. 18. *Etſi Chriſtus Salvator venerit, ut afferret nobis legem amoris, non intermiſit tamen inculcare legem timoris. Timete, inquit, illum qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam... Denique iſte timor comprehenſus eſt in donis Spiritûs Sancti, ut plures ex antiquis Patribus notarunt.*

Non igitur S. Saleſio viſus eſt timor ſive ſervilis, ſive mercenarius impedire acceſſum hominis ad Deum, cùm uterque ſit amoris prodromus, eique deſignet hoſpitium ac locum præparet in animo peccatoris. Non exiguam autem totius novi Syſtematis partem deſtruit illud Saleſii de *magna diverſitate virtutum*, quæ in hominibus à Deo præmittitur dilectioni. Inter prævias ad amorem diſpoſitiones ponitur à Saleſio timor tum ſervilis, tum mercenarius, veluti bonus & perutilis ad ſalutem. Unde non ſolùm corruit præſens Articulus, ſed etiam ſequens: præterea quadrageſimus quartus cum reliquis de charitate, quibus omnis actio arguitur vitii quæ ab amore Dei non profluxerit. Hic autem Antiſtes ſanctiſſimus, ut in officio Eccleſiaſtico legimus, *inſuperabili conſtantia, Deique ope protectus ſeptuaginta duo millia hæreticorum ad catholicam Fidem reduxiſſe dicitur*; Et tamen ut ingenio mitis erat, ita & in ſententiis à rigore exotico alienus. Novaturientium verò rigidorum vix alius fructus conſpicitur, quàm averſio plurimorum à fide & ſalute; Eccleſiæ quoque Catholicæ, quam ſubvertere nequeunt, luctuoſa perturbatio.

CAPUT V.

Propoſitionis Origo & Fundamentum.

1 FOrmidinem quandam eſſe paſſionem partis Inferioris hominibus cum beſtiis communem, facilè concedo: Verùm ea, neque bona moraliter eſt, neque mala; utpote non libera. Si de hac ſolùm adverſarius enuntiaſſet, hominem Deo appropinquare cupientem non debere duci ſe iſtiusmodi committere, nihil metuendum habuiſſet ab anathemate. At ſinè ullo inter timores diſcrimine, Divinum æque ac humanum, tam naturæ viribus ſuperiorem, quàm hominibus beſtiiſque inſitum, brutales inter paſſiones rejicere, atque inter juſtitiæ ſalutiſque non ſubſidia; ſed obices numerare, nemo Catholicus arbitratur in Eccleſia tolerandum, minùs in *Moralis Evangelicæ Compendio*, quæ damnati Operis inſcriptio eſt.

Luthe-

Lutherus Sermone de pœnitentia, hanc concipi jubet ex consideratione pulchritudinis, quæ in virtutibus, præcipuè in charitate est, non ex Divini judicii, aut pœnarum formidine; quasi hæc dedeceat Christianum sub amoris fœdere constitutum, neque ex animo fiat, ad quod metus impulerit: atque indè non verus pœnitens, sed merus fiat hypocrita. Has & similes timoris, etiam inter Christianos & pios usitatissimi contumelias ab hæreticis temere jactatas repressere pridem & subruêre funditus Tapperus, Eckius, Roffensis, Canisius, Bellarminus, cum innumerabili ex omnibus Ordinibus Scholasticorum agmine, Ducibus Hagiographis & Sanctis Patribus universis. His omnibus desertis, sequi Quesnellus maluit Lutherum, Jansenium, & similes novorum dogmatum architectos. Sic nempe à Sanctis Augustini castris, à fide Catholica & Religione deficiens infamis apostata Sermone de pœnitentia. *Quo magis*, inquit, *timore pœnæ, & dolore damni conteruntur, eo magis peccant, & afficiuntur suis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt odisse*.

2 Chemnitius in examine Tridentini Concilii de contritione Sess. 14. can. 5. *Contritio expavescens, consideratione iræ, & judicii Dei; etiamsi accedat fides petens & statuens remitti nobis peccata propter Christum, tamen est non salutaris, sed Judæ pœnitentia.* Rationem reddit Jansenius Tom. 3. Editionis Lovaniensis columna 577. *Timens quidquid ex illo timore fecerit, nihil ex animo, nihil ex corde, nihil volenter, nihil coram Deo; sed tantùm in speciem coram hominibus operatur. Hinc non est amicus rectitudinis, nec Dei; sed potiùs hostiles erga eum animos gerit.*

Hanc Magistri sui sententiam, authoritate veterum, & inde ducta ratione triplici stabilire nititur Arnaldus Apologia 2. pro Jansenio lib. 3. pag. 107. *Ratiocinatio*, inquit, *mirabilis istorum Ecclesiæ Magistrorum ad tria hæc reducitur principia: primum, quòd omnis actio voluntaria procedat ab aliquo amore: Secundum; quòd omnis amor necessariò, aut Dei sit, aut Creaturæ; Tertium, quòd quidquid nascitur ex amore Creaturæ, atque adeò omnis actio voluntaria, quæ non profluit à motu aliquo amoris Dei, sit necessariò peccatum.*

Eodem lib. pag. 153. Inscriptio capitis 24. est. *Quidquid non fit intentione fidei bonæ per charitatem operantis, peccatum est.* Eodem capite, pag. 159. *Augustinus errores omnes istos non dejicit, nisi eâ, quam sustinuimus hactenus, veritate; videlicet quòd nulla bona actio fieri possit, nisi intentione bonæ fidei, quæ per Dei dilectionem operatur, quodque omne aliter factum peccati maculâ contaminetur.* Quos errores in Bajo pridem à tribus Pontificibus damnatos, nempe articulo 38. 25. & 16. Arnaldi temeritas suscitavit; sed ad inferos remisit iterum Alexander VIII. feriens anathemate inter Propositiones 31. hanc 7. *Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio vel mundi: Si Dei, charitas patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.* 8. *Necesse est infidelem in omni opere peccare.* 9. *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sinè ullo ad Deum offensum respectu.* 10. *Intentio qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cælestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens.* 11 *Omne quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.*

3 Tandem ut prætermittam duodecimam & decimam tertiam, proscripta ab eodem Pontifice fuit hæc decima quarta: *Timor gehennæ non est supernaturalis.* Et 15. *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, sinè dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.* Utriusque posterioris Articuli condemnatio avertere Quesnellum debuerat, à Consilio illum restituendi, atque inserendi Observationibus, quas ad pietatem, atque ædificationem fidelium à se compositas fuisse sæpius testatus est. Aut, si prior aliqua editio cum erroribus Decretum Alexandri VIII. prævenerit, postulabat Censuræ Apostolicæ reverentia, ut inter correctiones multiplices locum etiam ista reperisset. Evidens enim est, quod, si timor aliquis gehennæ, & ex illo orta attritio est laudabilis, ac supernaturalis, de quo nullus probè Catholicus dubitat, non debuerit timor universim, & sinè discrimine accusari, veluti impediens accessum hominis ad Deum, neque inter brutales rejici passiones.

Verùm, si ob superiorum Pontificum Censuras expungenda ipsi fuerit Propositio 66. *Qui vult Deo appropinquare* &c. quid futurum censeas universo ejus de charitate Systemati? Prop. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.*

4 Timor itaque quicumque non genitus

tus à dilectione Dei, ideoque profluens ex virulento amore proprio aut mundano, non potest non ab eo venenum contrahere, Deique displicere sanctitati. Eodèm collimant Propositiones cæteræ usque ad sexagesimam: prætereo alias de timore. Fundamentum erroris præbuit Lutherus, non aliam agnoscens gratiam Christi meritis præparatam, quàm Numinis dilectionem.

Sic in Disputatione Lypsica, ad objectas sibi ab Eckio Sanctorum Patrum pro timoris bonitate sententias respondens, utitur gratiæ, & charitatis nominibus promiscuè. Sic & Quesnellus Articulo 28. *Prima*, inquit, *gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*, quam constat nemini absque dilectione obtingere extra Sacramentum. Præterea per Articulum 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*, quod autem fides absque charitate, non sit penès Quesnellum, colligitur ex Prop. 58. *Nec Deus est, nec Religio, ubi non est charitas*: & præter 44. jam citatam, perspicua est 49. *Ut nullum peccatum est, sinè amore nostri, ita nullum est opus bonum, sinè amore Dei*, proinde sinè eo, nec fides bona, ac supernaturalis: 57. *Totum deest peccatori, quandoqui deest spes, & non est spes in DEO, ubi non est amor Dei*. Igitur & fides Divina deest peccatori, ubi amore destituitur. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est, ut in eo regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*.

5 Quid clarius, quàm necesse esse, ut corrumpatur fides, atque ipsa peccatum sit, ubicumque Amor DEI non regnaverit? Non mirum igitur, quòd eo nondum dominante, etiam timorem omnem cupiditas inquinet, ac propterea is minimè idoneus reputetur, ut sit vel remotissima ad justificationem dispositio. 46. *Cupiditas aut Charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt*: Cujus asserti, si quæ ratio est, militat pariter pro cæteris animæ facultatibus, ut omnis earum usus, vel bonus sit, si eum imbuerit charitas, vel malus & cupiditatis vitio maculatus, si charitas abfuerit.

Quomodo itaque timor ad Deum accedere volenti impedimentum non sit potiùs, quàm adjumentum in omnibus qui virtutum principe destituuntur? Ita Quesnellus filum prosequitur errorum, & sicubi superare Jansenium, vel ab eo paululum declinare visus fuerit, duces reperit Lutherum, Calvinum, cum utriusque commilitonibus, quorum valeat insistere vestigiis, ac patrocinio defendi, quod in variis pro se & contra Bullam UNIGENITUS Apologiis nupertimè expertus est, ingenti indubiè inter suos solatio & gloriatione; sed non minore penès Catholicos dedecore. Notus est Tractatus Ulmensis Joannis Frickii, contra *Inclementiam Clementis* cum ejusdem farinæ Thesibus, & *Reflexionibus* in Hollandia *indifferentibus*. Superest ut unio Ecclesiæ Anglicanæ cum aliquibus Gallicanis, ut dicitur tentata, tempore magis prospero, & firmatis magis Quesnelliarum partium viribus perficiatur.

CAPUT VI.

Repelluntur Argumenta opposita.

1 NUsquam prætetire possunt Adversarii illud Apostoli Rom. 8. v. 15. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater*. Hoc solo diluere se putant quidquid sordium fœtet in omnibus de timore Articulis. Frustrà autem expectamus, ut assertionis suæ cum sacro textu similitudinem ostendant, quod & se minimè posse satis perspiciunt; à simplicibus tamen sibi devotis confidunt solitâ credulitate supponendum.

Propositio Quesnelli, ut patet, agit de Peccatoribus converti cupientibus: *Qui vult Deo appropinquare*, &c. Textus Apostoli de justificatis, & Deo charitatis spiritu intimè unitis enuntiat: *Non accepistis spiritum servitutis iterùm in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*; quibus spiritus amoris magis convenit, quam timoris.

Neque tamen hunc contemnendum, veluti bestialem, monet Apostolus; cùm hominibus à Deo datus sit, ut ad justitiam præparentur & salutem, teste Augustino, lib. de gratia & libero arbitrio cap. 18. *Cavere debemus, ne nos arbitremur non accepisse spiritum timoris Dei, quod sinè dubio magnum est donum Dei... Non quo timore Petrus Christum negavit: sed illius timoris spiritum accepimus, de quo dicit ipse Dominus Christus: Eum timete, qui habet potestatem, animam & corpus mittere in gehennam*.

Eum, inquam, timete, quia, ut Augustinus lib. de Catechizandis rudibus ait cap. 5. *Rarissimè fit, imo verò nunquam, ut quisquam, veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus*.

2 Quod de venientibus ad Christianismum asseritur, locum æquè obtinet in peccatoribus reconciliationem ambientibus. Num passio brutalis in hominibus dicitur

magnum

magnum Dei donum? Imò inter magnas blasphemias rejiciet quicumque sapit Christianè; sed neque peccator charitate donatur, nisi metu prævio, ut testatur Augustinus locis plurimis, præsertim Tract. 9. in Joannem: *Si nullus est timor, non est quà intret Charitas.*

Ibid. *Opus est ergo ut intret timor primò, per quem veniat Charitas: timor medicamentum, Charitas sanitas.* Lib. de Catechizandis rudibus cap. 5. *Ipsa etiam severitate, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur; Charitas ædificanda est.*

Denique S. Thomas in objectum Apostoli Textum ait: *Idem est Spiritus, scilicet qui in quibusdam facit timorem servilem, quasi imperfectum, in aliis facit amorem, quasi quoddam perfectum.*

Estne charitas ædificanda formidine, quæ passio brutalis sit, vel homine indigna, & solis conveniens bestiis actio? Num timor, qui veluti fundamentum præbeat charitati, censendus obex est, ne ad Deum accedere volenti, aditus concedatur? Rectè igitur de justis, quales supponit benignè Apostolus esse fideles, quos alloquitur, vel saltem fuisse quando baptismate initiati sunt, asserit quod spiritum adoptionis filiorum acceperint, non spiritum servitutis in timore, sive in signis metum incutientibus; qualia fuere tonitrua, & gravium intentatio suppliciorum; quamvis largiendo nobis spiritum amoris, non subtraxerit salutiferi spiritum timoris. Ea, ut vidimus, Augustini & Angelici interpretatio est, Catholicorum nemine dissentiente, solis oblatrantibus Luthero, Quesnello & similibus.

3 Non minùs frivola objectio est ex illo 2. Timoth. 1. v. 7. *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris; sed virtutis & dilectionis, & sobrietatis.* Quid hic reprehensionem potissimùm exigit, affectata adversariorum ignorantia, an perfidia detestabilis, quâ Divini Codicis verba assumunt ad stabiliendum Articulum, ad quem certissimè conscii sunt, ea minimè pertinere. Non enim sacrarum Literarum tam imperiti sunt, ut nesciant timoris nomine hic non intelligi eum, de quo ipsos inter & nos disceptatio est, videlicet Dei vindicis, atque imminentium reprobis suppliciorum; sed timorem humanum & mundanum oppositum Divino, utpotè inducentem ad parendum hominibus contra Deum; ne temporalia subire cogamur incommoda, quali formidine Petrus in negationis, & perjurii sacrilegium prolapsus est. Sic nempe in textu Apostoli sequitur: *Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus; sed collabora Evangelio secundùm virtutem Dei, qui nos liberavit, & vocavit vocatione sancta.*

In quem locum sic Angelicus. „ *Non dedit nobis Deus spiritum timoris*, scilicet mundani; quia hunc Deus aufert à nobis Matthæi 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus &c.* Est alius spiritus timoris Domini & sanctus, & iste facit ut timeatur Deus: hic autem est sinè offensa, & hic est à Deo Matth. 10. *Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Addit *sed virtutis*: qui per Spiritum Sanctum dirigimur in malis, & hoc per virtutem scilicet fortitudinis contra adversa mundi... *Sed collabora*: A solita autem prædicationis gratia poterat impediri propter duo: primò propter erubescentiam: secundò ex pœna Apostoli, quam patiebatur propter Euangelium... Prædicatio enim Christi, si referatur ad sapientiam mundi videbatur stulta, unde erubescentiam habere videbatur... Quantùm ad secundum, sciendum est quod si latro videt aliquem suspensum, erubescit se confiteri socium ejus. Sic quia Apostolus erat vinctus, poterat eum Timotheus erubescere, & & ideo dicit, *Neque me vinctum ejus.* „ Unde patet istud *sed virtutis & dilectionis*. non opponi spiritui timoris Dei, quo à peccatis avertimur; sed spiritui timoris mundani, quo vitandi supplicii, vel opprobrii causâ mandatum Dei prætermittimus.

4 Sic in eundem locum Cornelius à Lapide „ *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris*: Quasi dicat (Apostolus) à Deo accepimus spiritum non timiditatis, ut in persecutionibus & tentationibus paveamus, & animo contrahamur; sed è contratio accepimus spiritum magnanimitatis, ut potenter omnia adversa superemus, liberèque Christi fidem prædicemus, & propugnemus: ac proinde hunc spiritum magnanimitatis, cùm aliquis timor aut torpor obrepit, excitare debemus, & animosè, ac fortiter dura & ardua quævis aggredi... Unde nota pro *spiritum timoris*, græcè est δειλίας, id est, timiditatis & ignaviæ, qualis est eorum, qui animo sunt imbelli & pavido. *Sed virtutis* græcè δυνάμεως, id est, fortitudinis & roboris, ut fortiter fidem non tantùm teneamus; sed & fortiter teneamus; & prædicemus in persecutione inter medios hostes: nec timeamus pro ea mori, adeòque cùm simus

„ mus Episcopi, quasi duces populo præ-
„ eamus ad martyrium.„

Vel igitur pudenda in adversariis ignorantia scripturæ est, hallucinantibus in loci intelligentia tam obvia, & à nullo interprete catholico vocata in dubium, aut verisimiliùs digna hæreticis perfidia est, dum exploratum habentes sensum de timore mundano, qui opponitur ei de quo controversia est, unum alteri substituunt, confundentes scilicet formidinem mundi, flagitia suadentem, cum ea, quæ ad evadenda inferorum supplicia crimen quodlibet horrere docet, & fugere.

Ex eo quoque manifestior fit & minùs condonanda perfidia, quòd Græci idiomatis peritiam jactare novatores cæteris soleant ambitiosiùs. Sic igitur oppositi nobis vim argumenti, & acumen stolidum Lector accipe: Non dedit nobis Deus spiritum timoris mundani, quo in persecutione deficiamus à nostro munere prædicandi intrepidè Euangelii, vel quo non audeamus Christum, obnitentibus seculi potestatibus, confiteri: ergo timor quilibet damnabilis est; proinde *qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicuti bestiæ* (cùm omnis timor sit bestialis) *sed per fidem & dilectionem sicuti filii*. Argumentum omni ratione vacuum, & conclusionem insanissimam perspicit, cuicumque vel tenuissima luminis scintilla superest; insignis autem perfidiæ crimen in authore, & approbatoribus excusare non possumus, nisi stolidam eis attribuendo ignorantiam: Utrum ipsi agnoscere malint, expectabimus ut determinent.

5 Videamus interim num solidioris quidpiam ratiocinii formari pro novitate potuerit ex Patribus. Producitur Chrysostomus Hom. 4. in Epistolam 2. Corinth. versus finem. „ Cùm peccaveris, ingemisce: non quòd pœnas daturus sis (nihil
„ enim hoc est) sed quòd Dominum tuum
„ offenderis tam benignum, tam tui amantem, tam denique saluti tuæ addictum,
„ ut filium quoque suum tuâ causâ tradiderit.„ Pia Chrysostomi ad perfectam contritionem adhortatio est, quam ultrò amplectimur: &, ut omnibus altè animo infixa hæreat, atque in usum frequentiùs deducatur, vehementissimè optamus. Qualecunque criminibus infligendum apud inferos est supplicium, *nihil hoc esse* prædicatur, comparatione malitiæ quam noxa quælibet lethifera continet, utpote bonitatis infinitæ contemptus gravis, proculcatio sanguinis Christi, & ipsius si fieri posset, destructio quodammodo Divinitatis.

In se tamen profectò & sapientum omnium judicio peccati pœna adeò non est *nihili* facienda, ut nullum eâ gravius supplicium valeat excogitari, & cujus attentâ juxta ipsum Chrysostomum meditatione, nihil est ad veram pœnitentiam conducentius Hom. 15. ad populum Antiochænum: *Quid gehennâ gravius? sed hujus metu nihil utilius; gehennæ namque timor, regni nobis adfert coronam*.

Non igitur cum gehennæ formidine ad Dei obsequium accedere illicitum est, aut salutiferis fructibus destitutum. Rationem Sanctus Doctor mox suggerens: *Nihil enim*, inquit, *tantùm peccata quidem consumit, virtutem verò crescere facit & germinare, quantùm continui timoris natura*. Funestum verò adversariis est quod sequitur, *propterea qui non vivit in timore, illum rectè agere non est facile; sicut vicissim cum timore viventem est impossibile peccare... Nisi bonus esset timor, non multos impendisset Christus Sermones & longos de illa pœna & supplicio loquens*. Quesnellus autem supra Chrysostomum & supra Salvatorem ipsum sapere præsumens, prohibet accedere ad Deum cum timore, quasi is non hominibus; sed solis dignus bestiis sit.

6 Longior nobis, sed non magis metuendus objicitur locus Augustini de Spiritu & Litera cap. 32. n. 56. sic ibi: „ Sed ad-
„ huc aliquid discernendum est: quoniam
„ adhuc illi, qui sub lege sunt, & timore
„ pœnæ justitiam suam facere conantur &
„ ideo non faciunt Dei justitiam; quia cha-
„ ritas eam facit, per quam non libet, nisi
„ quod licet; Non timor, qui cogitur in
„ opere habere quod licet; cùm aliud
„ habeat in voluntate, quâ mallet, si
„ fieri posset, licere quod non licet; &
„ illi ergo credunt Deo; nam si omnino
„ non crederent, nec pœnam legis utique
„ formidarent. Sed non hanc fidem com-
„ mendat Apostolus, qui dicit: *Non enim*
„ *accepistis spiritum servitutis iterum in ti-*
„ *more; sed accepistis spiritum adoptionis fi-*
„ *liorum, in quo clamamus Abba Pater.*
„ Timor ergo ille servilis est: & ideo
„ quamvis in illo Domino credatur; non
„ tamen justitia diligitur, sed damnatio
„ timetur. Filii verò clamant Abba Pa-
„ ter... Cùm autem clamant, aliquid pe-
„ tunt; & quid petunt, nisi quod esuriunt
„ & sitiunt? Et hoc quid est, nisi quod de
„ illis dictum est, Beati qui esuriunt, & si-
„ tiunt

„ tiunt juftitiam; quoniam ipfi faturabun-
„ tur. Huc ergo tranfeant qui fub lege
„ funt, ut ex fervis filii fiant: nec fic tamen
„ ut fervi effe defiftant; fed ut tanquam
„ filii Domino & Patri liberaliter fervi-
„ ant „. Liber de fpiritu & litera contra Pelagianos eft, qui fibi legem & doctrinam arbitrati fufficere fine gratia, naturali *timore pœnæ juftitiam fuam facere conantur*: uti Judæi, quos Apoftolus Epiftolâ ad Romanos reprehendit, ubi nomine *juftitiæ fuæ* intelligitur naturalis, & prorfus alia ab ea, quæ ex Chrifti gratia eft, & magis *Dei juftitia*, quàm noftra.

7 Præterea de timore agitur non excludente *Voluntatem, qua mallet, fi fieri poffet, licere quod non licet*. Variorum fcilicet graduum timores boni funt; inferioris ordinis eft folam impediens externam pravorum operum executionem, alius reprimens etiam abfoluta quidem peccandi defideria, fed non penitùs velleitates omnes peccandi, fi pœnæ periculum abeffet, alius denique fortior & ab omni animum retinens confenfu graviter illicito, ut rectè obfervat Eminentiffimus Bellarminus lib. 2. de pœnitentia, cap. 17. Eadem aperta eft Auguftini fententia ferm. 13. de verbis Apoftoli: *Timor fervus eft: charitas libera eft; & ut fic dicamus, timor eft fervus charitatis. Ne poffideat Diabolus cor tuum, præcedat fervus in corde, & fervet Dominæ venturæ locum: fac vel timore pœnæ; fi nondum potes amore juftitiæ.*

Non poffet Diabolum impedire timor, ne vel poffidere pergeret cor peccatoris, vel poffeffionem caperet jufti, fi retrahere voluntatem à novo crimine non valeret. Ea virtus in Auguftini fententia tribuitur pœnarum formidini, etiam nondum præfente amore juftitiæ, quem veluti difpofitio introducit.

Idem fit evidentius ex Commentario Auguftini in Pfalm. 127. ubi de Inferorum fuppliciis ait: *Audiunt hæc homines, & quia verè futura funt impiis, timent, & continent fe à peccato. Timent quidem, fed non amant juftitiam; cùm autem per timorem continent fe à peccato, fit confuetudo juftitiæ, & incipit, quod durum erat, amari, & dulcefcit Deus, & jam incipit homo justè vivere.*

8 Timor itaque fuppliciorum *non* quidem *facit juftitiam* per fe & immediatè; fed per amorem ad quem præparat, atque ita Deum non complectitur: fed ad eum femitam fternit, ut proinde peccatores ad Deum per pœnitentiam accedere volentes, à timore averti minimè oporteat; fed gravifimis ad eum hortationibus induci, ut *cùm per timorem* continent fe à peccato, affuefcant paulatim operibus juftitię, feu divinorum obedientiæ præceptorum, atque ira incipiat quod durum erat, amari, & dulcefcat DEUS.

Sic itaque timor non fe folo, fed charitate, ad quam nos dirigit, *Dei juftitiam facit*. Unde rectè Auguftinus ad efuriendam & fitiendam juftitiam invitat; fed ad ipfam fitim & efuriem faluti neceffariam Timor excitat; aliàs, inquit Tractatu 9. in Joannem, *fi nullus eft timor, non eft quà intret charitas*, & rectè contra damnatum Quefnelli Articulum concludit: *Opus eft ergo ut intret timor primò, per quem veniat charitas: timor medicamentum; charitas fanitas.*

Unde & nobis concludere liceat: Qui vult DEO appropinquare, nec debet ad ipfum venire cum brutalibus paffionibus, neque induci per inftinctum naturalem, aut per timorem mundanum, *quo timore Petrus Chriftum negavit*, refte Auguftino lib. de gratia & libero arbitrio cap. 18. *Sed per timorem, de quo dicit ipfe Dominus Chriftus: eum timete, qui habet poteftatem, animam & corpus perdere in gehennam*. Quantùm autem ab inferis fuperi diftant, tantum hic timor, utpotè fupernaturalis, diffitus eft à timore Dæmonum, ac beftiarum. Denique inquit Auguftinus memorato Tract. in Epiftolam Joannis, *fi nullus eft timor, non eft quà intret charitas.*

9 Supereft Adverfariis provocatio ad Profperum; fed pariter frivola. Sanctus ille inter collectas à fe Auguftini fententias hanc ponit 172. *Nihil prodeft fpiritus timoris, ubi non eft fpiritus charitatis*. Dicimus & nos cum Apoftolo 1. Corinth. cap. 13. *Si habuero omnem fidem* (five ut Angelicus interpretatur *fidem perfectam*) *ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeft*; ideone catholicè affereretur, qui vult Deo appropinquare nec debet ad ipfum venire cum brutalibus paffionibus, neque induci per inftinctum naturalem, aut per timorem ficut beftiæ; neque per fidem; fed per amorem ficuti filii? Quidni dicatur etiam neque per fpem; fed per amorem ficuti filii?

Quemadmodum autem impium effet, fidem & fpem æquiparare brutalibus paffionibus, & prohibere ne volentes appropinquare Deo, fidem adferant & fpem, licèt veriffimum fit, quod nihil profit fpiritus fidei & fpei, ut Profper enuntiat de fpiritu timoris, ubi non eft fpiritus charitatis, ita minimè toleranda eft blafphemia, qua omnis

nis timor ad bestias rejicitur, cùm Augustinus Lib. de gratia & libero arbitrio cap. 18. solicitè moneat: *cavere debemus, ne nos arbitremur non accepisse spiritum timoris Dei, quod sinè dubio magnum est donum Dei.* Quomodo, inquies, magnum est donum Dei, & tamen juxta Prosperum, imò juxta ipsum Augustinum, ex quo ista à Prospero sententia desumpta est, nihil prodest ubi non est spiritus charitatis? Nihil prodest ut justificet aut salvet, quo sensu ab Apostolo dicitur, fides sinè charitate nihil prodest, quamvis uti ad charitatem, ita ad justitiam & salutem utilissimæ dispositiones sint, atque hoc sensu prodesse plurimùm valeant, ut docemur Scripturis, Patribus & recentiùs à Tridentino Concilio, justificationis ordinem describente sess. 6. cap. 6. & sess. 14. cap. 4.

Similiter ab Alexandro VIII. inter Propositiones 31. damnante 14. & 15. quibus asserebatur timor gehennæ, & orta ex eo contritio benevolæ dilectionis expers, non esse bonus motus ac supernaturalis. Omnia Dei dona, etiam ipsa charitas & centum annorum vita sanctissima, absque perseverantia in fine nihil prosunt ad beatitudinem; ideone reprehendentur ut mala, neque iis appropinquare Deo cum vitæ tempore oportuit? Aliud scilicet est non prodesse quidpiam per se immediatè ad consecutionem formæ vel finis, aliud est non prodesse veluti dispositionem, seu proximam, seu remotam. Timor gehennæ ad justificationem præparare hominem potest, sed non justum constituere, neque solus justitiam conferre.

CAPUT VII.

Collatoris observatio plena fraudibus convincitur.

1 Objectiones inanissimas *Collator* hac observatione concludit: *Docet author* (Propositionis) *hominem appropinquare Deo, non si veniat cum timore solo, quippe qui solus prodesse non possit; sed cum fide illa, quam commendat Apostolus, & quæ per charitatem operatur. Porrò bestiarum exemplo utitur, quod & Pauli verba, quæ tractat, de iis loquantur.*

Ad illud quod in Propositione est *cum timore*, callidè adversarius addit *solo*; quasi restrictio illa deberet subintelligi, unde non reprehensus ab authore timor fuerit; sed tantùm absentia charitatis, seu fidei per charitatem operantis. Ego verò ut observationis suæ inepțias adversarius percipiat, vel si, ut hæretici solent, voluntariam sibi delegerit cæcitatem, videat quivis Lector Catholicus, damnatæ Propositioni hanc substituo: *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque induci per fidem & spem; sed per amorem sicuti filius.* Quæro ex omni sanæ mentis Theologo: primùm an talis enuntiatio tolerari debeat, præsertim in opere multis editionibus & versionibus vulgatissimo, quod ipsa fronte gloriosam præfert epigraphen *Moralis Euangelicæ compendium*, & uti tale à dispersâ ubique Novaturientium multitudine venditatur: An non Apostolico anathemate procul ab Ecclesiæ finibus arcenda sit velut pessimè sonans, in duas priores virtutes Theologicas contumeliosa, & in rigore atque obvio verborum sensu sapiens hæresim.

Alterum quæro, num contra damnationis ejus sententiam meritò insurgeret novitatis patronus dicendo: *Docet author hominem appropinquare Deo, non si veniat cum fide & spe solis, quippe quæ sola prodesse non possint, sed cum charitate, sive fide illa, quæ per charitatem operatur.*

2 Quemadmodum in casu à me proposito cuilibet in promptu foret responsio, longè aliud esse, non induci debere hominem per fidem & spem, aliud non per fidem & spem solam; sed etiam per charitatem. Priùs velut hæreticum horrebunt aures quælibet piæ & catholicæ, utpote quo convertere se volentibus, fidei & spei exercitium dissuadeatur. Posterius patietur explicationem commodam, ut non fides & spes; sed sola removeatur amoris absentia, quæ nihil in se continet bonitatis; quin & peccatum est, quoties præcepti primi & maximi urget obligatio. Sic pariter aliud est timorem indefinitè omnem velut noxium rejicere, & annumerare passionibus bestiarum, aliud non probare timoris solitudinem, sive absentiam charitatis.

Nam timor aliquis gehennæ, & concepta ex eo attritio absque amore Dei propter se benevolo, *bonus motus ac supernaturalis est*, ut ex Tridentini Concilii, & clarissimè ex Alexandri VIII. contra Propositiones 31. definitione didicimus, quamvis ipsa amoris absentia, ut dixi, nihil complectitur bonitatis. Fides etiam informis bona & supernaturalis in peccatoribus est, licèt ipsa informitas, quæ charitatis negatio est, mala sit, ut constans fert scholasticorum omnium post Angelicum doctrina. Vociferentur autem adversarii, quantum voluerint,

rint, nunquam tolerabilem reddent assertionem, qua ex serie actuum ad Deum ducentium, timor omnis elimínetur, etiam amorem Dei benevolum præveniens. Ambiguis vocibus pueriliter Collator ludit dicens à Quesnello *doceri hominem appropinquare Deo, non si veniat cum timore solo, quippe qui solus prodesse non possit, sed cum fide illa, quam commendat Apostolus, quæ per charitatem operatur*.

Quamdiù homo venit cum timore solo, non appropinquat Deo proximè, ut eum comprehendat, quod charitatis officium, & eminens prærogativa est; sed appropinquare incipit eminus, sic ut timor ad spem atque dilectionem animum præparet, dicente Augustino Tract. 9. in Epistolam Joannis: *Initium sapientiæ timor Domini: timor quasi præparat locum charitati.* Ibid. *Si nullus est timor, non est quà intret charitas: sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur, priùs intrat seta.* Eadem similitudine utitur S. Bonaventura Opusc. de gratia sanctificante Lib. 5. cap. 4.

3 S. Thomas, quem retuli cap. 4. & hic repetere cogit adversariorum pertinacia; sic definit Parte 3. quæst. 85. art. 5. ad 3. *Dicendum quòd ipse etiam motus timoris, procedit ex actu Dei convertentis cor* [nondum per charitatem; sed per auxilium gratiæ ad fidem, atque inde ad timorem excitantis,] *Unde dicitur Deuteronomii 5. Quis det eos talem habere mentem, ut timeant me? Et ideo per hoc quod pœnitentia à timore procedit, non excluditur, quin procedat ex actu Dei convertentis cor.* Et in resolutione Articuli: *Alio modo possumus loqui de pœnitentia quantùm ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur, quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor.... Secundus actus est motus fidei. Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur.*

Inde procedit Angelicus ad amorem, & natum ex eo timorem filiis proprium. *Sic igitur patet, quòd actus pœnitentiæ à timore servili procedit, sicut à primo motu affectus ad hoc ordinato, à timore autem filiali, sicut ab immediato & proximo principio.*

Sicut igitur primum gratiæ auxilium ad fidem excitans, dicitur motus Dei convertentis cor, etiam si ea non nisi remota sit ad pœnitentiam atque reconciliationem dispositio, ita vera ad Deum appropinquatio fides est, quamvis non proxima, timor autem ex fide profluens minus remota ad Deum accessio, ut proinde non debuerit, appropinquare Deo volentibus interdici, etiam quando timor ille adhuc solus est, & nondum animatus charitate; sive fide per dilectionem operante. In eo scilicet gravis adversariorum hallucinatio est, & post varias Ecclesiæ definitiones inexcusabilis pertinacia, quòd nullam agnoscere velint fidem supernaturalem, adeòque nec formidinem ex gratiæ subsidio, Christi meritis comparato, nisi timor ipse simul charitas benevola Dei propter se fuerit, vel ex ejus dimanans imperio. Fundamentum istud, & tota ratio erroris est detecta cap. 5.

4 Turpiter itaque & frustrà, nisi quòd circumveniendis simplicibus, & Quesnellianarum artium ignaris idoneum sit, simulat causæ pessimæ patronus, quasi non timor, sed sola charitatis seu fidei per dilectionem operantis absentia Quesnello displiceat, timor autem quoties ad eum saltem amor Numinis accesserit, bonus sit, atque ad Deo appropinquandum utilis. Simulat istud, inquam adversarius, sive existimari tantisper cupit ab iis, quos erroris aliàs nimiùm crudi horror perculit. Non afferit tamen, neque admittere potest, nisi subruto universo Quesnelli de charitate Systemate, cujus & nimiùm conscius est, & quod deterius, cum certo animi sui exitio, nimiùm tenax.

Juxta hoc scilicet omnis actio, quæ neque Dei propter se dilectio est, neque ex ea oritur, peccatum est. Amor igitur Dei timori superveniens sive tempore, sive naturâ posterior, contractam quidem ejus à fœda origine maculam remittere poterit & extinguere, sed non efficere ut labes antea non fuerit. Quod enim de usu sensuum affirmat Quesnelli Articulus 46., propter rationis paritatem asserere supponendus est de reliquis animæ facultatibus: *Cupiditas aut Charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt*; In quibus si usus medius non admittitur, cur aliis animæ potestatibus concedatur?

Neque ad bonitatem sufficit societas superveniens amoris; sed requiritur necessariò quòd timorem amor prævenerit, veluti ejus principium seu ratio imperans in qualicunque impletione mandati: Prop. 47. *Obedientia Legis profluere debet ex fonte: & hic fons est charitas. Quando Dei amor est ejus principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia.* Idem perspicimus in Prop. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus re-*

muneratur : & amor, quos nos ipsos ac mundum diligimus; qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.

5 Timor itaque gehennæ & Divini Judicii, qui juxta catholicæ sensum Ecclesiæ & Tridentinam Synodum sess. 6. cap. 6. disponit homines ad spem, atque ad ipsum amoris initium, quo *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, vitium contrahit ab origine, amore scilicet proprio, ac mundi perverso. Quapropter sicut fieri nequit, ut peccatum hominem præparet ad charitatem, ita si erroneis Quesnelli vestigiis insistimus, prorsus impossibile est, metum amori Numinis benevolo prævium à vitio immunem esse; unde naturæ lumine fiet exploratissimum, non posse eundem ad amorem sive cominùs, sive eminùs disponere; sed illi potiùs atque omni actui salutifero ponere impedimentum. Non enim potest arbor mala bonos fructus facere ipsius Testimonio Salvatoris: & quæ ex virulento latice aqua saliat nisi exitialis?

6 Fides semper maximè optanda est, quæ per dilectionem operatur; sed non aliam agnoscere fidem bonam ac supernaturalem, neque aliam supernaturalem ejus operationem quam per amorem Dei, nullum secum patientem peccatum lethiferum, quæ aperta Quesnelli sententia est, nullus ab incusso sæpius anathemate liberabit. Non minùs frivola est Collatoris excusatio, cùm ait, ideo Quesnellum *bestiarum exemplo uti, quod & Pauli verba, quæ tractat de iisdem loquantur*. Verùm timoremne, quo juxta Catholicos peccator ad Deo appropinquandum inducitur, ait Apostolus bestialem esse? Nequaquam; at Quesnello, & ejus vindici satis est, illo capite semel bestias nominari, ut illis, novâ interpretandi methodo, donum Dei, etiam supernaturalis ordinis applicetur.

Si aliqua eodem capite fieret mentio Diaboli, idcone timor adeò in Scripturis, & tota Patrum traditione commendatus, tot stabilitus Ecclesiæ definitionibus fieret etiam Diabolicus? Imò verò, inquiunt adversarii, & qualibet fides, & timor expers dilectionis Dei, ad Diabolos pertinet, quia peccatum est, & ipsi, ut ex Scriptura discimus, *credunt, & contremiscunt*.

Pontifex quoque, & universa ei obsequens Ecclesia, fidem & formidinem, naturalis utramque ordinis, in Dæmonibus profitetur; sed à supernaturali nostrâ etiam dilectioni Dei præviâ, quantùm cœlum à tartaro, dissitam. Sic à Tridentina Synodo, sic à Pontificibus, quibus nullus potest esse Sacri Codicis, & Traditionis interpres securior, instituti sumus; adversariis autem *Albusne an ater spiritus* dictaverit, quæ cum Luthero contra Ecclesiam docent, si eum ipso dubitaverint, facilè nos dubium eximemus; dictavit illis spiritus ater erroris & vertiginis.

Propositio damnata, Sexagesimaseptima.

Timor servilis, non sibi repræsentat DEUM, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem, *Observ. mor. in Luc.* 19. *v.* 21

CAPUT I.

Error convincitur Scripturis Sacris.

1 SPiritus Testamenti veteris fuit timoris, & servitutis, docente nos Gentium Apostolo, Epistola ad Rom. cap. 8. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*. In quem locum Angelicus: *Considerandum est*, inquit, *quod Spiritus Sanctus duos effectus facit in nobis, unum quidem timoris*, Isaiæ 11. *Replebit eum Spiritus timoris Domini: alium amoris. Timor autem facit servos, non amor ... Non iterùm in nova lege, sicut in veteri lege fuit, accepistis spiritum servitutis in timore, scilicet pœnarum, quem Spiritus Sanctus faciebat; sed accepistis spiritum charitatis, qui est adoptionis filiorum ... Non autem hoc dicitur, quasi sit alius, & alius spiritus; sed quia idem est spiritus, scilicet qui in quibusdam facit timorem servilem, quasi imperfectum, in aliis facit amorem, quasi quoddam perfectum.*

Habemus hic & Scripturæ textus geminos, & interpretationem Angelicam, quod spiritus timoris Domini, sit *Spiritus Sanctus, faciens in aliquibus timorem servilem, Quòd idem sit spiritus, qui in quibusdam facit timorem servilem, in aliis amorem*. Itane verò Spiritus Sanctus efficit timorem servilem, qui sibi non repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem? Aut igitur Spiritus Sanctus Author est impietatis & blasphemiæ non uni-

unius, atque ita Spiritus Sanctus esse desinit, aut potius Quesnellianum *Moralis Evangelicæ compendium* impium est, atque blasphemum, tot maculas in sanctissimam conjiciens Divinitatem.

2 Exodi cap. 20. *Ut probaret vos, venit Deus, & ut terror illius esset in vobis, & non peccaretis.* En spiritum servitutis, authore Deo, iterum operantem in Judæorum multitudine, ut non peccarent; non autem ut quadruplicem eis ingereret impietatem atque blasphemiam: non ut eos ad desperationem adigeret repræsentando Deum non aliter, quàm veluti tyrannum & barbarum. Quin terror ille à Numine incussus fuerit servilis, nemo minùs inficias ite potest, quàm Quesnellus, cùm alloquatur illic Moyses, non Prophetas sanctos; sed Judaicum Populum, in quo juxta Propositionem 65. *Moyses non effecerit nisi mancipia per timorem.* Alloquitur autem populum constitutum in illo *fœdere*, in quo juxta Prop. 6. *Deus exigit fugam peccati & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia*, & juxta Prop. 7. *Deus hominem reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem.*

Populum igitur istum ad quem sermo Moysis dirigitur, fuisse sub lege, indubitatum est, non interpretibus solum Orthodoxis; sed maximè Quesnello. Hunc si interroges quid sit hominem *sub lege esse*? Remittere te poterit ad Propositiones suas geminas jam relatas, & ad recentius suum Monitum quintum, ubi pag. 253. clarè & sinè ambagibus definit: *Esse sub lege est esse sub dominatione peccati; quia homo illic existens sinè gratia, sinè charitate, sinè amore, nihil in anima habet, nisi formidinem servilem.*

Proinde exploratissimum est, non solùm nobis, sed inprimis adversario, terrorem à Deo Judaicæ multitudini incussum, fuisse servilem; ideoque vel innoxium asseri oportet & ab impactis à Quesnello criminibus immunem, vel Deum veluti illorum principium ab iniquitate non liberari; unde condemnata novitas, necesse est horrorem pariat omni animo Christiano.

3 Deus ipse apud Malachiam cap. 1. omissionem timoris sui peccatoribus exprobrat: *Si ego Pater, ubi est honor meus; & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* ubi ex oppositione Patris & Domini, satis patet, de timore servis proprio sermonem fieri, quod à Catholicis in disceptationem non vocabitur: minùs potest ab adversariis, penès quos omnis peccator, etiam *baptizatus sub lege est sicut Judæus*; nam propositione 8. *Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.*

Hujus gratiæ participes non sunt peccatores, cùm id, quod præcipitur non faciant, & juxta Prop. 63 *Baptizatus adhuc sub lege est sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.* Peccatores, quos Dei impetit exprobratio, legem minimè adimplent; sub lege igitur sunt, quod definiente novo Theologo, est *esse sinè gratia sinè charitate, sinè amore, nihil habere in anima, nisi formidinem servilem.* Hæc autem sinè gratia, ex solis est naturæ viribus, si relata Moniti definitio vera sit: cumque per Prop. 38. *Peccator non sit liber, nisi ad malum, sinè gratia liberatoris*, 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*; Quem alium timorem expectare Deus, aut exigere potest à peccatoribus, præterquam servilem? Verùm, quem in hac Quesnelliana hypothesi sensum facere posset Dei exprobratio? Non alium quàm Divinâ sapientiâ & sanctitate indignissimum: *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus, non me repræsentans, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem?*

4 Celebrem Ninivitarum pœnitentiam à servili pœnarum formidine duxisse originem salutarem, ex notissima Scripturæ historia exploratum est omnibus, præterquam Luthero, & secutis eum temerè novatoribus, atque eorum fraude infeliciter seductis. Tridentinam Synodum de hac Ninivitarum pœnitentia dabimus cap. sequenti.

Solicitè & simul saluberrimè monemur Apoc. 14. *Timete Dominum, & date illi honorem; quia venit hora judicii ejus.* Judicium maximè metuendum est, propter terrificam contra reprobos, & propter æternis fœtam cruciatibus sententiam; qui timor solet esse, in peccatoribus præcipuè, servilis; bonus tamen & ad conversionem disponendis perutilis. Quesnellus verò illum prohibet, non solùm quia dilectionis benevolæ expers est; sed vel maximè quia penès ipsum refertus impietate & blasphemiâ.

Juxta Quesnellum itaque, vel non debet timeri Dominus propter judicium imminens, & quæ ab illo pendent inferorum supplicia, vel oportet timori jungere dilectionem, qua impietas ab eo & blasphemia multiplex arceatur. Hoc in timore Domini & judiciorum ejus seu venenum, seu periculum, hanc ad actus istiusmodi singulos necessitatem amoris ignoraverat hactenus

nus Ecclesiæ sed & Spiritus Sanctus Sponsam suam videbitur non perniciosis solùm obsitam ignorantiæ tenebris reliquisse; sed etiam quodammodò decepisse, quando timorem Dei vindicis toties commendans in sacris literis, nusquam talium in servili metu latentium blasphemiarum eam commonuit, nulli Sanctorum Patrum, probatorumque interpretum, talem in Divinis absconditum oraculis sensum, ante nostra tempora revelavit. Eum scilicet soli reservaverit Quesnello Christianorum dogmatum, & fidei Catholicæ in tot Articulis corruptori, Petri Successoribus rebelli, & universam, quam nimis solidâ firmatam petrâ subvertere nequit, Ecclesiam perturbanti.

5 Contrà novitatem absonam adeò, & patenti absurditate horridam, nihil præ se ferentem verisimile, nihil ponderis habentem, vel minimi, sive à ratione, sive ab authoritate, non opus est in campum reducere copias sacrorum textuum, quibus Superiores de timore Articulos prostravimus. Quia eadem recantare toties, ubi nulla postulat necessitas, Scriptori molestum, & tetricum lectori est.

Oculos tamen denegare non possumus textui unico, quem contra nos Collator censuit, proferendum ex capite 20. Exodi: *Cunctus populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem, & perterriti ac pavore concussi steterunt procul dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.*

Quantumvis seriâ meditatione sacram sententiam contemplor, atque omnes ejus attentiùs scrutor angulos, nusquam reperio aliquod condemnati Articuli firmamentum; Quapropter velim quempiam ex magnis istis novæ Ecclesiæ Doctoribus, luminis sui me participem reddere, quo in Hagiographi verbis mira adeò & inaudita novitas elucescat.

6 Legimus signa terrifica, atque inde concussum terrore populum Judaicum, ideoque rogantem, ut Moyses potius DEI nomine voluntatem ejus & mandata denuntiet, quàm Deus ipse, cujus Majestatis gloria infirmæ, & non unius criminis reæ multitudini horrori est: sed in tota quæ profertur oratione populi, quæ timorem ejus, ut ab adversario non malè supponitur, servilem exprimit, nihil est quod Deum arguat *injustitiæ*, nihil quo describatur vel ut *imperiosus*, sive plus æquo imperans; aut *durus*, sive plus justo rigidus; nihil quo velut impotentis animi, neque locum dantis rationi, quæ *intractabilis* ingenii notæ, effectus, & maculæ sunt, accusetur.

Ad quas igitur angustias redactam se conspicit novitas Quesnelliana, quando pro reformanda, vel deformanda potiùs Ecclesiæ Doctrinâ, non aliud in toto Scripturarum Codice reperit fundamentum, præterquam quod ne minimam quidem habere convincitur cum novo dogmate connexionem! Videamus num patrocinii plus habeat in Traditione.

CAPUT II.

Error Traditioni, etiam Tridentinæ contrarius.

1 NE te offendat, Lector Catholice, nimia hìc mea erga adversarios veluti indulgentia, & modestiæ excessus, quando quod Orthodoxo cuilibet hæreticum visum fuerit, erroris tantùm nomine compello. Verùm malo censurarum parcior videri, quàm probationum; & hæresim convincere, quàm nominare: neque erroris appellatio hæresim excludit, ut contra impietates & hæreses etiam apertissimas promiscuo erroris vocabulo decertamus. Subinde quidem, ubi hæresis nimiùm patula est, Scapham non vocare Scapham, & ligonem non dicere ligonem, difficile est; Attamen à Censurâ hæreseos, passim studiosè abstineo, etsi Scripturarum & totius Traditionis perspicua oppositio, notam illam veluti digito demonstret. Apostolica sedes Censuram nulli applicat determinatam; sed plures gravissimas, etiam hæreseos, evibrans respectivè videtur locum concedere Theologis, ut examinando propositiones singulas, judicium de iis ferant Scholasticum, Censurasque determinent, quas argumentis minimè levibus ostenderint cuilibet convenire.

2 Nunc nobis contra præsentem Articulum, expeditis Scripturarum testimoniis, Traditio consulenda est. S. Basilius in Psal. 32. *Necessariò velut introductorius ad pietatem timor assumitur; dilectio verò deinceps succedens à timore scientifico adaptatos perficit.* Idem in Psal. 33. *Timor salutaris est, qui sanctitatis operatorius. Vis enarrem qualis sit? Quando te senseris ad aliquod cieri, ac prosilire peccatum, ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mortalium tolerabile Christi judicium... Hæc time & hoc timore eruditus, animam à concupiscentia, velut fræno quodam relide.*

Timor hic exprimitur servilis, qui sancti-

ctitatem non præsupponit; sed operatur: non ex pietate & dilectione profluens, sed *pietatis introductorius*, & cui *dilectio succedit*: quâ Basilii sententiâ plerique Quesnelliani de charitate Articuli enecantur; præcipuè quadragesimus quartus juxta quem omnis volitio & actio non procedens ex amore Dei, nascitur ex amore mundi, & ab eo contrahit fuliginem peccati.

Evidens itaque est timorem istum servilem ex fide *Divini judicii* adeò *formidabilis, nec ulli tolerabilis mortalium*, alienissimum esse à repræsentando sibi Deo, vt *injusto, imperioso, intractabili*: cùm istiusmodi enim contra Deum contumeliis minimè *salutaris* esset, minimè *operatorius sanctitatis*, & provocandæ erga Deum *dilectionl* idoneus; sed odio & desperationi. Angelicus etiam in cap. 25. Matth. de nequam servo Euangelico durum appellante suum Dominum ait: *Blasphemiam proposuit cùm dicit, Domine scio quia homo durus es*.

3 S. Hieronymus in cap. 1. Malachiæ: *Vult itaque primò Deus, ut filii ejus simus, & bonum voluntate faciamus; si hoc consequi nolumus, ut saltem servos suos habeat, & à malis per suppliciorum formidinem recedamus*. Non poterat significari clariùs timor servilis; sed neque manifestiùs à multiplici vindicari blasphemia, quam evidens est Deum *velle* non posse, neque per eam nos fieri Dei servos; sed hostes infensissimos: neque per eam nos à malis recedere; sed in mala prorucre gravissima.

Idem Sanctus in cap. 2. Michææ: *Qui pudore & verecundiâ non tenentur, agant pœnitentiam saltem comminatione pœnarum*: quæ indubiè pœnitentia servilis est, & ex similis rationis orta formidine: verùm possetne Hieronymus sinè crimine hortari, ut, qui pudore & vereeundiâ non tenentur, quâ à peccato abstineant, vel de præteritis doleant, saltem concipiant timorem, quo *non sibi repræsentent Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*, atque hac ratione agant pœnitentiam?

Quanto Quesnellus odio prosequitur Casuistas! Famosa Hexapla & cætera passim Jansenistarum volumina sarcasmis & satyris contra illos plena sunt. Novis scilicet scholarum & Ecclesiæ Reformatoribus sufficiunt sacræ Literæ, Patres, & Concilia, ut quidquid difficultatum occurrerit in moralibus, decisione securissimâ dissolvatur. Scripturas itaque, Patres, & Concilia adeant, discutiantque sedulò, num fortè elicere ex illis quidpiam valeant, quo Hieronymi sententia ab ingenti crimine liberetur, si verum enuntiet Quesnelli Articulus.

4 Nullus ictum Novatoribus magis fatalem infert, quàm Sanctus Augustinus in Psalm. 127. in illud *Beati omnes qui timent Dominum &c. Ille timor nondum castus, præsentiam Domini & pœnas timet: timore facit, quidquid boni facit: non timore amittendi bonum illud; sed timore patiendi illud malum: non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi; sed timet ne mittatur in gehennam*.

Quid porrò, Doctor maxime, de hoc timore censes? *Bonus est*, inquit, *iste timor: utilis est*. At nullus uspiam timor servis dignior apparet, adeò præ se fert omnes servilis formidinis notas. *Præsentiam Domini & pœnas timet: timore facit, quidquid boni facit: non timore amittendi bonum illud* maximum, quod Deus est, & beata ejus visio, *sed timore patiendi illud malum* cruciatûs perpetui, *timet ne mittatur in gehennam*. Ad filios, si potest Quesnellus, transferat istiusmodi metum; sed nunquam poterit, uti neque ad formidinem, quæ initialis dicitur, & amorem complectitur socium; hunc enim disertè nimiùm Augustini excludit sententia.

Non minùs servilis formidinis rationem unquam auferent adversarii ab eo, quod idem sanctus ait Serm. 13. de verbis Apostoli: *Timor servus est, charitas libera est: & ut sic dicam, timor est servus charitatis. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet Dominæ venturæ locum: fac vel timore pœnæ; si nondum potes amore justitiæ*. Aut timor iste servilis est, aut communis subvertitur usus & ratio loquendi; nam & *servus* dicitur ab Augustino, & aversatur solam pœnam, quique illo ducuntur homines, aut amoris penitùs expertes sunt, aut ejus intuitu non operantur.

Quomodo verò, si Quesnelli steterit sententia, ab Augustino timor ille, veluti *bonus & utilis* commendari potuit, jussus in corde præcedere charitatem, ei veluti conveniens dispositio præparare locum, atque interea operari bonum, quod nondum valet, utpotè absens, amor Dei ac justitiæ? Timor ille *non sibi repræsentans Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*, ad nihil boni est utilis: ad introducendum autem amorem Dei adeò non est idoneus, ut nihil ad inspirandum Dei odium excogitari potuerit accommodatius.

Profectò quisquis sive Deum, sive hominem non repræsentans nisi ut Dominum *durum*,

durum, imperiosum, injustum, intractabilem, has vocaverit amoris illecebras, dicetur ab hominibus oppidò insanire. Vel itaque insania hæc tribuenda est Doctori maximo, quod nemo sapiens admiserit, vel dicendus idem *timorem servum* ab amore Dei & justitiæ sejunctum, eique prævium, quem bonum & utilem nobiscum prædicat, à Quesnelli blasphemiis agnovisse remotissimum.

5 S. Bernardus Tract. de præcepto & dispensatione *Bonus quidem obedientiæ gradus est, si juxta Magistri nostri sententiam propter metum gehennæ quisquam obedierit; melior tamen cum ex Dei amore obeditur.* En iterum timorem gehennæ, & ortam ex eo obedientiam, absque Dei amore, proinde servilem; attamen bonam, ideoque ex bono timore, non impio & blasphemo, qualis à Quesnello describitur.

Mellifluum diu præcesserat Gregorius Magnus, qui lib. 28. Moralium cap. 8. ait: *Cùm futurorum timor infunditur, ut bona vitæ surgat ædificium, fundamenta construuntur.* Ubi rursùs timor futuri judicii, & malis imminentium suppliciorum à Deo infunditur velut fundamentum, ex quo bonæ vitæ surgat ædificium. Est igitur timor prævius dilectioni, atque ita servilis; bonus tamen & salutaris; quia à Deo ad finem optimum inditus, & totius securæ in posterum origo pietatis. Facessat itaque calumnia, & operi Spiritûs Sancti affingere tot blasphemias desinat.

6 Quoties timor servilis fundamentum dicitur bonæ vitæ, non intelligitur fundamentum fidei, ex qua oritur etiam ipse, & quæ semper in omni opere salutifero intelligenda est, ut radix omnis justificationis nostræ ac salutis, sicut à Tridentino Concilio instruimur sess. 6. cap. 8.

Angelicum timori servili perspicuè patrocinantem sæpe aliàs dedimus, & arrogante eum sibi temerè adversario, vindicare nobis iterum cogemur cap. sequenti. Interim Seraphicum accipe Bonaventuram Opusculo de gratia sanctificante lib. 5. cap. 4. *Timor servilis donum Spiritus Sancti est: Timor servilis Spiritui Sancto locum præparat, ut eum sicut seta filum introducat ... Timor servilis duo facit: primùm est, quod viam præparat charitati: secundùm quod retrahit à peccato metu pœnæ tantùm.*

Auditumne unquam inter Catholicos de *dono Spiritus sancti*, quod *non sibi repræsentet Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem?* Si autem repræsentatio falsa, impia, blasphema est, nequit esse à Spiritu Sancto (aliàs enim sanctitate excideret Spiritus, & divinitate) quis Quesnello conciliet Seraphicum? Quis nisi certissimè insaniens impietatem & blasphemiam asserat locum præparare Spiritui Sancto, & viam sternere charitati?

7 Bonaventuram sequitur Franciscus Salesius lib. 11. de amore Dei cap. 18. „Timor eorum, qui velut servi & mancipia „Dei legem observant, ad evitandas inferni pœnas, est bonus; sed longè nobilior & desiderabilior est timor mercenariorum Christianorum„. Ibid. Etsi Christus venerit ut afferret nobis legem amoris; non intermisit tamen inculcare legem timoris. Timete, inquit, illum, qui potest corpus & animam perdere in gehennam ... In summa timor iste comprehensus est in donis Spiritus Sancti, ut plures ex antiquis Patribus notarunt. Hæc Salesius de timore servili.

Idem Sanctus cap. 17. „Timor servilis „& mercenarius plurimùm utilis est pro „hac vita mortali„ cap. 16. „Quantùm ad „timores servorum & mercenariorum, „non procedunt equidem ab amore, sed „ordinariè illum præcedunt ... Sæpe sunt „perutiles ejus servitio ... Divina bonitas volens in anima humana collocare „magnam virtutum diversitatem, & tandem eam exornare sacro suo amore, utitur acu timoris servilis, & mercenarii: „quo ordinariè omnium primò corda nostra punguntur„. Si timor eorum, qui ut servi & mancipia Dei legem observant, ad evitandas inferni pœnas, bonus est, sciscitari nobis liceat ex novæ Ecclesiæ Doctoribus, num timor iste non sit vero nomine servilis? Inficiari non poterunt; Quid enim amplius fideles communissimè isto nomine intelligere solent? Si appellatione propria servilis est, ulterior instat interrogario, perversumne istiusmodi timorem censeri oporteat, an bonum? *Bonum* vidimus appellatum à Sancto Salesio, cujus doctrina velut cœlestis & penitùs secura ab Ecclesia celebratur.

Fallit itaque plurimùm attributio blasphemiarum, quas Quesnellus, nullo præeunte Catholico Doctore affingit timori cuiliber servili, atque ut eum quantumlibet sanctum, magis redderet simplicibus execrabilem, exuit ipsum omni honestatis specie, omni penitùs bonitatis, nihil ipsi præter blasphemias reliquum faciens: *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.* Quid ex tali repræsentatione, non nisi iniquissima & blasphema, expectes ope-

operis boni, aut immunis à vitio?

8 Impietatem iſtam in ſervili formidine non reperit Tridentina Synodus, dum in præparatione ad pœnitentiam, & ſerie actuum ad juſtificationem diſponentium collocat timorem pœnarum progenitum ex fide, & commiſſorum notitiâ delictorum antequam adhuc ſpes veniæ concepta fuerit, aut Dei dilectio: quâ ratione integre conſtitui intelligitur timor ſervilis, qui ad ipſam ſpem & dilectionem homines inducit; ideoque perutilis eſt. Seſs.6. cap.6. *Dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à Divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & deteſtationem.* Hinc progreditur Canon VIII. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit.*

Tergiverſentur adverſarii, & in omnes cavillationum gyros, colubrorum inſtar, ſe agitent, inflectantque, caput anathemati nunquam, niſi errori nuntium remittentes, ſubducere poterunt. Evidens enim eſt, *timorem* illum in eorum ſententia *peccatum eſſe*, ac minimè leve; proinde *peccatores pejores facere* quando blaſphemiis efficit ſacrilegos.

Seſs.14. cap.4. Poſtquam definivit Synodus, *attritionem ex gehennæ & pœnarum metu conceptam, ſi voluntatêm peccandi excludat* [ut aliquando excludere certiſſimum eſt] *cum ſpe veniæ, non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum; &, quamvis ſinè ſacramento pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in ſacramento pœnitentiæ impetrandum diſponit. Hoc enim timore utiliter concuſſi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à Deo impetrarunt.*

Ubique ſervilis metus initium converſionis extrinſecum, ſive utilis ad converſionem diſpoſitio eſt, qualis minimè foret, ſi non ſibi repræſentaret Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem: quæ prædicata ad deſperationem homines adigere nata ſunt, non ad ſpem, ſinè qua converſio & Chriſtiana pœnitentia nulla eſt: neque illecebras ad dilectionem continent; ſed averſionis & odii undique irritamenta.

9 Hinc Franciſcus Sylvius Thomiſta inter Duacenos celebris 2. 2. quæſt. 19. art.4. enuntiare non dubitat velut dogma fidei: *Quòd timor ſervilis ſit bonus, & ad ſalutem perutilis, fide certum eſt, definitum in Tridentino, & antea à Leone X. contra Lutherum.*

A Duacenis ad Lovanienſes tranſiit controverſiarum peritiſſimus Thomas Stapletonus, qui Tomo 2. Prolegom.1. in lib.5. ait: *Hic timor, etſi ſervilis ſit, nec ſemper neceſſaria diſpoſitio; tamen & utilis eſt, quoties adhibetur, & cum contraria diſpoſitione nemo juſtificatur... Cùm timor gehennæ objectum habeat proportionatum timori, & nullâ extrinſecâ circumſtantiâ vitietur, neceſſariò debet eſſe bonus. Utiliter autem diſponere inde conſtat, quòd & à peccatis cavere, & de præteritis dolere, & ad Dei miſericordiam confugere docet.*

Timor ſervilis, qui ex objecto bonus, nullâ extrinſecâ circumſtantiâ vitiatus, cavere à peccatis, de præteritis dolere, *& ad Dei miſericordiam confugere docet*, evidens eſt, quod longè aliter ſibi repræſentet Deum, quàm ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum intractabilem, quæ enim miſericordia in tali Domino, quis ab eo effectus miſericordiæ expectandus?

Jacobus Bajus (non Michael) lib.2. de Religione Chriſt. cap.84. *Ex quibus liquet, quàm falsò Lutherus dixerit, timorem ſervilem eſſe malum, quia efficiat hominem hypocritam, magiſque peccatorem, eùm proprius ejus effectus ſit, voluntatem à peccando impedire... Hinc Deus primum hominem timore mortis à peccando deterruit, Judæoſque ſuppliciorum comminatione.* Non tamen ideò Adam aut Iudæi repræſentarunt ſibi Deum, quemadmodum Obſervator, ut Dominum nihil veræ Divinitatis habentem, totum tyrannicæ feritatis & injuſtitiæ.

Ipſe Guilielmus Eſtius, quem aliàs Ipreníis Auguſtini ſchola ſibi patronum vindicat, lib.3. ſentent. diſt.34. §.7. *Uſque adeò fatendum eſt*, inquit, *bonum eſſe hunc pœnæ timorem, ut Apoſtolus eum teſtetur eſſe donum Spiritûs Sancti.* Idem in 4. diſtinct.54. §.13. *Quamvis igitur hic timor, neque juſtitia ſit, neque aliquid juſtitiæ, quia ſervilis eſt; rectè tamen vocatur initium pœnitentiæ, juſtitiæ, & ſapientiæ, quatenus nimirum hominem per peccatum à Deo alienatum, ad pœnitentiam, juſtitiam, & ſapientiam, & per conſequens ad Deum ducit & revocat.* In ſententia autem Queſnelli timor ſervilis, adeò ad Deum

Deum non duceret & revocaret, ut ab eo averteret maximè; Quis enim ducere, vel duci cupiat ad Dominum durum, injustum, imperiosum, intractabilem?

10 Doctoribus Belgis jungo Germanum celebrem fidei contra Lutheranos defensorem Ioannem Eckium lib. 1. de pœnitentia cap. 5. *Ab initio resistimus hæreticis, & dicimus, quia timor, etiam servilis sit donum Spiritûs Sancti... Fallitur* (Lutherus) *quod nesciat diversas Spiritûs Sancti gratias distinguere*. Cap. 6. *Fallitur hic apertissimè Lutherus, quod existimat pœnitentem non posse odire peccatum, nisi afficiatur ad bonum; cùm omnis homo qui spirat, noverit odire peccatum propter timorem pœnæ... Hæc pro evacuatione fuci Ludderani, licèt per se frivoli, & temerarii dicta sufficiant*.

Cap. 8. *Incussit Protoplasto Deus timorem pœnarum, ne transgrederetur præceptum; Dicet Ludder hic pro impietate sua, Deum voluisse ex Protoplasto facere hypocritam?* Cap. 16. *Videmus Hieronymum adstruere timorem esse bonum, quem expectat à servis, sicut amorem à filiis: Quis autem ita desipit, ut dicat Deum expetere peccatum ab homine, vel illud quo fiat hypocrita, & magis peccator, sicut insanit Ludder?*

Denique cap. 19. *Christus prohibet timorem mundanum, & nos adhortatur ad timorem servilem, & ad timorem gehennæ, & ejus qui mittit in gehennam. Si iste timor esset peccatum, & faceret magis peccatorem, vide quæ blasphemia sequitur, Christum nos invitasse ad peccatum, docuisse nos quo efficeremur magis peccatores*: Ita Eckius.

Quesnellus verò palmam Luthero concederet; si enim timor servilis *non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*, evidens est, quòd timor iste peccatum sit, atque adeò peccatis præteritis novum addens, magis faciat peccatorem. Facit quoque hypocritam, dum is peccatum animo fovet, quod linguâ detestatur: & dum videtur pœnitentiâ ductus ad Dominum redire, ejus implorans clementiam, animo eum aversatur velut durum, imperiosum, injustum, intractabilem: uno verbo ut tyrannum, à quo nihil clementiæ sperari prudenter valeat. Sic, inquam, Quesnellus in fidei certamine palmam Luthero dimitteret, nisi vindicaret sibi; nam tantas à vetere hæresiarcha blasphemias servili formidini impactas, non me legisse memini.

11 Prætereundus non est Eminentissimus Bellarminus, qui lib. 2. de Pœnitentia cap. 17. *Decima*, inquit, *sequitur quæstio: utrum contritio sive attritio, quæ oritur ex timore servili, sit bona: Siquidem Martinus Lutherus, ut ostendimus ex multis ejus testimoniis in lib. 1. cap. 6., initio defectionis suæ apertè docebat, contritionem ex timore servili ortam facere hominem hypocritam & magis peccatorem. Et quamvis Lutherani ab ea postea sententia recesserint, & jam communiter doceant, timorem pœnæ utilem esse, atque inde pœnitentiam incohari, ut perspicuum est ex Kemnitio in secunda parte examinis pag. 954. & ex Calvino lib. 3. Institut. cap. 3. §. 7. tamen operæ pretium esse duximus, Lutheri sententiam à Leone X. primùm in Bulla contra Articulos Lutheranos, deinde à Concilio œcumenico Tridentino sess. 14. can. 5. damnatam, testimoniis Scripturarum, veterum traditione, & rationibus confutare*.

Nonne pudere adversarios debuisset, damnatas à Concilio œcumenico Lutheranæ hæreseos sordes, ab ipsis Lutheri discipulis & Calvino abjectas resumere, & inter præcipua pietatis documenta velut scripturarum sensui apprimè conformia collocare? Quæ conventio Christi cum Belial, luci cum tenebris, Spiritui Sancto cum errore, quem universa detestatur Ecclesia, atque ipsi tandem hæretici horruere?

Sed necessarius error hìc Quesnello videri potuit ad stabiliendum alterum; videlicet 60. *Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem*. Quem cùm primùm legerem, mirabar excidisse homini afflato quidem spiritu novitatis; attamen ingenii famam minimè hebetis consecuto. Quid, inquiebam, necessariæ connexionis est desperationi cum timore perennium suppliciorum, ut quanto hic validior fuerit, tanto crescere magis debeat desperatio? Verùm nexus & consecutio nunc facilè percipitur, si timor servilis non sibi repræsentat Deum nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem. In hac enim hypothesi, quo timor vehementior est, repræsentat Deum magis durum, magis imperiosum, injustum, intractabilem, adeòque eò magis crescat desperatio necesse est. Ita hæresis, cùm firmari veritate nequeat, novam hæresim solet adsciscere in præsidium.

Redeo ad Bellarminum. Is loco cit. timorem servilem à Tridentino traditum explicans, *Timor*, inquit, *est propriè servilis, quo videlicet ita peccator Deum punientem timet, ut solius pœnæ fugiendæ causâ à peccatis perpetrandis caveat, & de perpetratis doleat... De hoc igitur timore tota controversia est, hunc enim Lutherus damnabat, ut qui face-

faceret homines hypocritas, magisque peccatores : & hunc eundem Tridentina Synodus sess. 14. cap. 4. bonum atque utilem esse, & à Deo excitari docet.

12 Quam sententiam mox longâ Scripturarum & Patrum serie, atque Theologicâ ratione Eminentissimus confirmans ait: *Denique, S. Augustinus Tract. 9. in Epist. Joannis docet, timorem servilem esse de quo loquitur Salomon, cùm ait Proverb. 1. Initium sapientiæ timor Domini. Quod etiam docent S. Basilius oratione in principium Proverbiorum, Beda in cap. 1. Proverb. Bernardus hom. 23. in Cantica: & Epist. 9. ad Episcopum Coloniensem: & Magister eum Theologis scholasticis in 3. sent. distinct. 34. Rursus idem Augustinus lib. 1. de Sermone Domini in monte cap. 9. & Gregorius hom. 19. in Ezech. scribunt de eodem timore locutum esse Salomonem initium sapientiæ timor Domini: & Isaiam cap. 11. qui ultimo loco inter dona Sancti Spiritûs posuit spiritum timoris Domini.*

Huc usque Bellarminus, qui pluribus sententiam Catholicã stabiliens, & opposita Lutheri argumenta dissolvens videri penès ipsum potest citato capite 17. & 18. Supersedeo citandis pluribus traditionis testibus, quos si opus foret, omnis ferè ætas mihi, omnis regio subministraret; quotquot scilicet de timore materiam tractavere. Ut autem adversarii perspiciant, quàm cum eis agam liberaliter, quàmque procedant ipsi temerè, unicum ab eis postulo suæ sententiæ designari inter Catholicos suffragatorem: unicum, inquam, quem si proferre nequiverint, malesanam abjiciant pertinaciam.

CAPUT III.

S. Augustinus iniquissimè à Collatore in subsidium vocatur.

1 Adversariorum inopiam, fidem malam, & pertinaciam non tolerabilem indicat objectio ex Patribus unica: altera ex scholæ Angelo: utraque ineptissima.

Adducitur Augustinus epist. 145. ad Anast. num. 4. „ Inaniter putat victorem se „ esse peccati, qui pœnæ timore non pec„ cat... Nam quantum in ipso est, mallet „ non esse justitiam peccata prohibentem, „ atque punientem: & utique, si mallet „ non esse justitiam peccata prohibentem „ atque punientem, quis dubitaverit quòd „ eam, si posset, auferret? Ac hoc quomo„ do justus est justitiæ talis inimicus, ut „ eam, si potestas detur, præcipientem „ auferat, ne comminantem, vel judican„ tem ferat? Inimicus ergo justitiæ est, qui „ pœnæ timore non peccat.

Textum prorsus similem circa illud Psalmi *Confige timore tuo carnes meas*, objicit sibi ex Augustino Seraphicus Bonaventura in 3. sentent. dist. 34. art. 3. quæst. 2. cujus conclusio est: *Timor servilis licèt non sit bonus bonitate meriti; est tamen bonus bonitate præparante ad meritum.* Contra quam sententiam argumentum Sanctus ipse sibi suscitat vocibus Augustini, ut sequitur: „ Timor „ servilis carnem non crucifigit; quia vivit „ in eo peccandi voluntas, & sequeretur „ opus, si speraretur impunitas; mallet „ enim licere, & dolet non licere, quod „ lex vetat; sed omnis talis motus, est di„ rectè contra justitiam; quia vellet justi„ tiam non esse: omnis verò motus contra „ justitiam est malus: ergo & actus & usus „ timoris servilis est malus. „

2 Accipe modò Seraphici responsum: „ Ad illud quod primò objicitur, quod in „ timore servili vivit voluntas peccandi, & „ quod dolet de eo quod lex vetat; dicen„ dum, quod illud verbum Augustini non „ intelligitur, quòd semper quando timet, „ doleat actu, & similiter quòd voluntas „ peccandi semper sit in actu; sed hoc di„ citur; quia manet in habitu, & radice. „ Licèt autem voluntas sit per peccatum „ deformata, & regnet in ea malus amor; „ potest tamen aliquando moveri, vel ex „ circumstantia per aliquam gratiam gra„ tis datam, non committendo culpam, „ sicut patet per exempla: & sic potest esse „ in ista parte. „

Si explicationis aliquid amplioris desideras, suggerit ibidem paulò ante Seraphicus: „ Ad prædictorum intelligentiam est „ notandum; quod cùm dico timorem ser„ vilem, duo dico: videlicet ipsum habi„ tum, quo anima disponitur ad timendum „ Deum, ut punientem eos qui prævarican„ tur: & ulterius nomine servitutis, impor„ tatur deformitas peccati [habitualis] „ quæ est annexa illi habitui in eodem ho„ mine; ratione cujus ille homo dicitur „ esse servus peccati, & timor in eo exi„ stens dicitur esse timor servilis. Per hunc „ etiam modum cùm dico, aliquem timere „ serviliter, duo dico: videlicet actum ab „ illo habitu egredientem, & voluntatis „ servilitatem, sive deformitatem conco„ mitantem.

„ Sed attendendum, quòd hoc potest „ esse dupliciter: aut ita quòd deformitas „ illa

„ illa voluntatis concomitetur quantum ad habitum, aut quantum ad actum; si „ concomitatur solùm quantum ad habitum, sic potest esse, quòd aliquis serviliter timeat, & tamen metu illo non peccabit; quia dum ex cogitatione pœnarum „ aliquis abhorret offendere Deum, hoc „ potest esse præter omne peccatum.

„ Si autem concomitatur in actu; quamvis ipsum timere de se non sit malum; tamen ratione deformitatis actualiter annexæ depravatur: sicut aliquis qui timet „ pœnas, & timendo dolet, quod tales pœnæ infliguntur pro culpa, & actu etiam „ concupiscit peccare; si non esset illa pœna: & hoc modo serviliter timere est peccatum & malum. Hoc autem non est „ semper, cùm quis movetur timore servili; alioquin per usum illius doni magis se „ homo à gratia elongaret, quàm præpararet, quod planè falsum est. Et ideò concedendum est, quòd usus timoris servilis potest esse bonus; licèt non sit bonus „ bonitate meriti; sed magis bonitate præparante, vel ordinante ad meritum, quæ „ simul stat cum peccato. „ Hactenus Bonaventura.

3 Inde patet responsio ad Augustini sententiam à Collatore oppositam; ut enim simillima est ei, quam sibi ex eodem Sancto objecerat Seraphicus, facilè ejusdem adaptatione responsi, dissolvitur, si quid difficultatis Augustiniana locutio minùs dilucida ingerere videretur. *Inaniter* itaque *se esse putat victorem peccati, qui pœna timore non peccat*, quia non hoc ipso peccatum antea commissum expellitur; sed remanet habitu, quo peccator *quantùm in ipso est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem, atque punientem, & quis dubitaverit, quin eam, si posset, auferret? Ac per hoc quomodo justus est, justitiæ talis inimicus, ut eam si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat? Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat.*

Ubi omnia intelligendo de habitu peccati, in quo timoris juxta Seraphicum servilitas consistit, sicut etiam informitas fidei in privatione gratiæ sanctificantis, quæ forma & vita fidei est, omnia nullo negotio conciliantur: si autem de actu & generaliter quidem acceperis, alienissima sunt ab Augustini mente, ut Seraphicus testatur, & nos pluribus ipsius Augustini testimoniis evicimus tomo 2. contra Propositionem 61. & 62. perfacile quoque erit cuilibet deducere ex iis Augustini textibus, qui tum contra præsentem, tum maximè contra superiorem Articulum referuntur.

4 Aliàs Doctoris Sanctissimi sententia, non solùm contraria foret sacris literis, universæ Patrum traditioni, & Tridentino Concilio; sed etiam ab Alexandro VIII. justissimè damnata his duabus propositionibus inter 31., videlicet decimâ quartâ, *Timor gehennæ non est supernaturalis*: & 15. *Attritio quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis*: ubi evidens est, attritionem concipi aliquando ex metu servili, sic conceptam rejici ut malam ab adversariis, à Sede Apostolica, Tridentini interprete securissimâ, ut bonum motum ac supernaturalem, stricto contra obloquentes anathemate, vindicari.

Aliàs & ipse Augustinus sententias suas mutua oppositione collideret, cùm ait serm. 13. de verbis Apostoli: *Ne possideat Diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet Dominæ venturæ locum: fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ.* Ubi disertis vocibus exprimitur *timor servus, timor pœnæ* in animo peccatoris ante charitatis adventum, ante dilectionem justitiæ.

Quæ autem ratio Diabolum in Quesnelli sententia impediet ab occupati semel cordis possessione perpetua? Num formido dilectionem præveniens? Ita quidem asserit Augustinus; at quilibet pœnam in tali circumstantia metuens, novi semper neque levis delicti, sed gravissimi reus constituitur, juxta Quesnellianam Augustiniani textûs intelligentiam, *inimicus justitiæ*, qui eam peccata prohibentem, punientemque auferret, si posset; quod cùm nequeat, *non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.*

5 Quomodo igitur timor servus iniquissimus locum præparet venturæ Dominæ charitati, cui novi semper introductione criminis, & quadruplicis quidem cumulatione blasphemiæ viam obstruit; Diabolo autem possessionem cordis concessione novi juris, penès Quesnellum fundatissimi, amplius asserit atque confirmat? Interpretationi Seraphicæ addi potest alia cum eâdem facilè componenda, quemadmodum uni sæpe Scripturarum textui diversa; sed minimè opposita tribuitur explicatio. Vera scilicet Augustini enuntiatio est de iis, qui in sola hærentes suppliciorum formidine, præceptum de dilectione maximum semper negligunt: de talibus non inanis suspicio est timore eos duci, qui à scholasticis dicitur *serviliter servilis*; non salutifero, in quo fun-

fundatur attritio, quique animo imperat omnium deteſtationem criminum, obſervationemque mandatorum, atque eâ ratione viam præparat charitati, ac Diabolum ab occupati cordis miſeri poſſeſſione deturbat. Hæc qui deſiderat deducta copioſiùs, & fortiùs ſtabilita, reperiet ſub finem tom.2. contra Propoſitionem 61. & 62., hìc propter objectionem ineptiſſimam minimè repetenda.

Ineptiſſimam voco Auguſtinianæ ſententiæ allegationem, utpote nequaquam ad dogma propoſitum pertinentem, etſi in odioſo, & maximè erroneo ſenſu, qui ab adverſariis obtenditur, verba concederem accipienda. Supponamus enim quemlibet, timore pœnæ, non amore juſtitiæ à criminibus abſtinentem, quoties ita timet, novo ſe obſtringere peccato; non propterea timor toties blaſphemus eſt adeò, ut *non ſibi repræſentet Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem*.

Nihil ſimile indicat Auguſtini oratio; ſed oppoſitum. Sic enim metuens, inquit S. Doctor, mallet non eſſe juſtitiam prohibentem & punientem. Juſtitiam itaque agnoſcit: nuſquam de injuſtitia Deum accuſat; ſed ut laxare liberiùs poſſet fræna concupiſcentiæ, prohibentem ac vindicem juſtitiam abeſſe à Deo percuperet, ablaturus ſi poſſet. Sic latro quilibet indulgens improbè latrociniis, non ea cenſet eſſe ſancta, neque eorum prohibitionem, aut pœnas arguit veluti iniquas; ſed prædominante affectu erga illicita, mallet fieri licita, juſtitiamque deſtrui crimina vindicantem. Solita peccantium confeſſio eſt, etiam profano cognita poëtæ:

Video meliora, proboque.
Deteriora ſequor.

6 Rariſſimi verò peccatores inter Chriſtianos, etſi futurorum trepident formidine, injuſtitiam Deo & cætera Queſnelli figmenta impia attribuunt. Sanctitatem Deo perfectiſſimam non denegant, quin & abhorrent communiter à blaſphemiis; etſi de imminentibus ſibi ſuppliciis doleant, quæ ſe promeritos haud inficiantur; ſed evadere inutili velleitate cupiunt, ſi nempe retentis ſimul voluptatibus poſſent.

Miſera itaque erroris conditio eſt, dum in tanta Patrum, operumque ab eis editorum multitudine, reperiri nihil potuit illi utcunque ſimile: non defuit tamen diſquiſitio diligens, plurium protracta ſpatio annorum; ſed nulli veterum ita inſanire lubuit; Queſnellus autem fœtum hunc ſuo dignum cenſuit ingenio. Non minùs mirabilis eum ſequentium cæcitas, & quodammodo furor eſt, quando certiſſimè convicti, nihil penitùs rationis, nihil authoritatis uſpiam reperiri quo tam maleſana novitas ſtabiliatur, eam nihilominus retinere mordicus, & contra Sanctiſſimam Sedis Apoſtolicæ Conſtitutionem, contra totius Chriſtiani Orbis judicium, propugnare conſtituunt. Ab Auguſtino convertit ſe Collator ad Angelicum, ab hujus non minùs ſtolidè ambito patrocinio, quàm Sancti Antiſtitis, certiſſimè repellendus.

CAPUT IV.

Collatoris Obſervatio Aquinatem inaniter fingit damnato Articulo ſuffragari.

1 „ DE timore ſervili [inquit Collator] in quantum ſervilis eſt, „ loquitur author [Queſnellus] „ ut expreſsè habetur in editione anni „ 1699. *la crainte purement ſervile* &c. Timor merè ſervilis &c. Et tamen hoc expreſsè dicere nihil erat neceſſe; nam & „ contextus id manifeſtè declarat, & vox „ ipſa ſervilis ſatis innuit. Timor pœnæ, „ inquit S. Thomas, non dicitur eſſe ſervilis, niſi quando pœna formidatur ſicut „ principale malum: & ideo timor in quantum ſervilis, non manet cum charitate. „ Et rurſus Art. 10. in corpore: Timor ſervilis quantum ad ſervilitatem totaliter „ tollitur charitate adveniente. Quare non „ ampliùs dici debet ſervilis, ubi cum amore Dei conjungitur: atque adeò author „ vocans eum ſervilem, ſatis ſignificabat, „ loqui ſe de timore, qui ab omni amore „ ſejunctus eſt. Sic autem veriſſimum eſt „ quod ait Propoſitio.„

Agamus cum Collatore, quantâ poſſumus humanitate & indulgentiâ. Intelligi Queſnellus Articulum ſuum ab initio voluerit, ut exhibet correctio anni 1699. de formidine merè ſervili, ſive de metu pœnæ abſque dilectione Dei, aut juſtitiæ. Verùm quod mox additur ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 19. art. 6. *Timorem pœnæ non dici ſervilem, niſi quando pœna formidatur ſicut malum principale*, indicat adverſarios peccatum agnoſcere mortale, quod committatur actu, quoties timor pœnæ, *ab omni amore ſejunctus eſt*; quaſi tunc ſemper pœna conſtituatur veluti *malum principale*, magis odibile, quàm malum culpæ: quæ comparatio indubiè ſcelerata eſt, & aſſenſus æterno dignus incendio; ſed non in omnibus timoris ſervilis actibus ea iniquitas reperitur,

tur, etiam judice Angelico in eodem Articulo, ad quem ab adversario provocamur.

2 In resolutione ait S. Doctor „ Timor pœnæ includitur uno modo in charitate; nam separari à Deo, est quædam „ pœna, quam charitas maximè refugit: „ unde hoc pertinet ad amorem castum „ [seu filialem). Alio autem modo contrariatur charitati, secundùm quod aliquis refugit pœnam contrariam bono „ suo naturali, sicut principale malum contrarium bono quod diligitur ut finis: & „ sic timor pœnæ non est cum charitate. „ Alio modo timor pœnæ distinguitur quidem secundùm substantiam à timore casto [seu filiali] quia scilicet homo timet „ malum pœnale non ratione separationis „ à Deo; sed in quantum est nocivum proprii boni; nec tamen in illo bono consti„ tuitur ejus finis: unde nec illud malum „ formidatur tanquam principale malum: „ & talis timor pœnæ potest esse cum charitate.„

Posterior timoris servilis usitatissima est in scholis catholicis appellatio, ubi de peccatoris ad pœnitentiam dispositione agitur. Eodem sensu timorem illum accipit S. Thomas parte 3. quæst. 85. art. 5. dicens. „ Alio „ modo possumus loqui de pœnitentia „ quantum ad actus, quibus Deo operanti „ in pœnitentia cooperamur, quorum „ actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor (seu inspiratio Di„ vinæ gratiæ ad conversionem animum „ disponentis) secundus actus est motus „ fidei. Tertius est motus (sive actus) ti„ moris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur... Sic igi„ tur patet, quòd actus pœnitentiæ à ti„ more servili procedit, sicut à primo mo„ tu affectûs ad hoc ordinato; à timore au„ tem filiali, sicut ab immediato & proxi„ mo principio.„

3 Edisserat modò Collator, num actus pœnitentiæ procedere possit à timore servili sicut à primo motu affectûs ad hoc ordinato; si timor iste *non sibi repræsentat Deum nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*? Tantisper deponat, obsecro, cæcam judicii pertinaciam, & in oculos ultro insiliet talium oppositio actuum, quales inter se componere non citiùs valeat, quàm lucem tenebris: dispositionem scilicet ad pœnitentiam, cum aversione à pœnitentia, impietatem & blasphemiam cum actu, quo operanti Deo in pœnitentia cooperamur. Prædicata adeò pugnantia inter se, posse in eundem coalescere actum, nemo sapiens admiserit.

Neque potest *actus convertens cor*, pœnam meruere ut *principale malum*, seu magis odibile, quàm malum culpæ: aliàs gravis offensio Dei est, & boni infiniti damnandus maximè contemptus. Talis igitur perversitas convenire nequit *timori* cuilibet *servili*; sed alicui tantùm, eique naturali, ad pœnitentiam atque conversionem minimè conducenti. Talis est quem *Collator* ingerit descriptum ab Angelico, & ab ipso ac piis omnibus detestatum.

4 Proinde ne Doctor sapientissimus tam manifestè invicem adversantia tradidisse censeatur, quod foret temeritas & gravis injuria suspicari; dicendum est cum omnibus passim ejus discipulis, in objecta à Collatore sententia definiri timorem servilem non cujuscumque generis; sed qui majoris lucis gratiâ à scholasticis dicitur *serviliter servilis*, ut ab eo qui simpliciter & innocuè servilis est, faciliùs discernatur. Timor ille turpis, propriissimè *servilis* est, atque illo nomine quasi antonomasticè intelligitur.

Verùm ne altercemur de nomine, doctrina Quesnelli à Thomistica in puncto hic gravissimo discernitur, quòd iuxta Thomisticam ex ipso scholæ principe jam relatam, possit aliquis ex solo timore pœnæ odisse & fugere peccatum mortiferum, non constituendo finem ultimum in fuga pœnæ, neque eam ut malum præcipuum aversando, neque peccatum aliud committendo, præsertim lethale, quod in Quesnelli sententia incurritur juxta Prop. 62. *Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.*

Superest Collatoris expendenda conclusio: *Quare non amplius dici debet servilis* [timor] *ubi cum amore Dei conjungitur, atque adeò author* (Quesnellus) *vocans eum servilem, satis significabat, loqui se de timore, qui ab omni amore sejunctus est. Sic autem verissimum est quod ait Propositio.*

Locutus de eo solo timore fuerit Quesnellus: de eo solo intelligatur ipsa Propositio: non est cur de eo operosè litigem, modò damnatum suum abjiciat errorem, quem memoravi 62. *Qui à malo non abstinet* &c. modò neque omnem timorem pœnæ ab amore sejunctum confundat subdolè cum serviliter servili, sive cum eo, qui in Angelici sententia *pœnam formidat, sicut principale malum*. Qui error & Angelicæ doctrinæ, ut jam vidimus, & Augustinianæ, ut sæpius demonstratum est, & definitis ab Ecclesia plus quàm semel dogmatibus, proinde Catholicæ veritati prorsus convincitur

tur

tur oppositus. Sed velim rationis quidpiam verisimilis videre, quo ex præmissis deducta à Collatore fuerit ista damnati Articuli præfidens,& quasi triumphabunda de Constitutione confirmatio: *Sic autem verissimum est quod ait Propositio*.

5 Argumentum scilicet Collatori legitimum, & nullâ solvendum industriâ apparet, quod mihi, &, ni fallar, cæteris omnibus insanissimum. Quis enim inter antecedens istud & consequens connexionem percipiat: *Timor servilis ab omni amore sejunctus est*: Supponamus etiam quòd omnis *timor servilis pœnam formidet, sicut principale malum*. Ergo *timor servilis non sibi repræsentat Deum nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*?

Quisquis dialecticæ rudimentis, vel levissimè tinctus est, novit conclusionem fatuam esse, quæcumque intulerit vel minimum, quod non continuerat antecedens; Hic autem ex quatuor contra Deum blasphemiis, quæ in conclusione formidini affinguntur servili, ne una quidem in antecedente conspicitur; etsi in tota sua dissimulatum, suppositumque fuerit, ut Collator expetit, latitudine. An non igitur ridiculos se reddunt adversarii, aut potius se produnt manifestè perfidos, dum exploratissimum habent, nihil prorsus sive in sacris paginis, sive in authoribus catholicis uspiam inveniri quod vel minimam habeat cum damnato Articulo similitudinem, unum Exodi, alterum Augustini & Aquinatis textum obtrudunt, ab Articulo dissitum, quantum ab Inferis Cœlites?

Sed fixum novæ fidei, ac proinde novæ Ecclesiæ fundatoribus est, errori cuilibet, quantumvis exotico, & ante hæc tempora inter Catholicos inaudito, scripturam & Patrem aliquem affingere patrocinantem, ut saltem rudiotibus, voluntariè cæcis, & novitatis amore insanientibus impònatur.

CAPUT V.

Discutitur fraudulenta Quesnelli Protestatio circa præsentem Articulum.

1 Protestationem Quesnelli circa priores aliquot de timore Articulos confutavi loco proprio; in fine videlicet secundi tomi. Excutienda superest Protestationis pars altera, de reliquis ad timorem pertinentibus. De Propositione 66. qua timorem absque ullo limite, finè ulla exceptione ad passiones rejicit bestiarum, silet Protestatio, intenta potissimùm vindicandæ Propositioni 69.

Atrocissimè autem invehitur in *Documentum Pastorale* à quadraginta Galliæ Episcopis editum, & à 60. aliis adoptatum. Pro sua nempe erga tot Antistites reverentiâ illud velut ineptissimum contemnens, non solùm vocat LUCUBRATIONEM MISERAM, *Ce miserable Ecrit*; sed etiam quasi convictum de aperta arguit calumnia. Episcopi scilicet relatâ Tridentini Concilii de timore sententiâ, sic duxerant animadvertendum. „Enunciationes istæ, quæ accuratè adeò doctrinam exprimunt Ecclesiæ, damnatis Propositionibus minimè consonant. In illis de metu in genere, ac proinde de supernaturali quoque gehennæ legitur, quod *ducat ad desperationem*, quod *cor relinquat addictum peccato, & reum coram Deo*; quod pertineat ad legem veterem, quod peccandi voluntatem non excludat, etiam dum crimina exteriora impedit: imò quod *peccetur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando*: quod *non sibi repræsentet Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*. Quas Propositiones fidelium aures aversantur.„

Ita Episcopi: contra quos Quesnellus, *Falsum est*, inquit, *quod istud* (de timore supernaturali) *legatur in meo Opere*. Et rursus. „Quod eodem tractu, quasi à me traditum refertur, timorem in genere, proinde etiam supernaturalem gehennæ, denique timorem quemlibet *non sibi repræsentare Deum nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*, mera calumnia est.

„Imputatur autem mihi corruptione mei dogmatis manifestâ. Non enim istud asserui, nisi de *formidine servili*, & sicut additum est in editione anni 1699., de *formidine merè servili & perperàm intellectâ*. Quam additionem nulla exigebat necessitas, cùm in eadem observatione id ipsum verbis expresserim æquivalentibus, non loquendo nisi de iis, in quibus *amor proprius non nisi temporali ducitur commodo, & formidine servili*. Sic ego in ea Euangelii verba à servo reprobo enuntiata Lucæ cap. 19. *Timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti*.

2 „Circa quæ notandum monueram, peccatores illos, de quibus mihi sermo est, quosque exhibet *servus nequam*, esse non solummodo meros servos; sed etiam cæcos, pigros, audaces, injustos, impios, qui *Deum accusantes injustitia non*

„ *illum*

„ *illum sibi repræsentant, nisi ut Dominum* „ *durum, imperiosum, intractabilem: existi-* „ *mant autem se posse amoliri à se culpam, te-* „ *gere ignaviam, murmurare adversùs ipsum,* „ *seque ejus subducere justitiæ*: „

Quæ in Protestatione sequuntur, tomus meus superior retulit ac refutavit in fine Propositionis 62. Quod Antistites ajunt *de metu in genere*, ex circumstantiis evidens est, non intelligi ab eis præcisionem à metu qui ex amore proficiscitur, vel expers dilectionis, pœnam solummodo refugit; sed unicè sermonem instirui de posteriore: præscindi autem à timore temporalium pœnarum, vel perennium, à timore bono vel malo, rursus à timore naturali vel supernaturali.

Hanc esse genuinam *Documenti Pastoralis* intelligentiam non inficiabitur Quesnellus; sed eandem sibi ab Episcopis tribui præcisionem non patitur, protestans satis se perspicuè timorem determinasse, qualem verbis ejus retulimus. Quæ determinatio, inquit, elucet maximè in additione anni 1699. &c. ut supra.

3 Tota verò Quesnelli contra Antistites declamatio fraudulenta est, & iniqua. Cùm enim ea Pastoralis institutio adversùs dogmata centum & unum, non admodum diffusa sit, non potuit singula discutere enucleatiùs, ut solent scholastici, & à me in hoc opere præstatur; sed plura cumulando, venenum totius systematis detegunt. Quod in Documenti Pastoralis relatâ à me laciniâ sic vertitur: *ac proinde de supernaturali* &c. in Gallico est *& par consequent sur la crainte surnaturelle de l'enfer*. Exprimitur autem non diversis, ut hic apparet, characteribus, qualibus solent citationes exhiberi; sed literis ordinariis, quibus sua Antistites sensa proferunt, ut illud *& par consequens* deductam ab Episcopis ex Quesnelli sententia *consecutionem* manifestè indicet; non quasi verba Quesnelli. Sensum itaque authoris eos optimè assequi & exponere fideliter; Quesnellum verò aliud non agere, quàm ut luci tenebras affundat, suosque sensus erroneos non corrigat, sed occultet, facilè demonstro.

4 *Agi de timore qui in peccatoribus est*, prænuntiat ipsa Protestationis epigraphe §.12. *Touchant la crainte du pecheur*. Omnis peccator sub lege est instar Judæi juxta Art. 63. *Baptizatus adhuc sub lege est sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore*. Quid porrò sit esse sub lege definit *Monito quinto*, sive *Memoire cinquieme*: pag. 253. *Esse sub lege est esse sub dominatione peccati: quia ibi constitutus homo sine gratia, sinè amore, sinè charitate, nihil habet in corde nisi formidinem servilem*. Juxta Art. 67. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*.

Ibi traditur timor servilis, & de eo in genere, absque restrictione ulla Quesnellus enuntiat qualis ejus repræsentatio sit: neque de alio timore superiores suos Articulos vult intelligi; agitur enim, ut ait, *de formidine peccatoris*. Porrò omnis *peccator adhuc sub lege est sicut Judæus, non enim legem adimplet, vel adimplet ex solo timore*, quod, Quesnello judice, est non adimplere; nam Art. 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exteriùs; alioquin non est nisi hypocrisis aut falsa justitia*. Art. 45. *Amore Dei in corde peccatoris non amplius regnante, necesse est ut in eo regnet carnalis cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Art. 44. *Non sunt nisi duo amores unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*.

De timore, potissimum ubi solitarius est, ut juxta Quesnellum est in omni anima peccatrice, decernitur Articulo 61. *Timor non nisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur*. 62. *Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*. Denique impressum memoriæ lector retineat, Quesnellum protestari, quòd ubique de formidine egerit peccatoris, quæ in hujus *corde*, juxta ejus *MONITUM nihil sit præter formidinem servilem*. De hac autem dogmaticè atque illimitatè definitur Art. 67. quòd blasphemiam contineat quadruplicem.

5 At reclamat Quesnellus, proferens editionem anni 1699., in qua Articulus 67. sic legitur: *la crainte purement servile & malentenduë: Timor merè servilis & malè intellectus*.

Propositio Pontifici denuntiata, & ab eo perstricta anathemate est editionis 1693. in qua nihil de alterutra additione est. Non debuisse autem propter qualemcunque in posterioribus editionibus mutationem, permitti errores gravissimos, innumeris per orbem exemplaribus, & in plures linguas versionibus dispersos dimitti, ut impunè gras-

grassarentur, & doctrinam sanam, fidemque Ecclesiæ pessumdarent, sæpe aliàs ratione multiplici ostendi, neque enim mutationes istæ ab authore inductæ fuerant, sed ab Archiepiscopo Parisiensi, ægrè fetente Quesnello, ut constat ex pluribus ejus Literis quæ referuntur in *Causa Quesnelliana*, sive processu juridico coram Archiepiscopo Mechliniensi Art. 19.

Neque mutationes istiusmodi sunt ut eas Quesnellus appellandas censeat correctiones; proinde nulla hìc est retractatio authoris; sed non nisi erroris occultatio, ad fallendos, si fieri posset, fidei Judices & impediendum grassantis subdolè contagii remedium. Quidquid de intentione Cardinalis Noaillii sit, Quesnelli & similium fraudulenta est. Ait hic, nullam fuisse additionis geminæ necessitatem; cùm sensum eundem satis indicaverit textus anni 1693.

6 Referamus integrum: in verba servi nequam; *Timui enim quia homo austerus es* &c. sic novus Commentator annotat. „ Mi„ ra cæcitas, credere quòd possit culpa ex„ cuti accusando Deum de injustitia! Amor „ proprius, qui in rebus ad Deum perti„ nentibus non agit nisi privati sui commo„ di impulsu, & servili formidine, nunquam „ efficier, nisi ministros pigros, ignavos, in„ curios divinæ gloriæ. Charitas nihil de „ Deo cogitat, nisi dignum bonitate ejus „ & misericordiâ: omni quoque tempore „ prompta est ad ponendam in eo fidu„ ciam, atque pro ejus gloria laborandum: „ Timor servilis non sibi repræsentat Deum „ nisi ut Dominum durum, imperiosum, in„ justum, intractabilem, ut suam obtegere „ inertiam, contra Deum verò murmurare „ valeat, seque ejus subducere justitiæ. „

Hæc universa est Quesnelli in memoratum Euangelii textum Observatio, neque alia damnati Articuli occurrit circumstantia melior. Quantum igitur ad prætensam attinet in editione ultima additionem, qua *timor servilis* legatur *merè servilis*, nihil ea in sensu mutat Articuli. Cùm enim de servili agitur formidine, non supponitur juncta Dei dilectio, unde nobilius ipsi timoris initialis vocabulum obveniret. Ita & nos, antequam etiam à Quesnello moneremur, non aliter Propositionem ejus, quàm de timore merè servili duximus intelligendam.

7 Verùm Theologi communissimè non omnem formidinem merè servilem statuunt serviliter servilem. Prior sæpe est à Spiritu Sancto, atque de ista S. Thomas enuntiat parte 3. quæst. 85. art. 5. *De pœnitentia quantum ad actus, quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur. Quorum actuum ... tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur ... sic igitur patet, quòd actus pœnitentiæ à timore servili procedit sicut primo motu affectûs ad hoc ordinato.* Utrobique *timoris servilis* nomine intelligitur merè servilis; ad spem tamen, amorem & pœnitentiam disponens; non autem serviliter servilis, qui novum & grave peccatum est, ut supra vidimus; ideoque ad veram pœnitentiam disponere non potest, sed eam maximè impedire. Non igitur, etsi ab initio vox *merè* apposita fuisset, debuisset illa Pontificem ab infligendo Propositioni anathemate continere.

8 Majoris momenti est additio altera, cùm dicitur *Timor servilis malè intellectus*: cum hac scilicet restrictione, si in prioribus quoque fuisset editionibus, non existimo propositionem à quopiam denuntiandam fuisse, minus à Sede Apostolica condemnandam. Verùm, quod Quesnellus ait, additionem istam minimè necessariam fuisse, utpotè ex antecedentibus & consequentibus satis subintelligendam, perridiculum est; & à nullo sanæ mentis Theologo, aut juris utcunque perito admittendum. Nullum enim in toto Quesnelli Commentario, quem nullo prætermisso apice retuli, verbum est, nulla circumstantia, quæ tali fundamentum præbeat additioni: neque ullo modo verisimile est, aut ulli rationis compoti persuadebitur, hanc fuisse Quesnello in suis, cùm eas scriberet, Observationibus mentem, quod Propositionem intelligi oporteret de *timore servili malè intellecto*.

Insaniens enim scriptor quilibet meritò diceretur, aut deceptor perfidus, si cum quidpiam assereret simpliciter, vellet malè intelligi. Quæ scilicet interpretandi, vel potiùs cavillandi ratio si invaluerit, nulla erit hæretica assertio, quæ unquam damnari meritò poterit; vera etenim dici semper poterit, si *malè* fuerit *intellecta*. Sed etiam ex scriptione vel locutione qualibet alia, quid certi, quid veri unquam erui prudenter poterit, quando scribenti, aut loquenti semper integrum fuerit multos post annos sua scripta dictaque sic explicare, ut pro percipienda authoris sententiâ, verba *malè intelligi* debuerint?

Sed & hæc excusatio tam frivola & absurda meritò visa fuerit Authori Hexaplorum, & subsidiario ejus *Collatori*, ut cùm in suis Observationibus nihil prætermittere consueverint quòd excusationis speciem vel minimam præseferre videatur, de hac tamen additione ne hiscere quidem ausi

sint. Et re vera de Quesnello miratus plurimùm fui, quòd homo ingenii minimè obtusi allegationis istiusmodi ineptias non perceperit, vel eum non puduerit, inter *Protestationis* adeò solemnis fundamenta collocare.

Additio illa à Parisiensi Antistite concepta, cuilibet sapienti videbitur prioris correctio, & destructio errati; at Quesnelli superbia, omnis impatiens correctionis, mavult patente mendacio omnibus apparere ridiculus, quàm confessione humili Christianus retractator erroris.

Si tamen seriò adhærere decreverit Additioni, edicat apertiùs an modò saltem agnoscat, non posse de servili formidine, nisi perperàm intellecta asseri, quod non sibi repræsentet Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem. Interim duo manent verissima: Primum, Additionem istam in editione anni 1693. minimè extitisse, neque potuisse prudenter à denuntiatoribus, aut Judicibus supponi vel subintelligi: Alterum Propositioni, ut sonat, reperiri neminem, sive ex Patribus, sive ex recentioribus Catholicis suffragantem.

CAPUT VI.

Dolosa Quesnelli Protestatio de Lege veteri exhibetur.

1 PRotestatio hęc iterum §.13.pag.226. & sequentibus impetit DOCUMENTUM PASTORALE centum Gallicanorum Antistitum. „ In isto, [inquit „ Quesnellus] agnoscitur *legis veteris se-* „ *cundùm se consideratæ impotentia*. Eadem „ fides mea est. *Sed sacræ literæ & Patres* „ *nunquam asserunt, omnibus in Testamento* „ *veteri viventibus fuisse impotentiam illud* „ *adimplendi*. Eam neque ego asserui un- „ quam; sæpe autem contrarium.

„ Quæ igitur est me accusandi ratio, „ quasi de lege Mosaica non scripserim „ orthodoxè? In *Documenti* margine no- „ tantur Propositiones sexta, septima, sexa- „ gesimaquarta, sexagesima quinta velut „ accusationis probatio: illas exhibeo ut „ lector judicet: Prop. 6. *Discrimen inter* „ *fœdus Judaicum & Christianum est, quòd in* „ *illo Deus exigit fugam peccati, & imple-* „ *mentum legis à peccatore, relinquendo il-* „ *lum in sua impotentia: in isto verò Deus* „ *peccatori dat quod jubet, illum suâ gratiâ* „ *purificando*. Prop.7. *Quæ utilitas pro ho-* „ *mine in veteri fœdere, in quo Deus illum* „ *reliquit ejus propriæ infirmitati, imponen-* „ *do ipsi suam legem? Quæ verò fælicitas non* „ *est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis do-* „ *nat, quod petit à nobis?* 64. *Sub maledicto* „ *legis nunquam fit bonum; quia peccatur sive* „ *faciendo malum, sive illud non nisi ob timo-* „ *rem evitando*. 65. *Moyses, Prophetæ, Sa-* „ *cerdotes, & Doctores legis mortui sunt abs-* „ *que eo quòd ullum Deo dederint filium; cùm* „ *non effecerint nisi mancipia per timorem*.

2 „ Nihil hic est, quod non congruè „ sequatur ex principio quod ipsa stabilit „ *Institutio Pastoralis*, legem veterem se- „ cundùm se impotentem esse. Si igitur ali- „ qui extracti fuerint ex hac *impotentia*, ex „ hac *infirmitate*, ex hoc spiritu *servitutis* „ ut facerent bonum, & evitarent malum, „ non id præstitit virtus legis; unicus enim „ ejus effectus fuit notitia peccati; sed to- „ tum istud operata sunt merita Christi „ prævisa, ejusque virtus gratiæ. Sic Pa- „ triarchæ, sic Prophetæ, & justi qui vive- „ bant sub lege, justificati sunt: neque quo- „ ad istud erant antiqui fœderis; sed novi: „ & membra erant Christi per anticipatio- „ nem.

„ Ea doctrina est, quâ Augustini & cæ- „ terorum Patrum plena sunt volumina, „ quamque eorum secutus vestigia locis „ pluribus professus sum. „

Confirmando illi dogmati, quod probatione apud Catholicos non indiget, & de quo nulla inter nos disceptatio est, multum verborum impendit Protestatio. In hac prosequamur. „ Non hic hæreo (inquit) in „ demonstrando, quantùm *Pastoralis Insti-* „ *tutio* contraria sit Apostolo, quantùm „ imponat Aquinati: potero id aliàs; si „ opus fuerit. Vult illa horrorem incutere „ propter *impotentiæ* vocabulum adhibi- „ tum Articulo 6. & *infirmitatis* nomine „ explicatum in septimo. Quid si igitur *im-* „ *possibilitatem* dixissem, duce Angelico in „ cap.3.ad Gal. lect.4. cum Glossa ordina- „ ria, & quidem cum Apostolorum Princi- „ pe, atque Doctore Gentium?

„ Multiplex illa authoritas aliunde ir- „ refragabilis, non me à remerariorum „ istiusmodi criticorum, qui Eminentissi- „ mo Rohano calamum commodarunt, „ censurâ liberasset. Dixi solùm *impoten-* „ *tiam*: & quivis Theologus satis perspicit „ non agi istic de *impotentia physica*, quæ „ liberi facultatem arbitrii privat potesta- „ te illa indifferentiæ essentiali, qua succes- „ sivè quando vult in objecta se fert oppo- „ sita & inter se pugnantia. Non agitur nisi „ de impotentia consequente, & volunta- „ ria

„ ria quæ non magis oritur à lege, aut à „ gratiæ absentia, quàm vulnus mortiferum, quod homo suis sibi armis intulit, „ sit effectus legis suicidium prohibentis, „ vel à Chirurgi profluat absentia, vel à „ privatione remedii ad sanandum necessarii.

„ Eadem impotentia est, de qua Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 1. ducibus „ Augustino & cæteris Patribus ait: *Omnes „ homines in prævaricatione Adæ... usque „ adeò servi erant peccati, & sub potestate „ Diaboli ac mortis, ut non modò gentes per „ vim naturæ; sed ne Judæi quidem per ipsam „ etiam literam legis Moysi inde liberari, aut „ surgere possent; tametsi in eis liberum arbitrium minimè extinctum esset; viribus licèt „ attenuatum & inclinatum.*

4 „ De eadem impotentia docet Ecclesia Romana in primo ex capitulis attributis Cœlestino Pontifici, hominem „ peccato originali amisisse naturalem bene agendi potestatem. Declarat autem „ Ecclesia, insistere debere iis Capitulis „ omnem hominem, qui censeri voluerit „ Catholicus. Denique Tridentinum eodem sensu se explicat sess. 6. can. 1.

„ Coacti fuere authores DOCUMENTI agnoscere hanc legis impotentiam, „ atque ita vel inviti approbavere meos „ Articulos hanc materiam concernentes, „ & Constitutione damnatos; non enim „ aliud isti continent, quàm congruas ex „ hac impotentia consecutiones.

„ Propterea non est cur in meis *Observationibus* quæram enuntiationes contrarias iis, quas mihi volunt imponere, „ attinentes ad legem veterem; quinam „ enim errores isti sint nequeo divinare. „ Num fortè Manichæismum hic mihi impingere voluerunt; quasi docuerim legem esse malam, & à malo profluxisse „ principio? Nolim eos credere adeò insensatos. Si tamen istiusmodi de me conceperint opinionem, en textus aliquos, „ qui eam ipsis eximere poterunt.„

Sequitur locorum quorumdam citatio, quibus justos aliquos in antiquo fœdere agnoscit. Dein ita pergit Protestatio.

5 „ Non assequimur cur *Documenti* artifices, postquam agnoverant *legem veterem, secundùm se consideratam, fuisse impotentem*, addiderint *scripturas & Patres „ nunquam asserere, quòd omnes qui fuere in „ lege veteri, ejus implendæ impotentiam habuerint*; Num per hoc indicare cupiunt, „ quod apertè affirmare non audent, à me „ traditum fuisse dogma istud exoticum, „ quod nullus ante somniavit? Eorum hoc „ conscientiæ relinquo. Verùm omnis mea „ in Caput XI. integrum ad Hebræos, & „ multiplex alibi Observatio, contra istam „ satis me calumniam defendit.

„ Etiam ad Marci cap. 8. v. 2. Dico *Jesum habuisse suos Electos ante legem, tempore legis, & post incarnationem... atque „ omni illo spatio fuisse cum eo Electos per fidem, spem, & charitatem*. Alibi doceo „ quòd *justitia Christiana purificaverit animos omnium justorum, qui quatuor annorum millibus, Christi præcesserant adventum*. Denique Joannis cap. 6. v. 45. tradidi, quod *Omnes qui ante Redemptorem „ docti fuere & tacti voce Dei interiore atque omnipotente, pertinuerint ad ejus fædus, & Christiani fuerint per anticipationem, cum ex spiritûs ejus plenitudine acceperint.*

„ Polliceor fore ut ostendam montem „ sinè valle cuicumque, qui conciliare potuerit *impotentiam implendi legem, cum „ impletione ejus actuali, quam vox illa Dei* „ interior & omnipotens operata est: & „ quidem potens adeò, ut in medio *legis se „ ipsa impotentis* formaverit Christianos „ perfectos, qui anticipatione mirabili accipiebant fructum sacrificii Jesu Christi, „ atque ad novum ejus fœdus pertinebant.

CAPUT VII.

Relata Protestatio plena dolo convincitur.

1 ANtiquum hic Quesnellus obtinet, tam industrius in occultandis suis, dum redarguitur, erroribus, quàm fuerat in divulgandis temerarius. Copiosus admodum est in refellendis accusationibus fictitiis, à se subdolè fabricatis, ut lectoris animum figmentis istiusmodi occupatum à veris distrahat accusationum capitibus. Hæc igitur principio fixa determinemus, ne Andabatarum more præliari in tenebris censeamur.

Legem veterem non potuisse seipsâ impleri; sed eguisse Salvatoris gratiâ, meritò agnoscunt Galliæ Antistites Catholici: neque inter nos & Quesnellum ulla de hoc disputatio est. Sed rectissimè reprehendunt Episcopi illi Propositiones sextam & septimam, utramque sonantem pessimè, &, dum significatione obviâ accipitur, natam offendere aures pias, quasi Deus hominibus in lege

lege veteri viventibus mandata dederit, observatu ipsis impossibilia, cùm ea implendi potestas non suppeteret sinè gratia, quam miseris denegabat.

Hinc contra utrumque Articulum jure orta est indignatio Præsulum, quia, inquiunt, *Nunquam sacra litera, nunquam Patres asserunt omnibus in illa lege degentibus, fuisse ejus implenda impotentiam*. Quod autem Quesnellus ait istud neque à se unquam fuisse traditum de omnibus; sed sæpe contrarium; Quoad priorem partem non consonat Propositioni septimæ: *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit propria infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ verò fœlicitas non est admitti ad fœdus in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?* Non magis convenit Propositioni sextæ: *Discrimen inter fœdus Judaicum & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto verò Deus peccatori dat quod jubet, illum suâ gratiâ purificando*.

2 Utrobique Propositio indefinita est, & generali quodammodo æquivalens. Quamvis itaque non expressa fuerit nota universalis; in enuntiationibus tamen istiusmodi indefinitis supponitur, ut idem sit *homo est animal rationale*, ac si omnem hominem rationalem dixeris.

Si itaque Quesnellus non adeò hìc malè senserit; at pessimè locutus est. Neque Novatoribus & contemptoribus Apostolicæ Sedis ea debetur reverentia, ut eorum enuntiationes sensu obvio hæreticas, semper interpretemur catholicè, neque usquiam pugnantia docuisse credantur, qui à veritatis & fidei orthodoxæ tramite, conculcatis sæpius Ecclesiæ definitionibus, superbè recesserint. Quemadmodum enim cæcis, vel inter opacæ noctis tenebras temerè incedentibus frequenter accidit, ut hinc inde impingentes in opposita, eant palantes redeantque unde venerant, ita in Luthero & aliis hæreticis, quos malevola obcæcavit pertinacia, non rarò perspicies opiniones minimè inter se cohærentes.

3 Quapropter neque Episcopi, neque alii Catholicæ fidei vindices, Quesnello tribuunt, quasi in suis quatuor tomis Observationum constanter ubique negaverit omnibus Testamenti veteris hominibus potentiam implendi præcepta; sed accusatio solas afficit Propositiones in Constitutione *Unigenitus* expressas, præcipuè sextam & septimam, quas nulla Quesnelli tergiversatio unquam poterit excusare. Proinde si non adeò, ut verba sonant, perversè senserit; non est cur centum Episcopis impudenter & iniquissimè insultet; sed suam fateatur, damnet, corrigat in scribendo imprudentiam. Neque ad evitandum anathema satisfecerit Quesnellus; si Moysi, Prophetis, Patriarchis, & aliquibus fortè Sacerdotibus, aut Doctoribus potentiam implendi mandata concesserit, universæ reliquæ multitudini denegans; nam & justissimè proscriptus est Articulus 65. *Moyses, Propheta, Sacerdotes & Doctores legis mortui sunt absque eo, quod ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint nisi mancipia per timorem*.

4 Crescit autem Quesnelliani sensûs iniquitas, quando mancipiis illis omnibus juxta Propositionem 6. adimitur omne interioris gratiæ auxilium; Deo scilicet ab illis exigente fugam peccati & implementum legis, *relinquendo illos in sua impotentia*. Sic enim fallacia redduntur innumera Dei per Prophetas & cæteros Hagiographos testimonia, quibus declaratis in lege veteri; nolle se mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat: Omnes ad pœnitentiam hortatur: ad eam urget præceptis, incitat minis, allicit præmiis.

Quis sapiens hæc conciliet cum terribili illâ Peccatorum omnium desertione, quâ relinquantur in sua legis implendæ impotentiâ?

5 Quod ait Quesnellus *impotentiam, qua in 6. Articulo est, in septimo explicari nomine infirmitatis*, nova fallacia est, Novatoris subdoli digna ingenio; cùm potiùs *infirmitas* posita Articulo 7. intelligenda sit verissima & propriissimè dicta *impotentia*. Nam juxta Propositionem 5. inter triginta & unam ab Alexandro VIII. condemnatas, & Quesnello - Arnaldicis difficultatibus Steyaertio propositis par. 9. pag. 212. contra anathema audacissimè defensas est *Pagani, Judei, hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum: adeòque hinc rectè inferes in illis esse voluntatem nudam & inermem sinè omni gratia sufficienti*.

Præterea omnis illa Judaici populi multitudo à Moyse, Prophetis, Sacerdotibus & Doctoribus instituta, ac mancipiorum nomine in Articulo comprehensa erat sub lege, *Esse* autem *sub lege* iuxta MONITUM Quesnelli quintû Gallicè *Memoire* pag. 253. *est esse sub dominatione peccati; quia homo illic existens sinè gratia, sinè amore, sinè charitate, nihil habet in anima nisi formidinem servilem*.

His junge Articulum Quesnelli 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad*

se

se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

Edisserat nobis modò Quesnellus, an homines sinè ullo gratiæ interioris auxilio, quales ab ipso statuuntur sub lege mancipia per formidinem servilem, non nisi infirmitatem, non nisi impropriè dictam impotentiam habeant implendæ legis. Si ita est, virtutum Theologicarum actus salutiferi, etiam necessaria ad justificationem pœnitentia elici poterit naturæ viribus sinè gratia, quæ non requiretur, nisi ad faciliùs agendum, ut placuit Pelagio, non Augustino, non Ecclesiæ Catholicæ. Sed & quid tum faciet suo Quesnellus Jansenio, qui lib. 2. de gratia Christi cap. 1. ait: *Nisi vires pristina medicinali gratiâ & adjutorio restaurentur, tam est impossibile voluntati ut bene velit & operetur, quàm homini cæco ut videat, vel surda ut audiat?*

6 Nonne propriissimè dicta & verè *physica impotentia* est in homine cæco, ut videat, surdo ut audiat, & quod ibi Jansenius addit, *tibiis fracto ut rectè gradiatur?* Jansenio autem, teste Arnaldo Apologiâ 1. pag. 92. *reservata à Deo fuit materia de gratia clariùs delucidanda:* Et ovans succinit Quesnellus in *Notis circa Epistolam Steyaertii* pag. 17. *Adeò non persuaderi sensum ab authore* [Jansenio] *intentum esse hæreticum, ut jam demum credere cæperit orbis catholicus, nihil in ipso non esse catholicum.*

Habetne *potentiam physicam*, qui juxta Articulum Quesnelli 39. *Nihil habet virium, nihil luminis &c.* Hinc in pulverem dissolvitur, vento dissipandum levissimo, tota Protestationis machina, non nisi ex fallacium verborum conflata inanissimâ congerie. Comminiscitur novus Theologus *non agi istic de impotentia physica, quæ liberi facultatem arbitrii, privat potestate illâ indifferentiæ essentiali, qua successivè, quando vult, in objecta se fert opposita, & inter se pugnantia: non agi nisi de impotentia consequente, & voluntaria, quæ non magis oritur à Lege, aut à gratiæ absentia, quàm vulnus mortiferum, quòd homo suis sibi armis intulit, sit effectus Legis, suicidium prohibentis, vel quàm à chirurgi absentia profluat, vel à privatione remedii ad sanandum necessarii.*

7 Ita novus Scholasticus, qui, etsi cum Patriarcha suo Jansenio Philosophiam communem & scholasticam Theologiam, utpote malleum ad confringendas novas hæreses potentissimum, oderit, ubi tamen aut defendi hæresim, aut eam fraudibus defendendi necessitas premit, ad voces uterque confugit in scholis catholicis usitatissimas, quas ipsi sensu longè dispari, atque à communi intelligentia remoto, ut suæ accommodetur hæresi, subdolè adhibent. Et quidem descriptæ hic ex Quesnello laciniæ Lector, si verba cum fallaciis conferre voluerit, utra numero superent, meritò dubitabit.

Fuisse in Judæorum multitudine, juxta Quesnelli axiomata impotentiam implendi mandata, verè & propriissimè *physicam*, jam ostendi tum ex ipso, tum ex magistro ejus Jansenio, cujus sensum veluti per omnia catholicum approbat. Ubi scilicet nihil virium ad agendum est, ut ait Quesnellus, patet deficere *potestatem physicam*: neque ipse aut quis alius non imperitissimus, dicet nos ad actus salutiferos, & in substantia supernaturales habere sinè ulla gratia naturæ viribus superiore, potentiam physicam propriè dictam, & sufficientem.

Scimus Jansenii defensores subinde quasdam ex ipso proferre sententias, quibus ad cujuslibet observantiam mandati hominibus tribuit potestatem sinè gratia; Verùm ut respondet verissimè Cardinalis Aguirre in defensione Cathedræ S. Petri Disp. 21. Sect. 1. *his solùm evincitur ipsum* (Jansenium) *concessisse homini potestatem quamdam remotam ad implendum præcepta Dei, quam ne quidem Lutherus, Calvinus, Beza, Sanchius, Molinæus, & Paræus, jurati Ecclesiæ Catholicæ & liberi arbitrii hostes negarunt.* Non enim remota istiusmodi illis potestas conceditur, quâ proximam sibi comparare valeant, & gratiæ orandi auxilium ulterius obtinere; sed potentia qualis est in homine, ut Jansenii iterum similitudine utar, fractis cruribus incedendi rectè, vel etiam currendi, quia non deest anima, quæ loco movendi continet facultatem.

8 Similis potestas *physica* est, quam Judæis gratiâ destitutis tribui patitur Quesnellus; qualem scilicet Jansenius supra citatus *homini cæco ut videat, surdo ut audiat.* Ubi quidem Episcopus à veritate aberrat catholicâ, in eo, quòd omnem repudians gratiam sufficientem, in omnibus, quibus efficax defuerit, non majorem agnoscat potentiam physicam ad opus salutiferum, quàm in exemplis similibus de cæco, surdo, crurifrago; à nullo tamen catholico reprehendenda foret sententia, si omni penitùs gratiâ destitutis potestatem adscriberet haud meliorem.

Etenim sicut anima visionis & auditionis aliàs causa præcipua est, attamen instrumentis seu organis minimè dispositis, potestas ea adeò incompleta deprehenditur & re-

remota, ut sermone vulgatissimo, surdis, cæcis, crurifragis, potestas physica absolutè & simpliciter denegetur: sic etiam & quidem amplius ea deneganda est animæ sinè omni gratia potestas physica ad actus naturæ ordinem transcendentes, quorum causa præcipua auxilium supernaturale est.

Lovanii quidam Doctor cognomento *Intrepidus*, & Quesnello devotissimus cliens in *Theologiæ compendio* pag. 24. posuerat, *Neque tamen est, quòd sinè gratia sufficiente non essent liberi ad supernaturalium præceptorum adimpletionem*: Quod idem est ac si diceres, *neque verum est, quòd cæcus non sit liber ad videndum, surdus ad audiendum*. Compendium istud quidem Romæ damnatum fuit, author verò authoritate Innocentii XI. & Caroli II. Regis Catholici à *Facultate strictâ*, qui Magistrorum Senatus est, perpetuò suspensus; sed destitutus nunquam Quesnelli contra Pontificem & Regem patrocinio.

9 Talis Quesnello potestas sufficiens ad demerendum est, ut statuit hæretica Jansenii Propositio 3. *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione*. Similiter Quesnellus in *Romanæ Ecclesiæ Traditione* edita ficto nomine Domini Germain, tomo 3. pag. 465. *Gratia sufficiens, sinè qua peccatum vitari non potest, non est necessaria ut delictum imputari valeat peccatori in præsenti statu naturæ corruptæ*. De opposita sententia ait ibidem, *Esse inventum inimici gratiæ Jesu Christi, & artificium per quod reviviscat in Ecclesia Pelagianismus, vel potius suscitetur novus, priore periculosior, & magis impius*.

10 Post originis scilicet peccatum, juxta novum hunc Apostolum, ad demerendum non requiritur nisi remota delicti vitandi potentia; qualis in cæco superest ad videndum, quæque proinde ut illa maximè physica est in eo, qui sinè omni gratia non elicit actum naturæ ordine superiorem. Talis quidem facultas remota & incompleta ad peccandum formaliter & demerendum non suffecerat primis parentibus ante lapsum; at si post illum sufficere negaverimus, ut Romana negat Ecclesia, definimus penès novum Apostolum esse catholici, Pelagianismum non modò resuscitamus veterem sed introducimus præterea novum perniciosiorem & magis impium.

Hæreticorum censuras facilè contemnit directa Spiritu Sancto Ecclesia, & per Alexandrum VIII. Pontificem anathemate percutit hunc inter 31. Articulos primum: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale & demeritum sufficit illa libertas, quâ voluntarium ac liberum fuit in peccato originali, & voluntate Adami peccantis*. Hæc palmatis novitas inter præcipua novæ Ecclesiæ fundamenta est: eâ nititur præcepti observandi in transgredientibus non eximens à peccato & demerito impossibilitas, necessitas peccandi, ignorantia invincibilis non excusans; quia vinci potuit in Adamo, à cujus lapsu omnis illa impossibilitas & necessitas, sicut duxit originem, ita & perdidit excusationem.

11 Arnaldus & Quesnellus flocci facere soliti quascunque Pontificum suis incommodas novitatibus censuras, in suis contra Decretum illud vehementissimè invehuntur *difficultatibus propositis Domino Steyaert* parte 9. ubi post multas in illud contumelias, damnatam, quæ huc pertinet doctrinam temerè instaurant pag. 240. *Etiamsi* [inquiunt] *præcepta servari non possint sinè gratia, nec ignoratio juris naturæ sinè gratia depelli, non debent tamen homini destituto omni gratiâ dici præcepta esse absolutè impossibilia, & ignorantia absolutè invincibilis; ut enim absolutè possit quis mandata servare, & ignorantiam vincere, sufficit quòd potuerit in Adamo, & etiamnum habeat intellectum & voluntatem non incapacem recipiendi auxilia, ubicunque Deo placuerit ea pro sua misericordia infundere*.

12 Quantumvis libertati infesti fuerint Jansenius, & qui eum sæculo præcessere hæretici, non insanivere tamen adeò ut nobis etiam in Adamo negaverint, vel post ejus peccatum non agnoverint intellectum & voluntatem capacem recipiendi auxilia ubicunque Deo placuerit ea pro sua misericordia elargiri. Jansenius lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 4. ait. *Duplex peccatum distinguere solet Augustinus: aliud quidem quod peccatum tantùm sit, aliud quod ita peccatum sit, ut sit etiam pœna peccati: illud ita esse in motu voluntatis, ut sit liberum inde abstinere: hoc verò non esse liberum; sed pœnâ ex judicio Dei peccatorem premente & punienté necessarium: eatenùs tamen liberum; quia ex voluntate Adami liberè peccante hujusmodi pœna proficiscitur*.

Pluribus hoc ibi capitibus stabiliens, tandem lib. 4. cap. 22. concludit, quòd *ea peccata, à quibus homo seu ignorando, seu facere non valendo quod faciendum videt, abstinere non potest, vera peccata nominentur . . . non quia voluntatis sunt libera . . . . sed quia de peccato libera voluntatis originem ducunt, hoc est, quia fuerunt voluntatis libera in causa*

sa sua, quæ pœnam illam cæcitatis & imbecillitatis accersit. Viam novitati huic aperuerat Calvinus lib. 2. Institut. cap. 5. quo Calvinistatum de grege non infimus gloriatur Chamierus lib. 3. cap. 3.

Cujuscunque ea inventio sit, minimè catholica est, neque Augustiniana. Rectiùs hic sanctus Epist. 23. enuntiat: *Baptizatus deinceps non potest vinculo alienæ iniquitatis obstringi, cui nullâ suâ voluntate* (libera) *consentit, & semel perceptam parvulus Christi gratiam non amittit, nisi propriâ voluntate*. Lib. 83. quæstionum quæst. 24. *Nec peccatum, nec rectè factum imputari cuipiam justè potest, qui nihil fecerit propriâ voluntate. Est igitur peccatum & rectè factum in libero voluntatis arbitrio.*

13 Denique lib. 2. de gestis cum Felice Manichæo cap. 4. *Habet unusquisque in voluntate aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala.. Hoc ergo Dominus dicens: aut facite illud, aut facite illud, ostendit esse in potestate quod facerent: & quia si bonum eligerent, præmium illius acciperent; si malum eligerent, pœnam illius sentirent.*

Cuilibet lumine naturæ notum est, electionem duo supponere, quorum neutri eligentem adstringat necessitas, qualis adegerit Judæos ut mali essent, & præcepta omitterent, quando omnis eos gratia destitueret, sinè qua observatio mandatorum, & peccatorum evitatio est impossibilis. Præclarè Angelicus in Quæstionibus disputatis quæst. de Malo q.6. de Electione: *Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum: nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur; non enim omne necessarium est violentum... Hæc autem opinio est hæretica; tollit enim rationem meriti & demeriti.... si enim non sit liberum aliquid in nobis; sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus & vituperium.*

14 At inquies, Protestantem jam vidimus Quesnellum, quod *impotentia* Articulo 6. asserta in Judæis *non nisi consequens fuerit & voluntaria*, quæ, juxta receptissimam apud omnes sententiam, peccantes non liberat à culpa & demerito. Fallaciam Lector accipe luci meridianæ expositam. Memineris famosi axiomatis Quesnelliani quod est art. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, & propter hoc ipsum fit malus:*

Modò oculos converte ad infinitam Judæorum multitudinem, qui tempore Legis nati & octavo die circumcisi ac justificati fuerunt; nam ut ait S. Thomas parte 3. quæst. 70. art. 4. *Dicendum, quòd ab omnibus communiter ponitur, quòd in circumcisione peccatum originale remittebatur.... In circumcisione conferebatur gratia* [sanctificans] *quantum ad omnes gratiæ effectus; aliter tamen quàm in Baptismo; nam in Baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi... In circumcisione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumcisionis; sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat circumcisio: ita scilicet quòd homo, qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis.*

Omnis itaque illa parvulorum multitudo justificata, cùm primùm ad usum pervenit rationis tenetur juxta Quesnellum Lege indispensabili omnem ad Deum referre actionem, amore benevolo & supernaturali, quem Deus remuneretur: Quæ relatio indiget auxilio gratiæ etiam juxta art. 39. „ Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; vitium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

15 Neque sinè supernaturali isto subsidio, ulla potest juvare Dei notitia; quia per art. 41. „ Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire nisi à Deo, & sinè gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis & amoris. „ Art. 42. „ Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei: sinè hoc nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas. „

Denique præcepta illa omnium prorsus operum relatio in Deum præsupponit necessariò auxilium gratiæ per art. 47. *Obedientia Legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia*, utpote peccatum juxta art. 44. superiùs relatum, & plures alios de charitate disertissimos.

16 His itaque in Quesnelli Systemate suppositis, facillimè subvertitur *Protestatio*. Justificatis enim innumeris illis in circumcisione infantibus, mox ubi postea rationis com-

compotes facti sunt, adfuitne paratum gratiæ actualis auxilium referendi suis in Deum actionibus necessarium? Si adfuerit, non igitur reliquit illos Deus infirmitati suæ & impotentiæ. Si verò auxilium istud ipsos defecerit, necesse est impotentiam in illis agnoscere antecedentem. Quid enim delicti in illis anterioris reperies, ratione cujus *impotentia consequens* tantummodò censeatur.

In prima scilicet actione libera, qualiscunque impotentia statuatur, non potest hæc ex culpa profluere antecedente. Non enim ex actuali, ut patet, quandoquidem actu primo ridiculè quæritur anterior: neque procedere impotentia potuit ex peccato origin̄is, utpote quod condonatum non potest malitiam formalem & demeritum prosequi in justificatis; quod enim condonatum in circumcisione fuerat, esse penitùs desiit, & qualiscunque noster in primi hominis peccatum consensus, justificatione retractatur, atque destruitur: unde justificationem subseqnens actio, si libertate caruerit immediatâ, rationem voluntarii culpabilis, & demeritorii à remisso originis peccato deducere nunquam poterit.

17 Præterea si infantibus illis justificatis mox ut ad usum rationis pervenerint aliquod auxilium gratiæ interioris concesseris, juxta Quesnellum efficax necessariò fuit per art. 10. *Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare.* Art. 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet.* Eundem sensum contineot non pauci Articuli, qui in Constitutione sequuntur. Si & *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio* Art. 28. non est cur secunda & tertia mioris bonitatis & roboris censeatur, neque ratio ulla minus auxilium gratiæ justificatis tribuit, quàm sit primum quodlibet peccatoris.

Justificatus igitur cum prima gratia operans oullam præbet occasionem, nt gratiæ præsidium ad vitationem peccati in Quesnelli sententia semper necessarium, secundis actibus subtrahatur; aliàs peccandi necessitas, & observandi præcepti impotentia non erit consequens, sed clarissimè antecedens, & à nullo hominis nata vitio, seu pravo exercitio voluntatis. Neque si secundo actui gratia sufficiens denegetur, potest ea hominis impotentia censeti voluntaria propter consensum in vitium præsens, utpote quem sinè gratia, defectu virium vitare non potuit, siquidem per Art. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet virium nisi ad se vulnerandum.*

Si tamen omoem ex antecedente necessitate ortum voluntatis consensum appellet voluntarium, istiusmodi voluntarium ad libertatem pro merito aut demerito requisitam minimè sufficit, damnatâ rectissimè à tribus olim Pontificibus in Bajo Prop. 39. *Quod voluntariè fit, etiam si necessariò fiat, liberè tamen fit*, libertate videlicet sufficiente ad ratiooem culpæ & demeriti.

Ecce itaque in Quesnelli systemate innumeros olim Judæorum justos à Deo derelictos, antequam ipsum deseruerint: Neque ipsorum intuitu fidelis fuerit Deus erga fidos sibi servos & filios, qnos tentari passus fuerit, ultra quàm potnerint sustinere. Eludere qnidem conatus fuerat Jansenius illud Tridentini Concilii *Sess. 6.* cap. 11. *Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur*, sic scilicet exponendo, nt negata illic divina desertio, de sola intelligeretur non subtrahenda gratia sanctificante, antequam eam homo peccando expelleret.

18 Verùm omoes Scholæ Catholicæ talem Synodi interpretationem, veluti corruptionem rejiciunt, atque ex Tridentini vocibus colligunt, Deum justificatos nunquam destituere, ubi opus est, sufficieote auxilio, quo peccata fugere valeant, & Dei jussibus obtemperare. Sic Pater amantissimus dum filio pollicetur fore nt eum nunqnam deserat, nisi priùs ab eo deseratur, potestne, nullo prævio filii delicto, eum absque omoi relinquere subsidio necessario, ut genitoris mandata valeat adimplere? Potestne eum, si impotentiâ deliquerit, non solum excludere hæreditate, sed morti etiam & gravissimis addicere cruciatibus?

Possetne conquerenti filio de hac duritie, & de non servata promissorum fide satisfacere, ea interpretando solùm de oon subtrahenda hæreditate & amicitia; Non autem de præstandis subsidiis, quibus posset in ejus obseqnio & amicitiâ permanere? Vadem se iterum præstat Synodus Tridentina *Sess. 6.* cap. 13. justificatis omnibus, fore ut *Deus nisi ipsi ejus gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiat.*

Inconcussum itaque est, & irrefragabile, noo solùm Prophetas & Patriarchas, sed innumeros ex Judæorum multitndine in infantia justificatos, cùm primns ipsis rationis radius eluxit oon potuisse, juxta plures Quesnelli potissimùm de charitate & gratia Articulos relinqui in sua infirmitate & impotentiâ; aliàs non defuturam ipsis de omissione actuum supernaturalium, Quesnello judice, præceptorum excusationem. Inanis pro-

proinde & frivola cavillatio est de impotentia solùm *consequente, voluntariâ, & non physicâ*, dum justificati in infantia, ab ea emergentes statim nullo peccato actuali prævio desererentur, in novatorum sententia, absque ullo auxilio supernaturali, sinè quo, ut vel ipse asserit Jansenius, tam impossibile est rectè agere, seu satisfacere præcepto, quàm sit impossibile cæco videre; audire surdo, fractis cruribus currere. Negare autem impotentiam hanc esse physicam non alius potest, nisi qui negaverit solem physicè lucere in meridie.

19 Inutilia verò sunt; sed pariter fraudulenta, quæ de infirmitate, impotentia, impossibilitate legis ad conferendam per se justitiam alleguntur; cùm neque de istis ullus Catholicus dubitet, neque hinc apologiæ vel minimum damnatis accedat Articulis. Neque enim in his de infirmitate legis, vel robore quæstio est; Sed de *infirmitate*, *& impotentia* hominis à DEO absque ullo derelicti auxilio sufficiente, ut asserit Quesnellus edoctus à Jansenio, inficiantur Catholici tutiore duce Angelico 1.2. quæst. 89, art. 2. *Quamvis lex vetus non sufficeret ad salvandum homines, tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus, simul cum lege, per quod salvari poterant, scilicet fides Mediatoris, per quam justificati sunt antiqui Patres, sicut etiam nos justificamur: & sic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis salutis auxilium.*

Cùm igitur perspicuum sit contentionem nobis esse de infirmitate, & impotentia hominum, non propter legis vires ad justificandum minimè sufficientes; sed propter Dei de deserendis sinè auxilio hominibus voluntatem, quam post Jansenium asserit Quesnellus, non video, qua ratione *Protestans* à mendacio liberetur apertissimo, quando postquam de centum Episcopis dixit: *Coacti fuere authores* DOCUMENTI (atque adeò adoptatores) *agnoscere hanc legis impotentiam*; stolido infert ratiocinio: *Atque ita vel inviti approbavere meos Articulos, hanc materiam concernentes, & Constitutione damnatos; non enim aliud isti continent, quàm congruas ex hac impotentia consecutiones*. Si aliud isti Articuli non continent, cur à Protestante id non ostenditur? Sed faciliùs è saxo oleum, ex aqua ignem eliceret, quàm ex veritate catholica legis impotentiam affirmante, conficeret mortalium in lege veteri viventium divinam in impotentia desertionem.

20 Dolosa quoque, & nimiùm claudicans similitudo est, cum de prætensa Judæorum veterum impotentia, quam Quesnellus modò *consequentem* & *voluntariam* appellat, asserit, eam non magis à lege, aut à gratiæ absentia oriri, quàm vulnus mortiferum, quod homo suis sibi armis intulit, profluat à lege suicidium prohibente, vel à Chirurgi absentia, vel à privatione remedii ad sanandum necessarii. Dispar ratio multiplex est. Adæ posteri non propriâ, ut in similitudine supponitur, sed alienâ voluntate peccantes, sibi vulnus intulerant, quod non sufficit ut secuturi inde necessariò defectus, veluti in origine voluntarii ad culpam personalem ac demeritum imputentur, maximè in justificatis, quibus delictum originis, & quodcumque aliud remissum est.

Postulat istud ratio manifesta, & æquitas naturalis, ut à Scholasticis, præsertim polemicis Scriptoribus contra recentiores hæreticos demonstratur, & confirmat invictissimè Apostolica Alexandri VIII. definitio inter Articulos 31. hunc primum anathemate feriens, *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.* Consensus ille scilicet qualiscomque in primo parente à posteris datus, in horum justificatione retractatur, condonatur, destruitur, ut proinde sufficere amplius nequeat, ut secuturis actibus malis, quibus vitandis potentia defuerit, inde voluntarium, liberum, perversitas formalis, & demeritum desumatur. Ad hoc foret opus consensûs pristini, aut novi existentiâ quadam saltem morali, quæ novam culpam fundare posset, priore consensu retractato atque abolito. Undenam aliàs malitia formalis & demeritum isti impotentiæ, & nascituris ex ea actibus derivabitur?

Accedit quòd cœlestis noster Medicus Judæos in infantia justificatos, hoc ipso susceperit in amicos, & promissionis filios, pollicitus se eos minimè deserturum, nisi peccato novo & libero ab iis antea deseratur. Hoc amicitiæ fœdere in justificatione inito, continetur, quòd eos tentari passurus non sit, supra quàm valeant sustinere, quòd paratus semper futurus sit, ut eis velut amicis & filiis auxilietur, ut nullum eis præceptum accidat observatu impossibile, modò, quod in potestate sua positum habent, ipsi præstiterint, petentes etiam, ut semper poterunt, si quid defuerit, quod ad complendam penitùs potentiam requiratur.

Protestantis autem chirurgus, si cum

cœlesti veterum Judæorum Medico comparari voluerit, supponendus est obstrinxisse fidem suam, fore, ut hominem, qui suis se armis læserat, jam pœnitentem, veluti amicum & filium non desereret; sed adforet semper arte & auxilio promptus reddere sanitatem, nisi resumptâ ultro malitiâ Chirurgum amantissimum inhumanus repelleret. Possetne læsus propter solam pristini vulneris inflictionem aliàs voluntariam, dici nunc in sua infirmitate, & se juvandi impotentia à Chirurgo deseri, aut dici derelictus propriâ voluntate? Nihil igitur sive in sacris literis, sive in SS. Patribus, sive in aliis probatis Authoribus, sive in ulla ratione Theologica est, quo *Protestatio*, vel condemnata novitas fulciatur.

Propositio damnata sexagesima octava.

Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide & precibus. *Observ. mor. Act. 2. v. 2.*

CAPUT I.

Damnatus error evertitur.

1 Mirum Christianæ vitæ, & viæ ad salutem ducentis Compendium, non quidem Dei bonitas; sed novus ejus interpres facit, *claudendo totum in fide & precibus*. Sed quâ nixus authoritate, qua ratione, nullus assequitur Catholicus.

Aliàs contra Articulum 26. & 27. ostendimus, fidem non esse primam gratiam, ac proinde Quesnellum feriri anathemate Tridentinæ Sessionis 6. Canonis 3. *Si quis dixerit, sinè præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*. Neque ab anathemate illo immunis est Articulus ejusdem Novatoris quinquagesimus secundus asserens, *omnia alia salutis media contineri in fide, tanquam in germine*; Cùm primum gratiæ auxilium non contineri in fide, tanquam in germine, Orthodoxis omnibus certissimum sit.

Eundem errorem subdolè Quesnellus prosequi videtur in præsenti Articulo, *totum* ad salutem pertinens *claudendo in fide & precibus*, extra quas esse constat primum gratiæ auxilium, utpote preces & fidem prævenienś. Sed impugnandus modò venit error alius, saluti detrahens necessitatem bonorum operum, quæ à fide & precibus distinguuntur. Theodoretus lib. 4. Hist. cap. 10. & lib. 4. de fabulis hæreticorum refert Messalianos hæreticos adeò extollere solitos virtutem orationis, ut eam solam ad salutem satis habere ponderis arbitrarentur; Sacramenta verò, præcipuè Baptismum & Eucharistiam, velut ad salutem inutilia contemnerent. Hinc dicti Euchitæ, seu precatores.

Quam vesaniam tam apertè Divinis oraculis & Ecclesiæ Catholicæ sensui repugnantem, non operosa confutatione dignam censuere scriptores polemici: Alia hæresis salutem soli tribuit fidei, operibus derogat, velut non necessariis. Hunc errorem cœpisse à tempore Apostolorum testatur Augustinus lib. de unico Baptismo contra Petilianum, & lib. de fide & operibus c. 14.

Errandi vel firmandi erroris occasio arrepta ab aliquibus est ex Epistola Pauli ad Romanos, perperam intellectâ. Remedium attulere aliorum Apostolorum epistolæ, ut ait Augustinus citato cap. 14. *Quoniam hac opinio fuerat exorta, aliæ Apostolicæ epistolæ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ, contra eam dirigunt intentionem, ut vehementer adstruant, fidem sinè operibus nihil prodesse*. Placuit nihilominus deinde hæc hæresis spurcissimo Eunomio, qui teste Augustino lib. de hæresibus cap. 54. *Fertur usque adeò fuisse bonis moribus inimicus, ut asseveraret, quòd nihil cuiquam obesset, quorumlibet perpetratio, & perseverantia peccatorum, si hujus, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset*.

2 Similem hæresim ab inferis suscitavit Lutherus, & tradidit locis pluribus, ut ostendit Bellarminus lib. 4. de justificatione cap. 1. sed fidei nomine fiduciam intellexit. Lutheri verò Discipuli, cùm hanc totius Christianæ vitæ & moralis honestatis ruinam nimis manifestam, vitiorum pariter omnium fomitem, nimis fœdè olentem defendere non possint, quidquid fortè cùm magistro sentiant, crudum nimis loquendi modum corrigentes, opera requirunt, tanquam necessarios veræ fidei comites, & effectus; ita tamen ut penès solam fidem sit operatio salutis; id vocant requiri opera *necessitate præsentiæ, sed non efficientiæ*.

Quesnellus autem novam ex duabus hæ-

re-

resim constat, non soli orationi, nec soli fidei salutem adscribens, sed utrique: *Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide, & precibus.* Quid igitur de Sacramentis? An illa ad viam salutis minimè pertinent? Dicit tamen Christus Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*: & Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

3 Supponamus Quesnelli discipulos, & fautores totos fide & precibus occupatos, minimè tangi proximorum egestate, de operibus misericordiæ nihil solicitos, à se repellere quoscumque nudos, sitientes, famelicos, hospites, non visitare captivos, non infirmos, denegato eis omni solatio, atque subsidio: qualem devotuli isti à Christo judice Matth. 25. expectare poterunt sententiam?

Misericordibus dicet: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi & dedistis mihi bibere &c.* Duris autem & charitatis erga proximum expertibus denuntiabit: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum*, &c. Ubi non defectus fidei & orationis redarguitur, sed operum misericordiæ.

Unde Jacobus Apostolus cap. 2. *Quid proderit, Fratres mei, si fidem quis habere se dicat, opera autem non habeat, nunquid poterit fides salvare eum?* Non poterit sanè, etsi Oratio accesserit; Quoniam ut ait idem Apostolus, *qui totam legem servaverit, offendet autem in uno, factus est omnium reus*. Suosne credentes & orantes absolvet novus Apostolus à jejunio, à pœnitentia, & pœnitentiæ Sacramento?

Non ita Christus Lucæ 13. *Nisi*, inquit *pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Et Tridentinum Concilium Sess. 14. cap. 1. *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjectâ, & emendatâ, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur.* Eâdem Sess. can. 6. *Si quis negaverit confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure Divino, anathema sit.*

4 De jejunio S. Augustinus epist. 86. ad Casulanum *Ego*, inquit, *in Evangelicis & Apostolicis literis, totoque instrumento, quod appellatur Testamentum Novum, animo revolvens, video præceptum esse jejunium.*

S. Leo I. Serm. 4. de jejunio decimi mensis: „ Sicut permanet ad intelligentiam „ Christianam, Dominum Deum adorabis, & illi soli servies, & cætera talia „ mandatorum: ita quod in iisdem libris „ de jejuniorum sanctificatione præceptum „ est, nulla interpretatione vacuatur. „

5 S. Basilius oratione 2. de jujunio disserens. „ Omnes, (inquit) æqualiter & „ præceptum audiunt, & cum gaudio suscipiunt, Angeli sunt, qui per singulas „ Ecclesias jejunantes describunt. Vide ne „ propter parvam eduliorum voluptatem „ damnum incurras, ut ne ab Angelo in „ numerum adscribaris, & te ipsum criminis desertoris reum ab exercitûs lustratore statuas. „ Verùm Theologia vulgò rigida, abrogato jejunio, abdicatâ cum Sacramentis omnibus pœnitentiâ, expunctis omnibus Dei & Ecclesiæ præceptis, solâ fide & oratione retentâ faciliorem longè methodum rapiendi Regni Cœlorum, Christo & Ecclesiæ ignotam, ex duabus hæresibus fabricavit.

Et hæc quidem cum pluribus aliis, perversitas à suo authore *Synopsis Moralis Evangelica* appellatur. Si Liber ipsa fronte non mentiatur, fefellerit Christus monens: *Contendite intrare per angustam portam*, dum larga adeò est, ut furibus, latronibus, maledicis, perjuris, fornicariis, adulteris, sodomitis, simoniacis, sacrilegis & quibuscumque flagitiosissimis latissimè pateat, modò nec *fidei* renuntiaverint, nec *orationi*. Eò scilicet collimat, aut delabitur tam magnificè jactata Moralis prior, laxitatis cujuslibet apparentis, & subinde temerè prætensæ, accerrima impugnatio, severioris disciplinæ vereris restitutio. Ubi nunc reducendorum Canonum pœnitentialium necessitas? Quorsum tot gradus pœnitentium, tantis præparata ambagibus reconciliatio, si *Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide & precibus*?

Cur in hac hypothesi non sufficiat peccatoribus pœnitentia mollis, quam describit & exagitat Tertulianus Lib. de pœnitentia dicens: „ Num ergo in coccino, & „ tyrio pro delictis supplicare nos condecet? Cedo acum crinibus distinguendis, „ & pulverem dentibus elimandis, & bisulcum aliquid ferri vel æris unguibus „ repastinandis: si quid ficti nitoris, si quid „ coacti ruboris in labia, aut genas ur-

„ geat: præterea exquisite balnea lætiora „ hortulani maritimive recessûs: adjicito „ ad sumptum; conquirito altilium enor„ mem saginam, & defæcato senectutem „ Vini. Cùm quis interrogarit, cur animæ „ largiaris? Deliqui, dicito, in Deum & pe„ riclitor in æternum perire.„

6 Periculum facilè amovet Quesnellus retento tam blando pœnitentiæ simulacro, jungenda solummodo fidei est oratio, quantumcumque animus æstuare pergat avaritiæ, invidiæ, vindictæ, impudicitiæ motibus liberis, nihilque pristinorum criminum retractet, nulli flagitio novo, aut sacrilegio consensum deneget. Verùm, inquit Bernardus Serm. de S. Maria Magdalena, *fallitur qui sic osculatur misericordiæ pedem, ut pedem judicii non attendat: qui totum de misericordia pede præsumit, hoc solum ad salutem sufficere credens quod credit*: addamus, & *quod orat. Videtis*, inquiebat superiùs Jacobus Apostolus, *quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.* Et cap. 1. *Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos*, quasi audire & nosse præcepta sufficeret, nulla à credente exigeretur obedientia, nulla ei obesset prævaricatio. Oppositum monet Christus delictum servi, voluntatem Domini scientis, & non facientis gravius esse docens quàm ignorantis.

7 Denique damnatus Articulus vergit ad quandam Quietismi speciem. Nam eliminatâ per superiores Articulos omni charitatis experte formidine, justificatione peccatoris cujuslibet attributâ primæ gratiæ, abbreviatâ nunc salutis semitâ, & claudendo totum in fide & precibus, facilis obtinetur animæ quies, & securitas in criminibus quantumlibet abominandis.

Hæc via interna, æquè ac Michaëlis Molinos appellari poterit, & pluribus ejus non multum dissonat damnatis dogmatibus, quale est 37. *In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum; sed debet in supradicto amore & resignatione permanere.* Quesnellus dicet in fide & precibus. 38. Ait Molinos: *Crux voluntaria mortificationum, pondus grave est, & infructuosum, ideoque dimittenda.* Crucem voluntariam mortificationum pondus grave esse experientiâ habetur compertissimum; juxta novam autem Moralem Euangelicam infructuosum est, ideoque dimittendum, cùm extra viam salutis sit, quæ tota fide & precibus continetur & clauditur.

8 Prop. 52. ait Molinos: *Cùm hujusmodi violentiæ, etiam impuræ, absque mentis offuscatione accidunt, tum anima Deo potest uniri, & de facto semper magis unitur.* Juxta Quesnelli Articulum, quæcumque spurcitiæ absque mentis offuscatione accidunt, ita ut neque fidem, neque orationem impediant, tunc anima Deo potest uniri, & de facto semper magis unitur prosecutione fidei & orationis.

59. Inquit Molinos: *Via interna sejuncta est à Confessione, à Confessariis, & à casibus conscientiæ, à Theologia, & Philosophia.* Quid iis juxta Quesnelli Articulum opus est animæ, quæ credere noverit & orare, quibus duobus tota salutis via decurritur & terminatur? Plura istiusmodi damnata in Molinos dogmata Quesnelliano applicare non est difficile cuilibet utraque inter se conferenti. Mihi præsens novitas apparet tum nimiùm absona, tum fundamentis nixa nimiùm levibus, & contra utriusque superioris seculi hæreticos sæpiùs eversa, quàm ut operosiorem exigere, aut mereri videatur oppugnationem.

•Mitigationem præsenti Articulo ingerere conatus fuerat author libri, cui titulus *Testimonium veritatis* num. 63. pag. 309. Propositionem Quesnelli sic explicans, ut à necessariis necessitate præcepti non excludatur necessitas operum; sed solummodo à necessariis necessitate medii: sed neque fictitia hæc, & sera mitigatio abstergit penitùs errorem à dogmate, neque subducere potuit ipsum Jansenianæ *Testimonium veritatis*, quin à seculari pariter & Ecclesiastica potestate in Galliis proscriberetur.

CAPUT II.

Nihil in sacris Literis favet damnato Articulo.

1 Nimia Propositionis absurditas à Theologo se catholicum profitenti, exigere videbatur non defensionem dogmatis, aut enuntiationis; sed agnitionem sive erroris, sive imprudentiæ in scribendo, promptamque non minùs, quàm simplicem retractationem. Verùm non istud Consilii obstinatis novatoribus est; sed pronuntiatum à se quodlibet, impudentiùs contra judices propugnare, & ubi de stabilienda rationibus falsitate nimiùm absonâ desperatur, ad ambiguitatis tenebras confugere, non recedendo à dogmate; sed rigidum ejus sensum dissimulatione callidâ obvelando.

Quoniam autem Collatori placuit sequi quo-

quodammodo Calvini vestigia, mirabile apparet, cum non plures pro damnato Articulo sententias ex sacris Literis excerpsisse, quàm ex Act. 2. v. 21. *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit*: & Lucæ 7. v. 50. *Dixit autem ad mulierem: Fides tua te salvam fecit vade in pace*. Nam Bellarminus Lib. 1. de justificatione, sex integra capita impendit solvendis objectionibus, quæ pro sola fide justificante ex sacris Literis à Luthero, Calvino, & utriusque sectatoribus fuerant collectæ. Illic adversarii similium sacrorum textuum cumulos reperire facilè poterant cap. 19. & quinque sequentibus; sed & explicatio utriusque sacræ sententiæ pariter & exterarum ibi catholica occurrisset.

2 Sufficiat Tridentina expositio sess. 6. cap. 8. ubi cùm dicitur *justificari hominem per fidem*, *ea verba*, inquit Concilium, *in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ consensus tenuit & expressit; quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sinè qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire*. Non autem quasi fides etiam sola justificet, vel si Dei invocatio accesserit. Longiorem actuum seriem describit Synodus, quibus homo disponitur ad ipsam justitiam sess. 6. cap. 6. cui titulus est *Modus praeparationis*.

Actuum autem illorum primus est fides, dein divinæ justitiæ timor: tertius spes, quartus dilectio Dei, quintus natum inde odium ac detestatio peccatorum: denique in Catechumenis propositum suscipiendi Baptismatis, in omnibus inchoandæ novæ vitæ, & servandorum in posterum mandatorum. Tunc statim initio capitis 7. declarat Synodus: *Hanc dispositionem seu praeparationem justificatio ipsa consequitur*. Similiter sess. 14. cap. 4. docetur: „ Contritio, „ quæ primum locum inter dictos pœnitentiæ actus habet, animi dolor & detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius: & in homine post baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum; si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem non solùm cessationem à peccato & vitæ novæ propositum, & inchoationem; sed veteris etiam odium continere. „

Quesnellus autem rescissis tot actibus, veluti ad justificationem obtinendam peccatori haud necessariis, *abbreviavie viam salutis, claudendo totum in fide & precibus*. Quam ne locutionem impropriam existimes, & plures actus à Quesnello subintelligi, quàm restricta nimiùm & imprudens exprimat enuntiatio, memineris eam esse declarationem adæquatam & toti novo Systemati congruentissimam. Juxta Propositionem 38. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Juxta 27. *Fides est prima gratia & fons omnium aliarum*.

3 Fides itaque ut prima gratia, per se, non requisito alio actu, est peccatori cuilibet remissio delictorum, atque ita justificatio. Quod autem gratia, quæ juxta Tridentinam Synodum fidem necessariò prævenit, in nova Ecclesia sit ipse actus fidei, non mera ad eum dispositio, sive disponens, excitans, adjuvans divinum auxilium, videtur à Quesnello statui; quia per Articulum 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis & facientis quod jubet*, ut omnis gratia etiam prima, sit ipsa præcepti adimpletio. Itaque peccatoris justificatio non est aliud, quàm voluntas Dei exequens hoc ipso quod vult, atque ut Dei voluntas justificationem volens est ipsa gratia, ita & simul condonatio criminum.

Sic facilè intelligitur quod in Propositione 12. legimus: *Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei*: 13. *Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit*; quia *gratia*, ut jam vidimus, *non est aliud, quàm voluntas Dei jubentis & facientis quod jubet*. Ut scilicet impossibile est voluntatem Dei facere quod jubet, & non fieri simul quod jubetur, pariter impossibile est voluntatem hominis resistere gratiæ, sive justificationem non fieri quæ à Deo intenditur, & ad quam conceditur gratiæ auxilium.

4 Quapropter dum præsenti Articulo asseritur *Dei Bonitas abbreviavie viam salutis claudendo totum in fide & precibus*, quod de precibus additur non vult author accipi, velut necessarium ad justificationem, cùm solâ primâ gratiâ, quæ Quesnello fides est, reconciliatio absolvatur. Præterea hic quod expendi aliàs, hanc Quesnelli sententiam feriri anathemate Tridentini sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit sinè præveniente Spiritûs sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, ho-*

hominem sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.

Quesnellus non tam multis indiget, non gratiâ *praveniente* ad credendum utiliter, cùm ipsa *prima gratia* sit fides utilis ad justificationem, imò ipsa *peccatorum remissio*. Proinde quando in præsenti Articulo fidei jungitur oratio, ut totum salutis negotium concludatur, quasi ex abundanti oratio additur, nisi primam gratiam, uti cum fide, ita eum precibus confundere Quesnello placuerit, quemadmodum salutis, ita & humanorum actuum perfacile tradenti (si modo verum foret) compendium. Perfacile, inquam, quia ut prima gratia merè gratuita est, & animis nostris non petentibus, non desiderantibus, nihil præparationis ponentibus infunditur, patet *remissionem peccatorum*, quæ ipsa *prima gratia* à Quesnello statuitur, peccatoribus quibuscumque obtingere, absque ullo prævio illorum conatu, absque ulla dispositione. Ita prævalente Quesnelli magisterio, avolat humanorum actuum series, Sess. 6. & 14. à Tridentinis Patribus, ad peccatoris pœnitentiam, justificationi præviam requisita. Adeò ad justificationem commoda illa peccatoribus via est. Huc recidit tandem Theologiæ, vulgò rigidæ, pœnitentia, quâ molliorem nulla hactenus hæreticorum secta legitur confinxisse.

5 Si autem propter geminas ex Scripturis adductas superiùs sententias dicenda esset Dei bonitas abbreviasse viam salutis, claudendo totum in fide & precibus, quidni pariter assereretur Dei bonitas clausisse totum in timore? Ecclesi. enim cap. 1. *Timor Domini expellit peccatum*. Proverb. 14. *Timor Domini fons vitæ*, Isaiæ 26. *A timore tuo concepimus & peperimus spiritum salutis*. Atque ita non totum ad justificationem pertinens, clauditur fide, & oratione.

Quidni spes quoque in se omnia comprehendere affirmetur? Proverb. 28. *Qui sperat in Domino, salvabitur*. Psalmo 36. *Salvabit eos, quia speraverunt in eo*. Psalmo 90. *Quoniam in me speravit, liberabo eum*. Matt. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Non inferiora sunt elogia pœnitentiæ; 2. Corinth. 7. *Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*. Ezech. 18. *Cùm averterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit*. De Misericordibus dicit Christus Matthæi cap. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. In eodem Evangelio c. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester*.

De eleemosyna testimonia sunt illustrissima. Tobiæ 4. *Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras*. Ecclesi. 3. *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum*. Luc. 11. *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*. In quem locum S. Ambrosius Serm. 31. *Eleemosyna quodammodo animarum est aliud lavacrum, sicut ait Dominus: date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis; nisi quod salvâ fide dixerimus, indulgentior est eleemosyna, quàm lavacrum. Lavacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur; eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris*.

S. Leo Serm. 5. de collectis: *Eleemosyna peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis extinguunt*. S. Chrysostomus hom. 25. in Acta Apostolorum: *Non est peccatum, quod non possit purgare Eleemosyna, quodve non possit extinguere: Omne peccatum infra illam stat*. S. Augustinus Serm. 1. in Septuagesima qui est 50. de tempore inducit Christum sic loquentem iis, qui peccata eleemosynis redemerunt: *Difficile est ut si examinem vos, & appendam vos, & scruter diligentissimè facta vestra, non inveniam unde vos damnem; sed ite in regnum; esurivi enim, & dedistis mihi manducare*, &c. Dein subjungit: *Non ergo itis in regnum, quia non peccastis; sed quia peccata vestra eleemosynis redemistis*.

Denique sunt octo Beatitudines, sive bonorum operum genera, quibus singulis beatitudo promittitur. Non tamen propterea ullus sanæ mentis Theologus infert, quòd *Dei bonitas abbreviaverit viam salutis claudendo totum in eleemosyna*: idem est de cæteris virtutum singularium actibus; ideo ne *Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in timore: vel claudendo totum in spe*? Idem proinde statue de fide & precibus; justus ex fide vivit: sed non ex sola, etiamsi junxeris orationem, dum reliqua pietatis opera negliguntur: *Quid proderit Fratres mei, si fidem quis dicat se habere; opera autem non habeat? nunquid poterit fides salvare illum*? inquit Jacobus in Epist. cap. 2. unde ibi S. Apostolus concludit: *Videtis, quod ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm*.

Et quidem locus, qui objicitur ex Lucæ cap. 7. non de nuda fide enuntiat; sed de fide, quæ per dilectionem operatur. Præcesserat enim: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Neque otiosa, aut sterilis charitas fuit; sed pœnitentiæ & pietatis operibus fœcunda, ut con-

eon ftatipfius teftimonio Salvatoris: *Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedifti, hac autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis fuis terfit: ofculum mihi non dedifti; hac autem ex quo intravi, non ceffavit ofculari pedes meos: oleo caput meum non unxifti; hac autem unguento unxit pedes meos.*

Tum fequitur conclufio: *Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: proinde eligere adverfarius non poterat locum fibi magis contrarium. Excellentia prorfus funt elogia Charitatis; tamen S.Gregorius dicere haud veretur hom. 30. *Amor operatur magna, fi eft; fi autem operari renuit, amor non eft.* S. Auguftinus Præfatione in Pfalmum 31. *Quod credit, fidei eft, quod operatur Charitatis eft*: Ibid. *Dilectio vacare non poteft, nifi & mali nihil operetur, & quidquid poteft, boni operetur.*

7 Quod nobis opponitur ex Cap. 10. Epiftolæ ad Romanos, *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, falvus erit*; non fignificat folam Dominici nominis invocationem, etiam ex fide proficifcentem fufficere ad falutem; fed invocationem iftam ulteriores à Deo gratias impetrare, ficut de fide à Sanctis Patribus docemur. Sic Auguftinus lib. de Prędeftinatione Sanctorum Cap. 7: *Ex fide ideo dicit Apoftolus juftificari hominem non ex operibus; quia ipfa prima datur, ex qua impetrentur catera, qua propriè opera nuncupantur, in quibus juftè vivitur.* lib. de gratia & libero arbitrio cap. 14. *Fides & non petita conceditur, ut ei petenti alia concedantur.*

Pręcipuus Auguftini difcipulus & defenfor S. Profper lib. 3 de vita contemplativa cap. 21 *Fides eft juftitia fundamentum, quam nulla bona opera pracedunt, ex qua omnia procedunt.* Ita didicerat à Magiftro Sermon. 22 de verbis Apoftoli; *Domus Dei credendo fundatur, fperando erigitur, diligendo perficitur*: Iterum Profper refponfione ad dubium octavum Genuenfium: *Fides eft virtutum omnium fundamentum.* Ridiculus foret architectus, qui fundamenro totum claudi ędificium affirmaret. Conclufio enim finem fignificat, non initium.

Querit meritò Auguftinus lib. 2. de bono perfeverantiæ cap. 2. *Quod initium verius homini chriftiano, quàm credere in Chriftum?* Sed non ibi complementum & perfectio Chriftiani. Hieronymus Commentario in cap. 3. Epiftolæ ad Ephefios: *Fiducia atque acceffus ad Deum, principium atque origo fides in Chriftum.* Clemens Alexandrinus libro 2. ftromatum ante medium: *Fides eft prima ad falutem inclinatio, poft quam timor, fpes, & pœnitentia.*

8 Eundem ordinem traditum fuperiùs vidimus à Tridentinis Patribus feff. 6. cap. 6. Poftea ftatim fubjungitur iftud capitis 7. initium *Hanc difpofitionem feu praparationem juftificatio ipfa confequitur*: non igitur totum ad falutem neceffarium clauditur fide: fimile eft de precibus. Fieri poteft ut quis fidem habeat minimè levem, & juxta eam Deum oret pro miraculo, atque hoc obrineat, & tamen juftitiæ ac beatitudinis penitùs expers fit juxta illud Apoftoli 1.Cor.3. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil fum.* Chriftus ipfe Matth. 7. *Multi*, inquit, *mihi dicent in illa die: Nonne in nomine tuo prophetavimus, & Dæmones ejecimus, & virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis; Quia nunquam novi vos: Difcedite à me qui operamini iniquitatem.*

Satis confcius fuę fidei & orationis erat Paulus Apoftolus; fed utramque non fufficere ut in via falutis fecuritas fibi fit, teftatur 1. Cor. 9. *Caftigo corpus meum & in fervitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipfe reprobus efficiar.* Ideo etiam Petrus epift. cap. 1 *Satagite ut per bona opera* (non per folam fidem & orationem) *certam veftram vocationem & electionem faciatis.* Denique S.Bernardus Serm. 24. in Cantica, *Non facit hominem rectum fides, etiam recta qua non operatur ex dilectione.* Et infra *Neque opera finè fide, neque fides finè operibus fufficit ad animi rectitudinem.* Sufficit autem ad convincendum errorem notiffima Scriptura, dicens, eum qui totam legem impleverit; offenderit autem in uno, factum effe omnium reum. Non igitur cenfenda eft *Dei bonitas abbreviaffe* adeò *viam falutis, ut clauferit totum in fide, & precibus.*

9 Originem huic novitati dederat Lutherus, dum Biblia Germanica edens, illud ad Romanos cap. 3. *Arbitramur, hominem juftificari per fidem finè operibus legis*, vertit corruptiffimè, ad *fidem* addita voce, *folam arbitramur hominem juftificari per folam fidem.* Accufatus à Catholicis de perfidia, refpondit: *Sic volo, fic jubeo, ftat pro ratione voluntas.* Quefnellus nullo verbo addito in textu, eandem ferè fententiam phrafi aliâ expreffit, nifi quòd fidei preces junxerit. *Dei bonitas abbreviavit viam falutis claudendo totum in fide & precibus*: Quamquam alibi juxta Quefnellum fides, etiam fola juftificat, cùm prima fit gratia Art. 27 & juxta 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, fit peccatorum remiffio.*

CAP.

CAPUT III.

Frustrà pro damnato Articulo allegantur Cyprianus, Augustinus, & Tridentinum Concilium.

1 CYpriani Sententiam aliquantò ampliorem exhibeo, quàm à Collatore, ex brevitate laciniæ tenebras captante, referatur. Sic habet epistola ad Donatum de gratia Dei „ Non enim qui beneficiorum terrestrium mos est, in capessendo munere cœlesti mensura ulla, vel modus est. Profluens largiter spiritus, nullis finibus premitur, nec coërcentibus claustris inter certa metarum spatia frænatur: manat jugiter, exuberat affluenter. Nostrum tantùm sitiat pectus, & pateat, quantum illuc fidei capacis offerimus, tantum gratiæ inundantis haurimus.„

Ubi aliud Cyprianus non asserit, quàm Deum munificentissimum gratiarum cœlestium largitorem, eas non denegare petentibus; sed inde non sequitur, solam nobis orationem; nulla verò præterea opera bona esse necessaria ad salutem, ubi facultas non deficit, & urget præceptum: aliàs novus quidam ut supra monui, invehitur Quietismus, dum neglecto omni boni operis conatu, omni adversùs tentationes certamine, in sola hęretur fide & precibus otiosis. Liberalis Deus est in gratiis impertiendis, sed à nobis exigit cooperationem, quam resistendo, denegare semper possumus, & sæpissimè denegamus, ut Tomo primo contra plures de gratia Articulos ostensum est.

2 Augustinus lib. 1. Quæstionum ad Simplicianum num. 19. ait: „ *Verbum consummans & brevians faciet Dominus super terram*: idest in compendio fidei per gratiam salvos faciet credentes, non per innumerabiles observationes, quibus illa multitudo serviliter onerata premebatur. Per gratiam quippe nobis verbum consummans, & brevians fecit super terram dicens: Jugum meum leve est, & sarcina mea suavis est: quod & paulò post hic dicitur: *Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quia si confitearis quia in ore tuo Dominus est Jesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris; corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Hoc est verbum consummans, & brevians, quod fecit Dominus super terram, qua consummatione atque breviatione latro justificatus est, qui defixis in cruce omnibus membris, & habens libera hæc duo, corde credidit ad justitiam: ore confessus est ad salutem: statimque audire meruit: Hodie mecum eris in Paradiso:„ Doctor sanctissimus comparat novam legem veteri, quam *innumerabiles observationes*, quibus *illa* (fidelium) *multitudo serviliter onerata premebatur*, reddebant perdifficilem.

Lex verò nova abrogatis ceremonialibus, retinet solùm moralia Decalogi, additis dein quibusdam ad Sacramenta spectantibus, & paucis aliis servatu facilioribus, ut sunt quinque præcepta Ecclesiæ, quæ non impediunt, quin meritò Christus jugum suum suave prædicet, & onus leve.

Istud verbum consummans & abbrevians est tum ipsum Verbum Patris erudiens & illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum: tum lex nova, quæ sublatis *innumerabilibus*, ut Augustinus ait *observationibus*, substituerit sui fidem in animo, confessionem in ore; quibus charitate formatis, latro in cruce, cùm membris omnibus affixis ligno, & morte jam proxima, non suppeteret tempus atque occasio exercendis operibus, salvatus est.

3 Verùm etsi duo illa præcepta in comparatione *innumerabilium observationum* facilia sint, atque illis, quoties potestas defuerit bonorum operum, salus valeat obtineri; non tamen Augustinus aut ullus Catholicus, abolitam propterea censet spei, dilectionis, & in peccatoribus pœnitentiæ obligationem: deinde & plurium pietatis, misericordiæ, & aliorum operum lege naturali, divinaque præceptorum, tam novo, quàm antiquo fœderi communium.

Non sic itaque *Dei bonitas abbreviavit viam salutis*, pro omnibus passim hominibus, ut *clauserit totum in fide & precibus*, quemadmodum damnata enuntiatio dogmaticè & illimitatè asserit. Non sufficere fidem, etiam cum oratione, ex ipso Augustino collegimus cap. 1. Perspicua etiam ejus sententia est Tract. 5. in Epist. Joannis: *Dilectio sola discernit inter filios Dei, & filios Diaboli*: & infra *hæc est pretiosa margarita, sinè qua nihil tibi prodest, quodcumque habueris: quam si solam habes, sufficit tibi.*

De pœnitentiæ quoque necessitate idem Sanctus in Epist. 45. ad Vincentium: *Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocumque seu magno seu parvo peccato ad cor-*

cor-

correctionem sinè pænitentia posse transire. Lib. 50. homiliarum hom. 27. *Nemo eligit vitam novam, nisi quem veteris pænitet.* Ser. 7. de tempore. *Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei. Quando sic pænitet, ut tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita: & quod te priùs oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente, jam tunc benè ingemiscis apud Deum, & dicis: Tibi soli peccavi.*

3 Ipse Christus Apocalypseos cap. 3. monet: *Memor esto unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem veniam sibi citò, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pænitentiam egeris.* Is tamen, ad quem monitio dirigitur, neque fidem amiserat, neque ore prætermiserat Christum confiteri, neque legitur valedixisse precibus; quin & in multis laudabilis fuit, etiam tunc divino judicio: sic enim de eo ipsa testatur increata Veritas: *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam: & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt: & invenisti eos mendaces: & patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti. Sed habeo adversum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti.* Et hæc quidem Timotheo charissimo Pauli discipulo Ephesiorum Antistiti, qui hic Angelus Ephesi vocatur: & excitatâ mox in se pristinâ charitate, ut S. Martyr colitur ab Ecclesia.

4 Denique Augustinus Serm. 16. de verbis Apostoli *A fide incipit homo; sed quia & dæmones credunt, necesse est addere spem & charitatem.* Licet autem oratio spem supponat; non tamen necessariò charitatem; Nam & peccator nimiâ libidinis vel alterius vitii illecebrâ & consuetudine irretitus, quàm ut eam sibi videatur subitò posse abrumpere, Deum pro fortiori gratiæ auxilio non inutiliter orat, etsi adhuc salutiferæ expers charitatis & pœnitentiæ. Non igitur etiam Augustino judice, *bonitas Dei abbreviavit* adeò *viam salutis, ut totum clauserit in fide & precibus.*

5 Tandem à Collatore remittimur ad illud Concilii Tridentini Sess. 6. cap. 8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis.* Quis autem non mirabitur locum Theologis omnibus adeò familiarem, tanti temporis decursu à nemine hactenus intellectum fuisse? Neminem intellexisse fatendum est, si Quesnelli interpretatio fuerit legitima: cumque Synodus ibi de sola fide pronunciet, non de precibus, sequitur in Quesnelli sententia dicendum quòd mens Synodi fuerit, Deum breviasse adeò viam salutis, ut totum clauserit in fide.

Verùm non facilè tunc evitatur anathema Canonis 9. Sess. 6. *Si quis dixerit, solâ fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi, anathema sit.* Voluntatis motus à Concilio requisitus præter fidem: non potest intelligi de solo voluntatis imperio ad credendum necessario; sed de motu aliquo, qui fide posterior sit, de actu videlicet pœnitentiæ, sive peccati odio ac detestatione. Non apparet autem quis voluntatis motus posterior fide ad justificationem sit necessarius, si in fide totum, quod ad salutem hic requiritur, Deus concluserit. Præparatio quoque ac dispositio à libero nostræ voluntatis arbitrio proficiscens facilè videbitur post fidei actum non necessaria, cùm *fides sit prima gratia* per Prop. 27. & *prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, sit peccatorum remissio*, juxta 28.

6 Apostolus dixerat ad Hebræos cap. 8. *Sinè fide autem impossibile est placere Deo*: ad hanc Pauli sententiam à Tridentino remittimur. Verùm neque in hac, neque in objectis Synodi verbis quidpiam est unde confiari valeat vel stabiliri damnata enuntiatio Deum abbreviasse adeò salutis semitam ut *totum clauserit in fide & precibus*, velut præsens indicat objectio, in solâ *fide*: hujus enim solummodò non precum meminit Tridentinum toto capite allegato. Longè quoque aliud apparet, asserere quòd fides sit humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis: aliud quòd Deus totum concluserit in fide. A peccatoribus exigit Deus, ut faciant fructus dignos pœnitentiæ, non contentus solâ radice.

Et Tridentinum Sess. 14. cap. 4. postquam descripserat *Contritionem, quæ primum*, inquit, *locum inter dictos pænitentiæ actus habet*, quòd videlicet sit *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*; statim subjungit: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Eodem cap. de attritione velut dispositione idonea ad justificationis gratiam in Sacramento pœnitentiæ recipiendam, & proinde ortâ ex fide, Synodus declarat, *Donum Dei esse, & Spiritûs Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis; sed tantùm moventis, quo pænitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat: & quamvis sinè* Sa-

Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.

Concilium igitur remotissimum est à claudendo toto humanæ salutis negotio in fide, quandoquidem post eandem habitam, & natam inde attritionem, nondum obtingat justificatio, quæ nonnisi in Sacramento pœnitentiæ conferetur. Aliud proinde est initium, fundamentum, radix, aliud res ipsa ad quam radix dirigitur: fundamentum non ædificium, sed ejus pars est. Unde exigenti Principi ædificium, non satisfaceret subditus solo præstito fundamento, quasi hoc tota fabrica contineatur: neque Villicus impleret voluntatem Domini si postulanti arborem cum fructibus maximè saporiferis solam porrigeret radicem: Denique pollicitus alteri pullos gallinaceos, promissum minimè solveret tot ovis præstitis, quot pullos addixerat.

7 Errorem sufficientis ad salutem fidei ex quibusdam Pauli epistolis perperam intellectis, præcipuè illâ quæ ad Romanos est, conceperant aliqui, ad quem depellendum, ut notat Augustinus lib. de fide & operibus cap.14. Jacobus, Petrus & Joannes epistolas scripserunt. Sed vel propptereà Lutherus Jacobi epistolam, quæ hæresim illam operosiùs confutat, excludit à canone velut straminεam. Tridentini tamen Patres meritò reposuere. Calvinus etiam lib.3. Institut. cap.17. inter Scripturas Canonicas admittit; licèt interpretatione perfidâ corrumpere studeat. Videri non vult noster hic adversarius quasi Calvini vestigiis insistens; ideo in opere Gallico cui titulus est *Constitutio Clementis XI. &c. cum observationibus* ad præsentem Articulum ait, *Opera supponi*.

Proinde tota ejus Observatio expendenda est: „Verbo unico [inquit] absolvitur „ hæc Propositio. Est merá paraphrasis „ Actuum Apostolorum cap.2. v.21. *omnis „ quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit*. In quæ verba sic notatur [à „ Quesnello] *invocare Dominum*, est spem „ ponere nonnisi in illo, nec nisi ab illo „ expectare gratiam, quâ voluntas ejus „ impleatur. Quanta Dei bonitas, *abbreviasse ita viam salutis claudendo totum „ in fide & precibus*! Quidquid cavillorum „ excogitari poterit adversùs hunc Articulum, quis impediet quin objiciatur „ Prophetæ à quo sententia desumpta est? „ Nonne Paraphrasis literalis, & quidem, „ si ita loqui licèt, minùs obnoxia est accusationi, quàm illud Spiritûs Sancti „ oraculum? Non enim in hoc sermo est „ de operibus: in Quesnelli autem Reflexione perspicuè illa supponuntur cùm „ dicitur expectanda nonnisi à Deo gratia, „ qua ejus impleatur voluntas. Inutile „ foret inhærere diutiùs istiusmodi propositionibus, quarum condemnatio in admirationem maximam rapit omnes, quibus vel minimum intellectûs sani est, & „ interrogare cogit, num igitur Romæ „ Religionis cognitio penitus extincta sit. Hactenus Quesnelli modestia, ut in epistolâ ad CLEMENTEM XI. se vocat *tantillum hominem & tenuitatis suæ conscium*, non vulgaria hìc & alibi passim demissionis suæ exhibet specimina.

8 *Implendæ divinæ voluntatis* in *Observatione*, unde Propositio excerpta est, mentionem video: supponatur etiam in ea subintelligi opera; sed in toto ibi commentario nihil est unde colligam in memorato illic fidei elogio opera contineri, & quod, de fide ibi asseritur, non nisi ut complectente opera accipiendum. Supponamus quoque voluntatis Dei adimplendæ nomine opera comprehendi; verùm ea vocabulum fidei minimè transferunt ad significationem aliam, quàm quæ apparet per se obvia, & in qua damnatur Articulus.

Neque de operibus à fide distinctis instituitur quæstio, sidemne comitentur, an relinquant solitariam, quod ne Calvinistæ quidem, aut hujus temporis asserunt Lutherani, sed an fidei soli, an partim operibus justitia salusque tribuenda sit: in quo à Calvino recedere non videtur adversarius. Sic enim Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini ad Canonem 11. Sess.6. ait: „ Sola fides est, quæ justificat; Fides tamen quæ justificat non est sola: sicut calor solis solus est, qui terram calefacit; „ ipse tamen calor solis non est solus „ in „ sole; sed cum splendore?

Idem hæreticus in caput 15. Geneseos. „ Scio has virtutes esse insignia Dei dona: „ Scio fidem sinè his donis non existere; „ sed nunc nobis quæstio est, quid cujusque proprium sit. Tenes manu varia „ semina: non quæro ego, quæ quibus „ conjuncta sint; sed quæ cujusque propria „ virtus sit. Hic apertè dico, quid faciat „ sola fides: non cum quibus virtutibus „ conjuncta sit. Sola autem fides apprehendit remissionem, credit promittenti „ Deo, Deo porrigenti aliquid admovet „ manum, & accipit: hoc proprium solius fidei est. „ Et infra: „ Scimus quod „ si-

„ fides nunquam est sola; sed adfert secum „ charitatem, & alia multiplicia dona; „ sed non ideo confundendæ res, & quod „ solius fidei est, aliis tribuendum. „

9 Cùm igitur Quesnellum Calvino in tam multis hactenus deprehenderimus consonum, aliorum operum cum fide societas à Calviniano ipsum errore non liberat, si omni actui fidei supernaturali vim tribuat justificandi adeò ut à tali actu nunquam justificatio sejungatur. Huic errori similis est Quesnellianus alter, & ex priore consequens, quòd nulla possit esse supernaturalis, sive elicita auxilio gratiæ, Christi meritis impetratæ, oratio, quæ peccatorem Deo non reconciliet; est enim necessariò ex fide. Præterea quod de indicata suppositione operum à Quesnello, seu quocunque ejus vindice hic asseritur, fraudulentum est; non enim in verbis Propositionem antecedentibus, ad quæ remittimur, sermo est de operibus, quæ cum fide justificante supponantur existere; sed de iis circa quæ solummodo fides versetur, & spes gratiæ, ad illarum exercitium necessariæ, à Deo, & non ab alio expectandæ.

Ad spem etiam quod attinet, etsi hæc in precibus supponatur, ne sic quidem ab errore damnabili Articulus eximetur. Est enim à veritate Theologica alienum, quod fidei, spei, & precibus semper justificatio conjuncta sit.

Dolosam itaque & frivolam prorsus esse omnem Quesnelliani Articuli excusationem conficitur ratione ineluctabili: Præterquam scilicet quòd expressio verborum in obvia significatione exigat sensum, quem ei tribuimus absurdissimum, constat ex universo Quesnelli systemate, triplicem ejusdem ordinis errorem ab eo tradi, unde omni benigniori præsentis enuntiationis sensui, atque authoris excusationi aditus occludatur. Primus error est omnem fidem, secundus omnem spem, tertius orationem quamlibet ad reconciliandum Deo peccatorem sufficere: De actibus fidei, spei, orationis loquor supernaturalibus sive ex Christi gratia profectis.

10 Imò *fidem* Quesnellus statuit *primam gratiam*, eamque peccatoris necessariò reconciliationem, ut superiùs notavi ex Propos. 27. & 28. juxta priorem scilicet *Fides est prima gratia*: juxta posteriorem *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*.

Quæ si vera fuerint, fieri nequit ut spes vel oratio memorata non justificet, cùm & ex gratia sit, & ex fide quarum neutram absque reconciliatione reperias. Et quidem, non posse fidem ullam supernaturalem, vel ejusdem ordinis spem, vel orationem esse, quæ non justificet in Quesnelli sententia, exploratum est; quia per Prop. 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*. Per Reflexionem autem in Epistolam 1. Joannis cap. 3. v. 9. *Nullum peccatum mortiferum charitas secum patitur*. Proinde omnis charitas aut justi est, aut justificans peccatorem. Neque is, qui in Deum fide supernaturali credit, vel orat, adjuvante Christi gratia, dici solet, aut absque calumnia potest, *neque Deum* habere *neque religionem*. Fides itaque & oratio supernaturalis penès Quesnellum esse nequit, nisi justificans.

Juxta Prop. 46. *Cupiditas aut Charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt*. Si quæ pro usu sensuum ratio est, eadem pro cæterarum usu militat facultatum. Fides itaque, spes, & oratio ne cupiditas sit, vel ex tali fonte profluat, necessariò Charitas est, vel ab hac virtutum principe imperatur, & cum peccato lethifero minimè consistit.

Fides, spes, & oratio lege divina præcipiuntur, maximè peccatoribus, ut se ad justitiam disponant, & quoties tentatio gravis aliter superari non potest. Per Prop. autem 47. *Obedientia profluere debet ex fonte: & hic fons est Charitas. Quando Dei amor* [seu charitas nullam secum patiens noxam lethiferam] *est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia*.

11 Juxta Propositionem 45. *Amore Dei in corde peccatoris amplius non regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Fides itaque, spes, oratio supernaturales quandoquidem corrumpi nequeunt in corde peccatoris, sunt necessariò charitas, ipsum evehens ad statum justitiæ. Quidquid hic de tribus actibus infertur, etiam de singulis, ut patet, intelligendum est. Prop. 53. *Sola charitas Christiano modo facit actiones Christianas per relationem ad Deum & Jesum Christum*. Fides, spes, oratio per Christi gratiam exercitæ, sunt actiones Christianæ, neque à Christiano deficiunt modo; charitatem itaque singulæ supponunt necessariò, neque esse possunt absque justitia. Prop. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur, amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur: & amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus; qui quod ad Deum referendum est non refert, & propter hoc ipsum fit malus*.

Proinde fides, spes, oratio si à gratia procedant, & à vitio immunes sint, necessariò amorem continent, qualis in Propositione describitur, vel ab eo procedentes nequeunt esse absque justitia, ut esse absque ea nequit *amor qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur*. Fides, spes, oratio supernaturales indubiè ad religionem pertinent, & aliquis Dei cultus sunt; at juxta Prop.56. *sola charitas Deum honorat*: Oportet igitur omnem istiusmodi fidem, spem, orationem pollere simul excellentiâ Charitatis. Penès Augustinum lib. de prædestinatione Sanctorum cap.7. *Fides prima datur, ex qua cætera impetrantur*. Lib. de Spiritu & litera cap.30. per legem cognitio peccati: per fidem impetratio gratiæ: per gratiam sanitas animæ. Per Quesnellum autem Prop.54. *Sola charitas est, quæ Deo loquitur: hanc solam Deus audit*. Neque fides igitur, neque spes, neque oratio ulla Deo loquitur, neque ex gratiæ auxilio esse potest [aliàs Deo locutura, & ab eo audienda] nisi charitas sit: proinde Charitas esse in animo debet antequam impetretur. Idem sequitur ex Propositione 50. *Frustrà clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus charitatis non est ille qui clamat*. Inanis itaque, & minimè supernaturalis oratio est, quam non imbuit charitas.

12 His omnibus in luce clarissima positis, manifestum est, Quesnellum præsenti Articulo 68. in fide qualibet & oratione ex auxilio supernaturalis gratiæ elicitis constituere pondus sufficiens ut justificent, præscindendo ab omni opere, actibus fidei vel orationis superaddito. Quapropter *viam salutis* intelligendo justitiam, Quesnellus juxta tot protrusa à se principia dicere debuit *Dei bonitatem abbreviasse viam salutis, claudendo totum in fide & precibus* quibuscumque supernaturalibus. Verùm cùm memorata principia tot ejus contenta Articulis falsissima sint, & meritissimo confixa anathemate, falsa pariter via salutis est, in tale reducta compendium: fatui autem sunt quàm maximè, quicunque illo confisi ab eo beatitudinem expectant. Perspiciunt itaque, si non adversarii pertinaciâ obcæcati, saltem lectores catholici, quod in condemnatione præsentis & similium Articulorum, non *defecerit Romanos notitia Religionis*; sed Quesnellum, sive Observatorem, temerarium ejus vindicem, Christiana verecundia, & sensati hominis ratio.

Propositio damnata Sexagesimanona.

Fides, usus, augmentum, & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei. *Observ. Mor. Marci 9. vers. 22.*

CAPUT I.

Propositionis error dejicitur.

1 PRimam gratiam esse donum puræ liberalitatis Dei, agnoscunt omnes catholici; est enim omnis meriti principium, quòd juxta Theologos; atque ipsum naturæ lumen mereri non possumus. At omnem fidem, omnem ejus usum, augmentum & præmium vocare donum puræ liberalitatis Dei, amant soli Lutheri & Calvini asseclæ, detrectant Catholici: nam dono puræ liberalitatis excluditur omne meritum, & ratio mercedis. Supposita itaque Observatione morali, quid nobis reliquum fieret meritorum? Quidquid scilicet boni operis est, quo mereri possumus, usus quidam est fidei: *Si verò* usus iste atque augmentum puræ liberalitatis Dei donum creditur, idem de omnibus bonis actibus quis affirmare poterit, cùm eadem ubique sit ratio. Sic igitur omnibus nostris actibus meritum abrogatur. Hic Propositionis sensus obvius est, & verbis lucidissimis expressus.

Sed neque minùs manifestè erroneus; imò hæreticus deprehenditur ex Tridentini Sess.6. canone 3. „ Si quis dixerit hominis justificati opera, ita esse dona Dei, „ ut non sint etiam bona ipsius justificati „ merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & „ Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, NON VERE MERERI „ AUGMENTUM GRATIÆ, VITAM „ ÆTERNAM, ET IPSIUS VITÆ ÆTERNÆ, si tamen in gratia decesserit, „ CONSECUTIONEM, ATQUE ETIAM „ GLORIÆ AUGMENTUM, anathema „ sit.

Ejusdem Sess. cap.16. sic docemur. „ Benè operantibus, & in Deo sperantibus „ proponenda est vita æterna, tanquam „ gra-

„ gratia filii Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & TANQUAM „ MERCES ex Dei ipsius promissione bonis ipsorum Operibus, & meritis fideliter reddenda „. Ibidem „ Nihil ipsis „ justificatis amplius deesse credendum est, „ quominus plenè illis quidem operibus, „ quæ in Deo sunt facta, Divinæ legi pro „ hujus vitæ statu satisfecisse, & vitam „ æternam suo etiam tempore, si tamen in „ gratia decesserint, consequendam, VERE PROMERUISSE censeantur.

2 Ex istis Concilii documentis discere Observator debuit, posse quidem fidem, usum, augmentum, præmium fidei & cujuscunque operis boni vocari dona Dei, quia originem ducunt ex gratia, & Deus nullo obstrictus debito præmium operibus ex gratia factis promittere liberaliter dignatus est, supposità tamen promissione, & hominis per gratiam adoptione in Dei filium, jam opus ex dignitate tum hominis sic elevati, tum Spiritus Sancti in illud influentis dignum fit augmento gratiæ & præmio, illudque verè promeretur, quod Lutherus, Calvinus & Quesnellus perperàm inficiantur. Neque obest quòd omnia filii familias ad Patrem pertineant, omnia servi ad Dominum, multò magis res omnes conditæ ad conditorem & liberatorem Christum; nam etiam Pater filio, Dominus servo, Deus homini bene operanti promittens liberaliter præmium debitorem se constituit sibi ipsi, suæ fidelitati & quodammodo homini ut promissum impleat. Non legerit Quesnellus illud Doctoris Angelici 2.2. quæst.2.art.9. ubi ad quæstionem propositam, an fide mereamur, in Argumento SED CONTRA sic respondet: „ ad Hebræos 11. dicitur quòd Sancti per fidem „ adepti sunt repromissiones, quod non „ esset, nisi credendo mereremur, ergo „ ipsum credere est meritorium „. Et in Corp. „ Actus nostri sunt meritorii, in „ quantum procedunt ex libero arbitrio „ moto à Deo per gratiam... unde actus „ fidei potest esse meritorius. „ Non igitur verum est, quòd actus, usus, augmentum, & præmium fidei totum sit donum puræ liberalitatis Dei, cum liberalitati sponsio accesserit, & inde debitum fidelitatis, etsi non rigidioris justitiæ.

Idem S. Doctor 1. 2. quæst. 114. art.8. „ Sed contra est quòd S. Augustinus dicit „ super epistolam Joannis, quòd charitas „ meretur augeri, ut aucta mereatur per- „ fici. Ergo augmentum charitatis cadit „ sub merito „. Quòd ne accipias de merito improprio, & sola nixo congruitate, corp. sic concludit: *Sit igitur augmentum gratiæ cadit sub meritum de condigno*. Ad tertium *dicendum quod quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicut & consummationem, quæ est vita æterna*.

Artic. 3. SED CONTRA „ Vita æterna redditur à Deo secundùm judicium „ justitiæ, secundùm illud 2. Tim.4. in „ reliquo reposita est mihi corona justitiæ, „ quam reddet mihi Dominus in illa die „ justus judex: ergo homo meretur vitam „ æternam ex condigno.

3 Denique ibidem corp. „ Si autem lo- „ quamur de opere meritorio secundùm „ quod procedit ex gratia Spiritûs Sancti, „ sic est meritorium vitæ æternæ de con- „ digno. Sic enim valor meriti attenditur „ secundùm virtutem Spiritûs Sancti mo- „ ventis nos in vitam æternam.

Hactenus nobis Angelicus explicuit, quod ex traditione Patrum & Scripturarum oraculis didicerat. Ecclesiastici enim cap. 16. dicitur: *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundùm meritum operum suorum*. Gen. 1. *Ego protector tuus sum & merces tua magna nimis*. 2. Paralip. 15. *Vos ergo confortamini; erit enim merces operi vestro*. Proverb. 11. *Seminanti justitiam merces fidelis*. Sap. 5. *justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum*. Ecclesiastici 18. *Ne verearis usque ad mortem justificari; quoniam merces Dei manet in æternum*. Matth. 5. *merces vestra copiosa est in cœlis*. 1. Cor. 3. *unusquisque proprium mercedem accipiet*. Ibid. *unusquisque mercedem recipiet secundùm suum laborem*. Lucæ 10. *Dignus est operarius mercede sua*. 2. Tim. 4. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex*.

4 Ex tot clarissimis Sancti Spiritûs testimoniis, quid aliud haurire Patres & Interpretes potuere, quàm meritum, mercedem, præmium bonorum operum, & non *donum puræ liberalitatis Dei*, veris meritis, mercedi & præmio oppositum? S. Ambrosius lib. 1. de officiis cap. 15. *Nonne evidens est meritorum aut præmia, aut supplicia post mortem manere*? S. Paulinus in epistola ad Victricium: *Tuarum tibi præmia se debere virtutum, judex justus agnoscet*. Quàm hoc remotum est à dono puræ liberalitatis Dei!

S. Augustinus Epist. 105. ad Sixtum: *Nullane sunt merita justorum? sunt planè, quia justi sunt: sed ut justi fierent, merita non fuerunt*. Et infra: *Sicut merito peccati, tanquam*

quam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna. Redditurne mors æterna impiis pro mero Dei placito, an propter vera demerita tanquam pœna? Ita inquit Augustinus non tanquam donum puræ liberalitatis Dei, sed *tanquam stipendium redditur vita æterna merito justitiæ.*

Idem S. Doctor lib. de moribus Ecclesiæ cap. 25. „ Vita æterna est totum præ„ mium cujus promissione gaudemus. Nec „ præmium potest præcedere merita, & „ priùs homini dari, quàm dignus est. „ Quid enim hoc est injustius, & quid ju„ stius Deo? Non ergo debemus poscere „ præmium, antequam mereamur accipere.

S. Hilarius can. 5. in Matth. „ Regnum „ Dei vitæ nostræ stipendiis quæramus. „ Et hæc rectè perfectèque viventium mer„ ces est. Ut in novam, cœlestemque sub„ stantiam, ex hac corruptibilis corporis „ materie transferantur, & corruptio ter„ rena cœlesti incorruptione mutetur. „ Canone 6. „ De nostro est beata illa æter„ nitas promerenda, præstandumque est „ aliquid ex proprio.

S. Hieronymus lib. 2. adversùs Jovinianum non procul à fine: *Jam nostri laboris est, pro diversitate virtutum diversa nobis præmia præparare.*

S. Cyprianus lib. de simplicitate Prælatorum, sive de unitate Ecclesiæ post medium: *Justitiâ opus est, ut quis promereri possit Deum: præceptis ejus & monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem.* Serm. ultimo de Eleemosyna: *Si expeditos, si celeres, si in hos operis agone currentes, dies nos vel reditionis, vel persecutionis invenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit. In pace coronam vincentibus candidam pro operibus dabit: in persecutione purpuream pro passione geminabit.*

S. Gregorius lib. 4. Moralium cap. 42. *Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum, ut quò hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat.*

S. Bernardus Serm. 68. in Cant. *Merita habere cures: habita data noveris. Perniciosa paupertas penuria meritorum.* Et Serm. 81. in Cant. *Omne quod feceris bonum malumve, quod quidem non facere liberum sit, meritò ad meritum deputatur.* Huc usque Patres Latini. Græcos facilè nobis concesserint adversariis, qui post Calvinum & Jansenium illos vel ideo minoris faciunt, & Pelagianorum fautoribus annumerant, quasi Sancti illi nimium libero arbitrio, & meritis nostris tribuerint.

S. Ignatius Martyr in epistola sua ad Romanos: *Sinite me, ut bestiarum esca sim, per quam possim Deum promereri.*

S. Justinus in Apologia 2. ante medium: *Homines, qui dignos se Dei voluntate, & Consilio operibus præstiterint, cum eo victuros esse meritis suis sumpsimus, ac regnaturos.*

S. Basilius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 24. *Homo ex operibus justitiæ salvatur.* Oratione in initium Proverb. *Omnes qui vitam Euangelicam incedimus, mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cœlestium comparantes.* Mercatorum non est expectare lucrum totum ex donis puræ liberalitatis alienæ.

S. Joannes Chrysostomus hom. 4. de Lazaro circa medium: *Si justus est Deus, & his & illis reddet pro meritis; hic verò nullus eorum recepit, neque ille improbitatis pœnam, neque hic virtutis præmia, perspicuum est restare tempus aliud, in quo congruens præmium horum uterque ferat.*

S. Gregorius Nazianzenus Oratione ultima in S. Baptisma: *Crede resurrectionem, judicium, mercedem, ad justam Dei lanceem exigendam.*

S. Gregorius Nyssenus Oratione 1. de amandis pauperibus: *Denique pro suis quemque meritis ornatum cerno. Illis qui boni, benignique fuerint, summa & perpetua requies tribuitur in regno cælorum; inhumanis autem, & improbis supplicium ignis, idque sempiternum.*

5 Minimè suspectum esse potest adversariis Concilium Arausicanum, quo nullum Pelagianis infestius fuit, & ad quod passim ipsi nos provocât. Illic Canone 18, discimus: *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.* Atqui merces debita bonis operibus non *est donum puræ liberalitatis Dei*: Judicio igitur Synodi maximè antipelagianæ prosternitur damnata novitas.

Eadem est sententia Concilii Lateranensis sub Innocentio III. cap. *Firmiter* de summa Trinitate & fide Catholica his verbis: *Non solùm virgines, & continentes, verùm etiam conjugatæ per rectam fidem & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.* Idem docet Concilium Florentinum Decreto de Purgatorio. Tridentinum dedi initio capitis. Quomodo contra perspicuas adeò Scripturarum, Conciliorum, Patrum pro meritis operum, & mercede sententias in animum inducere Quesnellus potuit, ut totum converteret in donum puræ liberalitatis Dei?

In-

Innovandi pruritus quodammodo similis est ei, qui è corporum scabie oritur, & cui dum fricando obsequeris, non mederis; sed vires præbes, & novos aculeos, quemadmodum affuso oleo, ignis non extinguitur, sed augetur. Ita innovandi libido ubi semel animum occupaverit, non facilè sedatur, nec angustis se patitur circumscribi terminis; sed quò plus ei concesseris, plus sibi postulat indulgeri.

In hanc voraginem Quesnellus abreptus est, declinare nolens tot errores de gratia, præsertim Propositionem 10., 11., 12., 13., & cæteras usque ad 26. Quæ enim ratio meriti esse potest humanis actibus, si nulla in iis libertas est, sed necessitas? Hæretica nempe declarata est Propositio Jansenii tertia: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione*. Quæ verò immunitas à necessitate fingatur, si omnis *gratia sit operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*? Eliminatâ omni gratiâ sufficiente, quæ inefficax est, cui resistere arbitrium hominis poterit? Num ei, *quam nihil potest impedire aut retardare*? Num ei, quæ *suprema & invincibilis est, operatio voluntatis omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis filium suum*? Num ei, cujus effectus non magis à nobis dependet, quam à Christi humanitate dependerit incarnatio, aut à creaturis productio earum è nihilo, aut resurrectio mortuorum? Has omnes, & plures istiusmodi ideas Quesnellus gratiæ efficacitati tribuit, & à nobis credi vult tanquam à Spiritu Sancto in Scripturis traditas.

CAPUT II.

Referuntur testimonia, quæ pro damnato Articulo Collator accumulat.

I. Ad Cor. 4. v. 7. „ Quid habes quod „ non accepisti? Si autem acce„ pisti, quid gloriaris, quasi non „ acceperis?

Philip. 1. v. 6. „ Confidens hoc ipsum, „ quia qui cœpit in vobis opus bonum; per„ ficiet usque in diem Christi Jesu.

Cœlestinus Papa, epist. ad Galliarnm Episcopos cap. 12. „ Tanta est erga omnes „ homines bonitas Dei, ut nostra velit es„ se merita, quæ sunt ipsius dona, & pro „ his, quæ largitus est, æterna præmia „ sit donaturus.

S. Augustinns epist. 194. ad Sixtum n. 19. „ Quod est ergo meritum hominis ante „ gratiam, quo merito percipiat gratiam, „ cùm omne bonum meritum nostrum, non „ in nobis faciat nisi gratia; & cùm Deus „ coronat merita nostra, nihil aliud coro„ net quàm munera sua? Sicut enim ab ini„ tio fidei misericordiam consecuti sumus, „ non quia fideles eramus, sed ut essemus: „ sic in fine, quo erit vita æterna, corona„ bit nos, sicut scriptum est, *in miseratione* „ *& misericordiâ*. Non itaque frustrà can„ tatur Deo, & *misericordia ejus præveniet* „ *me: & misericordia ejus subsequetur me*. „ Unde & ipsa vita æterna, quæ utique in „ fine finè fine habebitur, & ideo meritis „ præcedentibus redditur; tamen quia ea„ dem merita quibus redditur, non à no„ bis parata sunt per nostram sufficientiam, „ sed in nobis sunt facta per gratiam, etiam „ ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud, „ nisi quia gratis datur; nec ideo quia non „ meritis datur; sed quia data sunt & ipsa „ merita quibus datur.

Idem epist. 186. aliàs 106. n. 10. „ Cùm „ ergo fides impetrat justificationem.... „ non gratiam Dei præcedit aliquid huma„ ni; Sed ipsa gratia meretur augeri, ut „ aucta mereatur perfici, comitante non „ ducente, pedissequâ non præviâ volun„ tate... ac per hoc ipsum, & ipsum ho„ minis meritum est gratuitum.

Idem Sermone 333. cap. 5. „ Illo ergo „ ipso adjuvante, ipsoque donante, & bo„ num agonem certasti, & cursum con„ summasti, & fidem servasti. Da veniam „ Apostole, propria tua non novi nisi ma„ la. Da veniam, Apostole, dicimus, „ quia tu docuisti. Audio confitentem, „ non invenio ingratum. Prorsus tua à te „ tibi parata non novimus, nisi mala. Cùm „ ergo Deus coronat merita tua, nihil co„ ronat nisi dona sua. Hanc fidem, veram„ que pietatem, ne quis extollatnr de li„ bero arbitrio in bonis operibus... nul„ læ argumentationes evellant de cordibus „ vestris.

Idem de dono persev. cap. 13. „ Nos „ ergo volumus; sed Deus in nobis ope„ ratur & velle; nos ergo operamur; sed „ Deus in nobis operatur & operari pro „ bona voluntate. Hoc nobis expedit & „ credere & dicere: hoc est pium, hoc ve„ rum, ut sit humilis & submissa confessio „ & detur totum Deo. „ Et capite seq. num. 36. „ In nullo gloriandum, quando „ nostrum nihil sit. Quod vidit fidelissimè „ Cyprianus, & fidentissimè definivit... „ *Si in nullo gloriandum est, quando nostrum* „ *ni-*

„ *nihil sit*: profectò nec de obedientiâ per-
„ severantissimâ gloriandum est:nec ita no-
„ stra, tanquam non sit nobis donata, di-
„ cenda est.

2 Authot de vocatione gentium lib.1. cap.23. „ Divinis eloquiis manifestatur om-
„ ne hominis bonum meritum ab initio fi-
„ dei usque ad perseverantiæ consumma-
„ tionem, donum atque opus esse Divi-
„ num.

S.Fulgentius lib.1.de verit.præd.cap.17.
„ Certum est igitur fidem in nobis nec es-
„ se posse, nec crescere, nisi ille nobis
„ eam tribuat, tributam augeat, auctam
„ perficiat, quem auctorem & consumma-
„ torem fidei Apostolicæ profitetur autho-
„ titas.

Ibid. lib.3. cap.5. „ Ideo autem & ipsa
„ vita æterna gratia Dei ab Apostolo dici-
„ tur; quia gratis hominibus vita bona
„ datur.

Concilium Trid. Sess.6. cap.16. „ Absit
„ ut Christianus homo in se ipso vel con-
„ fidat, vel glorietur, & non in Domino:
„ cujus tanta est erga omnes homines bo-
„ nitas, ut eorum velit esse merita, quæ
„ sunt ipsius dona.

Ecclesia in Orat. Dom.13. post Pent.
„ Da nobis fidei, spei, & charitatis aug-
„ mentum; & ut mereamur assequi quod
„ promittis, fac nos amare quod præcipis.

Et in Missa Pentecostes. „ Da virtutis
„ meritum, da salutis exitum, da perenne
„ gaudium.

CAPUT III.

Ex relatis testimoniis nullum damnato Articulo suffragatur: adversantur pleraque: & novo Scripturarum ac Traditionis robore censura Apostolica confirmatur.

1 Quisquis Theologiam Scholasticam vel à limine salutavit, facilè testimonia singula cum doctrina conciliabit Catholicâ. Nihil enim illa continent, quod non Orthodoxus quilibet, à damnato errore alienissimus ultrò fateatur, & prædicet. Nihil habemus boni meriti, quod non accepimus; quia in peccato & Dei odio geniti, meritorum apud Deum fuimus penitùs incapaces. Justitia dein in baptismate accepta fuit vera & mera gratia, utpote quam nihil in nobis præcesserit, quod eam ulla ratione debitam exigeret, nulla ante illam obtendi à nobis potuerit dignitas.

Ad usum verò postea rationis provecti, dignitatem quidem subjecti, sive agentis adferre potuimus; sed ea meritum aut dignitatem operi, ad incrementum justitiæ aut ad quodlibet supernaturale præmium tribuere nequivisset, nisi ad gratiæ sanctificantis habitum accederet auxilium actuale gratuitum, & concursus cœlestis viribus nostris ac naturali ordine superior, etiam ipse gratuitus & vera gratia; non tamen cooperationem hominis liberam excludens, neque ortam operis dignitatem, ac verum meritum. Deus itaque est, qui initium boni operis gratuitum, quod ipsa gratia est, ponit sinè nobis liberè cooperantibus; sed nonnisi nobiscum sic collaborantibus perficit.

2 Gestire potissimùm videntur adversarii illo Augustini quod primum Ordine collocant ex epist. ad Sixtum *Quod est ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam; cùm omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia: & cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet, quàm munera sua?* Omne bonum meritum nostrum non facit in nobis nisi gratia, tum unicè nos ad merendum idoneos constituens, tum nobis sola boni tribuens semina illuminando animum, excitando, movendo:ac demum ipsa nostra in bonum consensio non sinè ipso concurrente atque adjuvante gratiâ fit.

3 Manifestè vero hæretica interpretatio est, & Augustiniano sensui ubique testatissimo contraria, si sic omne bonum meritum nostrum dixeris non in nobis fieri nisi gratiâ, excludendo liberum arbitrium, quo negare semper possumus consensum atque cooperationem. Ita fidelis quilibet de bono suo opere, eum Apostolo profitetur: *Non ego* (sum qui illud operor solus, vel ut causa præcipua) *sed gratia Dei mecum*; non sola. Sic Augustinus lib. de Spiritu & litera cap.34. *Misericordia Dei prævenit nos; consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est*, adjutæ tamen auxilio gratiæ. Hac ratione, non frustrà Deo cantatur: *Misericordia ejus præveniet me: & misericordia ejus subsequetur me.*

Novitatis autem defendendæ pervicacia obcæcat adversarios, ne videant, Hipponensium Antistitem ipsis, qui adducuntur textibus, docere infestam novitatibus sententiam. Ubique enim à Doctore Sancto meritum nostrum agnoscitur, quod profectò nullum est, si Fides, usus, augmentum & præmium fidei, totum sit donum puræ liberalitatis Dei. Hoc scilicet penès omnes ex-

excludit cujuscumque rationis debitum mercedi proprium: Quapropter Bellarminus contra Lutheranos, Calvinistas, quosque post Baji palinodiam, orituros prævidere non poterat Jansenianos, ipso nititur Augustini testimonio, quod nobis ab Adversario intorquetur ex Epistola 105. juxta editionem novam 194. ad Sixtum. Cui Cardinalis jungit aliud simile ex eodem Sancto quod traditur libro de moribus Ecclesiæ cap. 25. *Vita æterna est totum præmium, cujus promissione gaudemus. Nec præmium potest præcedere merita, & priùs homini dari, quàm dignus est. Quid enim hoc est injustius, & quid justius Deo? Non ergo debemus poscere præmium, antequam mereamur accipere.*

4 Ex utraque Doctoris maximi sententia sic colligit Bellarminus lib. 5. de justificatione cap. 4. „ Hic Augustinus non solùm docet, hominem habere merita vitæ æternæ; sed etiam unum & totum esse præmium nostrum vitam æternam, contra sententiam adversariorum, qui finxerant varia præmia in hac vita, & in futura, ut eluderent testimonia, quæ loquuntur de meritis, & ne cogerentur admittere bona opera esse merita vitæ æternæ. Item docet hoc loco S. Augustinus, meritis operum ex justitia dari præmium vitæ æternæ, ne forte dicerent dari quidem; sed ex mera liberalitate: Sive ut verbis prorsus æquivalentibus Quesnellus enuntiat, totum esse donum puræ liberalitatis Dei. Prosequatur eruditissimus Cardinalis.

„ Item addit (Augustinus) non dari [vitam æternam] nisi prius eâ digni inveniantur, qui illam habituri sunt, ne dicant, nullam esse in operibus dignitatem. Denique dicit, injustissimum esse petere à Deo justissimo Judice vitam æternam, antequam eam merearis accipere. Ubi apertè damnat omnes Lutheranos, qui vitam æternam operibus mereri non volunt, & tamen eam sibi certissimâ fide dudum esse præsumunt. Vide eumdem Augustinum in Psalm. 38. 93. Item in Epist. 46. 47. 52. In Enchiridio cap. 106. 107. lib. de natura & gratia cap. 1. de correptione & gratia cap. 13. De gratia & libero arbitrio cap. 4. & sequentibus.

Augustinum igitur nobis perperàm objicit adversarius ad probandum quòd omnia bona opera, & quæ iis tribuitur vita æterna, non sint nisi *dona puræ liberalitatis Dei*; Cùm, ut sapientissimè notat Bellarminus, doceat hoc loco S. Augustinus meritis operum ex justitia dari præmium vitæ æternæ, non ex mera liberalitate. Eandem veritatem ex eadem Augustini ad Sixtum Epistolâ colligere poterat adversarius, nisi sibi & lectoribus lumen fidei eripere statuisset. Sic enim inferiùs in eadem Epistola legitur, quod adversarius perfidè dissimulat: *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita meritò justitiæ tanquam stipendium vita æterna.*

5 Estne stipendium donum puræ liberalitatis? Falsò diceretur mors infligi hominibus ex *puro Dei placito*. Sicut autem, inquit Augustinus, non ex puro Dei placito, sed *merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna.*

Epistolam S. Cœlestini Pontificis ad Galliarum Episcopos, eodem capite, iisdem verbis, quibus adversarius abutitur ad non ascendum in omnibus nostris bonis actibus nisi *donum puræ liberalitatis Dei*, Bellarminus contra Lutheranos consultissimè adhibet ad probandum *meritis operum ex justitia dari præmium vitæ æternæ, ne fortè dicerent* (Lutheri & Calvini asseclæ) *dari quidem; sed ex mera liberalitate*. Proinde Catholicis omnibus Cœlestino consentientibus, *Tanta erga omnes homines est bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona atque pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus.*

Quæ verba in sensu adversarii habere nequeunt significationem, nisi ineptissimam; & à communi omnium ac propriâ intelligentiâ abhorrentem. *Meritum* enim *dono puræ liberalitatis* tam est oppositum, quàm stipendium dono merè gratuito, quàm vita morti, & lux tenebris. Non alius quàm Cœlestini & Augustini, est sensus authoris librorum de vocatione gentium, etiam in eo quod lib. 1. cap. 23. ait: *Divinis eloquiis manifestatur, omne hominis bonum meritum ab initio fidei, usque ad perseverantiæ consummationem, donum utique opus esse divinum.* Ubi meritum assererent chimericum; si idem donum sibi pura Dei liberalitas vindicaret. Idem author communi sententiæ subscribit lib. 2. cap. 8.

S. Prosper, quem Eminentissimi Bellarminus & Aguirrius cum aliis plurimis authorem faciunt librorum de vocatione gentium, eodem modo loquitur in Responsione ad caput sextum Gallorum: *Justificatus homo, id est ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito accipit donum, quo medio acquirit & meritum.* Idem tradit in Psalmum 125. in fine.

6 In utraque quæ objicitur Fulgentii sen-

sententia, nihil est de meritis nostris inter puræ liberalitatis Dei munera numerandis. Alibi etiam, ut mox patebit, novitas ab eodem Sancto destruitur. Interim præterire nequeo, quòd sanam mentem, aut verecundiam exuisse visus fuerit adversarius, quando Tridentinum Concilium, cujus sat conspicit se non posse effugere anathema relatum à me capite 1. fingere audet velut novitati propitium. Quod verbis ab adversario allegatis Synodus ait, tantam esse Domini erga omnes homines bonitatem, *ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*, minimè significat Deum velle ut hominum sint merita, quæ forent puræ liberalitatis suæ dona; istud enim non magis Dei Sapientia velle potest, quàm ut appellant Philosophi hirco cervum, montem sine valle: vocabimus nos meritum sine merito, donum merę & non meræ liberalitatis. Non sanior ratio preces Ecclesiæ, quibus agmen claudit objectionum, cum damnato conciliabit Articulo.

7 Ad prœoccupandas autem, quæ aliunde possent occurrere, Patrum sententias, quibus dicitur Deus nemini quidquam pro bonis operibus debere, neque illaturus cuipiam fuisse injuriam, si nihil præmii reddidisset, quia nos totos, redemptionis, & supremi Dominii Deo debemus, plusquam filius quilibet Patri, aut Servus Domino, agnoscimus nil absolutè, sive per se, & sinè liberali atque ultronea Dei optimi promissione operibus deberi sed illâ solùm præsuppositâ. Eandem sponsionem subsistere testantur scripturæ complures

Ita Jacobus Apostolus cap. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*. Paulus Epist. 2. ad Titum cap. 1. *Quam promisit, qui non mentitur Deus*. Hebr. 10. *Fidelis est, qui repromisit*. Pollicitatione Dei positâ ait S. Augustinus serm. 16. de verbis Apostoli: *Debitor nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo; sed quod ei placuit, promittendo .... Nihil ergo ei dedimus; non est quemadmodum ista voce exigamus debitorem Deum. Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum: Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti; & hoc tu fecisti, qui laborantes juvisti*.

S. Fulgentius in Prologo librorum ad Monimum: *Nam & seipsum suâ largitate dignatus est facere debitorem*; ut quamvis pura liberalitas fuit in promittendo præmio, ex Promissione tamen obligatio, & quædam justitia accesserit largiendi. Ita S. Bernardus lib. de gratia & libero arbitrio versùs finem ait: *Promissum quidem ex misericordia; sed tamen ex justitia persolvendum*, non ex mera Dei munificentia; seu *pura*, ut Quesnellus comminiscitur, *liberalitate*., „ Deinde (inquit Bellarminus lib. 5. de justificatione cap. 16.) similitudo bravii, cui „ comparat Apostolus vitam æternam 1. „ Cor. 9. similitudo denarii diurni ex con- „ ventione promissi laborantibus in vinea „ Matth. 20. similitudo depositi, quæ habetur 2. Tim. 1., & alia id genus multa, „ nonne apertissimè significant promissio- „ nem ex debito & obligatione redden- „ dam? „ Non ex putâ liberalitate?

8 Quid, quod Patres passim dicunt, Deum fieri hominibus propter bona opera debitorem? Ejusmodi sententiæ Patrum passim obviæ sunt: Ita S. Cyprianus sermon. de Eleemosyna extremo, de eo qui bene operatur ait: *Deum computat debitorem*. S. Basilius Oratione ad divites: *Opera ostende, & exige retributionem*. S. Ambrosius serm. 7. in Psalmum 118. *Vult Deus conveniri, ut, si quis proposita secutus virtutibus præmia, bene certaverit, fructum remunerationis expectet, quin etiam exigat*. Quod locum non obtinet in donis puræ liberalitatis. S. Chrysostomus hom 3. in Mat. *ut se Deus tibi debitorem fateatur non solùm pro operibus; sed etiam pro hac gratiâ humilique sententia*.

S. Augustinus in Psalmum 83. *Ecce videmus quia tenet eum Paulus debitorem. Debitorem autem Dominus ipse se fecit, non accipiendo; sed promittendo*.

9 Denique solvendis, quæ ulteriùs objici possent, lumen sufficiens suppeditat Bellarminus, cujus iterum verba referre malo integra, quàm reducta in compendium, ut lector & de relationis fide, & de sanitate dogmatis reddatur securior. Sic ille lib. 5. de justificatione cap. 16. „ Quod illa ver- „ ba, *quam reddet mihi justus judex*, sint „ accipienda formaliter, ut sensus sit, red- „ det mihi Dominus, quatenus est justus „ judex, ac per hoc ex justitia, non ex so- „ la liberalitate, planum est primò ex sin- „ gulis penè verbis istius sententiæ, ut ex „ illis *bonum certamen certavi*: item ex illo „ *reddet*, & ex illo *corona justitiæ*:

„ Secundò quia supervacaneum esset il- „ lud *justus judex* eo loco, ubi non agitur „ de pœnis impiorum; sed de præmiis „ tantùm justorum; si Deus pœnas solùm „ ut justus Judex infligeret; præmia verò „ ut liberalis donator effunderet.

„ Tertiò ex Augustino, qui loco citato „ in Psalmum 83. hunc locum Apostoli tra-

ctans

„ ctans dicit, Deum indulgentiæ esse largitorem; coronæ autem debitorem, & ideo indulgentiam rribuere ut Patrem, coronam justitiæ ut Judicem justum. Item lib. de gratia & libero arbitrio eundem locum exponens cap. 6. *cui redderet*, inquit, *coronam justus Judex, si non donasset gratiam misericors Pater?* Et lib. de correptione & gratia cap. 13. non solùm vitam æternam; sed etiam misericordiam in remissione venialium dicit justo judicio bonis meritis reddi. Denique in aliis locis idem Apostolus non solùm dixit, justum Judicem esse Deum in remuneratione operum bonorum; sed etiam justum esse apud Deum ut bona opera remuneret. 2. Thessalon. 1. & ibidem disertis verbis dicit, justo judicio Dei Thessalonicenses dignos haberi regno Dei, pro quo patiebantur. „

10 Objicientibus, quòd omnia bona hominis opera sint Dei dona, ac proinde non possit pro iis homo quispiam à Deo velut debitum exigere „ Respondeo [inquit „ Cardinalis]absolutè non posse hominem à Deo aliquid exigere, cùm omnia sint ipsius; tamen positâ ejus voluntate & pacto, quo non vult à nobis exigere opera nostra gratis; sed mercedem reddere juxta proportionem operum, verè possumus ab eo mercedem exigere, quomodo servus non potest absolutè a Domino suo ullum præmium postulare, cùm omnia quæ servus acquirit, Domino suo acquirat: tamen si Domino placeat donare illi opera sua, & pro iisdem tanquam sibi non debitis mercedem promittere, jure mercedem pro suis operibus postulabit.

11 Superest quæstio, an opera justorum sint meritoria ex condigno, non solùm ratione pacti; sed etiam ratione ipsorum operum. Affirmat Bellarminus, cujus resolutionem & probationes iterum malo ejus vocibus exhibere. Sic habet eodem lib. cap. 17. ita disserens. „ Opera bona justorum meritoria esse vitæ æternæ ex condigno non solum ratione pacti & acceptationis sed etiam ratione operis, ita ut in opere bono ex gratia præcedente sit quædam proportio & æqualitas ad præmium vitæ æternæ, probatur his argumentis:

„ Primò, vita æterna est gratia pro gratia, ut dicitur Joan. 1. idest gratia mercedis pro gratia meritorum, sive charitas patriæ pro charitate viæ, ut exponitur à S. Augustino in Epistola 105. & in libro de gratia & libero arbitrio cap. 9. At inter gratiam & gratiam sinè dubio magna similitudo & proportio est.

„ Secundò, vita æterna est flumen lætificans Civitatem Dei, Psalmo 45. gratia verò bene operandi est fons aquæ salientis in vitam æternam, ut dicitur Joan. 4. at fons proportionem habet ad flumen; imò totum flumen virtute continet. Et præterea proportio est inter descensum, & ascensum aquæ; tam enim altè ascendit, quam altè descendit, fons autem aquæ vivæ, idest gratia Spiritûs Sancti diffusa in cordibus nostris, de cœlo descendit, & ideo debitâ proportione salit in vitam æternam.

„ Tertiò, vita æterna est denarius diurnus laborantium in vinea, Matth. 20: ut denarius diurnus justum est pretium laboris diurni. Ideo enim vocatur denarius diurnus, quia soler ordinariè ex communi æstimatione respondere labori diurno.

„ Quartò, gratia est semen gloriæ juxta illud 1. Joan. 3. *semen Dei manet in eo.* At semen non est quidem æquale rei, cujus est semen, quoad molem, sed est tamen æquale, quoad virtutem.

„ Quintò, vita æterna est actio quædam supernaturalis ex parte objecti, & principii tum efficientis, tum etiam formalis; at meritum quod in dilectione consistit, est etiam actio supernaturalis ex parte objecti, & principii tum efficientis, tum formalis; igitur proportionem habent inter se, & unum ad alterum, quasi rectâ viâ ad suum terminum ducit.

„ Sextò, Deus est, qui electos per merita ad vitam æternam, ut bravium, & coronam justitiæ perducendos esse decrevit, igitur sinè dubio ejusmodi merita illis donat, quibus verè & propriè, atque adeò ex condigno perveniant ad coronam. Neque enim potestas, vel sapientia, quâ id faceret Deo deesse potuit.

„ Septimò, merita nostra pendent à meritis Christi, tum quia nobis ille meruit virtutem merendi, tum quia nos meremur ut viva membra Christi, & per influxum quem ab illo ut à capite nostro accipimus: igitur detrahitur de gloria Christi, si merita nostra sint ita imperfecta, ut non sint merita ex condigno nisi ratione acceptationis Dei.

CAPUT IV.

Dolosa Collatoris Observatio confutatur.

1 DUplex supereſt diſcutienda obſervatio: Collatoris prima, altera Queſnelli: plena fucis utraque, ſed Queſnelliana longè impudentior, quam reſervo capiti ſequenti. Hic ſufficiet fallacias detexiſſe Collatoris. Sic ille: „ Hæc „ Propoſitio, inquiunt aliqui, meritum tol- „ lit bonorum operum in homine juſtifica- „ to; quippe vox *pura* liberi arbitrii coo- „ perationem excludir, ſinè qua meritum „ conſtare non poteſt. At author comme- „ morans *præmium fidei*, nonne ſignificat „ evidenter in fide præcedere *meritum*, „ cui præmium ipſum donetur; cùm neque „ concipi poſſir ſinè merito præmium? De- „ inde quâ dialexi, qua conſequentiæ le- „ ge ſequitur, *uſus, augmentum fidei ſunt do-* „ *na puræ liberalitatis Dei*; ergo ſic ſunt do- „ na Dei, ut non ſint etiam ipſius hominis „ juſtificati merita? Rectiſſimè dicuntur il- „ la *dona puræ liberalitatis Dei*; quia ipſa „ liberi arbitrii cooperatio effectus eſt gra- „ tiæ ſe ipſâ efficacis, quę cùm omnino „ gratuita ſit, ſit ut omne hominis meri- „ tum, donum Dei ſit omnino *gratuitum* „ &c. Præterea compluribus locis diſertè „ adſtruit author meritum bonorum ope- „ rum. Vide Math. x. 42. xix. 28. Luc. xix. „ 17. xx. 29. Joan v. 29. viii. 51. xvii. „ 5. Rom. 11. 6. iv. 5. 2. Joan. v. 8. &c.

2 Qui meritum bonorum operum Queſnelliano Articulo ſubrui affirmant, nulli propterea temeritatis aut calumnię opprobrio ſunt obnoxii; Quod enim *pura donat liberalitas*, non cenſetur ſtipendium operis, non juſtitię merces. In quo non exiſtimo ullum mihi extra novam Eccleſiam diſſentire. Diſſentientes autem videntur ſimiles ei, qui Titium aſſerens hominem, negaverit eſſe animal rationale. Quæ enim alia ſignificatio magis congrua *dono* applicabitur *puræ liberalitatis*, quàm ſi munus dixeris nullâ ratione debitum, nullo remunerationis, mercedis, aut quovis meriti titulo juſtè exigendum? Si tamen Queſnello, & maleſanis ejus deffenſoribus jus fuerit mutandi ſignificationes nominum, & laboris, operis, meriri ſtipendium appellandi *donum puræ liberalitatis*, communi deinceps videbitur idiomati renuntiandum.

Quod autem de Dialexi ex nobis quærit adverſarius, hanc in ea regulam edocti fueramus hactenus quod particula *ſolùm*, ſive *ſolus* excludat omne præter illud, cui connectitur, ut cùm dicitur ſolus Petrus currit, intelligimus Petrum currere, & non alium; ita à dono ſolius liberalitatis, ſive quod idem ſonat à dono puræ liberalitatis excluditur qualibet alia donationis ratio, præcipuè mercedem, ſtipendium, ac debitum inferens. Si alia adverſario Dialexis ſit, neceſſe eſt ab illo logicam veterem, ut aliàs Theologiam fidemque catholicam, immutari.

At inquit, *nonne* Queſnellus *commemorans præmium fidei, ſignificat evidenter præcedere meritum, cui præmium ipſum donetur, cùm neque concipi poſſit ſinè merito præmium?* Non ſeriò; ſed ludicrè, imò ad fallendam Eccleſiam perfidè voce præmii, & aliàs meriti Queſnellus utitur, ut totâ ſuâ pſeudonymâ, damnataque *Romanæ Eccleſiæ & Summorum Pontificum defenſione*, ſuos jurare docet, vocibus formulæ Alexandri VII. contra Janſenium, totam nihilominus Janſenii doctrinam animo retinentes: quod ſapientiſſimè animadvertit & meritò perſtrinxit anathemate Clemens XI. Bullâ *Vineam Domini Sabbaoth. Quaſi verò*, inquit Pontifex, *hujuſmodi erroris ſectatoribus liceat Eccleſiam ipſam jurejurando decipere, ſimulque Apoſtolicæ Sedis providentiam fallere, dum ejuſdem formulæ conceptis verbis loquuntur, quod Eccleſia loquitur; quod tamen ſentit ipſa, non ſentiunt.*

Sic modò Queſnellus *præmium* appellat, quod ſimul aſſerens *donum puræ liberalitatis*, certiſſimè deſtruit. Ut igitur mendax *præmium* eſt, eâdem ratione fallax *meritum*. Si explicationem quæſieris, hærebunt illuſores miſeri, qui, ut nullam à Theologis, communique hominum uſu receptam meriti notionem unquam admiſerint; ideo omni alia probabili penitùs deſtituti, neceſſe eſt fraudem ſilentio fateantur. Utinam candidè ſe explicent cum Angelico 1. 2. quæſt. 114. art. 1. c. „ Meritum & mer- „ ces ad idem referuntur: id enim merces „ dicitur, quod alicui recompenſatur pro „ retributione operis vel laboris, quaſi „ quoddam pretium ipſius: unde ſicut red- „ dere juſtum pretium pro re accepta ab „ aliquo, eſt actus juſtitiæ; ita etiam re- „ compenſare mercedem operis vel labo- „ ris, eſt actus juſtitiæ!

„ Non poteſt hominis ad Deum eſſe ju- „ ſtitia ſecundùm abſolutam æqualitatem; „ ſed ſecundùm proportionem quandam, „ inquantum ſcilicet uterque operatur ſe- „ cundùm modum ſuum: Modus autem, „ & menſura humanæ virtutis hominis eſt

à Deo

„ à Deo: & ideò meritum hominis apud „ Deum esse non potest, nisi secundùm „ præsuppositionem Divinæ ordinationis; „ ita scilicet, ut id homo consequatur à Deo „ per operationem, quasi mercedem, ad „ quod Deus ei virtutem operandi depu„ tavit: sicut etiam res naturales hoc con„ sequuntur per proprios motus, & ope„ rationes, ad quod à Deo sunt ordinatæ: „ Differenter tamen: quia Creatura ratio„ nalis se ipsam movet ad agendum per li„ berum arbitrium: Unde actio ejus habet „ rationem meriti; quod non est in aliis „ creaturis. „

4 Sic & Gonetus inter Aquinatis discipulos non infimus, Clypei Thomistici tomo 4. Disp. 2. Art. 5. pag. 185. num. 119. Postquam ostenderat, quòd homo possit verè & propriè mereri à Deo. „ Sequitur (in„ quit) dicendum de objecto meriti; seu „ de his, quæ sub merito cadere possunt, „ & primò de gloria, seu vitâ æternâ; quam „ de fide certum est, nos per bona opera, „ in gratia & charitate facta, aliquo mo„ do de condigno promereri: Cùm illa in „ Scriptura, merces, bravium, corona justi„ tiæ, denarius diurnus, aliisque nomini„ bus, quæ inter homines debitum & obli„ gationem justitiæ significant, nuncupe„ tur. „ Mox resumit: „ *Hoc*, ut dixi, *de fi„ de certum est apud omnes Catholicos*. Art. 4. „ num. 78. „ Sententia [inquit] tertia quæ „ in Schola Angelica communis est, fate„ tur retributionem meritorum in Deo es„ se quidem actum propriæ & strictæ justi„ tiæ; non tamen commutativæ; sed so„ lùm distributivæ, habentis modum ali„ quem, seu similitudinem commutativæ „ justitiæ. „

„ Nu. 79. Dico primò redditionem præmii „ pro meritis in Deo esse actum justitiæ; non „ verò gratitudinis, aut fidelitatis „ multo minùs *puræ liberalitatis*, ut Quesnelli novitas, nullo duce Catholico, fingit. Ne verò etiam vocibus, meriti, mercedis, præmii ad impropriam detortis significationem decipere simplices pergat, urgendus perpetuò est, ut omnem antecedentem ab actibus meritoriis arceat necessitatem: quam conditionem ab omni merito ac demerito inseparabilem universa contra Jansenium, profitetur Ecclesia, execrans hæresim hanc ejus tertiam: *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione*.

5 Opinionem eandem pridem declaraverat hæreticam S. Thomas in Quæstionibus disputatis de malo Quæst. 6. „ Quidam „ posuerunt quòd voluntas hominis ex ne„ cessitate movetur ad aliquid eligendum, „ nec tamen ponebant quòd voluntas co„ geretur; non enim omne necessarium est „ violentum... Hæc autem opinio est hæ„ retica. Tollit enim rationem meriti & „ demeriti... Si enim non sit liberum ali„ quid in nobis; sed ex necessitate move„ mur ad volendum, tollitur deliberatio, „ exhortatio, præceptum, & punitio, & „ laus, & vituperium: „ Proinde meritum, & demeritum. Ut autem ab isto angelico, & totius Ecclesiæ anathemate se novi Theologi expediant, necesse est complures Quesnelli à se abdicent Articulos, quibus divinæ gratiæ notio traditur istiusmodi, ut cum ea immunitas à necessitate, atque adeò meritum, nullâ valeat ratione conciliari. Expungendus in primis est Articulus 10. *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*. Augustinus verò lib. 3. de libero arbitrio, cap. 18. ait: *Ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sinè peccato ei ceditur* atque ita sinè demerito. Eadem ratio boni operis est ad meritum exigentis auxilium gratiæ.

6 Quemadmodum scilicet tentationi, si adeò vehemens est, ut voluntas ei resistere nequeat, sinè peccato & demerito succumbitur, ita gratiæ auxilium, si adeò forte est, ut dissentire ei homo non valeat, assensum ab eo obtinet sinè ejus merito & præmio. Non minùs perspicuum est, neminem posse resistere gratiæ; si hæc *est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*. Quid enim aliud est obsequi gratiæ necessariò, quàm non posse operationem ejus impedire, aut retardare? Minimè elabitur Quesnelli assecla Lovaniensis, qui in dictatis publicis de gratia cap. 7. §. 2. ait: *Gratiæ per se efficaci resistitur; quia etsi gratia illa effectus in voluntate operatur; non tamen id ordinariè fit sinè resistentia voluntatis, quæ cùm per concupiscentiam in alteram partem trahatur, non sinè resistentia superatur*.

Quasi verò Lutherus, Calvinus, Jansenius, in cujus sensu secunda inter quinque hæreses damnata est, de tali neganda resistentia unquam cogitaverint. *Gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, juxta secundam Jansenii hæresim, quam quoad sensum, & verbis æquivalentibus Antistes ille tradidit locis pluribus, etiam secundo libro de gratia Christi, cap. 27. in in ipso titulo capitis; imò potestatem resistendi adimit cap. 24. *Gratiam Dei Augustinus*

nus ita victricem statuit supra voluntatis arbitrium, ut non rarò dicat, hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere: Resistentiâ scilicet non illa puerili, & ridicula, qua petulans simul & enervis infans gloriari posset, quòd viro fortissimo se trahenti restiteret; sed propriè dictâ, quali gloriatur exercitus, qui ab hostilibus copiis quantolibet invadentibus numero & impetu, non fuerit superatus: quæ est resistentia efficax; &enm effectu, qualis etiam à Jansenio intelligitur; sed non catholicè negatur omni gratiæ; magis verò damnabiliter subtrahitur à Quesnello post iteratum toties à Pontificibus anathema.

7 Delibemus adhuc quosdam alios Quesnelli Articulos, exploraturi, an quid amplius illi concedant libero arbitrio ad omne meritum necessario. Prop. 21. *Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis filium suum.* Prop. 23. *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quâ creaturas è nihilo produxit, & mortuis reddit vitam.* Prop. 24. *Justa idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia suæ gratiæ.*

Seponamus affectus omnes & præjudicia, atque ad veritatis, soliusque rationis Christianis omnibus inditæ, tribunal controversiam deferamus: quemquamne reperias extra novam Quesnelli Ecclesiam, qui in relatis ejus Propositionibus ullum detegere valeat, propriè dictæ libertatis vestigium, pro qualicunque opere ex gratia elicito? Respondentem audio *Collatorem*, quod in sententia Quesnelli *merita rectissimè dicantur dona puræ liberalitatis Dei, quia ipsa liberi arbitrii cooperatio effectus est gratiæ se ipsâ efficacis, quæ cùm omnino gratuita sit, fit ut omne hominis meritum, donum Dei sit omnino gratuitum.*

Primam sanctificantem gratiam uti & actualem esse penitùs gratuitam, excluso omni merito condigno, haud inficior. Verùm in homine justitiam adepto, atque per inhabitantem Spiritûs Sancti gratiam ad Dei amicitiam dignitatemque filii adoptione legitimâ elevato, esse omne meritum *omnino* seu *purè gratuitum*, absque ullâ justitiæ ac debiti mixtione, negant Scripturarum Oracula & Patres, negat Tridentina Synodus; atque oppositum Quesnello dogma esse fide certum vidimus asseri testimonio Thomistæ celebris, ab adversariis aliàs laudati. *De fide certum est nos per bona opera in gratia & charitate facta, aliquo modo de condigno promereri; cùm illa in Scriptura merces, bravium, corona justitiæ, denarius diurnus, aliisque nominibus, quæ inter homines debitum, & obligationem justitiæ significant, nuncupetur.* Mox iterum: *Hoc, ut dixi, de fide certum est apud omnes Catholicos.*

8 Apostolus nempe epistola 2. ad Timotheum cap. 4. Exultans ait: *Reposita est mihi Corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.* In quem locum sic adnotat Gonetus eodem Tomo 4. pag. 179. *Quod enim datur per modum præmii, & corona, & à Deo ut justo Judice, datur ex justitia, non verò ex gratitudine & fidelitate*, minùs ex liberalitate purâ. Didicit istud à Magistro suo Angelico in eundem Apostoli textum ita nos docente: *Corona justitiæ dicitur, quam Deus ex sua justitia reddit*, non ex pura liberalitate, ut contendunt adversarii, qui pariter Augustinum audiant Tractatu 3. in Joannem, ubi eadem Apostoli verba considerans, ait: *Jam debitum flagitat* [Paulus] *jam debitum exigit: ut ante susciperet gratiam, misericordem Patrem opus habebat: ut præmium gratiæ justum Judicem.*

Quomodo verò jam debitum Paulus flagitat, jam debitum exigit, si noverit *totum esse donum puræ liberalitatis Dei*? Aliud igitur Paulus & Augustinus nuntianr, aliud inepti discipuli, & præcones perfidi elamitant. Sed necessarium hi sibi ducunt Scripturam falsa interpretatione corrumpere, ut suas de Christi gratia hæreses contra iteratas sæpius Ecclesiæ definitiones stabiliant. Si enim ut Collatori placuit, *merita rectissimè dicantur dona puræ liberalitatis Dei, quia ipsa liberi arbitrii cooperatio, effectus est gratiæ se ipsâ efficacis*, facilè intelligitur qualis ab eo gratia per se efficax statuatur; videlicet, quâ suppositâ legitimè deducat, *Fidem, usum, augmentum, & præmium fidei*, (atque ita actionum quarumvis salutarium) *totum esse donum puræ liberalitatis Dei.*

9 Conclusio est ineluctabilis, si non alia post primi hominis lapsum detur gratia, quàm per se efficax, eaque, qualis à Quesnello, tot Propositionibus superiùs allegatis, describitur: hac 10. inprimis, *Gratia non est aliud, quàm operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare.* Quis enim in dubium vocet, quin talis gratia se ipsâ efficax dissentiendi auferat potestatem, cui liberum non relinquit operationi gratiæ obicem ponere vel moram? Quid autem est non dico coactionem

aut

aur violentiam,sed necessitatem simplicem, cum merito minimè consistentem, omnibus bonis,seu salutiferis actionibus inducere, si hoc non est? Inconcussa semper contra Jansenium stabit Innocentii X. Alex. VII. & Clementis XI. definitio, totius Ecclesiæ suffragio confirmata, hæreticam damnans Propositionem III. *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

Quæ autem libertas amplior, sive voluntatis cooperatio magis libera deregitur in Quesnelli Propositionibus superiùs relatis? Nam præter decimam jam expensam vigesima prima illimitata simul & dogmatica significat quòd omnis *Christi gratia sit invincibilis, utpotè operatio voluntatis omnipotentis; sequela & imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis Filium suum.* Ubi gratia omnis est invincibilis; ubi ipsa est operatio manûs omnipotentis, imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis Filium suum; quæ species hic apparet liberi arbitrii cooperantis gratiæ?

Quod propriè invincibile est, ut in Propositione exprimitur, superari, infringi, impediri non potest, neque denegari consensus, & cooperatio, quam gratia postulat; aliàs ipsa gratia vinceretur. Quid cooperationis liberæ in Incarnatione præstitit humanitas? Si juxta Propositionem 23. *Operatio quâ creaturas Deus è nihilo producit, & mortuis reddit vitam, sit idea, quam ipse nobis tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ*, nihil iterum conspicio humanæ cooperationis liberæ ad omnipotentis gratiæ effectum. Quid enim concursûs liberi præstare creatura potuit ad sui è nihilo productionem? Quid ad sui resuscitationem homo mortuus?

10 Denique si *justa idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, sit imago idea, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate*, nihil suggeri potuit magis idoneum ad persuadendum hominibus, nullam ipsis esse cooperationem liberam ad sanandas animas; ut enim perspicuum est, in corporum sanationibus, quæ prodigio fiunt, quasque *solo voluntatis suæ motu Dei omnipotentia* operatur, nullam habere partem liberum hominis arbitrium, quid ei tribuas in pellenda ab animo ægritudine, si prior Dei operatio, idea justa est, quam haberi oporteat de posteriore? Si autem locus nullus libero arbitrio fit in sanando à cupiditate animo, quis erit in perficiendo? Quis erit, inquam, bonis justorum operibus, si nullus sit in conversionibus peccatorum, cùm utrobique totum efficere censeatur Omnipotens *solo motu suæ voluntatis.*

Hanc Quesnelli mentem minimè obscurè indicant tum relata ejus axiomata, tum istud undecimum gratias Dei definiens universas, tam quæ justificatis, quàm quæ peccatoribus conceduntur: *Gratia non est aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet.*

Quoties igitur Collator, aut quilibet ejus Symmista, liberi arbitrii in bonis actibus cooperationem memorat, intellige à coactione, non à simplici necessitate, juxta Baji Articulum 39. *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit*: & 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*: utraque hæc enuntiatio Bajana mirificè placuit Jansenio, utpotè ad stabiliendam suam hæresim peropportuna.

11 Propterea duorum licet Pontificum damnatam anathemate, & suis veluti sepultam cineribus, luci restituit Tomo 3. editionis primæ Lovaniensis columna 628. *Sola necessitas coactionis repugnat libertati.* Col. 638. *Libero sola prementis, cogentisque necessitatis violentia repugnat arbitrio*, Col. 624. *Contradictionis absurditas est, volitionem esse posse, quæ tamen non sit in nostra potestate, nec libera.* Eâdem Col. & 867. *Hoc ipso quo volitio est, libera est.* Dixi utrumque Baji Articulum Jansenio visum esse stabiliendæ suæ hæresi peropportunum: vidit enim inde profluere sexagesimum septimum: Homo peccat, etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit: cumque similis ratio libertatis valeat pro merito bonorum operum, quæ pro demerito malorum, hinc facilè conflavit Jansenius Propositionem suam tertiam: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione.*

Sic quoque nuperus in Belgio Baji, Jansenii, Arnaldi, Quesnelli cultor, majore zelo sectæ, & audaciâ præditus, quàm scientiâ, in dictatis Tractatu 2. de Deo, ut causa exemplari cap. 2. *Quæritur*, inquit, *quale liberum requiratur ad actum humanum. Respondeo sufficere liberum essentiale* [voluntati.] *Quæritur secundò, an saltem non requiratur libertas accidentalis* (seu indifferentiæ) *ut actus humanus sit meritorius, vel demeritorius?* Respondet, *in rigore non videri talem requiri*: probare nititur; *quia Sancti Patres agentes de libertate maximè contra hæreticos, agunt de illa in ordine ad*

me

meritum, vel demeritum; *non tamen recurrunt ad libertatem indifferentiæ*: §. 10. Libertatem essentialem asserit, *non esse aliud, quàm ipsam voluntatem*.

Alius è Jansenistis Duacensibus, quem sola Arnaldi umbra fallax induxerat ad subscribendum toti Janseniano de gratia systemati, juratam etiam ultro fidei suæ declarationem misit ad Episcopum N. N. in qua primo Articulo exprimitur doctrinæ Arnaldicæ Professio generalis. Articulo 3. *Coram Deo*, inquit, *declaro me credere, quòd libertas indifferentiæ in statu naturæ lapsæ, sit chimerica, inventum humanum, & ex Philosophia Pelagiana superstites reliquia*.

Ita scribit, ita loquitur Quesnelli in Belgio novaturiens factio, præsertim inter sibi fidos: ubi verò periculum imminet, nomine *liberi arbitrii* utitur, & subinde *indifferentiæ*, priore voluntatem intelligens, posteriore mutabilitatem. Istiusmodi quidem novitatis semina ab edito Jansenii volumine semper aliqua remanserant in Belgio; sed Vaticani fulmine perstrictis quinque Janseniani systematis capitibus, veluti emortua videbantur; donec ab Arnaldo & Quesnello è Gallia ad Belgas profugientibus, novitati fœcunditas rediit, & propagatio.

12 Denique nonne vel inde suspecta debuerat Collatori esse ea Articuli ex dogmate gratiæ se ipsâ efficacis deductio, quando tot inter doctissimos Thomistas, & alios ejusdem gratiæ defensores, qui sive Tractatus Scholasticos, & polemicos, sive in Scripturam Sacram Commentarios edidere, nullus connexionem istiusmodi cum sua gratia viderit? Ne ipse quidem Bossuetius Meldensium nuper Episcopus, quantumvis Quesnelliano Operi patrocinari in pluribus conatus, quidpiam scripsisse deprehenditur damnato Articulo affine, etiam ubi à Quesnello ejus suffragium imploratur.

Et quidem gratia se ipsâ efficax suis propugnatoribus admodum variæ significationis est: Suàm à Thomistica ita discernit Jansenius lib. 8. de gratia Christi. cap. 2. „ Prædeterminatio physica talis esse „ dicitur, ut in quibuscumque circum„ stantiis voluntas collocetur, semper fa„ ciat facere, & operetur effectum suum, „ omnemque superet resistentiam: Chri„ sti adjutorium nullo modo; nam dele„ ctatio victrix, quæ Augustino est efficax „ adjutorium, relativa est. Est victrix, „ quando alteram superat; quod si con„ tingat alteram ardentiorem esse, in so„ lis inefficacibus desideriis hærebit ani„ mus, nec efficaciter unquam volet „ quod volendum est. „ Lib. 4. postquam à cap. 1. usque ad 8. contenderat, gratiam suam, quam vocat *Medicinale Christi adjutorium* esse cœlestem suavitatem, seu delectationem juxta mentem Augustini, cap. 11. ait: *Delectationem istam cœlestem secundùm Augustini mentem esse actum vitalem, & indeliberatum animæ, & quidem amoris, ac desiderii præcedentis consensum*.

Ibid. *Dicimus igitur, delectationem istam, seu suavitatem in Augustino celebrem, esse partim primum illum, & indeliberatum affectum animæ, qui actualis complacentia est: partim etiam secundum, qui desiderium indeliberatum dicitur*.

13 Quandoquidem autem Quesnellus *Notis* editis in Epistolam Martini Steyaert pag. 17. sibi & Jansenio plaudat hoc insigni epiphonemate: *Adeò non persuadetur sensum ab authore* [Jansenio] *intentum hæreticum esse, ut jam demum credere cœperit orbis catholicus, nihil in ipso non esse catholicum*; advocemus huc Articulum Quesnelli 28. *Prima Gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Unde peccatoris justificatio redditur facillima, & brevissimo compendio, nullâ pœnitentis operâ, aut conamine prævio, ut nullum prærequiritur, neque excogitari catholicè potest ante primam gratiam, quæ *primus* ille *& indeliberatus affectus animæ* dicitur, atque ex illo nascens *desiderium indeliberatum*.

Cùm & juxta Quesnelli Articulum 10. Omnis *gratia sit operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*, duo fiunt in illo systemate exploratissima, primum quod sive ad justificationem peccatoris, sive ad bona opera justi, nulla concurrat hominis cooperatio libera: alterum quod ex priore sequitur, non solùm peccatoris in Dei gratiam reditum, sed quidquid ab ipso post reconciliationem elicitur boni operis, adeò *donum esse puræ liberalitatis Dei*, ut nullum in eo reperias meritum, sive de condigno, sive de congruo: inter Calvini verò & Quesnelli sententiam sit congruitas maxima, ut magis declarabitur capite proximo, ubi Quesnellus ipse pro se audiri postulat.

CAPUT V.

Quesnelli Observatio discutitur.

1 Inter prima quæ contra Constitutionem UNIGENITUS prodiere opuscula, præter foliolum fortè Ægidii Candi-

Candidi, nullum apparuit virulentius Gallico, cui Titulus *Constitutio Sanctissimi Domini Nostri Clementis XI.&c.cum Observationibus.* Ubi quidem authoris nomen non exprimitur, sed illum satis scribendi ratio acerba, audax, irreverens prodit. Audiatur: „ Non est cur asserere hic dubitemus Propositionem esse fidei Catholicæ Articulum: Videant proinde Romani Censores, qua ratione se expediant. Quicumque verò pro Pontificia dimicant authoritate, quasi falli nesciâ, ostendant si valuerint, veritates fidei posse salvo hoc suo dogmate condemnari. „

Tum citatis quibusdam textibus de dono puræ liberalitatis non agentibus, ut capite tertio patefeci, disputatio adversarii hac observatione concluditur. „ Attamen hæc doctrina adeò Sacrosancta, hoc fidei Catholicæ dogma est, quod dolosis gratiam Christi insectantium artibus hodie proscribitur. Etenim quod à quibusdam hic obtenditur, liberalitatis vocabulo additum *puræ*, quasi stabiliendam inde sibi author proposuisset sententiam, nos in bonis operibus nihil operari, nihil velle, nihil diligere; sed habere nos velut instrumenta passiva, quæ à divina, prout hæc voluerit, gratiâ moveantur; Absona atque impia significatio! quæ nonnisi Luthero, & paucis ejus sub initium asseclis in mentem venire potuit; Cavillatio adeò futilis & probrosa, ut vel inde magis eluceat, nulla ratione fieri posse, ut Constitutionis Censuræ sub quadam veri specie ab erroris macula vindicentur. „

2 Præsentem Articulum cum obstinatis suis, quicumque fuerint, defensoribus Romana proscripsit Ecclesia, anathemati consentientibus universis Christiani orbis Episcopis, si fortè viginti Gallos excepero. Proinde si Observator Schismaticus hodiedum non dubitet illum vocare fidei Catholicæ Articulum, impudentior fit oportet aliarum sectarum hæreticis, qui de Ecclesia interrogati Catholica, suam veluti isto significatam nomine obtendere non audent, neque opiniones suas solent dicere catholicas, satis conscii quàm angustis illæ regionum finibus circumscribantur.

Et quidem præsens Quesnelli Articulus præter Lutheri & Calvini congregationes hæreticas, exiguis Galliarum angulis delitescit, neque omnes qui ad Concilium appellant, Articulum hunc causantur velut perperàm condemnatum. Non laborandum magis hodie Romanis Censoribus, ut Judicium suum à falsi liberent suspicione, quàm Tridentinis olim Patribus, ut calumniam à se averterent Pelagianismi, quam Calvinus in Antidoto, Kemnitius in Examine Tridentini non minori facilitate & impudentiâ, quàm Quesnelliana hodie Jansenistarum factio, impingebant. Et quidem illa sectarum trinitas, parùm glorioso novis protestantibus fœdere in unam confluit Bullæ Unigenitus impugnationem, dum totius catholici orbis Antistites, & Academiæ consensione unanimi in ea amplectenda religiosè conveniunt. Hanc Orthodoxorum concordiam exhibebit tomus proximus.

3 Quapropter Apostolica Sedes de suo satis secura judicio, malesanos hæreticorum clamores & contumelias meritò despicit; neque me foris existentium odia & comminationes terrent, juxta Monitum Ezech. capite 2. *Hæc dicit Dominus Deus ... Ne timeas eos, neque sermones eorum metuas; quoniam increduli, & subversores sunt.* Profectò si contra irrefragabilem sedis Apostolicæ authoritatem nullum adversariis telum fortius est, quàm quod ex præsentis judicii erroribus procudere moliuntur, reliqua esse stramineis fragiliora oportet, & causam appellationis desperatissimam. Dum enim pro suscepti operis instituto totam Constitutionis seriem, & Propositiones singulas attentissimâ meditatione considero, mirari satis nequeo Divinam in toto hoc judicio providentiam, adeò ut nihil salubrius, nihil æquius, ac sapientius à supremo Ecclesiæ Tribunali constitutum, ullo tempore dimanarit. Nihil hic figuræ Rhetoricæ, minus etiam dari adulationi mecum sentiet, quicumque perversis affectibus liber Opus præsens integrum seria atque maturâ, ut res tanta postulat, dignatus fuerit lectione.

Interim inspiciamus quid novi Quesnellus adferat pro *doctrina*, quam nobis prædicat *adeò Sacrosanctam*, *& Fidei catholicæ dogma, quod dolosis gratiam Christi insectantium artibus proscribitur.* Fides, usus, augmentum *& præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.* Invehitur *in quosdam*, nemine nominato, neque an in promptu habeat, scio, à quibus hic *obtenditur* Liberalitatis *vocabulo additum* Puræ, *quasi stabiliendam inde sibi author proposuisset sententiam nos in bonis operibus nihil operari, nihil velle, nihil diligere; sed habere nos velut instrumenta solummodo passiva, quæ à divina prout hæc voluerit, gratiâ moveantur.*

4 Tum exclamat: *Absona, atque impia significatio!* Impietatem ego à dogmate amo-

amoliri nequeo; at significationem undequaque vocibus, & circumstantiis dissonam esse non tam facilè ostenditur. Nam totum dicere *donum puræ liberalitatis Dei*, in sensu rigido, & proprio, videtur hominis cooperationem excludere. Cum significatione hac facilè componitur definitio gratiæ tradita Articulo 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet*, ubi nullum est cooperationis indicium; excluditur autem minimè obscurè per Atticulum 23. *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis gratiæ suæ, eam significans per illam, quæ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

Fuitne ulla vel esse potuit creaturarum in sua è nihilo productione cooperatio? Fuitne in mortuis hactenus, aut erit in resurrectione corporum mortuorum? Similis est doctrina Articuli 24. *Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis solo motu suæ voluntatis corporibus, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.* In sanandis corporibus, ut ipsa exprimit Propositio, sola agit omnipotentia, unde si justa idea hauriri hinc debeat pro sanationibus animorum à cupiditate, atque adeò in cæterorum operum bonorum exercitio, non apparet quem in iis concursum hominis deprehendas.

Enuntiatio non dissimilis est 21. *Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis Filium suum.* Nonne diceres Quesnellum quasi studio selegisse sibi expressiones, & figuras maximè idoneas ad abolendum hominis ad omnia pietatis opera concursum?

5 Quæ igitur tantæ vociferationis ratio contra eos, qui locutionem durissimam, & inter catholicos hactenus inauditam, ut verba, & tot circumstantiæ significant, interpretantur? Si quid alicui Patrum forsitan exciderit minùs accuratum, circumstantia authoris sancti, & in dogmatibus, etiam eo, de quo agitur, ubique aliàs sanissimi, hanc à nobis venerationem postulat, ut benigniùs explicetur; non autem par ratio est de Novatoribus, hæreticis, & supremæ contemptoribus authoritatis; præsertim ubi plura eorumdem axiomata eandem horridam ingerunt significationem.

Impendamus tamen homini quantumvis malè de Ecclesia merito hanc gratiam, ut crudissimum ejus assertum interpretemur benigniùs; sed non propterea hæresim author vel ejus Articulus declinasse censebitur: hæresim, inquam, tertiam Jansenii *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione*: & quartam: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam esse talem, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Ubi prior hæretica, posterior *falsa, & hæretica* declarata est. In hac falsitatis censura afficit partem historicam, qualis fuerit Semipelagianorum opinio: censura hæreseos partem ferit dogmaticam, quâ negatur sententia Catholica, gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere, vel obtemperare. Absurdior quidem ex eo est Propositio Jansenii, quòd notam hæreseos in dogma suo oppositum errori conjiciat; sed ea temeritas falsitatis, non hæreseos solet in se censuram convertere.

Dogma autem Jansenii idem esse quod Quesnelli, patet apertissimè; non enim potest humana voluntas resistere, quando juxta articulum 10. *Omnis gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*: quando per art. 20. *Omnis gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei Incarnantis, & resuscitantis Filium suum*: quando per art. 23. *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quæ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

Creatoris enim manui omnipotenti resistere nulla creatura potuit, ne produceretur, neque poterunt, aut potuere unquam receptura spiritum corpora resistere manui se resuscitanti. Si quid saniùs in hoc Quesnellus sentiat, quàm Jansenius, libenter edocebimur à quolibet Quesnelli, sive assecla, sive vindice. Sed ne ipse quidem Quesnellus à tam charo sibi Antistite se patitur separari, quando in citatis sæpius ad Steyaertii epistolam *Notis* pag. 17. tam magnificè; sed mendaciter gloriatur, *adeò non persuaderi, sensum ab authore* [Jansenio] *intentum, esse hæreticum, ut jam demum credere cœperit orbis catholicus, nihil in eo non esse catholicum.*

6 Major quoque Quesnelli reverentia est erga suum [Magistrum dicam an Oraculum?] Antonium Arnaldum, qui in Apologia pro Jansenio pag. 92. minimè dubius enuntiat, *Deum, sicut aliàs ædificationem Templi reservaverat Salomoni, ita materiam de*

de gratia Christi clariùs dilucidandam reservasse Iprensium Antistiti Jansenio. Propterea Quesnellus studiosè cavet ne abdicare à se necessitatem simplicem videatur, quam novit à Jansenio totis viribus propugnatam. Sic nempe hic Episcopus tom. 3. lib. 6. de gratia Christi cap. 12. col. 658. *Nihil aliud libero generaliter repugnat, quàm necessitatis illius prementis, cogentisque violentia*. Eodem lib. cap. 6. col. 633. *Sola necessitas coactionis adimit libertatem, non necessitas simplex* lib. 8. cap. 19. col. 869. *Nulla gratia efficacia, nulla necessitas actibus nostris liberis formidanda est: sed sola vis coactionis, & necessitas violentiæ*.

Ubi evidens est assertionem se extendere ad actus quoslibet, nullo excepto meriti capace, vel demeriti. Consentit Jansenio Calvinus de libero arbitrio contra Pelagium lib. 2. *Si coactioni opponitur libertas, liberum arbitrium esse, & fateor, & constanter assevero, ac pro hæretico habeo, quisquis secùs sentiat*. idem lib. 2. Institut. cap. 2. *liberi ergo arbitrii hoc modo dicetur homo; non quia liberam habeat boni æquè ac mali electionem; sed quia malè voluntate agit, non coactione: optimè id quidem &c.*

6 In Antidoto Tridentinæ sess. 6. can. 5. *De verbo ne moveamus rixam; sed quia liberum arbitrium intelligunt eligendi facultatem, quæ sit in utramque partem libera, & soluta, titulum sine re esse qui affirmant, Christum habent authorem*. Ipse Lutherus tom. 3. de servo arbitrio *sequitur*, inquit, *necessariò nos operari: necessariò dico, non coactè... Hoc est, homo cùm vacat Spiritu Dei, non quidem violentiâ, velut raptus obtorto collo volens facit... sed sponte, & libenti voluntate facit*.

7 Unde Bucerus lib. de Concordia doctrinæ Lutherum explicat itaut solam libertatem à necessitate simplici negaverit; sed libertatem à coactione concesserit. Non igitur Quesnellus se ab hæreticis secernit, asserendo, quod *non habeamus nos velut instrumenta solummodo passiva, quæ à divina, prout hæc voluerit, gratia moveantur*; sed quod *in bonis operibus aliquid diligamus, velimus, atque aliquid operemur*. Nam, & hæresiarchas libertatis hostes infensissimos, nihil reipsa negasse deprehendimus, quod à Quesnello conceditur; tam scilicet penès illos, quàm penes Quesnellum, & Jansenium homo destitutus efficaci gratiâ, cupiditate ducitur volens, diligens, operans, quod lex prohibet; donatus autem gratiâ ducitur ab ea lubens, volens, diligens, operans, quod gratia efficit; etsi utrobique homo velit, diligat, operetur necessariò; quia juxta Quesnellum gratiæ operatio neque impediri ullatenus potest, neque retardari.

Idem est de concupiscentia oppositâ gratiæ, estque Jansenio *adjutorium Diaboli*: Juxta Propositionem scilicet 29. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*; quia trahitur concupiscentiæ vi insuperabili ad cumulanda continuò delicta: peccat proinde tunc semper necessariò; *volens* tamen, *diligens atque operans* quod illicitum est.

Sed de solis actibus bonis, ut damnata postulat Propositio, hîc disserendum est. Jansenistarum pridem astutia fuit, quod Innocentio X. anathema parante contra quinque Jansenii Articulos hæreticos, scriptum procuderent hoc titulo: *Brevissima quinque Propositionum in varios sensus distinctio*, non ut lucem adderent meridiano jubari; sed nubes ambiguitatis interponerent, ex ipsis conflatas subdolè distinctionibus frivolis; quarum fructus unicus [etsi ab authoribus minimè intentus] fuit, eorum prodere fidem pessimam.

Sensus jactantur *varii*, ubi reverà unicum esse, vel ex ipsa ineptissima eorum distinctione convincitur. Etenim fatentibus distinctionis inventoribus, sensus primus *Propositionibus malignè affingi posset, quem tamen legitimè sumptæ non habent*: tertius est *Propositionibus contrarius*: ubi patet lucidissimè, neutrum ex geminis sensibus ad Propositiones attinere. Unicus superest inter utrumque medius, qui in secunda columna exprimitur, *ut à nobis* (inquiunt Jansenistarum Oratores) *intelligitur ac defenditur*; non tamen expositus integrè; sed involutus vocibus æquivocis, & idoneis ad fallendum.

8 Fraus autem Quesnelli, & sociorum maximè detestabilis emicat in eo, quod sensum quem à Jansenistarum Oratoribus declaratum primo loco vidimus, Propositionibus non nisi *malignè affingi posse, sed quem legitimè sumptæ non habent*, ipsi hodiè Propositionibus velut unicè genuinum, & obvium attribuant; maximè post Decretum & Breve Innocentii XII. ad Belgii Episcopos, quo Pontifex testatum facit, se Innocentii X. & Alexandri VII. definitionibus inhærere, in illis damnari sensum Propositionum obvium, ipso Jansenii expressum, & defensum Volumine. Ita scilicet Quesnelliani hoc tempore Ecclesiam fallere moliun-

tur insigni mendacio, & perjurio, quoties Alexandrinæ contra Jansenium formulæ subscribentes jurejurando, damnare supponuntur quinque Propositiones intellectas sensu, qui à Jansenio intenditur juxta libri ejus sensum proprium, & obvium, qui simul proprius, & obvius Propositionum est.

Istud enim, & Constitutiones Pontificiæ, & juramenti formula, & ipsa Innocentii XII. Declaratio manifestè exigunt; dum tamen constat, & Quesnelliana *Romanæ Ecclesiæ, & summorum Pontificum Defensio* mendax palam facit, non alium rejici a se suisque sensum, quàm merè fictitium, ac talem à Jansenistarum Oratoribus appellatum. Ita qui paulò ante sensus Propositionum fictitii fuerant, nec nisi malignè affingi iis poterant, fiunt ipsis proprii, & obvii pro Quesnelli, & sodalium ejus libitu, dum ad fallendam Ecclesiam ipsis opus fuerit ad suscipiendum sacros Ordines, vel gradus academicos, adeundum beneficia, & officia &c.

9 Interseri hæc observatio debuit, ut lucis plus accipiat præsens Quesnelliana, quâ conqueritur velut de attributo suis vocibus sensu, à quo maximè alienus est, simul *absonum* declarans atque *impium*, *qui non nisi Luthero, & paucis ejus sub initium affectis in mentem venire potuit* qualis ab ipso superiùs exponitur, *nos in bonis operibus nihil operari, nihil velle, nihil diligere; sed habere nos velut instrumenta solummodo passiva, quæ à divina, prout hæc voluerit, gratiâ moveantur*. Existimat Quesnellus, aut potiùs existimare se simulat, hunc suggestum à denuntiatoribus fuisse Pontificî sensum, unicè apprehẽsum ab eo ut damnabilem, ac propterca strinxisse eum anathema in Propositionem ab imputato sibi sensu remotissimam. Unde contra Pontificem, & omnes qui ad Articuli sui condemnationem quoquo modo concurrerint, exclamat: *Cavillatio adeò futilis, & probrosa, ut vel inde magis eluceat, nullâ ratione fieri posse, ut Constitutionis censuræ sub quadam veri specie ab erroris macula vindicentur*.

Ego verò etsi Articulus, ut sonat, sensui istiusmodi locum fortè relinquere, & plures relatæ superiùs enuntiationes, potissimùm vigesima tertia, & vigesima quarta, eò concurrere videantur, non tamen in animum induco, neque in suum, credo, induxerit Pontifex, aut ullus ex electis ad examen Theologis, illum ab authore fuisse intentum; quia Propositione 22. dicitur: *Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu demonstra[...]r illicò nobis in Incarnatione velut in fonte atque Archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio*. Ubi *liber voluntatis consensus* actionem hominis indicat, & plura in Propositionibus cæteris, eandem stabiliunt: neque verisimile apparet, tantam incidere Quesnello potuisse insaniam, ut nos in bonis operibus, nihil agere, nihil velle, nihil diligere opinaretur. Errorem adeò stolidum explorata nimiùm subruit experientia.

10 Porrò adversarius vafer contra accusationem umbratilem digladiatur, ut errorem suum inter Jansenii hæreses damnatum dissimulet, velut à Clementis quoque Undecimi anathemate præteritum, & intactum. Ideo nempè asserit, Fidem, usum, augmentum, & præmium fidei, *totum esse donum puræ liberalitatis Dei*; quia non solummodò totum ex gratia est; sed etiam per artic. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*; & omnis *gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare* juxta art. 10. Unde consecutio fit evidens, induci à gratia bonis operibus necessitatem.

Quid enim aliud in nobis necessarium dicitur, quàm quod impediri à nobis nequeat, aut retardari? Præmium verò qualecumque bonis actibus à gratia necessitatem inferente elicitis, perspicuè donum puræ liberalitatis Dei est; proinde *præmium* non nisi impropriè nominatur, utpote concessum meritis impropriè appellatis. Libertatem enim non à coactione tantùm; sed etiam à necessitate simplici requiri ad verè ac propriè *merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ*, clara est Sedis Apostolicæ contra tertiam Jansenii hæresim definitio, cui universa pridem consentit Ecclesia.

11 At, inquies, dum Quesnellus in ipso qui damnatur, Articulo bonorum operum *præmium* vocat, supponendus est loqui propriè, adeòque agnoscere meritum non fictitium; non alienâ, sed propria significatione.

Quid igitur responsi congrui superest, nisi Quesnellum hîc verè & propriè esse hæreticum? Perspicua enim est ejus Articulo 10. & pluribus à me superiùs relatis sententia, omnem gratiam asserens tanti roboris ut eam nulla vis, nullum hominis arbitrium *impedire possit, aut retardare*, proinde ut effectum suum proferat necessariò; meritum autem propriè dictum conjungere in hoc statu cum necessitate etiam simplici est propriissima hæresis Jansenii, quæ Articulo ejus ter-

tertio exprimitur, & condemnatur.

Si pro Quesnello institeris, allegans quòd in ejus, ut supra retuli, dogmate 22. sit *Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu*, quodque illa ibidem *demonstretur illicò nobis in Incarnatione, veluti in fonte atque Archetypo omnium aliarum operationum misericordia & gratia, qua omnes ita gratuita, atque dependentes à Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio*; video ibi quidem nominatam à Quesnello *Concordiam omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu*; sed appellationis pariter verâ & propriâ significatione vacuæ fraudem conspicio; quia exemplum assumitur ad concordiæ demonstrationem, quod eandem funditùs evertit, efficiens potiùs ut nihil libertatis propriè dictæ, atque ad meritum & præmium sufficientis in voluntate hominis reperias, quoties omnipotente operatione Dei, seu victrice gratiâ agitur: *Incarnatio* enim *qua fons & Archetypus dicitur omnium aliarum operationum misericordia & gratia*, facilè intelligitur *gratuita & dependens* penitus *à Deo*, cùm humanitas Christi, ut assumeretur ipsa ad incarnationem Filii, mereri non potuerit, neque à libero ejusdem consensu Incarnatio dependere; ut enim humanitas Incarnationem minimè præcessit, consensus ejus liber expectari non debuit, nec potuit, ut Incarnatio fieret, quâ omnis operatio humanitatis, atque ita quilibet voluntatis ejus consensus debet esse posterior.

Quapropter voluntatis humanę non solùm non adfuit consensus propriè liber, qualis in natura lapsa ad meritum requiritur; sed neque consensus necessarius Incarnatione prior, necessarius, inquam, qualis in Deo Patre est ut producat filium, in Patre & Filio, ut Spiritum Sanctum.

12 Elabi quidem adversarius postea conatus est, allegando liberum voluntatis consensum in Deipara, qui Incarnationem præcesserit; verùm excusatio prorsus inanis & irrita est; nam etsi ex consensu Deiparæ occasionem Quesnellus acceperit observationis, ut solet scripturas quaslibet nihil habentes cum suis erroribus commune, ad eos nihilominùs Notis subdolis accommodare; non tamen ejus observatio, quæ in dam nato Articulo est, de consensu agit Deiparæ, qui non ipsa Incarnatio neque pars ejus est, sed ipsi extrinsecus; neque consensus idem, sed Incarnatio Filii, sive Divina Incarnationis operatio *fons* ibi dicitur *& Archetypus omnium aliarum operationum misericordia & gratia, qua omnes ita gratuita, atque dependentes à Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio*, quæ iterum non est consensus Virginis, sed Dei volitio & operatio Incarnationem efficiens: à qua, non propriè à Virgine, omnis in nos profluit gratia, omnis boni & meriti operatio.

In eundem collimat scopum Prop. 21. *Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema invincibilis, utpote qua est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis Filium suum*.

Utrobique intentio authoris eadem est, idem sub quadam phraseos diversitate significatum, additâ operationis Filium suum resuscitantis circumstantiâ, unde Propositioni, aliàs satis perspicuæ, lux major affulgeat. Num & hic Quesnellus refugiet ad consensum liberum Deiparæ? Patet itaque excusationis nequitia, sed luci expositæ veritatis ad nihil valens; nisi ut condemnationi novitatis accedat opprobrium perfidiæ.

13 Ex deductis hactenus colligitur, adeò non salvari ab adversariis libertatem à necessitate simplici in bonis actibus justorum, quibus præmium mereantur, ut si in rigore, in significatione propria & obvia locutiones eorum acceperis, subinde ne actionem quidem invenias; sed passionem solummodo. Quid enim Christi humanitas contulit ut fieret Incarnatio, in qua se habuit merè passivè? Quid contulit Christi Corpus mortuum ut resuscitaretur, ubi mera est iterum passio corporis non actio? Quid creaturæ conferre poterant ut producerentur è nihilo? quid possunt homines mortui ut resuscitentur? Quid denique infirmorum corpora pręstare potuerunt ad valetudinem à Christo solo, nec nisi prodigio restituendam? Prop. 23. *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis sua gratia, eam significans per illam, qua Creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam*: 24. *Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu sua voluntatis, est imago idea, qua haberi debet de Omnipotentia sua gratia in sanandis animabus à cupiditate*.

Quæ enunciandi ratio nonne omnem adimere videtur homini ad bona opera cooperationem, ut nullam concurrere manifestum est ad sanationem corporum, quæ Deus prodigio, sive *solo motu sua voluntatis* restituit sanitati? minus etiam cooperatio Creaturæ intelligitur in productione sui è nihilo, vel cooperatio corporis in resuscitatione.

Atta-

Attamen ut duriffimas locutiones, & ideas maximè incongruas, quanta possumus benignitate interpretemur, non denegent illæ voluntati hominis ad bona opera consensum impropriè liberum, libertate scilicet, ut scholastici vocant, essentiali, quod idem est ac voluntarium ratione vigili; Sed non propriè liberum, quod adeò in hominis potestate est, ut positis omnibus ad agendum prærequisitis suspendere actionem valeat ac impedire. Quæ potestas hominis minimè consistit cum gratiâ, qualis à Quesnello tot figuris, ideis, definitionibus traditur: juxta quas nominatim Art. 10. *Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*: ubi evidens est omni gratia necessitatem inferri simplicem, licèt non coactionis, quæ ab extrinseco adveniens omnem voluntati tolleret actionem.

4 Verùm ne benignior ista quidem Quesnelliani sensus in tot ideis absurdissimis intelligentia; potest eum eximere ab hæresi: quæ irrefragabilis censura pridem lata fuerat ab Angelico, ac dein solemni judicio confirmata à Summis Pontificibus, atque ab Ecclesia universa. *Quidam posuerant*, inquit Angelicus,] *quòd voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum* [ut suppositis Quesnelli de gratia ideis moveretur in omnibus bonis actibus auxilio gratiæ elicitis] *nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur; non enim omne necessarium est violentum... Hæc autem opinio est hæretica* (in quantum humanis actibus, & quidem meriti ac demeriti aliàs capacibus libertatem denegat, necessitatis, etiam simplicis expertem]; *Tollit enim rationem meriti & demeriti... Si enim non sit liberum aliquid in nobis; sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium, proinde merces, & præmium*. Sed nempe omnia illa adimere parum refert, novæ Ecclesiæ; quandoquidem inter concussos ibi Symboli Articulos est *augmentum, & præmium fidei, totum esse donum puræ liberalitatis Dei*, propter adjutorium Christi invincibile, quòd *est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare.*

CAPUT VI.

Num Adversarii se rectè ab Hæreticis discernant.

1 Ultima Quesnelli, & ei adhærentium excusatio est, quod gratiam suam nuspiam vocent necessitantem; sed apertè asserant eam cum libertate consistere, liberum reipsa ipsi consentire arbitrium, proinde non esse unde meritum destruatur.

Novimus hanc esse Jansenistarum plerorumque recentium, erga Definitiones Ecclesiæ reverentiam mirabilem, quòd à damnatarum in Jansenio Propositionum vocibus communiter abstineant, contenti æquivalentibus. Sic in damnatis Quesnelli Propositionibus, nulla impossibilitatis nomine utitur, nulla asserit omnibus efficiente gratia destitutis mandata esse impossibilia, ne in primi dogmatis Jansenìani anathema impingere videatur: affirmare Quesnello sufficit, neminem sinè efficiente gratia posse mandata servare, nemini illa servatu esse possibilia, sive per illam & non aliàs possibilia fieri. Prop. 2. *Jesu Christi gratia principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solùm nihil fit, sed nec fieri potest.* Prop. 3. *In vanum Domine præcipis, si tu ipse* [per efficacem gratiam] *non das quod præcipis*. Prop. 4. *Ita Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo*; nulli autem alteri quidpiam, saltem boni possibile est, nisi quando illud reipsa efficis.

Ne particeps censeatur Quesnellus hæreseos 2. inter quinque Jansenianas, non dicit *Gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ nunquam resisti*; sed tantùm quòd in hoc statu omnis *Gratia sit operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*: ita definiente Articulo 10., ac suffragantibus pluribus gratiæ ideis, signatâ multiplici ab eodem superiùs illustratis.

2 Non enuntiat Quesnellus juxta hæresim Jansenii quintam, *Christum pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuum esse*, sed Art. 30. *Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter* Art. 31. *Desideria Christi semper habent suum effectum: pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat*. 32. *Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine* (non omnes homines, neque omnes fideles sed) *Primogenitos, id est Electos, de manu Angeli exterminatoris*. 33. *Prob quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsi renuntiasse, ad hoc, ut quis fiduciam habeat, sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejusque amorem, mortem & mysteria, ut facit S. Paulus, dicens: qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me!*

Sic pariter quoad hæresim Jansenii tertiam, non exprimit Quesnellus necessitatem

tem in bonis operibus conciliatam cum eorum merito. Sed ipsi satis est adstruere eisdem operibus necessitatem gratiæ cujus effectus impediri nequeat, aut retardari, quemadmodum si ab *hominis* appellatione abstinens, ei substitueris *animal rationale*. Quis enim dubitet quin res eadem definitum sit & definitio? Actionem profluere necessariò, & impediri non posse, aut retardari? Patet itaque libertatem à Quesnello non aliam agnosci in bonis actibus auxilio gratiæ progenitis, quàm Calvinianam, quæ est immunitas à violentia & coactione, non à simplici, prout cum Catholicis omnibus eam descripsimus, necessitate.

3 Quesnello autem non quidem cum Ecclesia Orthodoxa; sed cum Calvino pax & concordia est. Hic enim libertatem Quesnelli ultrò amplectitur, & hæreticum denuntiat si quis respuerit, ut supra vidimus, ipso quoad rem consentiente Luthero; etsi liberi arbitrii vocabulum aversante. Quesnello hic pudenda aliquantulum videtur cum Calvino societas, quare ejus hæresim fide minimè bonâ conatur obtegere in Traditione Ecclesiæ Romanæ sub nomine Domini Germain tomo 3. pag. 152. dicens: *Super materia de gratia non est ampliùs solidum diffidium Catholicos inter & Calvinistas*. Pag. 188. *Calvinistæ plerique verè & regulariter reconciliati sunt cum Catholicis in materia de gratia*. Pag. 197. *Manifestum est, Calvinistas non tueri ampliùs gratiam, quæ necessitatem inferat voluntati*. Pag. 200. *Calvinistæ jam pridem de gratia non sustinuerunt dogmata nisi catholica, exceptis modis aliquibus loquendi, & quæstionibus, quæ tantùm sunt de nomine*. Pag. 201. *Prætensis Jansenistis honori vertendum est, quod circa Concordiam gratiæ cum libertate, tradant doctrinam, quæ & confirmata est ab Ecclesia, & accommodata reducendis ad Ecclesiam hæreticis*.

Latêre Quesnellum non potuit decantata toties Calvini lib. 2. de libero arbitrio contra Pighium sententia: *Si coactioni opponitur libertas, liberum arbitrium esse & fateor & constanter assevero, ac pro hæretico habeo, quisquis secus senserit*. Eodem modo liberum, & non aliter in nostris bonis actibus agnoscit Quesnellus.

Cur igitur *non ampliùs* est solidum diffidium Calvinistas inter & Catholicos? Non esse ampliùs indicat fuisse aliàs: Quandonam autem, & qui discipuli Calvini docuere hic aliter, quàm à magistro acceperant? Fraus eadem in cæteris Quesnelli enuntiationibus est. Calvinistarum enim cum Catholicis reconciliatio supponit fuisse antea diffidium, quod postea sublatum sit. At ipsum Calvinum non aliter sensisse, quàm discipulos ejus hodiernos, atque ipsum Quesnellum cum suis, quos hìc Catholicorum intelligit nomine, jam ostensum est. Ad aliquos quod attinet loquendi modos duriùs sonantes, Calvinus ipse testatus est, se rixari cum Catholicis nolle, modò hi concederent, quod evidens est concedere Jansenistas, liberum esse quidquid violento opponitur seu coacto. Feriuntur hic quidem Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. anathemate lato contra Baji Articulum 33. *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit*; sed Constitutiones illas, ut omnes alias suis novitatibus infestas, nova Ecclesia contemnit.

4 Calvinus itaque non aliud hic tradidit, quàm Quesnellus; sed hæresim suam magis candidè professus est in Antidoto Tridentinæ sessionis 6. canonis 5. nolens rixam movere de nomine; *Sed quia*, inquit, Tridentini *liberum arbitrium intelligunt eligendi facultatem, quæ sit in utramque partem libera & soluta, titulum sine re esse qui affirmant, Christum habent authorem*.

Cujus hæresiarchæ quantumlibet falsa & hæretica enuntiatio, percussa Tridentino anathemate sess. 6. can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium ... dixerit ... rem esse de solo titulo, imò titulum sinè re, anathema sit*; In Quesnelli tamen sententia circa bonorum operum exercitium, est inevitabilis. Non enim malè Calvinus explicat liberum hominis arbitrium, prout à Tridentinis Patribus intelligitur, *eligendi facultatem, quæ sit in utramque* contradictionis *partem libera & soluta*: juxta doctrinam Concilii sess. 6. capite 5. *Tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem, homo inspirationem illam recipiens, illam & abjicere potest*. Quomodo autem homo abjicere illam potest, si subsisterit Quesnelli definitio Art. 10. *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*? Spiritûs Sancti inspiratio indubiè gratia quædam est, atque illam abjicere impedire est, ne effectum pariat sibi convenientem.

5 Ludere solent adversarii in ejusdem sessionis can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium ... Deo excitanti atque vocanti ... non posse dissentire si velit, anathema sit*. Si dissentire gratiæ excitanti atque vocanti liberum hominis arbitrium voluerit, inquiunt, procul dubio dissentire poterit; quia dissentiendi volitio dissensus ipse est. Verùm ineptissima hæc Tridentinæ definitionis interpretatio, ipsam eludere tentat defi-

definitionem, non ratione Concilio congruâ explicare. Quid enim magis indignum gravissimis Patribus, quàm contra novos hæreticos negantes hominibus potestatem dissentiendi gratiæ definire, quod si quis dissentiat gratiæ, dissentire ei valeat?

Responderent facilè hæretici definitionem supervacaneam esse, & ridiculam de eo, quod à nullo unquam mortalium vocatum fuerit in dubium. Aut igitur Synodi sententia est, dissentiendi volitionem homini gratiâ prævento esse possibilem, aut fallax fuerit ejus declaratio, & similis ei, quæ assereret *Deum posse peccare si velit: Patrem eum filio posse non producere Spiritum Sanctum si velit: Deum posse se ipsum destruere si velit*.

Quæ Propositiones singulæ absurdissimæ sunt, etsi connexio inter conditionem, & illud quod sub ea asseritur, vera aliquo sensu sit: Quisquis scilicet de quopiam affirmat, posse eum hoc facere si velit, passim intelligitur supponere volitionem in ejus esse potestate, sive ei esse possibilem. Ludificatio porrò ista stolida potius, quàm acuta, non primùm excogitata Jansenianorum ingenio est; sed pridem placuit Wickleffistis negantibus Deum posse incrementi aliquid mundo addere: qui cùm urgerentur rationibus Catholicorum, velut omnipotentiæ destructores, quam arctis adeò coustringerent limitibus, effugium hoc commenti sunt malesanum, sufficere omnipotentiæ, quòd possit omnia quæ vult. Posset autem mundum reddere majorem si vellet, etsi velle nequeat. Sic omnipotentia Dei statuitur impossibilis, sic & secundus Deus omnia posset facere, si vellet, etsi nec velle quidpiam, nec existere valeat.

6 Fallaciam istam omni sano judicio destitutam Waldensis Tom. 1. lib. 1. cap. 15. vocat *Glossam communem Wickleffi, & generale emplastrum*: quod lepidè exagitans ait: „ Sub hac glossa communi *Potest si vult*, sedent omnes Wickleffistæ securi: non tamen sicut Elias sub juniperi umbra; sed sicut Jonas sub hedera. Accedat igitur vermis ille, qui est prima veritas, mentiar si radices hujus glossæ non comedat, unde herba marcescat. Cur negas, Deum posse majorare mundum, quod tamen potest, si, cùm vult, potest? Non, inquis, cur hoc? Quia non vult, & nihil potest nisi volens. Jam ecce supposui tibi quod velit. Non, inquis, potest velle; sed, si vult, potest „.

Quis tergiversationem ejusmodi fatuam non despiciat ac detestetur? Applicemus eam adversariorum effugio prorsus simili. Etsi, inquiunt, *Gratia* definiatur *operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare*, sive cui nemo assensum negare potest, potest tamen homo quilibet effectum gratiæ impedire, sive recusare ac suspendere consensum, si velit. Quæro igitur cur negas hominem posse dissentire gratiæ, quod tamen potest, si cùm vult potest? Non, inquis: cur hoc? quia non vult, & non potest, nisi volens. Jam ecce supposui tibi quod velit. Non, inquis, potest velle; sed, si vult potest.

Insipidis adeò & nihil sanæ rationis continentibus tricis, simplicium animos obstupefaciendo, novi æquè ac veteres hæretici decipiunt. Suppositis itaque divinæ gratiæ notionibus quales nobis à Quesnello tot Articulis describuntur, ineluctabilem infert quævis gratia dissentiendi, vel assensûs retardandi impotentiam, præstandi autem assensus illicò necessitatem. Unde meritum omne evanescit & præmium propriè dictum. Hæc basis & radix Articuli damnati est: *Fides, usus, augmentum & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei*. Quod donum est puræ liberalitatis Dei, liquet non esse præmium propriè dictum, quod mercedem meriti sonat, & quamdam debiti rationem.

7 Urit adversarios, quod se in eundem redactos ordinem videant, non cum Calvinianis solummodò, sed etiam cum eorum magistro, quem à recentioribus suis discipulis hîc deseri vel corrigi arbitrantur, vel potiùs arbitrari se simulant. Duriùs nempe alicubi Calvinus locutus fuerit, quales modos sibi non usque adeò placere adversarii indicant, veluti cùm ait lib. 2. Institut. cap. 3. *Omnes bonorum operum partes à primo motu Dei sunt propriè, & si qua esset ex nobis vel minima facultas, aliqua esset etiam meriti portio*.

In Antidoto sess. 6. Tridentinæ can. 4. *Qui ergo motum aliquem libero arbitrio proprium tribuunt ... nihil aliud quàm Spiritum Sanctum discerpunt*. Ibid. cap. 6. *Nihil laudis refundi ex bono, sed totum Deo tribuendum*. Lib. 3. Institut. cap. 24. §. 1. *Non dubitemus nostris voluntatibus aut studiis nihil relinquere*. Ibid. §. 3. *Duo errores hic cavendi sunt, quia nonnulli cooperarium faciunt Deo hominem, ut suffragio suo ratam electionem faciant*.

8 Adversarii dent candori meo natali veniam, si dixero, non aliud hic apparere ipsos inter Calvinumque discrimen, quàm quod

quòd hic hæreticus sit magis apertus, ipsi adhuc subtimidi; ideoque in quærendis tenebris soliciti, jungentes hæresi simulationem atque hypocrisim. Quod enim Calvinus in allegatis sententiis loeutus est à veritate catholica alienum, est consectarium non incongruum, sicut & præsens damnata Proposirio, ex Calviniano, & Quesnelliano de gratia dogmate libertatem auferente indifferentiæ. Quòd autem Calvinus nec partem quidem minimam nobis permittat in bono opere, neque minimam meriti portionem, intelligit boni operis ut liberi, & meriti nostri propriè dicti. Liberam itaque, & non aliam nobis subtrahit cooperationem, qua deficiente, partem etiam minimam nobis meriti denegandam esse, quilibet concedet Catholicus, qui Jansenianæ Propositionis tertiæ anathemati non fraudulenter subscripserit.

Calvinus non adeò desipuit, ut nos velut instrumenta mortua censeret in bonis operibus nihil agere, nihil velle, nihil diligere: eam vesaniæ suspicionem à se hæresiarcha ipse amoliatur lib. 5. in Pighium de libero arbitrio pag. 182. *Hominem sic quidem docemus agi Dei gratiâ, ut simul tamen agat: sic tamen ipsum agere, ut penès Dei Spiritum tota sit, ac maneat actionis efficacia*. Ibid. pag. 191. *Mentem hominis fatemur videre; sed illuminatam: judicium discernere & eligere; sed Spiritûs Sancti directione: hominem ipsum, & conari, & agere, & ad Dei obsequium applicare suas facultates; sed pro gratiæ mensura, quam accepit*. Lib. 2. Institut. cap. 5. *Quis ita desipit, ut hominis motionem à jactu lapidis nihil differre autumet? Neque verò quidquam simile ex nostra doctrina. In naturales hominis facultates referimus approbare, respuere, velle, nolle, eniti, resistere... Qua ratione, mihi dices, Augustinus inquit: ergo agimur, & non agimus: imò agis & ageris, & tunc bene agis; si à bono ageris*.

9 Denique libro 3. de libero arbitrio pag. 167. *Id dicit Augustinus ut delira, & impiæ eorum imaginationi occurrat, qui Deum in homine, sicut in lapide, hoc est sinè intrinseco, ut ita loquar, voluntatis ejus motu operari fingunt*. Dum igitur Janseniani apud Innocentium X. Oratores sensum istiusmodi vocant *Calvinianum*, eumque unicum damnabilem autumant in secunda Jansenii Propositione, Calvino delirium attribuunt, à quo ipse se alienissimum profitetur. Proposirio nempe hæreseos damnata est, *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*: hanc in prima columna sic explicant Oratores illi: *Interiori gratiæ efficaci in statu naturæ lapsæ eatenus nunquam resistitur, quatenus voluntas hominis respectu gratiæ efficacis merè passivè se habet, & velut inanime quoddam nihil omnino agit, nec cooperatur, nec liberè assentitur*. Tum ita pronuntiant: *Hæc Propositio est hæretica, Calviniana, Lutherana, & à Concilio Tridentino damnata*.

Fraudem hanc ab istis suis majoribus mutuatus est Quesnellus in præsentis sui dogmatis, ut capite superiore retuli, audacissima defensione. Oratorum porro istorum prima perfidia est, quod Propositionem de gratia in genere enunriantem, restringant ad gratiam efficacem: altera est quod nunquam resistere accipiant pro merè passivè se habere, & velut inanime quoddam, nihil omnino agere, quasi non alius illi Articulo sensus subsit damnabilis. Idem subdolum stratagema hic placuit Quesnello.

Sensus ille, quem Calvinus ipse ut *delirum* respuit, eidem nihilominus ab oratoribus affingitur eo consilio, ut à Calvino Jansenium secernant, & illins solùm, non hujus sententia à Tridentino Concilio, atque ab Innocentio X. proscripta censeatur. Verùm œcumenica Synodus non modò bestialem illam, quæ omnem actionem homini in bonis operibus adimit, sed etiam mitiorem, quâ non omnis actio; sed vera solummodo libertas tollitur, anathemare profligavit. Sic anathema in se vibratum agnovit, & totis viribus impugnavit Calvinus, in hoc magis candidus, quàm Janseniani; sed hi volentes adhuc cum sua hæresi manere in Ecclesia, opus habent à Calvino circa liberum arbitrium secernere se mendaciis, cùm nequeant veritate.

10 Vana proinde, & dolo plena est relata superiùs Quesnelli gloriatio de sua circa libertatem sententia, velut approbata ab Ecclesia, & reducendis ad eam hæreticis peridonea. Verior in hoc est Petri Jurieux famosissimi Calvinistæ de Arnaldo, Quesnello, & utriusque commilitonibus triumphus Libro cui titulus: *L'Esprit de Monsieur Arnaud* parte 2. pagina 4. *Verum est* (inquit) *quòd ad nos omnino accesserint in materia de gratia; sed accedentes conati sunt nos secernere à se, ac removere, attribuendo nobis sententias, quas satis conscii sunt à nobis minimè sustineri; quæ quidem insignis perfidia est*. Pag. 11. circa Propositionem Jansenii tertiam *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*, de Arnaldo, & ejus sociis conqueritur, quòd Calvino, & ejus Sectatoribus attribuant sen-

sensum alium, & deteriorem, quàm Calvini fuisse minimè ignorant. pag. 12. *Hic etiam* (inquit) *locus proprius est detegendo Arnaldi, & discipulorum ejus ingenio: satis percipiunt doctrinam de gratia per se efficaci* (qualis ab eis traditur) *omnem subruere de meritis operum Theologiam; quia non nisi sano judicio opus est, ut quis concipiat, quòd si gratia totum in nobis bonum operetur, determinans voluntatem modo adeò efficaci, & necessario, ut effectum ejus homo impedire non valeat, omnis nostra justitia, tota operum nostrorum excellentia proveniat à Deo, & ab ejus gratia.*

Istud satis compertum illi habuere. Attamen nimis arduum censuere aggredi simul gratiam Molinæ, & omnia totius Papismi bona opera convellere: quapropter opportunius visum est dicere, quòd gratia operetur nostra merita, quod (prout ab eis defenditur) *æquè consonum rationi est, ac luminis effectum affirmare tenebras, aut his tribuere luminis productionem.*

De Calvino simile judicium tulere scriptores Catholici. Didacus Alvarez lib. 1. de auxiliis disput. 3. num. 9. *Calvinus moderatus utcunque errorem Lutheri, fatetur liberum nostrum arbitrium non se habere merè passivè, tanquam inanime quoddam; sed activè concurrere, & motu spontaneo ad suas operationes.* Idem testatur Pennottus lib. 9. in Proœmio: *Calvinus, etsi Lutheranam crassitiem utcunque imminuere, & attenuare sit conatus, dum concessit, voluntatem ad opera pietatis concurrere non solùm passivè; sed etiam activè; negavit tamen absolutè, liberè aliquid operari.*

11 Hic saltem, inquies, catholicè loquitur Quesnellus cum suis, dum liberum hominis arbitrium ad bona opera concurrere profitetur, unde deducuntur & merita; quorum neutrum admittitur à Calvino. Verùm hæc inanis, & fraudulenta confessio authores adeò non excusat, ut duplici rursùs subjiciat anathemati. Evidens enim est cum definitione gratiæ, quæ Articulo Quesnelli decimo, & pluribus aliis proponitur, non posse conciliari nisi immunitatem à violentia, & coactione; non autem libertatem indifferentiæ, quæ sola absolutè, simpliciter, & usu scholasticorum omnium propriè libertatis nomine appellatur.

Proinde operibus necessitate elicitis tribuere appellationem simpliciter liberorum, minimè conducit ad purgandos ab hæresi adversarios; sed vetere eos involvit anathemate lato in Baji Articulum 39. *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit.* Cui dum etiam meritum tribuunt, feriuntur anathemate altero, quo cecidit tertia hæresis Jansenii: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione.* Nullo opus est acumine Theologico; sed solo naturæ lumine, ut percipias, nullum esse hominis meritum vel demeritum, nullam laudem vel exprobrationem, nullum supplicium deberi, vel præmium operanti necessariò, ut pridem monuit Angelicus, & omnem hominem mentis compotem ipsa docet ratio naturalis, solis ignorantibus, quos novitatis amor, & post complurium Pontificum definitiones, superbia pertinax obcæcavit. Ægrè tamen in animum induxero Quesnellum, & ejus socios cum humanorum actuum meritũ vocant, & præmium, cogitare seriò quod enuntiant, neque appellationis istiusmodi percipere sensum penitùs improprium, supposità, quam Quesnellus tradit, totque figuris, & phrasibus inculcat, gratiæ definitione.

12 Jansenianarum itaque partium Oratores, quorum aliàs libellus vulgari nomine dici solitus *trium Columnarum*, quasi alterum suis Euangelium est, etiam in eo de mendacio convicti sunt, quòd ut se ab hæreticis in præsenti materia secernere viderentur, Calvinianis affingerent sententias, à quibus eos noverant alienos; Quesnellus verò in sua *Ecclesiæ Traditione*, ut se suosque satis perspicit Calvini partibus accessisse, fingit recentiores ejus discipulos à Magistri abiisse placitis, & à se suisque Augustini Iprensis Sectatoribus ad sensum catholicum adductos. Contra autem Petrus Jurieux ostendit, se cum suis de pristina nihil sententia remisisse, sed hos Ecclesiæ Jansenianæ Apostolos, deserta Romanorum Fide sibi delegisse Calvini vestigia: quod & à me hactenus demonstratum est.

Neque difficile foret, idem ostendere de Luthero; etiam hunc Quesnelli prodromum fuisse, &, licèt, uti liberiùs, ita duriùs aliquando locutum, nihil tamen re ipsa, quàm Quesnellum deterius sensisse. Cùm igitur hic in *Observationibus* contra Bullam UNIGENITUS, non ampliùs Calvinum; sed Lutherum solummodò, & primos aliquot, quos nominat, ejus socios inveniat, qui hic digna anathemate amplexi sint, operæ pretium erit discutere, num saltem minùs malè, minùs hæreticè Quesnellus sentiat, quàm isti.

Convincendo Quesnello sufficit illud Lutheri lib. de Servo arbitrio pag. 468. *Necessariò operamur, necessariò dico, non coactè. Hoc est, homo cùm vacat Spiritu Dei, non* qui-

quidem violentiâ, velut raptus obtorto collò, nolens facit malum; sed sponte, & libenti voluntate facit. Ibid. *Si Deus in nobis operatur* (bonum, voluntas nostra) *iterum merâ lubentiâ, & pronitate, ac sponte sua vult, & facit, non coactè*. Non igitur voluntas merè passivè se habet, quasi nihil agens, nihil volens, nihil diligens, ut Quesnellus de Luthero asserit, quo unum saltem magis hæreticum, quàm se reperisse videatur.

13 Quapropter non planè immeritò Lutheri discipuli, etiam primi eruditora quædam ejus verba molliùs interpretati sunt, ut menti ejus ab ipso jam expositæ authore, redderentur conformia. Ita Chemnitius in Examine Tridentini edit. Francofurtensi, anni 1578. pag. 125. & 126. „ Exagitant „ (inquit) illud quod Lutherus dicit hominem ad regenerationem, renovationem, seu conversionem habere se merè „ passivè, & sanè hac phrasi offendi posset „ aliquis, qui non esset assuetus modis loquendi, qui scholasticis scriptoribus usitati sunt, quasi sensus sit Spiritum Sanctum ita operari conversionem, ut in voluntate, quæ renovari cœpit, nulli omnino sequantur novi motus; sed planè sit otiosa & iners, & tanquam brutâ agitatione percellatur, & protrudatur, quod „ Luthero nunquam in mentem venit... „ Sed hoc unum voluit, usus Theologorum phrasi, Deum, quos convertit, trahere voluntatibus eorum, quas ipse in illis „ per Spiritum Sanctum operatus est, sicut Augustinus loquitur. „

Eodem modo Lutherum explicat Philippus Melanchton, approbante Calvino lib. 1. de libero arbitrio contra Pighium pag. 142. „ Hoc quoque verum est, nonnulla, quæ scholastico dicendi genere, „ & minùs populari studio scripserat Lutherus, Philippum Melanchtonem prudenter, & magna dexteritate in meliorem formam flectendo, ad vulgarem hominum captum accommodasse, & communem vitæ usum. „ Ipse Stapletonus nobilis defensor fidei contra hæreticos lib. 4. de gratia, & libero arbitrio cap. 1. referens testimonium Chemnitii de eo quod voluntas mota per gratiam etiam agat. „ De hac (inquit) re nec Lutherus ipse „ unquam dubitavit, quin in conversione „ mentis, & voluntatis ad Deum, aliqua „ esset actio, & agitatio ipsius intellectus „ ac voluntatis, spontanea scilicet non coacta. Conversio enim est actio, & quod „ voluntas agit, sponte fit. „

14 De Dordracena Calvinistarum Synodo ista scribebat ad Sancyranum Jansenius anno 1620. „ Concilio Dordraceno finis „ impositus est. Illud jam penès me est; sed „ Flandrico tantùm idiomate. Latinum „ exemplar, quod tibi mitterem, obtinere „ hactenus non potui. Sequuntur illi ferè „ ubique Catholicos in materia prædestinationis, & reprobationis, rescissis, quæ „ duriora erant in sententia Calvini. „ Adeò autem Conciliabulum istud Jansenio placuit, ut visus aliquibus fuerit juxta illud composuisse partim suum *Augustinum*.

Joannes Henricus Ottius Minister, seu Prædicans Calvinianus apud Tigurinos in Oratione quam habuit de causa Jansenistica anno 1653. ita Jansenianos alloquitur „ Quid si Jansenio vestro Patrum Dordracensium Canones, Augustini intentiùs „ inspiciendi causam occasionemque attulerint? Conjectura mea est, nec apertos „ in hoc testes producere possum. Id verò „ inde patêre videtur; quia eadem disputationis materia, & argumentum, idem „ ferè tempus: nec Jansenio, utpote vicino, acta scriptaque Dordracenorum ignota esse potuere. Vestram, Auditores, fidem voco, an non ea, quæ jam jam ex „ Jansenii ejusque asseclarum doctrina „ propositurus sum, cum nostra confessione consentiant ad amussim atque conveniant? „ Attamen Synodus illa ut in actis ejus legitur pag. 677. ait: *Ad hoc ipsum opus regenerationis habet se homo passivè, neque est in potestate voluntatis humanæ impedire Deum sic immediatè regenerantem*.

Illud soli Luthero, & aliquot ejus primis sodalibus Quesnellus autumat incidisse. Nihilominus hæretici illi Calvinistæ non solùm Jansenio superiùs placuere; sed reipsa nihil aliud sensere quàm Quesnellus. Sic enim decernunt artic. 12. *Voluntas jam renovata non tantùm agitur, & movetur à Deo; sed à Deo acta agit & ipsa. Quamobrem etiam homo ipse per gratiam acceptam credere, & resipiscere rectè dicitur*. Imò agit liberè; ut in iisdem Actis est pag. 706. & 707. *Voluntas hominis semper manet libera; etiam quando ad unum determinatur determinatione necessitatem simplicem inferente; nam*, inquiunt illi, *libertas non pugnat cum omni necessitate; sed tantùm cum necessitate coactionis*.

Cùm igitur hominem passivè se habere in bonis actibus deprehenditur assertum ab istiusmodi hæreticis, constat eos non omnem adimere nobis in operibus supernaturalibus actionem, voluntatem atque dilectionem, sed libertatem solummodò indifferentiæ; neque agnoscere in illis violentiam seu coa-

ctionem; sed simplicem tantùm necessitatem. Neque est cur aliam impingamus Luthero, & primis ejus commilitonibus; sed affingere Quesnellus debuit, ut saltem aliqui hæretici deteriùs quidpiam, quàm ipse docuisse viderentur.

15 At hoc etiam solatium inane est, & omni vacuum veritate, quod ut faciliùs credat, meminerit quas divinæ gratiæ ideas ipse præscripserit, quæ duritie minimè cedunt notionibus, quas ingerere unquam visus fuerat Lutherus: Quid enim præter passionem nobis tribuunt, si rigidè intelligantur notiones gratiæ, quæ à Quesnello traduntur, præcipuè artic. 23. & 24. *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam? Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago quæ haberi debet de omnipotentia suę gratię in sanandis animabus à cupiditate?*

Evidens est corpora, quæ solo motu divinæ voluntatis valetudini restituuntur, ad eam minimè cooperari agendo; sed habere se tantummodo passivè. Idem magis perspicuum est in eorum resuscitatione à mortuis, & productione rerum è nihilo. Proinde dum ex talibus exemplis jubemur ideam concipere operantis gratiæ, quid aliud nobis venire in animum potest, quàm totum adeò tribui gratiæ, in bonis operibus; ut eâ non agant homines, sed patiendo rapiantur? Verùm cùm actionum humanarum sæpe Quesnellus aliàs faciat mentionem, etiam circa bona opera, dicendum arbitror de Quesnello, & pariter de Luthero, neutrum quidem censuisse nos in bonis operibus agi violentiâ, nihil propriâ voluntate; sed utrique curam unicam fuisse, ut omnes intelligant, eam esse gratiæ omnipotentiam, ut effectum ejus nulla valeat voluntas hominis suspendere, vel impedire.

Istud autem cùm contra Catholicorum omnium sententiam stabilire uterque voluerit, aliquibus loquendi modis usus est hyperbolicis, plus dicens quàm voluerit intelligi, ut saltem simplex persuaderetur necessitas. Hanc verò manifestiùs exigit Quesnelli Articulus 10. quàm ut valeat mens ejus in dubium revocari: *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare:* Sicut enim præcepta Dei liberè implevisse dicitur Eccl. 30. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit:* Sic non liberè sed necessariò obedivisse cognoscitur, qui ita paruit, ut transgredi non potuerit, neque mala facere, neque consensum gratiæ denegare, aut suspendere effectum.

16 Ex hactenus disputatis collectio fit inevitabilis, Quesnellum bonis operibus ex gratia oriundis eripere libertatem simplicem, sive indifferentiæ, & solùm relinquere immunitatem à violentia & coactione. Alterum non minùs ineluctabile consectarium est, nullum in ea sententia reperiri bonorum operum meritum: denique eos, quando cum necessitate opposita libertati indifferentiæ componere volunt meritum propriè dictum, in novam incidere hæresim & feriri anathemate lato contra Propositionem Jansenii tertiam, universæ pridem Ecclesiæ judicio condemnatam: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione.*

A Luthero autem & Calvino in præsenti materia Quesnellus non fide secernitur, sed verbis solùm inanibus, & quæ, si seriò proferuntur, auctorem à destructæ libertatis crimine adeò non liberant; ut hæresi illi superaddant alteram, quæ neque ad Lutherum, neque ad Calvinum pertinet; sed ad Jansenium: ea est, quæ, ut jam monui, cum necessitate in statu naturæ lapsæ componit meritum; si tamen loqui seriò, & simul insanire seriò ipsis constitutum sit, appellando meritum & præmium, ubi non aliud, quàm *donum puræ liberalitatis* inveniunt.

CAPUT VII.

Examinatur Quesnelli Protestatio.

1 PRotestationis Quesnellianæ Paragraphus septimus aggreditur quadraginta Galliæ Episcopos auctores documenti Pastoralis, à sexaginta aliis adoptati. Centum itaque Antistites audax homuncio interrogat „ Ubinam oculos habuerint (num in capite videlicet, an in „ calcibus) quando de præsentis Articuli „ scriptore asserunt, eum bonorum operum in justis meritum oppugnare, eum „ ait fidem, usum, augmentum & præmium „ fidei, totum esse donum puræ liberali„ tatis Dei: neque suam ipsi condemna„ tionem conspiciunt in appellatione pre„ mii, utpote quod necessariam adeò tenet „ cum merito connexionem, ut unum sine „ altero nequeat cogitari. Propterea non „ miror vulgò dici, Articulum hunc 69. „ præ cæteris torquere ingenia quærenti-

um

„ um in proscriptis meis dogmatibus sensus „ pravos. Et profectò quis modus reperiendi hæresim in veritate, cui assensum „ præstari fides exigit? Sibi nihilominus „ hæresim fabricarunt; quasi nimirum dixerim, merita sic esse dona Dei, ut non „ sint etiam hominis justificati merita. Defunctus Meldensis Episcopus abunde „ hunc Articulum vindicavit.

„ Idem præstitit author *Observationum in* „ *Propositiones Bullâ Unigenitus condemnatas*; & ad incitas redegit enormis illius „ *Documenti Pastoralis* authores. A pluribus aliis Scriptoribus peritissimis Propositionis ejusdem veritas demonstrata est. „ Ad justificationis complementum accesserat Pastorale Mandatum Mirapincensis „ Antistitis; sed duo magni Comitiorum „ Episcopalium actores sua plurimum interesse arbitrati, curarunt illud supremâ „ authoritate, & Episcopalis humiliatione „ dignitatis supprimi. In eo scilicet omnium oculis Præsul exponit, proscribi Articulum non posse, nisi Molinismum in „ dogma Ecclesiæ erigendo. Hic mihi modò declarare sufficiat, me recipere quidquid in hac materia Tridentina Synodus „ definivit Sess. 6. cap. 10. & can. 32.

2 Quibus citatis orationem addit Dominicæ 13. post Pentecosten, qua à Deo petimus, ut det nobis *fidei, spei, & charitatis augmentum*. Tum Quesnellus sic prosequitur: „ Denique vita æterna, & corona justitiæ, quamvis sit remuneratio meritorum, & Christiani cursûs bravium, est tamen *donum puræ liberalitatis Dei*, cùm „ promissa non fuerit labori, nisi ex misericordia, & labor ipse donum gratiæ sit, „ quod dicere coëgit Augustin. Apostolo „ Serm. 333. cap. 5. *Cùm coronat Deus merita tua, nihil coronat nisi dona sua*. Ajo cum „ Aug. ib. c. 6. Hanc fidem veramque pietatem nullæ argumentationes evellant „ de cordibus vestris. Ita nos exhortatur „ Doctor sanctissimus eodem sermone, ex „ quo (quadraginta Episcopi) Authores „ Documenti arma desumere voluerunt, „ quibus impeterent veritatem. Non à me „ ista seriùs excogitata explicatio est contra errorem mihi à documenti authoribus tantâ injustitiâ imputatum; tam dilucidè eandem in meis Observationibus „ scripsi, ut censores oportuerit occludere „ oculos nè viderent. „ Sequuntur textus aliquot in quibus Quesnellus meritorum, remunerationis & præmii fecerit mentionem.

Tum contra eosdem Episcopos & Censores Romanos insurgens ait: *Calumnia, si potest, erubescat legens observationem etiam sequentem* superioribus consonam, quòd nempè etiam alibi merita & retributionem (verbotenus) professus sit.

3 Reprimenda est impudens contra tot Antistites, atque ipsam Sedem Apostolicam petulantia. Ut non defuere eis oculi sani & sano in sincipite collocati, ut nominatum in Articulo & alibi perspicerent *præmium*, ita neque defuit eis mens & ratio ut intelligerent *donum puræ liberalitatis*, terminum Quesnello esse alienantem, qui *præmii* nomen in alienam à sensu proprio & obvio transferat significationem. Scrutentur Adversarii quanto possunt studio omnia scholasticorum volumina, ubi de gratia, merito, mercede agitur, fallor si vel unum ante Quesnellum reperiant Authorem probabilem, qui donum puræ liberalitatis cum merito & præmio conjunxit.

Soli hodie Quesnello ejusque in Jansenismo Sociis ea ars est, ut unire noverint maximè pugnantia, & alienantis termini restrictione quidvis de quolibet affirmare, quoties ad fallendum opus est: necessitatem cum libertate, possibilitatem observandi præcepta cum servandi impotentia, gratiam minimè sufficientem cum sufficiente, Salvatorem omnium hominum cum voluntate salvandi solummodo prædestinatos: Quinque Propositiones Jansenii in sensu intento ab Authore execrari jurato anathemare, & eundem simul sensum animo retinere ut Catholicum. Denique exploratissima est & innumeris demonstranda facilè exemplis veritas, quod ad fallendos simplices Janseniani sæpissimè, & Quesnellus præ ceteris, *loquantur, quod Ecclesia loquitur, quod tamen sentit ista, non sentiant*, ut de eluso ab eis Alexandrinæ formulæ juramento sapientissimè animadvertit Clemens XI; admissâ ab ipsis Galliis Constitutione saluberrima *Vineam Domini*.

4 Et quidem non potuisse à Quesnello præmium indicari propriè dictum, non sola puræ liberalitatis expressio; sed etiam tota ejus œconomia gratiæ superioribus disputationis hujus capitibus relata apertissimè convincunt. Quemadmodum enim nullum cogitari potest demeritum, nullum supplicium seu pœna justa propter factum quod in potestate hominis non fuerit evitare, teste Augustino lib. 3. de libero arbitrio cap. 3. *Ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sinè peccato ei ceditur*: & cap. 18. *Quis peccet in eo, quod nullo modo caveri potest?* Ita docemur ipso naturæ lumine etiam de virtu-

tutum actibus, ut si omitti nequeunt, nihil meriti tribuant aut præmii. Utrumque observat S. Epiphanius contra hæresim Pharisæorum quæ est decima sexta: *Propterea quod possit peccare & non peccare, ab aliis peccatorum supplicia sumantur, alius verò laudem referat rectè factorum.*

Subsistentibus autem gratiæ ideis, quæ in Quesnelli Articulis describuntur, evidens est, existente in nobis gratiâ, quę ad abstinendum à malo, & amplectendum bonum conceditur, non posse hominem peccatum committere, vel bonum omittere quod mandatur. De hoc nihil dubii relinquit Propositio 10. *Gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.* Poteftne Creatura suæ resistere creationi, aut corpus mortuum resuscitationi? Ita neque gratiæ juxta Prop. 23. *Deus ipse nobis ideam tradidit Omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua Creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

5 Ut itaque omni rationis compoti perspicuum est, nihil meriti aut pręmii derivari in hominem posse ex eo quod è nihilo productus existat, vel vivat à mortuis resuscitatus, ita neque ex bonis actibus, quos talis in homine gratia operata est. Non igitur est unde Catholici Galliarum Antistites *Instructionis Pastoralis* authores, approbatoresque suam conspiciant in *præmii* nomine condemnationem; sed Quesnelli perfidiam, cum *dono puræ liberalitatis Dei*, ad fallendos simplices, *præmium* conjungentis.

Sola gratiæ idea ex Quesnello hic modò & alibi sæpiùs relata, cui plures aliæ apud ipsum similes sunt, subruit manifestè bonorum operum libertatem, proinde & meritum, & præmium. Unde etsi significatio *doni puræ liberalitatis* Divinæ satis apertè meritum hominis prę mimq; excludat, ampliùs tamen omnem ad illud aditum obstruit talis cumulatio idearum, quæ solæ sufficiunt, ut quoties author bonis actibus meritum asserit ac præmium, sive mentiens, sive loquens seriò, sempet hæreticus convincatur. Mentiens quidem & hæreticus, si meritum & præmium non agnoscat: hæreticus quoque hæresi tertia Jansenii si bonis operibus necessitate exercitis meritum seriò tribuat & præmium. Omne scilicet opus bonum juxta Quesnellianas gratiæ ideas procedere necessariò, compertissimum est, & à me sæpius authoritate pariter ac ratione irrefragabili demonstratum. Veneno itaque dogmatis sponte foràs prosiliente, non est cur Romani Theologi, aut Gallicani Antistites Orthodoxi multùm se torqueant, aut vires exhauriant ingenii, ut censuræ justitiam tueantur.

6 Prudentia Quesnello indicere debuerat altum de Bossuetio Meldensium nuper Antistite silentium; ipsius enim commemoratio non levis Quesnelli ignominia, ejusque condemnatio doctrinæ est. Audiatur Documentum Pastorale Antistitum Lucionensis & Rupellensis datum anno 1711. die Maji 14. „ Dum Clerus Gallicanus Comitia haberet anno 1700. Abbas *Dambes* (vero nomine Coüet ut indicat occulta clavis nominum in *Causa Quesnelliana*, pag. 322.) epistolam scripsit tacito authoris nomine ad Meldensem Episcopum, qua ei multa & quidem acerba exprobrat; sed præsertim illud, ex quo facilè intelligi potest, quàm fallaces & perversi sint illi homines, qui hujus Præsulis authoritatem in gratiam *Observationum* obtendere hodie, & prædicare non dubitant: *Multos novimus*, inquit Abbas, *quibus dixisti, quinque illas* (Jansenii hæreticas) *Propositiones in libro P. Quesnelli reperiri*. Tum addit, *Nec è memoria tua fortassè excidit, Illustrissime Præsul, te nuper fassum esse cuidam Archiepiscopo, qui in Comitiis erat, puros & apertos Jansenii errores hoc libro contineri*.

„ Jam verò post testimonium tam apertum, tam clarum, præsertim profectum ab uno ex hujus factionis principibus, qui anno 1700. Episcopum Meldensem incusat, quòd dixerit, se in libro Observationum illas quinque Propositiones reperisse, ac puros & apertos Jansenii errores, quis non mirabitur, quis non execrabitur eorum malam fidem, atque audaciam, qui in lucem ediderunt librum hujus Præsulis scriptum anno 1699., quo Observationes commendantur, & simul asserere non dubitarunt ipsâ præfatione, Illustrissimum Episcopum Meldensem eas Observationes in novum Testamentum semper magni fecisse.

7 „ Hoc verò longè magis mirum videtur, aut potiùs fidem omnem superat, quod, quamvis testimonium illud adeò expressum multis ab hinc annis cum authoritate editum fuerit, nec ullus unquam repertus sit, qui epistolam ex qua exceptum est, recusare auderet; Janseniani tamen non vereantur hodierno die suam malam fidem, quasi testatam facere, ac publicis monumentis consignare, dum Illustrissimum Præsulem *Observationes* semper approbasse asserunt, licèt contrarium ipsi asseruerint, & quidem

„ eo

„ eo scripto, quod inficiari non audent, „ & quod præ manibus nostris esse certò „ sciunt. Sic sæpe Divina permittit Providentia, ut hæretici infamiæ notam ultrò „ sibi inurant, & quasi deditâ operâ id „ agant, ut homines perditi atque impudentes ab hominibus habeantur.

„ Quamobrem, Fratres charissimi, Episcopus Meldensis satis purgatur ab iis „ ipsis, qui contendebant hujus uti authoritate, ut perniciosum illum librum defenderent. Quamquam quid iis omnibus est opus, ut eam, quam falsò sibi „ tribuunt Novatores authoritatem, iis „ omnino auferamus? satis erit proferre „ testimonium, quod in gratiam Episcopi „ Meldensis nuper dedit Doctissimus simul „ & Sapientissimus, & non minùs probitate „ morum atque aliis animi dotibus, quàm „ dignitate Clarus Senator, qui asserit, sæpe numero se audivisse ab Illustrissimo „ Episcopo Meldensi, cùm diceret, *Observationes* P. Quesnelli esse perniciosas; „ apertos Jansenii errores iis contineri, „ nec eas legi debere ab iis, qui Christianam pietatem profitentur.

„ At fortasse, inquiet aliquis, quomodo fieri potest, ut Illust. Meldensis, Præsul „ sanè & doctissimus & perspicacissimus „ eas *Observationes* approbaverit, idemque postea improbaverit, & in iis *errores* „ *Jansenii repererit*? Facilè intelligetis, „ Fratres charissimi, hanc objectionem „ nullius esse roboris, ad veritatem facti „ tam certis testimoniis stabiliti ullo pacto „ infirmandam. Addemus tamen, Illustrissimum Episcopum Meldensem, cùm mutavit sententiam, ostendisse, quàm vero „ sinceroque esset animo, & quibus dolis „ usi fuerint Janseniani, ut eum ante occuparent.

„ Etenim ii, quorum scopus hic erat, „ ut Illust. Præsul *Observationes* illas approbaret, excerpserunt quasdam ex libro Propositiones, quas ad eum miserunt, ex quibus judicare poterat, nihil „ esse in iis *Observationibus* Fidei Orthodoxæ contrarium in iis, quæ ad Gratiam „ Divinam pertinent. Hinc factum est, ut „ postquam eas Propositiones excerptas „ legisset, scriberet librum, quem hodie „ proferunt; sed ex eo nihil possunt conficere, postquam ipsi docuere quàm brevi „ Episcopus Meldensis sententiam mutaverit, quam ipse mutationem non dissimulandam esse duxit „.

8 Quapropter adeò hic non irascor Meldensi Antistiti, ut etiam mihi quid simile contigisse non diffitear, ante quam Quesnelli librum legeram. Accusatas ab aliis Propositiones aliquot conspicatus hæresim quidem sonantes; sed à mangonibus ita delinitas, ita callidè expositas, additâ aliorum textuum multitudine sensus præseferentium Catholicos, ut in benigniorem etiam præcedentium acceptionem quodammodò propenderem; verùm quatuor tomis integris Quesnelliani Operis attentione quàm potui maximâ perlectis, de multiplici ejus veneno & hæresi pestiferâ omne mihi dubium penitùs sublatum est. Sic igitur in præsenti articulo Antistiti Meldensi contigisse facilè credo, ut quantumvis lævum aliquid & damnabile continerent verba, in benigniorem se abripi passus aliquando fuerit interpretationem, quam post examen diligentius, fui eum oculi & maturior attentio dedocuere.

9 Alius qui objicitur author anonymus *Observationum*, non in Testamentum novum; sed in *Propositiones* 101. ipse, ni fallar plurimum, Quesnellus est: adeò illic omnia scribendi modum, audaciam ac temeritatem, omnis etiam supremæ authoritatis irreverentiam & contemptum, in suos adversarios furorem & rabiem, totum denique Quesnelli ingenium loquuntur. Sed & cujuscumque Observationes illæ fuerint, superius à me circa præsentem Articulum toto capite 3. refutatæ obtritæque sunt. Ubi Quesnellus si oculos sanos, & aliquid sanæ mentis reliquum habet, videre poterit unde inanissimam suam de centum Episcopis veluti ad ineitas redactis gloriationem dimittat.

Quod omnes suis erroribus patrocinantes Quesnellus *peritissimos* vocet, nemo mirabitur Historiarum utcunque conscius; cùm semper hæreticorum, præsertim recenter nascentium mos fuerit, ad stabiliendam hæresim suam perutilis, omnes suos, etiam gregarios, magnificis decorare elogiis; & vel suo singuli judicio ad eruditionis & sapientiæ culmen evehuntur. De qualibus pridem Leontius lib. 1. contra Nestorium & Eutycheten in principio *se ipsos*, inquit, *sapientes esse jubent*, *& sunt tanquam ex jussione & edicto sapientiâ præditi*, *quos eruditos facit velle tantùm*.

Lugenda Reipublicæ Theologicæ, imò Ecclesiæ est scripti Mirapincensis suppressio, si tale illud fuerit, quale Quesnelli laudibus celebratur; sed verisimilius est ejusdem fuisse furfuris, cujus esse conspicimus nuperrimum ejus *Pastorale Mandatum* nihil præseferens Catholico dignum Antistite, ut

ut in Tomi hujus Monito ostenditur.

Nihil magis serii aut sinceri est in jactata Tridentini Concilii admissione, quod constat esse Articulo damnato infestissimum. Illo enim hæretica Calvini de gratia, libertate, merito & præmio bonorum operum dogmata anathemate feriuntur, à quibus Quesnellus solo meriti, & præmii nomine fallacissimo, aut novæ additione hæreseos, tertiæ videlicet Jansenianæ, discernitur, ut amplè & lucidè superiori præsertim capite explicatum est.

10 Habent Molinistæ unde gaudio exultent, si Quesnellus cum Illustrissimo suo Mirapincensi vindice verum asserit, *Propositionem damnari minimè potuisse, nisi Molinismum in dogma Ecclesiæ erigendo*; etenim cum damnata Propositio fuerit universi Orbis Catholici consensu, scuto contra adversarios muniuntur impenetrabili. Verùm cùm neque Quesnelli, neque Mirapincensis Præsulis, à Sedis Apostolicæ communione separati, authoritas apud Romanæ fidei Theologos valeat, Scriptoris utriusque condemnati Protestatio solos ipsos eisque adhærentes laqueo constringit.

Tridentinæ Sessionis capite 10. docemur quidem orare cum Ecclesia, *Da nobis Domine fidei, spei & charitatis augmentum*: illud proinde precibus impetrare possumus; sed aliud est præmium ratione meriti, aliud per orationem impetratio; hæc potest peccatoribus competere, non meritum & præmium propriè dictum, quod statum justitiæ necessariò supponit. Quapropter sola capitis illius Tridentini professio Quesnellum ab errore, quem damnato Articulo imputamus, minimè liberat. Meritum in Sessionis ejusdem Canone 32. clarissimè quidem exprimitur; unde ejus professio Quesnellum magis à suspicione hæreseos liberaret, nisi eum proderent argumenta nimiùm conspicua, & quæ omnem aditum obstruant excusationi. Talia sunt non sola *doni puræ liberalitatis* ad omne præmium applicatio, qualis in nullo ante Quesnellum reperietur Scriptore probè Catholico, neque ullum relinquit locum merito; sed etiam multiplex gratiæ idea desperatissimam ubique reddens omnem libertatis à necessitate, ac proinde meriti in bonis actibus rationem.

11 Cur juxta Canonem quartum non dicit Quesnellus anathema negantibus *liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum .... posse dissentire si velit*? Cur non ex capite 5. docet quod homines à Deo *per excitantem & adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponantur, ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritûs Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere potest*? Quàm hæc omnia à Quesnelli erroribus aliena sunt!

Itane per Dei excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando tantummodò disponuntur, quando juxta Art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*? Non expectatur hic ad effectum gratiæ deliberatio hominis, num præbere ei assensum, atque cooperando ad justitiam se disponere velit; an verò inspirationem abjicere; sed ipsa prima gratia peccatoris reconciliatio est. Hic in memoriam, Lector, revoca, quæ aliàs retuli ex Jansenii libro 4. de gratia Christi cap. 1. *Medicinale Christi adjutorium est cœlestis suavitas seu delectatio*. Cap. 11. *Delectatio ista cœlestis secundùm Augustini mentem est actus vitalis & indeliberatus animæ, & quidem amoris ac desiderii præcedentis consensum*. Ibid. *Dicimus igitur delectationem istam, seu suavitatem in Augustino celebrem esse partim primum illum & indeliberatum affectum animæ, qui actualis complacentia est, partim etiam secundum, qui desiderium indeliberatum dicitur*.

12 Jansenio autem suo applaudens magnificè Quesnellus *Notis* typo editis *in epistolam Domini Steyaert* pag. 17. *Adeò* (inquit) *non persuadetur sensum ab authore* (Jansenio) *intentum hæreticum esse, ut jam demum credere cœperit Orbis Catholicus, nihil in ipso non esse Catholicum*.

Sive igitur prima gratia sit delectatio cœlestis indeliberata, sive intellectûs illuminatio non minùs deliberationem præveniens, quàm delectationem, & desiderium, si sit ipsa peccatorum remissio, manifestè corruit doctrina Tridentini pro dispositione ad conversionem, justificationemque exigens liberum hominis consensum & cooperationem cum gratia.

Quomodo etiam sive in peccatoribus, sive in justis potest liberum arbitrium denegare consensum gratiæ, si juxta Quesnelli Articulum 10. dogmaticum, & illimitatum, ideoque universali æquivalentem, *Gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare*? Quid igitur Quesnellum juvat, quod ut se Catholicum probet, unum Tridentini caput, unum Canonem se profiteatur admittere, dum alia capita, alios Canones subvertit?

vertit? *Qui offendit in uno factus est omnium reus*, ut monet epistola Jacobi Canonica.

Sed primus novæ Ecclesiæ fundator Sancyranus, idem Institutor Antonii Arnaldi, ut hic postea fuit Quesnelli, docuit *Tridentinum non fuisse verum Concilium*. Ita de illo declaravit testimonio, quod Supremo Galliæ Cancellario tradidit anno 1638. die 11. Julii Lingonensis Episcopus. Simile de eodem Novatore testimonium juratum dedit Joannes de Jovaud religiosus Abbas Cisterciensis, & ejusdem Ordinis Secretarius eodem anno 1638. 10. Junii quòd sibi asserentem audiverit *Concilium Tridentinum fuisse Pontificis & Scholasticorum, qui doctrinam Ecclesiæ multùm immutaverunt*.

Destructâ bonorum actuum libertate, inductâque necessitate simplici, evidens est Doctori Angelico, evidens est etiam ipso docente naturæ lumine, *meritum* omne evanescere, omne pessumdari *præmium*, aut si alicui ad fallendum, utraque appellatio retinenda videatur, patet, eam esse omni verâ & propriâ significatione vacuam.

13 Aliud est, non nisi ex misericordia promitti laboribus mercedem, ipsosque labores dona gratiæ esse, quia ad illos Dei auxilium indebitum concurrit: aliud laboribus quod conceditur impletis, non nisi ex pura tribui misericordia, & non etiam ex quodam debito in meritis fundaro, etsi hæc absque misericordi Numinis promissione, atque indebito gratiæ auxilio nequiverint comparari. Priori consentiunt omnes Theologi: posteriori Catholicus nemo; anathema autem dicunt universi à Calvini erroribus abhorrentes, ac Tridentinæ Synodi inhærentes vestigiis.

Cùm Deus coronat merita nostra, non aliud coronat, quàm sua munera, quia nihil meriti est, nisi ope gratiæ; attamen esse non desinit verum meritum, cui debita respondeat remuneratio: corona gloriæ liberalissimi quidem munus Domini est; non tamen absque omni mixtione debiti, nec proinde non puræ liberalitatis donum à Scriptore Catholico dicendum sit: Sed dici debuit à Quesnello suppositis ejus gratiæ ideis, quibus ut bonorum operum libertas, ita meriti omnis & præmii fundamentum subvertitur. Consectarium istud indeclinabile est: negantem ferit anathema hæreseos tertiæ Jansenianæ, *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione*. Posterior libertas, ut supra ostendimus, placuit etiam Calvino: neque Luthero displicuit; sed neutri adeò visum fuerat insaniendum, ut eam assereret ad meritum sufficere.

Ea novitas Bajo, Jansenio, Quesnello, & eorum in reformanda fide & Ecclesiâ sociis reservata est. Bajo & Jansenio, cùm se Apostolicæ Sedis judicio submiserint, confidimus meliora merita obtigisse, quàm hæretica, & quæ in simili fundantur experte solius violentiæ libertate. Hæresiarcharum aliàs eisque proximè succedentium discipulorum perdifficilis, & rarissima conversio est. Superbia scilicet eis dictat, quemadmodum Quesnello Augustiniani axiomatis sancti applicationem pessimam: *Hanc fidem veramque pietatem nullæ argumentationes evellant de cordibus vestris*. Unde quod ad firmandam fidelium religionem Augustinus salubriter protulit, hæretici ad fovendam in suis seductisque à se mentibus pertinaciam convertunt.

CAPUT VIII.

Prætensorum Galliæ Theologorum Observationes dissolvuntur.

1 Anonymus hic adversarius, quâ authoritate nescio, *Theologorum Galliæ*, sibi nomen tribuens „ Si „ (inquit) Propositio ista significaret, imò „ vel tacitè insinuaret, fidem, quæ gratis „ datur, nihil impetrare posse, cùm agit „ sinè charitate propriè dictâ, ut homo „ vel ad justitiam Deo adjuvante præpa„ retur, vel fidei augmentum consequa„ tur, meritò damnatam Theologi fate„ rentur. Si quidem Concilium Tridenti„ num Sess. 6. cap. 6. actus fidei enume„ rat inter ipsas justificationis præparatio„ nes; & S. Augustinus non semel docet, „ fidei attribuendam virtutem cætera im„ petrandi.

Superflua *Observatio* est, non enim de impetratione quæstio instituitur: Sed de merito & præmio. De posterioris utriusque, non de prioris destructione præsens Articulus accusatur, & convincitur. Quanquam & impetrationem Quesnellus alibi subruit, novis videlicet gratiæ ideis, quas superiùs memoravimus; nam & impetratio boni salutiferi petitionem supponit liberam, atque ex gratia, quæ omittendæ orationis non auferat potestatem. Hanc minimè relinquit *gratia*, quæ juxta Articulum 10. *est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*.

2 Unde saltem lucro nostro adscribimus confessionem justi anathematis contra Ques-

Quesnelli doctrinam oppositam impetrationi. Tridentinæ Sessionis 6. caput 6. ab adversario citatum exhibet seriem humanorum actuum ad justitiam disponentium, nempe fidei, timoris, spei, inchoatæ dilectionis &c. quibus enumeratis, mox initio capitis septimi *Hanc* (inquit) *dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur*. Proinde non ut Quesnellus Articulo 28. enuntiat, *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*.

Neque fides, quandocunque operatur, justificat; nam timor, qui in ordine actuum ad justificationem disponentium à Tridentinis Patribus collocatur, ex fide profluit, nondum tamen ei, nisi succedentibus spei & dilectionis actibus, conceditur justificatio. Unde labitur quoque Articulus 51. juxta quem *Fides justificat, quando* (id est quandocumque) *operatur*: *Sed ipsa non operatur nisi per charitatem*. Contrarium Theologis orthodoxis certissimum est; ex fide scilicet procedere timorem & spem, etiam ante justitiam & charitatem. Præterea ex ejusdem Concilii & Sessionis canone 3. discimus: *Si quis dixerit, sinè præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*.

Fides igitur salutifera debet gratiæ adjutorio præveniri, proinde non potest ipsa esse prima gratia & fons omnium aliarum, ut traditur Articulo Quesnelli vigesimo septimo. Ex his præsensi *Galliæ Theologi* perspicere possunt, Observationem quidem suam ad præsentem Articulum minimè pertinere, suggerere tamen occasionem quam fortè nollent, aliis clientis sui dogmatibus de errore gravissimo convincendis.

3 „ Rursus (adversarius prosequitur) „ si Propositio 69. mentionem faceret de „ fide hominis justificati ex charitate operantis, negaretque ipsum justificatum „ *bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam „ & Jesu Christi, cujus vivum membrum est, „ meritum fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, atque ipsius „ gloriæ augmentum*, certè illa Propositio „ rejiceretur ab omnibus Theologis, tanquam aperta hæresis, Scripturæ, & traditioni manifestè contraria, atque jam à „ Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 11. & „ 16. & can. 26. & 32. in Luthero, & Calvino condemnata. „

Propositio 69. mentionem explicitam non continet de fide hominis justificati ex charitate operantis; sed cùm dogmaticè & illimitatè enuntiet, Fidem, usum, augmentum, & præmium fidei, totum esse donum puræ liberalitatis Dei, complectitur etiam fidem hominis justificati & agentis ex charitate. Nihil est quod hic inficiabitur Quesnellus, penès quem usus fidei, nisi per charitatem esse non potest; nam juxta Prop. 51. superiùs relatam *Fides... non operatur nisi per charitatem*.

Sequens autem Tridentinæ Sessionis 6. canonis 32. definitio ab adversariis allegata, Quesnelliano dogmati anathema infligit, quia verum meritum cum dono puræ liberalitatis nemo seu Theologus seu moralis Philosophus, sive Catholicus, sive hæreticus ante Quesnelli, Jansenii, Baji tempora noscitur conciliasse; nisi fortè excipiendus sit quidam inter Scholasticos Gregorius, quem Lutherus scribit sibi consonum à Romanis omnibus vapulare Theologis.

4 Nesciuntne Quesnelli vindices, cur is fidem, usum, augmentum & præmium fidei donum faciat puræ liberalitatis Dei? Novimus inquiunt, quia in materia de gratia sequitur tutissima & inconcussa dogmata Sanctorum Augustini & Thomæ. Mihi verò deprecari eos liceat, ut hunc eruditis suis mentibus à me sinant erui errorem: Non propter tutissima Sanctorum istorum, sed propter exitialia Lutheri & Calvini dogmata, velut consecutionem ex iis legitimam inducere voluit Quesnellus Articulum, quem Sedes Apostolica meritò censuit proscribendum.

Is enim surculus genuinus est ex prioribus de gratia ideis necessariò progenitus: ideis, inquam, quas neque Lutherus, neque Calvinus à se unquam voluerit abdicare. Art. 23. *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam*. 24. *Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus, solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate*. Ut in exemplis hic traditis nihil actionis liberæ extra Deum est, ita nihil meriti fingi potest in homine, nihil præmii.

Poteratne idea gratiæ excogitari magis idonea universo Calvini, atque Lutheri de gratia systemati, quo ut libertas, ita meritum omne & præmium in auras abiturum est? Fixum igitur ratumque Quesnello fuit, fidem hominis, etiam justificati, & ex charitate operantis, juxta ideas gratiæ memoratas,

ratas, ut nihil habent liberi, ita neque fundare meritum poffe, aut retributionem.

Quæ omnia cùm certa exploratàque fint, nihil fupereft, nifi ut promiffa impleant *Galliæ Theologi*, atque *omnes rejiciant Propofitionem* tanquam neceffariò connexam cum *aperta hærefi, Scripturæ & Traditioni manifeftè contrariam, atque à Concilio Tridentino* Seff. 6. cap. 11, & 16. can. 26. & 32. *in Luthero & Calvino condemnatam*.

5 Profequitur adverfarius. „Rogant „Theologi, quæ ratio cogat, imò quę conjectura fuadeat, hic intelligere fidem hominis juftificati, & ex charitate operantis, ut Propofitioni adfcribatur Lutheranus aut Calvinianus error contra meritum bonorum operum à Concilio Tridentino anathemate meritò perculfus: nam eâ de re altum in Propofitione filentium.„

Obfervatio tam acuta fugerat ingenium Quefnelli: vel, fi in mentem ei venerit, placere non potuit, utpotè opinioni ejus minimè conveniens, eumque manifefti nimiùm expofitura opprobrio mendacii. Damnatus Articulus de fide agit in genere, præfcindens à perfecta, vel imperfecta, fic tamen ut de qualibet etiam perfecta, & perfectiffima, de ufu ejus quocumque, etiam optimo, de augmento quantumlibet magno afferat omne illud, ejufque *præmium effe donum puræ liberalitatis Dei*.

Nunc ipfum interpellemus Quefnellum; num fidem excluferit hominis jufti & ex charitate operantis? Negat ipfe: & quidem ftatim Proteftationis initio infultans quadraginta Epifcopis, propterea quòd *Documentum* ipforum *Paftorale* tribuat Quefnello impugnationem meriti bonorum operum *in juftis*: & folitâ fuâ modeftiâ, feu impudentiâ fcifcitatur *ubi collocatos oculos habuerint* [in capite fcilicet an in calcaneo] *non videntes fuam ipforum condemnationem, in eo, quem profcribunt Articulo. Etenim folum præmii vocabulum relationem adeò naturalem & effentialem habet cum merito, ut unius idea includat neceffariò ideam alterius, folumque illud* (præmii) *nomen utrumque connexione infeparabili exhibeat animo.* Quis autem nefciat Quefnellum, nihil meriti agnofcere in bono opere, nifi hominis jufti, & ex charitate elicito? Neque de hoc ipfi litem moveo, aut *Galliæ Theologis*, pro fe adducentibus Bellarminum.

Cur igitur ifti modò in dubium vocant, utrum Quefnellus *de Fide, ufu, augmento, & præmio fidei* agat, prout ea funt in hominibus juftis agentibus ex charitate? Et quidem daturne penès Quefnellum ufus aliquis, feu operatio fidei abfque juftitia & charitate? Negat ipfe locis pluribus Propofitione 51. *Fides juftificat, quando operatur; fed ipfa non operatur, nifi per charitatem*.

6 Ad convincendos hic adverfarios fufficere poffent Propofitiones vigefima feptima & vigefima octava; juxta priorem enim *Fides eft prima gratia, & fons omnium aliarum*: juxta pofteriorem *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eft peccatorum remiffio*. Hanc autem adultis non obtingere abfque charitate, eft ex ploratiffima ubique Quefnelli fententia. Prop. 53. *Sola Charitas Chriftiano modo facit (actiones Chriftianas) per relationem ad Deum, & Jefum Chriftum*. Poteftne adulto tribui juftificatio obveniens abfque actione Chriftiana & Chriftiano modo exercitâ

Prop. 54. *fola Charitas eft, quæ Deo loquitur: hanc folam Deus audit*; ideoque hac folâ movetur ad concedendam gratiam fanctificantem. Ubi nec Deus eft, nec religio, nequit effe ftatus gratiæ. Prop. 58. *Nec Deus eft, nec religio ubi non eft Charitas*.

Sola, quæ in Propofitione cernitur expreffio *præmii* neminem Quefnellianæ doctrinæ utcumque confcium dubitare patitur, quin *fidei, ufûs, augmenti* ejus nomine intelligat actus qui fimul Charitas fint, vel ab ejus imperio profluentes. Perfpicuum id facit Propofitio 53. & 54. jam allegata, ficut & 51. afferens *fidem non operari nifi per charitatem*; ufus autem fidei, ut fuperius notabam, quædam ejus operatio eft. Denique in iftis *Galliæ Theologis* aut mirabilis ignorantia Quefnelliani fenfûs eft, tot Propofitionibus, ab ipfo authore clariffimè expofiti, aut quod magis verifimile eft, ignorantiæ fimulatio.

Quomodo enim latere eos potuit Propofitio 55. *Deus non coronat nifi charitatem: Qui currit ex alio impulfu, & ex alio motivo, in vanum currit?* 56. *Deus non remunerat nifi Charitatem; quoniam Charitas fola Deum honorat*. Clarum eft Deum non largiri prȩmia actibus, quibus non honoratur; proinde mercedis retributio fupponit, Quefnello judice, Charitatem in omni opere quod præmio donatur.

Quomodo is agnofceret præmium fidei, ufûs, & augmenti ejus finè Charitate, qui Propofitione 46. enunciat *Cupiditas aut Charitas ufum fenfuum bonum vel malum faciunt?* De cæteris animæ facultatibus, eadem quȩ de fenfibus ratio eft, unde omnium facultatum ufus, aut cupiditas erit aut Charitas.

7 Confiderent autem Adverfarii an

Quesnellus de præmio differat, quod Deus concederet cupiditati, quoniam Novatori huic æquè ac Bajo medium nihil est *vitiosam inter cupiditatem, ac laudabilem Charitatem.*

Accedat Propositio 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostra nascuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.* Fides itaque, usus, & augmentum, prout in actionibus consistunt, & Divina eis respondet remuneratio, nullo maculantur vitio, & ex amore omnia agente propter Deum originem ducunt.

8 Usus fidei imperatus quædam legis obedientia est, & juxta Prop. 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons est Charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exteriùs; alioquin non est nisi hypocrisis aut falsa justitia*: proinde non provenit ex gratia; patet enim nihil procedere ex gratia nisi bonum, imò juxta Prop. 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet.* Quæ definitio reddit Divinum gratiæ munus à legis obedientia inseparabile, ideoque juxta priorem Articulum eadem obedientia cùm bona sit, à fonte qui Charitas est, proficiscitur necessariò.

Prætermittenda non est Propositio 50. *Frustrà clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus Charitatis non est ille qui clamat.* Si Quesnello ne ad impetrandum quidem aliquid valeat oratio, quæ non provenit à charitate, multo minùs finè illa ad præmium valebit sive fides, sive oratio. Omnis autem charitatis comitem semper esse justitiam declarat Quesnelli illiminata *Observatio* dogmatica in 1. Joan 3. v. 9. *Nullum peccatum mortiferum Charitas secum patitur*; cumque hæc sit necessariò ex fide, quæ juxta Art. 51. *justificat quando*, seu quandocumque *operatur*, non potest istiusmodi usus fidei non esse saluberrimus.

9 Si dixeris actionem quâ primùm peccator justificationis gratiam consequitur, propriè, sive de condigno nihil penitùs mereri; haud inficior, verum non huic soli actui damnatus Articulus rationem præmii & meriti abrogat; sed omni fidei, omni ejus usui & augmento, tam post acquisitionem justitiæ, quàm ante. Fides omnium bonorum operum ad salutem conducentium *radix est* juxta Tridentinum, & omnes Catholicos, imò juxta Quesnelli art. 52. *Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquam in suo germine; sed hæc fides non est absque amore & fiducia.* Hinc patet actiones omnes reliquas sive justificandorum hominum, sive justorum, quæ sunt ex gratia, esse pariter ex fide tanquam radice, & germine, esse & salutis media, & salutiferos fidei usus.

Frivola itaque adversantium Theologorum excusatio est, *De fide sinè ulla charitatis mentione Propositionem loqui, verba nihil habere, quod charitatem vel inchoatam significet.* Sic ubi dixero: homo est animal, nulla in Propositione mentio est hominis albi, vel nigri, culti vel barbari, pii vel impii; ridiculus tamen censebor, si negare voluero prædicationem de omnibus, & singulis hominibus esse intelligendam, cùm indefiniris istiusmodi, & dogmaticis enuntiationibus proprium sit, usu in scholis omnibus Theologicis æquè ac Philosophicis receptissimo, ut universalibus quodammodo æquivaleant.

Proinde quisquis asserit *fidem, usum, augmentum, præmium fidei esse donum puræ liberalitatis Dei*, intelligitur de omni fide, de omni usu, augmento, præmio fidei asserere, quòd sit *donum puræ liberalitatis Dei*, in quocumque homine fides, usus, augmentum, præmium fidei fuerint, & quocumque motivo minus magisve perfecto, fides elicita vel imperata. Imò sermonem Quesnello potissimum esse de fide & usu fidei in justis, & operantibus ex charitate, evidens est ex ipsa appellatione *præmii, ejusque cum merito connexione naturali & essentiali, adeò ut præmii repræsentatio non possit non ingerere simul cogitationem de merito.* Ita Quesnelli Protestatio confidenter insultans quadraginta Episcopis quasi cæcutientibus, quod in ipso damnato Articulo *præmii* nomine non prospexerint assertum à se cum præmio meritum.

10 Ad reprimendam itaque adversariorum hic confidentiam, dum quærere audent, *quæ ratio cogat, imò quæ conjectura suadeat hic intelligere fidem hominis justificati, & ex charitate operantis*, non conjecturam; sed rationem accipiant nulli obnoxiam errori, nullis suis tergiversationibus eludendam. Verum, & propriè dictum meritum, quod de condigno à scholasticis appellatur, quodque solum ab omnibus absolutè, & simpliciter meritum dicitur, supponit in omnium sententia statum gratiæ, à multis etiam amicis, ab adversariis autem hic omnibus requiritur præterea in actibus motivum, seu ratio charitatis.

Hanc

Hanc conditionem à Quesnello postulari ad meritum, & præmium, nullus mihi adversarius negabit; & nimis compertum Quesnellus ipse reddidit tot Propositionibus de charitate, quas præsenti capite recensui, quæque ad omnem legis obedientiam, ne hypocrisis sit, ad omnem usum sensuum ne cupiditas, & sic ad cæteras humanæ vitæ actiones, ne peccati maculâ vitientur, charitatis intentionem ubique statuunt necessariam. Evidens itaque est in damnato Articulo, ubi de præmio, & ut ipsa contendit Quesnelli Protestatio, de merito agitur, ab authore supponi justitiam intentionemque charitatis.

Denique accipiatur solùm Propositio ut sonat, præcisa ab omnibus circumstantiis sensum determinantibus: præscindatur etiam à conditionibus ad meritum necessariis, manet adhuc ineluctabile, quòd fidei omnis, usûs ejus, etiam cujuslibet augmenti præmium, ideoque meritum, absque quo præmium nec esse, nec concipi potest, Propositio reipsa destruat, faciendo *donum puræ liberalitatis Dei*, quidquid ad fallendos simplices, præmii nomine appellat, & supponit meriti. Significatio nempe Propositionis obvia cum sensu authoris ad amussim convenit, eumque candidè profitetur Quesnelli Protestatio, omnem *fidem, usum, augmentum*, *& præmium fidei* etiam in justis, & ex charitate agentibus *esse donum puræ liberalitatis Dei*.

Neque istud fides in Quesnelli sententia habet singulare; sed commune penès ipsum est omnibus etiam perfectissimis, & charitate ardentissima, atque à justo elicitis actibus, qui usu fidei comprehenduntur, quod & ipsi, & eorum omne meritum, & præmium sint mera solius munera munificentiæ, nullo titulo homini debitæ, sive, ut author loquitur, *dona puræ liberalitatis Dei*.

11 Hactenus hi *Galliæ Theologi* non ad correctionem erroris; sed ad sensum ejus limpidissimum obducendum caligine, tricas commenti fuerant desperatæ causæ patrocinantibus proprias. At relabuntur tandem in sensum, quem ad novi dogmatis excusationem ab eo studuerant amoliri. Non amplius se intrà fidem & usum ejus finè *charitate vel inchoatâ* & statu gratiæ restringunt; sed postquam cum Augustino Epistolâ 194. dixerant quod *Omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia, & cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet, quàm munera sua &c.* inde mox colligunt, *quis hic non videt non solùm ... initium, usum, & augmentum fidei; sed ipsa prætereа bona opera, quæ fide per charitatem operante fiunt, & merita propriè dicta vocantur, istbæc omnia à divo Augustino gratiæ tribui, dona gratuita dici, atque ex Dei misericordia proficisci, gratìs dari, atque adeò secundùm S. Augustinum dici debere dona meræ liberalitatis Dei?*

Idem sæpius isti Galliæ Theologi repetunt; sed vocabulum *meræ* vel *puræ liberalitatis* neque in Augustino, neque in alio Sancto Patre, aut probato reperient authore. Ubique autem metuunt *præmium* simul asserere *donum puræ liberalitatis Dei*. Vel igitur in posteriore hac Quesnelliani dogmatis parte specialis aliquid malitiæ est, vel non: si est, silentium de eo, non omnem à Propositione maculam abstergit: si nihil est discriminis, cur affectatâ prudentiâ ubique *præmium* rescinditur?

12 Meliusne Theologi isti damnatum Articulum, & authoris in eo mentem percipiunt, quàm non solùm Episcopi quadraginta, & alii ejusdem ordinis sexaginta, qui *Documento* priorum postea subscripserunt; sed quàm ipse etiam Quesnellus, qui Protestationis pag. 262. ait: *Ipsa vita æterna & corona justitiæ, quamvis sit remuneratio meritorum & Christiani cursus bravium, est nihilominus donum puræ liberalitatis Dei?*

Non igitur de fide, ejusque usu solummodo extra statum gratiæ, & sinè charitate existentibus Propositionem suam Quesnellus explicat; sed de tali fide ejusque usu salutifero cui redditur *vita æterna*, & *corona gloriæ*. Tridentinum quoque Concilium Sess. 6. cap. 8. docuerat quod *fides sit salutis humanæ initium, fundamentum & radix omnis justificationis*. Usus itaque, & fructus fidei non primæ virtutis Theologicæ finibus circumscribitur, sed ad omnia salutifera se extendit virtutum, maximè spei & charitatis opera.

Quis hic dissentiat Theologus præter anonymum plurium forsitan *Gallorum* nomine mendaciter abutentem? sed miser rabula defendere Quesnellum quocumque veritatis dispendio statuens, cùm Propositionem in significatione obvia, ab authore certissimè intenta, atque ab eodem solemniter protestante totis viribus propugnata, conspiceret sustineri non posse, patulam Propositionis amplitudinem ad solas unius fidei actiones censuit restringendam. Sed usum & fructum fidei latius se extendere omnes cum Tridentina Synodo Catholici profitentur: suæ quoque hic mentis optimè conscius Quesnellus agnoscit ac minimè dissimulat, ut jam vidimus, ipsamque *vitam æter-*

æternam,& coronam justitiæ, quæ solius fidei actibus charitate vacuis non concedi- tur, vocare non dubitat *donum puræ liberalitatis Dei*.

13 Catholicus autem Lector ignoscat, quod in lucida adeò Propositionis authorisque mente amplius declaranda, convincendaque tantùm posuerim operæ, tantam copiam argumentorum: hæretica non facilè frangitur pertinacia, maximè dum ad eum profecta fuerit dementiæ gradum, ut supra Magistrum suum, circa ipsiusmet sensûs intelligentiam, sapere præsumat.

Non minùs infeliciter, quàm disseruit hactenus, adversarius concludit pag. 83. „ Quid igitur in ea Propositione offenderit Romanos Censores, placeat Summo „ Pontifici edocere, ne divinæ gratiæ, divinique amoris hostibus liceat amplius „ eò usque abuti censurâ, ut ex ea colligant, initium quidem fidei donum esse „ merè gratuitum, non item usum fidei & „ augmentum: quod S. Augustino, imò „ & S. Cœlestino 1. & Concilio 2. Arausicano repugnat apertè: aut dicant sicut „ justus fide per charitatem operante propriè mereri potest vitam æternam, ita „ pariter fidem per se, sinè charitatis influxu, imò & sinè ejus consortio, statuque „ gratiæ verè promereri à Deo peccatorum remissionem velut ipsius fidei meritum. Ex quibus duobus consectariis quis „ non intelligit, periclitari antiquam Apostolicæ Sedis doctrinam contra Pelagianismi reliquias, & certissima Tridentinæ „ Synodi decreta. Sef. 6. c. 6. 7. 8. 16. & can. 3. „ de gratuita justificatione, & de charitatis „ necessitate ad consequendam veram justitiam, vitamque æternam promerendam?

14 Offenderit indubiè Romanos censores, quod offendere debet omnes Catholicos, subrui omne revera meritum, & præmium, quando hujus tribuendi non alia agnoscitur ratio, quàm *pura Dei liberalitas*, nulla debiti species, vel justitiæ, nulla ex fidelitate obligatio, contra id quod ab Augustino discimus, Serm. 16. de verbis Apostoli: *Debitor nobis factus est Deus, non aliquid à nobis accipiendo; sed quod ei placuit promittendo ... illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, redde quod promisisti; quia fecimus quod jussisti: & hoc tu fecisti, quia laborantes juvisti.*

Idem Sanctus Tract. 3. in Joannem. *Jam debitum flagitat* [Paulus 2. Tim 4.] *jam debitum exigit. Ut ante susciperet gratiam, misericordiâ opus habebat: ut præmium gratiæ justum judicem.* Sic explicat illud Pauli ad Timotheum: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*; & non solùm donator munificus. S. Fulgentius inter præcipuos Augustini discipulos Prologo librorum ad Monimum: *Nam & se ipsum suâ largitate dignatus est facere debitorem.* S. Bernardus lib. de gratia & libero arbitrio sub finem de promisso nobis præmio ait: *Promissum quidem esse ex misericordia; sed tamen ex justitia reddendum.*

15 Consentit iterum Augustinus lib. de natura & gratia. cap. 2. *Non est injustus Deus, ut justos fraudet mercede justitiæ*, quasi futurus aliàs injustus, quod dono puræ liberalitatis minimè congruit.

Doctori maximo jungamus Angelicum 1. 2. quæst. 114. Art. 1. *Meritum & merces ad idem referuntur; id enim merces dicitur, quod alicui recompensatur pro retributione operis, vel laboris, quasi quoddam pretium ipsius: unde sicut reddere justum pretium pro re accepta ab aliquo est actus justitiæ, ita etiam recompensare mercedem operis vel laboris est actus justitiæ.* Propterea in epistolam 2. ad Timotheum cap. 4. lectione 2. ad illud *Reposita est mihi corona justitiæ* sic observat idem Sanctus: *Corona justitiæ dicitur, quam Deus ex sua justitia reddit*: & non ex sola liberalitate ut adversarii contendunt.

Iterum 1. 2. quæst. 21. art. 3. ait San. Thomas: *Meritum & demeritum dicuntur in ordine ad retributionem, quæ fit secundùm justitiam*, non secundùm meram liberalitatem. Esse autem in Deo justitiam sicut liberalitatem & prudentiam agnoscit Doctor Sanctissimus lib. 1. contra Gentes cap. 93.

Non amplius, O Theologe, doceri te à Pontifice circa hunc Articulum opus est; ut Quesnelli enuntiatio minimè obscura est, ita ejus condemnatio dilucida, venenum novi dogmatis fugiendum ostendunt vobis centum vestri Antistites *Documento Pastorali*, quod omnium teritur manibus, omnium oculis obversatur; Sed frustrà est omnis extrinsecus adveniens declaratio, frustranea omnis institutio, quamdiu superbia, & nata inde pervicacia prævalet in voluntate.

Ubinam Augustinus docet, ubi Cœlestinus Pontifex, ubi Concilium Arausicanum 2. omnem fidei usum, omne fidei augmentum esse *merè* gratuitum, nihil ejus nos promereri posse? Frustrà vobis textus ex Patribus, vel aliunde conquiritis, quibus dicuntur omnia nostra virtutum opera, omnia nata inde merita, iisque promissa à Deo

præ-

præmia, esse Dei munera, omnia in nobis Deum operari, non coronare Deum nisi dona sua, quamdiu non ostenderitis esse omnia *solummodò* dona, *merè* gratuita & *puræ* liberalitatis Dei.

16 Hæc si viceritis, nihil supererit meritorum, nihil mercedis & præmii. Consecutio necessaria & evidens est, quam nemo rationis compos, & significationem obviam intelligens terminorum poterit recusare. Recusant hactenus adversarii, qui Lutherani iterum & Calviniani esse malunt, quàm videri: libertatis, meriti, & mercedis nomina subdolè retinentes, rem nominibus significatam abjiciunt, detestantur velut Pelagianorum reliquias.

17 Ringuntur hîc, quasi ob unius innocentissimæ voculæ additionem tantæ contra ipsos excitentur tragœdiæ. Nos opera bona operari in nobis Deum, merita nostra omnia esse Dei munera, esse gratias; præmia quoque esse dona Dei, dona misericordiæ & liberalitatis, facile agnoscimus, non verò dici omnia patimur dona *solùm*, vel *solius* munificentiæ, *puræ* aut *meræ* liberalitatis Dei. Indignum est (inquiunt,) commoveri tantopere Ecclesiam propter accessum voculæ unius ad veritatem aliàs catholicissimam.

Eadem Lutheri contra Catholicos querimonia fuit, tantis contra se clamoribus omnia resonare propterea quod ubi in scriptura legitur Justificatio ex fide, ipse addiderit, *solâ*. Similis fuit lamentatio Arianorum, quod cùm Catholici filium dicerent Patri consubstantialem, ipsi vocarent Deo similem, unius in Græco omissione literæ. Spiritum Sanctum à Patre procedere veritas catholica est; à Patre solo procedere, hæresis plurium Græcorum. Sic etiam bona opera, merita, & præmium esse, ut jam diximus, Dei munera, nobis obvenire à Dei misericordia & liberalitate, doctrina Patrum est: esse ea omnia solummodo dona Dei, solius ejus munificentiæ, seu meræ aut *puræ liberalitatis munera* error Lutheri & Calvini est, Tridentino damnatus anathemate, à Quesnello resuscitatus temerè graviori crimine ab eodem & ejus sectatoribus post Constitutionem Clementis XI. propugnatus.

18 Ne verò lector existimes momenti hîc exigui definitionem esse, erroremque facilè unius omissione voculæ ab authore & fautoribus corrigendum, memineris adjectivum *puræ* in Quesnelli Articulo esse consequens necessarium totius ejus systematis de gratia, cujus effectus *impediri* nequeat, *aut retardari* qui non magis à libero nostro pendeat arbitrio, quàm à libertate cujuslibet creaturæ, sui è nihilo productio, aut quàm resuscitationi liberè cooperentur mortui, ut traditur Art. 10. & 23., quibus consonant vigesimus primus, vigesimus quartus, & plures alii; etiam Jansenii quartus Semipelagianis adscribens erroribus gratiam, cui in hoc statu *possit humana voluntas resistere*, seu dissentire.

Si omnes illæ Quesnelli, & Jansenii de gratia Propositiones subsisterent, palma cederet præsenti Articulo quod Fides, usus, augmentum, atque adeò omnia ex fide vel ut ex semine & radice procedentia opera, uti & eorum *præmium tota sint* donum puræ liberalitatis Dei, omni merito nostro subruto, abolito penitùs, atque extincto. Nam quòd Jansenius cum necessitate composuerit in hoc statu meritum videmus in hæresi ejus tertia. Verùm etsi is Theologiam nunquam docuerit scholasticam, difficile tamen crediru est eum, qui primus Lovanii inter tirones Philosophos denunciatus est, ingenio fuisse tam hebeti, ut non perspiceret, quod Catholicis omnibus, & hæreticis, solo naturæ lumine manifestum est, evanescere necessariò omne meritum & præmium cujuscumque operis boni, cujus omissio non fuerit in libera hominis potestate.

19 Hanc libertatem exigi ad meritum & ad præmium verè & propriè dictum, sola ignorat Jansenistarum Ecclesia: verius dicam ignorare se simulat, quamdiu cum catholica affectat in publico unionem. Aperta enim meriti omnis & præmii eliminatio, conspicuo nimis anathemate à Tridentinis Patribus damnata est; ideo saltem voce tenus retinendum tantisper censet *meritum & præmium*; donec viribus roborata factio fuerit adeò, ut satis sibi tutum videat depositâ larvâ, aperta fronte contra Apostolicam Sedem Ecclesiarum omnium Magistram caput erigere.

Huc à Quesnelli fautoribus strenuè disponuntur omnia, conatu hactenus non prorsus irrito, & initiis progressum successumque spondentibus non inferiorem Calvinismo. Ne tamen interea ex suis quempiam errare contingeret, ratum nomina meriti & præmii adhiberi seriò, & in significatione propria; curæ fuit Quesnello explicationem jungere alienantem, videlicet *donum puræ liberalitatis Dei* ut *præmium* intelligas *non præmium*, quod conceditur propter *meritum non meritum*, fundatum in bonis actibus liberis non liberis.

Tomo 1. in Prolegomenis Professionem fidei

fidei Quesnellianam & Jansenistis communissimam de dolo perfido convici, quando gratiam admittere se ajunt *Thomisticè sufficientem*, quam in suis ad invicem litteris, ubi confidentius se aperiunt, vocem *Thomisticè* nominant *alienantem*, quâ *sufficiens* ad sensum transferatur penitùs alienum, & sufficienti maximè oppositum, ut sensus sit: Gratiam admittimus sufficientem, quæ non sufficit, libertatem minimè liberam implendi præcepta. Talibus ludis & illusionibus ubique plena est Jansenistarum religio, talibus nititur fundamentis, talibus artibus propagatur, quas exposuisse luci, destruxisse est.

20 *Gratiæ hostes* à novis Ecclesiæ, atque ipsius gratiæ reformatoribus appellamur; quia non admittimus novas gratiæ ideas Catholicis hactenus ignotas, nec minus ipsis execrabiles, quàm à Lutheri & Calvini discipulis adamatas; utpote cum libertate, merito, & prçmio minimè cohçrentes. Quales *hostes gratiæ* sumus hodie Jansenistis, pridem Calvino, & ejus asseclis fuerant Tridentini Patres, in Pelagianorum ordinem redacti, quia gratiam haud noverant cui dissentire non possumus: idem in Jansenistarum judicio crimen hoc tempore nostrum est; dum huic subscribere definitioni non possumus: *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*. Prop. 10. Neque magis acquiescere possumus ideis, quæ sunt Prop. 21. 23. 24. superius relatæ, & quibus plures aliç consentiunt. Si tales hæresim non sapiunt, fatebor me gustum penitùs amisisse Theologicum, vel habuisse nunquam.

Quod de *charitatis hostibus* adversarius memorat, ad præsentem non attinet disceptationem. Sicut enim nullus hactenus repertus est, qui ex damnatione Articuli eruere tentaverit, ad merendum non exigi statum gratiæ, seu fidem sufficere informem sanctificante gratiâ destitutam, ita immeritò colligeretur relationem operis ex motivo charitatis non esse necessariam; nam quidquid sit de sententia utrimque in scholis catholicis disputata, neque ab ullo Concilio vel Pontifice hactenus definita, pars neutra contendentium quidquam in Constitutione *Unigenitus* habet, unde sibi triumphum vindicet.

Sed & quibus placet sententia benignior, terrori futuram, non existimo jactatam ab adversario in eus contumeliam: ut enim laudari è Catholicis honorificum est, ita & convitium pati ab hæreticorum rabie, decori Catholicis est, non infamiæ. Quæ contra præsentem Articulum & reliquos hactenus disputata sunt, quantumvis convincentia, plusculum tamen, &, ut spero: non ingratæ lucis, iis præcipuè, qui neque scholasticis assueverunt, neque prolixis delectantur contentionibus, afferet qui sequitur Dialogus.

CORONIS DISPUTATIONUM
DE GRATIA.

Dialogus Catholicum inter & Jansenistam de Quesnelli & Jansenii circa gratiam doctrina ducente ad Atheismum.

1 CATHOLICUS: Commotum vehementer in te animum indicant compressa labia, ardentes oculi, facies tota pallida!

JANSENISTA: Haud inficior: ira mihi & indignatio gravior est, quàm ut dissimulare valeam. Sed & eam cogor convertere in meipsum, quod propositum violaverim, non legendi opus pestilens *Constitutio Unigenitus Theologicè propugnata*.

CATHOLICUS: Legere cœpi & ego, atque ejus, ut verum fatear, lectione non solùm proficio; sed etiam delector.

JANSENISTA: Istud habet hodie secularium genus hominum, & magis Sciolorum ut nullis non oblectetur calumniis; modò hæ salibus aspergantur.

CATHOLICUS: Nolim ego de isto Sciolorum esse genere: calumnias quibuscunque conditas salibus detestor, quas si mihi in eo opere ostenderis, mox totum devovebo flammis.

JANSENISTA: Accipio conditionem: atque ecce palmaris calumnia occurrit in ipsa prima dedicationis pagina, ubi illud Calvino-athei dictum *Oportere priùs Calvinistam fieri, qui Atheus esse vellet*, recentibus Augustini discipulis applicatur, ut prius Jansenista fiat, qui Atheus esse voluerit. Nondum percipis putidam & infamem calumniam contra innumeros utriusque sexûs fideles, Presbyteros, Antistites integerrimos atque sanctissimos, qui inconcussa & tutissima Augustini & Thomæ de auxiliis gratiæ dogmata profitentur?

CATHOLICUS: Ain' Jansenistas innumeros? Persuasum hactenus ab Arnaldo & Quesnello fuerat, neminem esse in orbe Jansenistam, sectam esse imaginariam, in Jesuitarum natam cerebro, & penes seductos ab eis simplices solummodò consisten-

sistentem. Verùm de eo plus aliàs. Veniamus ad dissidii caput, num Quesnelli & Jansenii doctrina Atheismum inferat.

JANSENISTA: Incumbit Actori probatio.

CATHOLICUS: Actor est liber ipse: vis recitem ejus huc pertinens compendium?

JANSENISTA: Recita, & eo utere ut lubet, sed operam perdes.

2 CATHOLICUS: Definitio gratiæ à Quesnello tradita Articulo 10. est, quod sit *Operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare*. Evidens est definitionem debere definitis omnibus competere. Omnis itaque gratia Quesnello est, qualis hic describitur; proinde omnis efficax, omnis inferens necessariò consensum. Quid enim aliud est consentire necessariò, quàm consensum *impedire non posse aut retardare*? Sinè gratia autem succumbitur necessariò, sive impedire aut retardare consensum in peccatum nullatenus possumus; quia juxta Art. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum: ardoris nisi ad se præcipitandum: virium nisi ad se vulnerandum: Est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

JANSENISTA: Pelagii & Molinæ Sectatoribus placere talia non possunt.

CATHOLICUS: Neque ulli Catholico, sed Lutheri, Calvini, & Machiavelli asseclis.

JANSENISTA: Lutheri & Calvini recentiores discipuli, magistrorum duritiem de libertate & gratia plurimum moderati sunt. At de Machiavelli sectatoribus quod ais velut si nostra eis arriderent placita, nullo unquam verisimili stabilies Argumento.

CATHOLICUS: Experiamur: Juxta Articulum Quesnelli decimum jam citatum, omnis actio bona, seu salutifera, elicitur necessitate: juxta trigesimum nonum quoties peccatur, abstinere homo à delinquendo non potuit. Ubicunque autem bene agendi necessitas, nullum meritum est: ubi peccandi, nullum demeritum. Ita instituimur à Sanctis Patribus, ita à Summis Christi Vicariis, atque ipso lumine naturæ. Sed & ubi bonorum malorumque actuum necessitas, frustraneum boni agendi, malique fugiendi studium est. Nullusne hîc ad Libertinismum Atheismumque gradus?

JANSENISTA: Nos humanorum actuum sive bonorum, sive malorum necessitatem non asserimus: à necessitantis seu gratiæ, seu concupiscentiæ vocabulo abstinemus solicitè.

CATHOLICUS: Nullum à Jansenio decantatur frequentiùs axioma, quàm *Quod amplius nos delectat, secundùm id operemur necesse est.*

JANSENISTA: Hic se Jansenius, ut passim alibi Augustini discipulum probat Ex ejus enim in epistolam ad Galatas Commentario verbotenùs descriptum est.

3 CATHOLICUS: Rectè ais *verbotenus*; nam sensu ibi continetur diversissimo. Augustinus de necessitate agit, qua facultates aliæ animi & corporis subditæ sunt imperio voluntatis, quæ sapientum omnium doctrina est; Jansenius de necessitate, quam ipsius voluntatis actibus & quidem omnibus affingit, contra sensum totius Ecclesiæ Orthodoxæ. Gemina scilicet in quo degimus statu naturæ lapsæ adjutoria constituuntur à Jansenio, *adjutorium Christi*, quod est *medicinalis gratia*; alterum concupiscentia terrena, quam vocat *adjutorium Diaboli*. Utrumque consistit in delectatione indeliberata: quæ ex iis ardentior est, alteram superat, abripitque voluntatem ad consentiendum deliberatè & necessariò: *Quod amplius nos delectat, secundùm id operemur necesse est.*

JANSENISTA: Moralis necessitas, quæ magni animi propensio est, uti & moralis ad oppositum impossibilitas non adimit libertatem propriè dictam, quæ ad meritum & demeritum requiritur. Ut homini ad misericordiam prono, si panem ad manum habeat, impossibile quodammodò est, ut sinat pauperem fame emori, ut cæcum sinat ruere in præcipitium, infantem ab incurrente equo obteri. Simile adhibet Jansenius exemplum de viro sapiente, qui non saltabit in foro publico, præsertim nudus; quis sui compos nasum pro mero libito sibi abscindat? impossibilitas ubique moralis, oppositum pariter reddit necessarium: sed moraliter, non physicè.

CATHOLICUS: Scio unum alterumve exemplum istiusmodi à Jansenio adhiberi ad fallendos simplices, ut sub eo veluti pallio lateret introducta ab eo impossibilitas maximè physica, & ejusdem ordinis necessitas ad oppositum. Nosti quid alicubi Jansenius de Christi gratia victrice seu efficaci ait: *Medicinali gratiâ & adjutorio nisi vires pristina restaurentur, tam est impossibile voluntati, ut bene velit, & operetur, quàm homini cæco ut videat, vel surdo ut audiat, vel tibiis fracto ut rectè gradiatur, quamvis eis & species & scipiones & cætera omnia sanitatis adjumenta suppetant.*

JANSENISTA: Scio: verba Jansenii sunt

sunt lib. 2. de gratia Christi cap. 1. verùm, quidquid sit de illo pridem defuncto Antistite, nihil simile reperies in Quesnello.

4 CATHOLICUS: Nihil simile? Quale igitur est illud Articuli 39. à me superiùs relatum, *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum?* Audis *nihil virium*? Poteſtne impotentia physica significari disertiùs, inculcari fortiùs, quàm totâ istâ verborum periodo? Juxta quam manifesta necessitas physica est peccandi in omni opere, ubi gratia efficax defuerit.

JANSENISTA: Assertio est de voluntate quæ destituitur omni gratiâ.

CATHOLICUS: Quasi nescias, omnem Quesnello gratiam esse necessariò efficacem: illimitata ejus definitio est Articulo 10. *Gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.* Atque hanc à Quesnello impotentiam physicam intelligi ostendit tum verborum proprietas, quod sit *Operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*, tum idea gratiæ multiplex, quam præscribunt Articuli complures præcipuè vigesimus tertius & vigesimus quartus, quibus eadem decernitur efficacitas operantis Dei per gratiam, & producentis è nihilo Creaturas, suscitantis mortuos, & ægra corpora sanantis prodigio. Patet itaque omne gratię auxilium Quesnello esse efficax, & quidem adeò, ut effectum ejus impedire vel suspendere voluntas minimè valeat, proinde ut ei consentiat necessariò. Absente autem gratiâ non minùs necessariò succumbitur concupiscentiæ & peccatur in omni opere.

JANSENISTA: At saltem inter ipsa peccata eligendi semper libera remanet facultas. Ita Jansenius superbiam ait vinci posse avaritiâ, eâdem etiam superari concupiscentiam carnis.

5 CATHOLICUS: Fraus iterum est, aut crassa ignorantia, & subversio principii, quod fundamentum Jansenismi est præcipuum: *Quod amplius nos delectat, secundùm id operemur necesse est.* Delectatio autem ista sive in bonis, sive in malis juxta Jansenium indeliberatus animi motus est, cui, dum altero ardentior est, consentit voluntas necessariò. Si igitur motus libidinis magis delectat, quàm avaritiæ, aut hæc magis delectat quàm superbia, ne inter vitia quidem electio libera est. Eadem de virtutum actibus occurrit ratio.

JANSENISTA: Si nulla actibus nostris libertas obtingit hoc tempore, omnes saltem liberi fuerunt in Adamo, quo peccante, sicut singuli in eo innocentiam, sic in eo amisimus libertatem. Propterea Dei filius videns primum hominem tantis instructum naturæ & gratiæ dotibus, perfectissimaque libertate, abusum eâ fuisse, se ipsum perdidisse & posteros, conveniens duxit non amplius eum suo relinquere arbitrio; nullam ei concedere inposterum gratiam, quam repellere dissentiendo posset; sed omnem impertiri ejusmodi, quæ foret *Operatio manûs Omnipotentis, quam nihil impedire valeat, aut retardare*. Pro hac singulari erga nos misericordia gratias ei debemus interminabiles: hæc maxima nobis Deum amandi ratio. Percipis modò quàm nostra non remota solum ab Atheismo, sed ei prorsus contraria doctrina sit?

CATHOLICUS: Hæc vestra hypothesis, incentivum aliquod amoris videri poterit iis, quibus Deus adeò fuerit beneficus; verumtamen neque hi diligere eum veluti Deum poterunt, quem erga alios constiterit esse crudelem, barbarum, injustum, in promissionibus infidelem, quin & in suis ad beatitudinem promovendis deceptorem subdolum, ac mendacem.

JANSENISTA: Quot verba, tot sunt blasphemiæ enormes; quarum si vel unam ex nostro systemate legitimè deduxeris, manus dabo. Sed & oportebit te nostris accedere partibus, si in probando defeceris.

6 CATHOLICUS: Non displicet conditio: sine modò ut in citatione textuum, subsidio uti pergam indiculi, quem pro adjumento memoriæ descripsi.

JANSENISTA: Utere documento quolibet, mea mihi sufficit scientia.

CATHOLICUS: *Nemo potest ad impossibile obligari*, ut rectè Bonifacius VIII. de reg. juris in 6. reg. 6. ponitur etiam in Decretis dist. 4. atque ea unanimis est Juris peritorum sententia. In idem convenit universa Patrum Traditio, etiam Augustini lib. de duabus animabus cap. 11. *Neminem vituperatione suppliciove dignum qui ... id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista cantant & in montibus pastores, & in Theatris pöeta, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & magistri in scholis, & Antistites in sacris locis, & in Orbe terrarum genus humanum?* Sic ipso naturæ lumine docemur universi. Idem Sanctus cap. sequenti ait: *Peccati reum teneri aliquem, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est, & insania.* Quis igitur vobis Deus est,

eſt, cui hanc inſaniam tribuitis, & iniquitatem; juxta vos enim punit Deus æternis & graviſſimis ſuppliciis reprobos, quorum nullus præſtare obedientiam potuit, quam efficaci, imò ut ſupra vidimus neceſſitarem inferente gratiâ deſtitutus omiſit.

JANSENISTA: Potuimus omnes obedientiam præſtare in Adamo; in quo voluntates omnium noſtrum poſitæ fuerant.

CATHOLICUS: Qualiſcunque noſtra dicatur in Adamo Libertas ad contrahendam originis maculam; at minimè ſufficit ad peccatum perſonale, ejuſdemque rationis demeritum: hoc enim libertatem in ipſo exigit delinquente. Aliàs motus omnes inhoneſti quamtumlibet indelIberati, peccata forent propriè dicta, & digna ſupplicio, etiam in amentibus; mater quælibet fœtum mortuum pariens, rea mortis, & damnationis foret & abortûs. Unde inter Propoſitiones 31. hæreſeos & aliis reſpectivè notatas cenſuris, meritò hæc primum locum obtinet: *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in voluntate Adami peccantis.*

JANSENISTA: Decretum iſtud non recipitur in Gallia.

7 CATHOLICUS: In reliquis Chriſtiani Orbis Eccleſiis recipitur: atque in ipſa Gallia nullus monſtrabitur Epiſcopus, vel alicujus notæ & integritatis Theologus, qui Articulum iſtum velut ſuum audeat profiteri. Præterea idem error velut hæreticus damnatus pridem fuerat in hæreſi tertia Janſenii: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione.* Hæreſeos hujus anathemati tota Gallia ſubſcripſit, ſeu quidquid Eccleſiaſtici Ordinis eſt, etiam cum juramento. Denique Quænam ea libertas eſt, quam ſuperiùs ad reprehenſionem ſuppliciumque Auguſtino teſte *humanum genus* exigit univerſum? Num quæ in Adamo fuit, an quæ etiam hodie in lapſis mortalibus ſit? Pater itaque vos Deum & *iniquum* facere & *inſanum*: ſed nonne & fraudulentum in exhortationibus, ac promiſſis perfidum? Poſt contractum originis peccatum Caino ſic loquitur Deus Gen. 4. *Nonne ſi bene egeris, recipies? ſin autem malè, ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*: Quaſi dicat, ut S. Hieronymus animadvertit, moneo ut peccatum non in te dominatum exerceat; ſed tu in peccatum. Deuteronomii capite 30. *Teſtes invoco cœlum & terram, quòd propoſuerim vobis vitam & mortem ... Elige ergo vitam, ut & tu vivas.* Hine meritò S. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 52. confieit credendi vel non credendi libertatem in arbitrio hominis poſitam eſſe. *Si Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum* ut ait Queſnellus Propoſitione 27. Quomodo fieri poteſt, ut credere, vel non credere ſit in libero poſitum arbitrio? Contra Pelagianos certiſſimum eſt, quod primam gratiam, neque mereri quiſquam valeat, neque precibus impetrare, ne initium fidei, & ſalutis ſtatuatur in ſolis naturæ viribus. Sed neque ulla actio ſeu bona, ſeu mala in hominis poteſtate eſt, ſi Janſenio Queſnelli oraculo credimus juxta axioma ejus famoſiſſimum, *Quod amplius nos delectat* delectatione indeliberata, ſive gratiæ, ſive concupiſcentiæ intenſiore, *ſecundùm id operemur neceſſe eſt*. Quænam igitur Dei juſtitia eſt ſive in præmio bonorum, ſive in malorum ſupplicio? S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum cap. 2. *Liberi arbitrii nos condidit Deus; nec ad virtutes nec ad vitia neceſſitate trahimur. Alioquin ubi neceſſitas eſt; nec damnatio, nec corona eſt.*

JANSENISTA: Nos liberi arbitrii à Deo conditos eſſe profitemur: ſed illud peccantes in Adamo amiſimus.

8 CATHOLICUS: Semper oberratis eandem orbitam. In Adamo humana natura perdidit libertatem, ſive immunitatem à peccato, cujus ſeipſam vinculo conſtrinxit; non perdidiſſe autem nos liberum arbitrium, liquet ex Hieronymo, illud contra Jovinianum acerrimè vindicante; etiam pro hoc tempore, & ſtatu miſeriæ: *Nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur.* Non ſolummodò non trahebamur in Adamo. De eo quod primitus ante peccatum fuimus, nulla Hieronymo cum Joviniano diſceptatio erat, ſed de conditione in qua degimus, & agimus modò. Pro hoc tempore nobis aſſerit libertatem argumento quod ducitur à retributionis juſtitia: *Alioquin ubi neceſſitas eſt, nec damnatio, nec Corona eſt.* Evidens pariter eſt ejuſdem Sancti ſententia pro libertate arbitrii, etiam poſt Adæ lapſum, dum ait in Malachiæ cap 1. Dominus reſpondit Eſau & Jacob &c.. *Hoc eſt vitia atque virtutes ex uno cordis fonte procedere, dum ex arbitrii libertate, in utramque partem ut volumus declinamus.* In Adamo itaque liberum arbitrium non peſſumdatum penitùs viribus, atque extinctum, etſi læſum eſt ac imminutum naturalibus propriiſque, plures actus bonos honeſtè poreſt facere; difficiliores autem liberatoris auxilio; quod omnibus in promptu eſt ſinguliſque præparatum

ratum viatoribus. Clarissima hîc occurrit sententia Chrysost. hom. 12. in Genesim cap. 5. *Nonne manifestum est, suâ quemvis voluntate vel virtutem, vel malitiam eligere? Nam nisi ita esset, & natura nostra pravitas insita esset, neque illos puniri, neque istos virtutum retributiones accipere oportebat; verùm quia in nostra voluntate totum post Dei gratiam relictum est; & peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus retributiones.*

Idem Sanctus serm. in illud Isaiæ, *Si volueritis, & audieritis, ait: Si velle aut nolle nostrum non esset: hoc est si vivendi rectè, an secùs libertas nobis adempta fuisset, nec bonus unquam cœleste munus dignè perciperet, nec malus supplicium competens inveniret.*

JANSENISTA: Chrysostomus Græcus est, & ante Augustinum de gratia scripsit. Nosti autem quod eruditè Jansenius, nec minus salubriter animadvertit, ne plurium veterum errantium authoritate in graves de gratia errores ruamus præcipites. Tomo 1. Editionis Lovan. pag. 438. ait *Scriptores inter Origenis & Augustini ætatem interjecti, plerique semipelagiana labe infecti fuerunt; quam in Oriente ab ipso Origene [quem in scripturarum explicatione sequebantur] traxerant, præcipuè Græci.*

CATHOLICUS: Hanc in veteres illos potissimum Græcos, calumniam, & cætera ferè omnia discere Jansenius potuit à Calvino, qui apud Ruardum Tapperum Articulo 7. ait: *Græci præ aliis, atque inter eos singulariter Chrysostomus, in extollenda humanæ voluntatis facultate modum excesserunt. Veteres autem omnes, excepto Augustino, sic hac in re variant, ut certi ferè nihil ex eorum scriptis referre liceat.* Utrumque obtrectatorem Patrum in alia quidem sententia præiit Julianus, contra quem illorum patrocinium suscepit Augustinus lib. 2. contra Julianum cap. 10. *Adversùs hanc miserabilem, quam Deus avertat, insaniam, sic respondendum esse video libris tuis, ut fides quoque adversùs te defendatur istorum, sicut contra impios, & Christi professos inimicos, etiam ipsum defenditur Evangelium.* Audi modò & Hieronymo & Chrysostomo consentientem Augustinum lib. 2. de gestis cum Felice Manichæo cap. 4. *Habet unusquisque in voluntate aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala... Hoc ergo Dominus dicens, aut facite illud, ostendit esse in potestate quod facerent: & quia si bonum eligerent, præmium illius acciperent: si malum eligerent pœnam illius sentirent.*

JANSENISTA: Novimus Augustinum, quando contra Manichæos scripsit, multum libero tribuisse arbitrio, imò aliquando Semipelagianum fuisse.

10 CATHOLICUS: Ita vobis, quæcumque in Augustino non placuerint, facile est rejicere. Author Libri secundi de vocatione, cap. 12. *Certissimè*, inquit, *noverimus nullum fidelium à Deo non discedentem relinqui: neque cujusque ruinam ex divina esse constitutione dispositam; sed multis, qui jam judicio rationis utuntur, ideò liberum esse discedere, ut non discessisse sit præmium, & ut quod non potest, nisi cooperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.*

Denique Gregorius Magnus Libr. 33. Moralium cap. 20. *Ideo nequaquam Cœlestis patriæ præmia æterna percipiunt, quia ea dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempserunt.* Quomodo autem fieri unquam potuit in Quesnelli sententia, ut reprobi ex libero contemnerent arbitrio æterna præmia, dum promereri ea poterant? Non enim promereri ea poterant sinè gratia, sive efficaci, sive sufficienti. Efficax defuit, ut patet, sufficiens, prout ab efficaci distinguitur, vobis nulla est, si quidem Articulo 10. *Gratia* definitio est, quod sit *Operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare.* Si proinde aliqua reprobis gratia obtigisset sufficiens, ut ejus ope beatitudinem consequi valerent, eam indubiè apprehendissent: Quid enim infringat, vel impediat *operationem, quæ impediri aut retardari non potest?*

JANSENISTA: Video Molinianum tuum codicem odiosis contra nos textibus probè esse instructum. Sed nondum ex his video quod te monstraturum promiseras, systema nostrum viam sternere ad Atheismum. Hoc opus, hic labor est.

11 CATHOLICUS: Dispositio præcipua & sufficiens in Superioribus est, unde conficiam quod spopondi. Insipiens hortator est, excitans ad aliquid quod noverit in ejus nullatenus esse libertate: crudelis, injustus, barbarus, qui subditum, maximè justum, amicum, filium punit gravissimis suppliciis propterea quod non impleverit mandatum cujus observatio nullo modo in ejus fuerit potestate: Denique nec sapiens, nec justus remunerator est, qui neque in pœnis inferendis demerita, neque in largiendis præmiis merita attendit. Hæc omnia vestris insistendo principiis, Deo conveniunt, ut ex hactenus allegatis fit evidens. Consecutio enim ubique comperta est antecedente supposito, quod ex vestris dogmatibus

bus tanta profluete perspicuitate jam vidimus, ut nemo veritatis amator candidus negare possit, vel suspendere assensum.

JANSENISTA: Patit prolixitas confusionem. Superiora, si potes, ad legitimi compendii brevitatem reducito.

CATHOLICUS: Nihil facilius. Secundùm vestra principia, nullus uspiam justorum dum peccando justitiâ excidit, in ea poterat perseverare, & à peccato lethifero abstinere. Ai vel nega.

JANSENISTA: Pernego; quia potuit ei Deus gratiam concedere invictissimam, quodque per amicos possumus, in nostra rectè asseritur esse potestate.

12 CATHOLICUS: Istud quidem, si petere nobis liberum sit,& petentibus concedendum. At quisquis in peccatum labitur, neque gratiam habuit, qua petere posset, sicut oportuit, ut obtineret, neque sinè ulla gratia sic petere valuit: defuisse eam patet,aliàs is orasset; quia per Propositionem 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet.* Tunc quoque solùm, sive oratio, sive aliud quodlibet opus bonum & salutiferum, nobis fit possibile, quando illud Deus invicto suo reipsa efficit auxilio juxta Prop.4. *Ita Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, omnia operando in illo.* Aliàs per Prop. 3. *In vanum Domine præcipis*(quia nihil boni operis est possibile) *si tu ipse non das* [efficaci gratia] *quod præcipis*. Prop.2. *Jesu Christi gratia principium efficax boni cujuscumque generis necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solùm nibil fit,sed nec fieri potest.*

JANSENISTA: Non bona fide Denuntiatores hujus Articuli posuerunt *efficax*, cùm eos non latuerit correctio facta in editione anni 1699. in qua *efficax* omittitur, quo expuncto, Propositio fit innoxia.

13 CATHOLICUS: Miror correctionem à te objici modò, postquam in *Constitutione Unigenitus Theologicè propugnatâ* Tomo I. Prop. 2. Correctio ista & simul objectio tua de fide pessima convincitur. Nam & Quesnellus ægrè tulit hanc & quamlibet aliam jussu Eminentissimi Noaillii mutationem factam,ut constat ex ejus literis, datis eodem anno 1699. 23. Aprilis, quæ referuntur in processu juridico, seu causa Quesnellianâ, Art. 19. pag. 424. Ubi Cardinalem inconstantiæ arguit, quòd tomos suos quatuor, ut approbaverat ante, seque rursus approbaturum addixerat, curaverit immutari. Sed & infida prorsus correctio est, propterea quòd error ab Eminentissimo jussus corrigi,ex uno tantùm alterove sublatus Articulo, in longè pluribus relictus sit. Præterea error perniciosus adeò & totius Jansenianæ hæreseos venenum continens, pluribus exemplarium millibus toto dispersus Orbe Christiano, & variarum gentium vulgari idiomate, tolerari à Pontifice minimè debuit, propter securam in editione altera fraudulentam adeò correctionem: ut enim exceptio firmat regulam in contrarium; ita posterior editio priorem corrigens,nova relictorum ibi dogmatum censenda confirmatio est.Itaque erroris non seria emendatio; sed loco uno alterove subdola occultatio est, eo consilio ut locis pluribus manifestè remanens radicaretur hæresis fortiùs, atque exitiale toxicum opere veluti correcto propinatum, securiùs hauriretur. Fixum proinde maneat & nulli obnoxium tergiversationi, quod in Quesnelli systemate nulli uspiam justorum, dum peccando justitiâ excidit, liberum fuerit in ea permanere, sive à peccato abstinere mortifero.

JANSENISTA: Pergo expectare avidus systematis nostri Atheismum.

14 CATHOLICUS: Quomodo Deus Justus dicetur, & divinitatis dignus nomine, qui amicos suos, & filios a se abdicat,ac velut hostes perennibus excruciat inferorum suppliciis; quia desciverint à sanctitate in qua permanere nequaquam potuerint? Non enim potuere *sinè gratia*, sinè qua juxta Artic. 40. *nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*. Si autem cœleste illud auxilium adfuisset, minimè cecidissent: quia per Prop. 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet.* Ubi patet gratiam omnem esse certissimè efficacem, atque à vera & salutari legis obedientia inseparabilem. Indubitatum itaque in Quesnelli sententia est, Justum quando in delictum mortale proruit, neque habuisse cœleste auxilium quo posset in justitia persistere, neque sinè eo potuisse; ideo cecidisse necessariò, necessitate non morali solummodò, sed physicâ, propriè dictâ & antecedente, sive quam nullo sibi delicto consciverit libero personali. Originale autem utpote antea remissum, non posse peccati formalis & demeriti rationem tribuere actibus, præcipuè justorum, tota credit Ecclesia Catholica contra hæresim tertiam Jansenii, etiam ipsius naturæ lumini repugnantem. Ubi igitur, si Quesnelli novitas prævaluerit, in damnatione hominum, qui justi

sti aliquando fuerint apparebit ullum divinæ sapientiæ, justitiæ, sanctitatis vestigium? Ubique se prodet fatuitas in jubendo, crudelitas & injustitia in puniendo, perfidia in promittendo contra illud 1. Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*. Quot juxta Quesnellum mendaciis fallit Deus miseros mortales! Per Apostolorum Principem testatur Ep. 2. c. 3. quòd sit *nolens aliquos perire; sed omnes ad pœnitentiam reverti*. 1. Joannis 5. quòd *mandata* sua *gravia non sint*: per ipsum suum Filium Matth. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve*, interea dum ex infinita perennium multitudine, ne unum quidem ad salutiferam, & finalem pœnitentiam reverti, & in justificatione manere voluerit, ne unum quidem beatitudinem consequi, denegans omnibus sufficiens auxilium, sinè quo non magis ad talem pœnitentiam salutemque pertingere ullus eorum potuerit, quam sinè alis volitare; sive ut Jansenius ait, quàm cæcus videre, surdus audire, crurifragus rectè incedere. Denegat, inquam, Deus in Quesnelli sententia illis omnibus auxilium, sive proximè, sive remotè sufficiens, quo proximum & efficax valeant obtinere. Fraudulenta Christi invitatio foret, omnes, nemine excepto, ad se vocantis infirmitatibus animi gravatos, si soli qui reipsa per pœnitentiam veniunt, potestatem veniendi acceperint Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*.

15 Simili dolo aut insipientiâ scaterent hortationes Dei in Testamento veteri ad peccatores quoslibet directæ, ut ad justitiæ & salutis semitam pœnitentiâ redirent; cùm nonnisi paucissimos, juxta Quesnelli sententiam, sciverit justitiam, & salutem consequi posse; non alios scilicet, quàm quibus eadem reipsa obtingerent. Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis & vivat? .... Quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis dicit Dominus: revertimini & vivite*. Apud eundem cap. 33. *Sic locuti estis dicentes: iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt.. . Dic ad eos: Vivo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impii; sed ut convertatur impius à via sua & vivat. Convertimini, convertimini... Impietas impii non nocebit ei*. Quomodo voluntas Dei est, ut quilibet impius ab impietate sua convertatur, & vivat, & ne unus quidem in sua maneat & pereat iniquitate, si ne uni quidem reprobo auxilium sufficiens ad finalem justitiam, salutemque præparavit?

16 Omnia proinde superiùs memorata Divini Codicis testimonia penès Quesnellum inania sunt & omnis expertia veritatis: quorum juxta ipsum fraudulentia confirmatur omnibus testibus, quibus merces, præmium, corona justitiæ indicantur. Tales sunt Matth. 5. *Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis*. capit. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem*. Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua*. 2. Tim. 4. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illa die justus judex*. Ad Hebræos cap. 6. *Non est injustus Deus ut obliviscatur operis vestri*, futurus scilicet injustus si oblivisceretur. 1. Cor. 9. *Nescitis quòd ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium*. 1. Petri cap. 1. *Si Patrem invocatis eum, qui sinè acceptione personarum judicat secundùm unius cujusque opus*. Similia in scripturis innumera sunt, in quibus etsi meritorum vocabulum non exprimitur, satis tamen omnibus intellectum habentibus veri ratio meriti indicatur, utpote sinè quo merces, præmium, corona justitiæ neque esse posset, neque concipi, fatente ipso Quesnello in Protestatione contra censuram Articuli 69. §. 7. pag. 160. Sapienti quoque epiphonemate concludit Augustinus Epistola 46. ad Valentinum: *Si non sunt merita, quomodo Deus judicabit hunc mundum?* Quomodo scilicet Matth. 25. dicet Christus in judicio, *Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi; esurivi enim & dedistis mihi manducare &c.* iis autem, qui misericordiæ opera prætermiserint, dicet *Discedite à me maledicti in ignem æternum; esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*. Ubi evidens est veram ubique præmii & supplicii rationem designari meritum bonorum operum & demeritũ omissionum.

JANSENISTA. Non sinè tædio audivi hactenus tot citationes textuum, ut persuadeas admittendam mercedem in meritis fundatam. Quis nostrûm hîc quidpiam inficiaretur? Quapropter cùm hæc omnia Atheismum apertè destruant, concludere necesse est, nostras ab ea impietate sententias esse alienissimas. Superest itaque ut quos recitasti ex sacris literis textus, nostris subrui placitis ostendas, aut illatam temerè contumeliam retractes. Prius tibi prævideo impossibile: posterius necessarium.

17 CATHOLICUS. Jam posita fundamenta plusquam sufficientia sunt conclusioni

ni contra vos ineluctabili, fallaces esse omnes enuntiationes vestras, quibus liberum arbitrium, meritum, mercedem, præmium vocibus tenus nominando, larvam assumitis Catholicam, ut animum occultetis hæreticum; imò, si cum fide simul vobis ratio non exciderit, etiam atheum. Non enim agnoscitis arbitrium verè liberum; sed in omnibus bonis actibus ortam ex omnipotente, & insuperabili gratia necessitatem; absente autem tali gratia necessitatem agendi damnabiliter etiam in omnibus actibus atque hanc necessitatem esse rigidam, qualis est in surdo ut non audiar, in crurifrago ne rectè gradiatur. Hinc teste Angelico superiùs citato *tollitur ratio meriti & demeriti... Si enim non sit liberum aliquid in nobis; sed ex necessitate movemur, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum & punitio, & laus & vituperium*. Cui Angelico asserto nullus moralis Philosophus, nullus præditus ratione, neque novitatis amore penitùs obcæcatus, denegare poterit assensum, maximè post clarissimas contra Bajum, Jansenium & utriusque socios Constitutiones. Si autem in nullis actibus sive bonis, sive malis juxta vos homini libertas sit, ut ex superioribus manifestum est; si eâ sublatâ, nulla maneat ratio meriti, aut demeriti, si nullus deliberationibus, exhortationibus, præceptis, nullus punitioni, laudi, aut vituperio sit locus, omnes itaque Scripturarum ad pœnitentiam hortationes, monita omnia ad bonorum operum exercitium, fugamque peccatorum, omnis promissio mercedis, & suppliciorum comminatio propter meritorum demeritorumque inanissima commenta, ut fallax & subdola est, tribui nequit vero Numini, cujus sapientia, justitia, sanctitas debeat esse infinita. Hominum igitur errantium aliosque nimiùm sibi credulos decipientium fuerint inventiones. Conclusio proinde inevitabilis est, si antecedentia subsistant, quæ à vestro systemate nullis artibus avertere, nullis obducere fucis unquam poteritis.

JANSENISTA: Nonne perspicis in Propositione 69. affirmatum à Quesnello bonorum operum præmium? *Fides, usus, augmentum, & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei*.

18 CATHOLICUS: Affirmatum, ut ais video *præmium*, uti & in Protestatione *meritum*; sed utrumque pariter destructum *dono puræ liberalitatis Dei*: ac si diceres dono solius liberalitatis Dei, excluso omni titulo debiti, justitiæ, etiàm gratitudinis, & fidelitatis, proinde & meriti, & præmii: Tale apud omnes significatione verborum obviâ *donum* intelligitur *puræ liberalitatis*.

JANSENISTA: Tanti igitur à vobis excitantur strepitus propter voculam *pura* auribus vestris delicatis duriusculè insonantem. Vetus dictum est & sapiens, Fortunas Græciæ non pendere à nomine.

CATHOLICUS: Verissimum est, sapientes non decere multum de nomine diffidium, ubi de re convenit, neque in hanc ulla ex diversitate inducitur sensûs mutatio; aliàs tota Scripturarum, Traditionis & fidei nostræ veritas, atque adeò incolumitas Ecclesiæ ab unius & quidem monosyllabæ vocis additione vel sublatione dependet: expunge scilicet *Non* ex Propositione hæretica, efficies Catholicam; si dempseris Catholicæ, hæreticam reddes. Ita hìc adjectivum *pura* appellationem præmii ad sensum transfert à significato proprio penitùs alienum, ut *pictus* additum voci *homo*. Præmium nempe quod donum dicitur puræ liberalitatis Dei, non magis verum præmium est, quàm homo pictus sit animal capax rationis. Neque verum & proprè dictum præmium Quesnello videri potuit bonorum operum in sua de efficacitate invincibili cujusvis gratiæ sententia, nisi incurrendo hæresim, & totius Ecclesiæ adversùs tertiam Jansenianam anathema: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione*. Præmium enim simpliciter asserendo supponis meritum, atque hoc in Quesnelli de gratia hypothesi apertè hæreticum. Verùm non adeò hebes Quesnello ingenium fuerit, ut non persentisceret, meritum cum necessitate componi minimè posse, ideo incongruitatem nominis significari voluit, permittendo vocari meritum nomine, reipsa non meritum, utpotè cui non responderet præmium nisi impropriissimæ appellationis; *donum* scilicet *puræ liberalitatis Dei*. Non igitur hìc momenti levis & quasi *de lana caprina*; sed ponderis gravissimi disceptatio est, utpote pro fidei articulo contra hæresim sæpius ab Ecclesia condemnatam.

JANSENISTA: Si victrix & omnipotens gratia, qualis à Quesnello describitur vobis odiosa est, ego nihilominus eam mihi, & non aliam à Deo donari cupio.

19 CATHOLICUS: Ut nempe hinc migres omni destitutus merito, absque salutifera delictorum pœnitentia, non uno gravatus anathemate, recipiendus in beatitudinem non aliam, quam Lutheranæ & Calvini-

vinisticæ similem ; meliorem autem spondeo si resipueris.

JANSENISTA: Satis securum me reddit tutissimorum Augustini dogmatum conscientia : de te autem tuisque *Romanis Censoribus* dico quod Quesnellus aliàs in epistola typis edita sub nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* pag 43. *susque deque per nefas damnant quidquid lubet, vel non consentit cum Theologia suæ ideis, quæ sæpe falsissimæ sunt, vix quidquam habentes de Theologia Patrum*. Antequam verò te dimittam, discenti amplius meretur, quod ex Augustiniano axiomate de delectatione sive terrenâ, sive cœlesti superiùs elicere conatus fueras contra libertatem ad merendum necessariam. Jansenius scilicet illud Augustini *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur necesse est*, explicat de delectatione indeliberata, quæ ex nostra minimè oritur electione, sed cœlestis à Deo, terrena à concupiscentiæ habitu excitatur: & quæcumque ardentior, intensior, fortior est, consensum à voluntate impetrat necessarium; sed simul à coactione seu violentia liberum. Supponis hanc necessitatis simplicis cum demerito compositionem uti à Jansenio asseritur, esse hæreticam, & de ea intellectum Pontificum anathema fuisse ab Ecclesia approbatum: juramenti quoque Alexandrini formulam sic ab omnibus Sacramento confirmari: de quo longior foret disputatio, reservanda ad Propositionem centesimam primam, quæ ultima est, contra inductam juramentorum frequentiam. Hic solùm videre pervelim quid codex tuus mirabilis respondeat Augustiniano axiomati, quo *voluntas* dicitur *ad peccandum sufficere* : proinde ubicumque voluntarium est, quod necessitate simplici non destituitur, sufficientem intelligi ad peccatum & demeritum libertatem.

20 CATHOLICUS : Verissimum Augustinus asserit, longè disparem esse ad bonum salutiferum malumque damnabile facultatem hominis, præcipuè post lapsum Adæ, quo magnam contraximus ad bona opera difficultatem, neque minorem ad mala etiam pessima propensionem. Quapropter & simul ad debitam bonorum operum cum supernaturali præmio congruitatem requiritur gratiæ supernaturalis auxilium, non verò ad mala. Verùm inde non sequitur voluntarium sufficere ad peccatum formale ac demeritum. Ad hoc enim non solùm voluntas exigitur, sed etiam libertas quæ sit immunitas à necessitate, etiam simplici. Æquissimo scilicet trium olim Pontificum judicio damnatus est Baji Articulus 39. *Quod voluntariè fit, etiam si necessariò fiat, liberè tamen fit:* & dein à pluribus Summis Christi Vicariis proscribitur tertius Jansenii hæreticus *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione*.

JANSENISTA : Non legisti quod contra trium superiorum Pontificum Constitutiones antibajanas scripserit magnus noster Arnaldus in Difficultatibus propositis Domino Steyaert parte 9. pag. 250. *Nulla Constitutio tantum turbarum & difficultatum excitavit, quàm illa* (Sancti Pii) *& constat quòd inter Cardinales peritissimi ægrè eam ferant*. In Propositione autem tertia Jansenii non Episcopi illius sensus, sed alius ipsi ab adversariis affictus anathemate dignus est, & supponi debet à Pontificibus condemnatus; minimè verò Augustinianus, quem constat à Jansenio fuisse intentum.

21 CATHOLICUS: Famosæ *Difficultates* Arnaldicæ audaciâ & temeritate, qualis contra Sedem Apostolicam inter Catholicos nunquam & vix inter hæreticos hactenus visa fuerat, meritò inter vos celebres sunt, sed & in supremo Ecclesiæ Tribunali debito anathemate confixæ. Quos author ille citat Cardinales peritissimos, sed anonymos ignoramus, forsitan nec ipse noverit, vel nonnisi Du Vaucelii, aliàs Walonii, Jansenistarum in Urbe partes Agentis mendacissimâ relatione. Nos manibus tenemus epistolam Cardinalis Noaillii ad Clementem XI. datam anno hujus seculi undecimo, in qua postquam testatus fuerat de Clero Gallicano in Comitiis sexennio ante celebratis, quod certum illi fuerit, Pontificiis Decretis adversùs Jansenium nihil deesse, *ut universam Ecclesiam obligent, & circa illa nec appellationem admitti, nec mutationem expectari posse, idem & de Apostolicis adversùs Bajum .... Definitionibus* (inquit) *professurum fuisse Clerum existimo; si de iis actum fuisset*. Pontificias contra Baji & sociorum dogmata Definitiones prævenerant censuris suis, & quidem acrioribus Academiæ Hispaniæ, atque ipsa Sorbona. Ex illis autem contra Bajum declarationibus nihil uspiam turbarum in Ecclesia fuit, nisi quòd in aliquo Belgii angulo, quidam cum Bajo pertinaciores discipuli, ex Sancti Pii clementia audaciores redditi, Bullam Pontifici abjudicarunt; sed dein ipso Bajo, errores suos publicè retractante, ejus exemplum Lovaniensis Universitas unanimi & publicâ acclamatione secuta est, nemine

nemine penitùs Doctorum tironumve dissentiente. Nihil itaque turbarum excitavit S. Pii Constitutio; sed paucorum Lovanii Novaturientium pervicacia, cui frangendæ non satis mederi potuit Apostolica benignitas, donec ei severitatis aliquid accessit. Repressa abjectaque penitùs tunc nova hæresis plus quàm medio seculo fuit, donec Jansenius eam opere posthumo, invitis Superis, revocavit ab inferis in Belgium, inde in vicinas Gallias à Calvinismo tunc minimè expurgatas, facilè propagandam.

JANSENISTA: Quidquid Pelagiano fermento contrarium est, à vobis Calvinismo, nunc etiam Jansenismo velut hæresi adscribitur.

22 CATHOLICUS: Nihil Jansenianum voco, nihil Calvinianum; nisi quod à Jansenio, & antea à Calvino traditum, doctrinæ Ecclesiæ & Definitionibus repugnat. Inde indeclinabilia vobis manent quæcunque deduxeram ab initio, & toto concertationis decursu consectaria maximè horrida contra Dei veracitatem, misericordiam, sapientiam, fidelitatem, justitiam, sanctitatem, contra Scripturarum oracula, veluti plena fraudibus & mendaciis. Præcipua igitur ad Atheismum pars itineris à vobis confecta est. Antecedentibus scilicet positis, quæ partim vestra sunt, partim cum iis arctâ necessitudine conjunguntur: conclusio indeclinabilis est, impietatem continens, quam horret animus cogitare.

JANSENISTA: Si Augustini in vobis regnaret charitas, à tam oppositis ei abstineretis contumeliis.

CATHOLICUS: Imò cum ipso respondemus Augustino lib. 13. contra Faustum cap. 18. *Nobis debetis irasci talia dicentibus, an vobis talia credentibus, ut velitis, nolitis, talia consequantur?* & lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 5. *Quod quidem non ipse sentis; sed hoc sequitur illa quæ sentis: muta ergo antecedentia; si vis vitare sequentia.*

Propositio damnata Septuagesima.

Nunquam Deus affligit innocentes: & afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem. *Observat. Moral. Joan. 9. vers. 3.*

CAPUT I.

Error convincitur.

1 Inter Bajanos articulos à tribus Pontificibus proscriptos conspicitur hic 72. *Omnes omnino Justorum afflictiones, sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde & Job, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.* Et 73. *Nemo præter Christum est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum: omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.*

Utrumque Articulum manifestè continet Quesnellianus præsens: *Nunquam Deus affligit Innocentes, & afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.*

Edicat autem nobis Adversarius, ad quod peccatum puniendum, vel quomodo ad purificandum peccatorem inservierint afflictiones omnes Beatæ Virginis? Nullum ab eâ commissum unquam peccatum propriâ voluntate, ex Tridentino constat, & certissimâ Patrum traditione. Impingere ei palàm originis maculam post Constitutiones, & prohibitiones gravissimas Sixti IV., Pauli V., Gregorii XV., & tandem Alexandri VII. minimè licet. Posterior incipit *Solicitudo omnium Ecclesiarum*: ubique decernitur excommunicationis pœna ipso facto à transgressoribus incurrenda.

Verùm istiusmodi Constitutionibus, prohibitionibus, censuris minimè terretur Quesnellus, cujus hæc solemnis gloriatio est in epistola à se typis edita nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*

contra Decretum Alexandri VIII. proscribens Propositiones 31. pag. 18. *Habemus nos hoc singulare præ aliis quo nobis bene est, & quod semper retinebimus, quòd simus in possessione eandem semper tenendi semitam, quidquid opponant Censores Romani, & quodcunque Decretum ab hoc emanaverit Tribunali*. Quæ possessio Lutheranis, Calvinianis, & hæreticis omnibus communis, inter Catholicos nec gloriæ vertitur nec saluti.

Josephus Mariæ Sponsus peccaverit in Adamo; verùm afflictiones ejus omnes, ut quando dolens cum Deipara Jesum perditum quæsivit, vel in Ægyptum profugere coactus est, vel dum non fuit locus in diversorio, ei evenisse in peccati supplicium, vel purgationem, sinè temeritate sensui omnium fidelium repugnante non asseritur.

Audiamus potius venerabilem Bedam apud Cornelium à Lapide in cap. 2. Marci: *Affliguntur homines corporis molestiis aut ad augmentum meriti, ut Job & Martyres: aut ad humilitatis conservationem, ut Paulus: aut ad correctionem peccati ut Soror Moysi, & hic paralyticus: aut ad Dei gloriam, ut cæcus natus: aut ad initium damnationis, ut Herodes*. En varios fines, quos in diversorum hominum afflictionibus Divina sibi Providentia præfigere creditur, ita ut non in omnibus sint, aut punitio peccati, aut peccatoris purgatio. Sic Angelus dicit Tobiæ cap. 12. v. 13. *Ego obtuli orationem tuam Domino; & quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te*. Non dicit, quia peccator eras, necesse fuit, ut immissa cæcitas esset punitio peccatorum, vel ab iisdem purgatio.

Ingens Abrahamo afflictio fuit præceptum offerendi filium adeò dilectum, & Divinis promissionibus ad summa destinatum. Quis autem Patrum, vel Interpretum, præcepti & afflictionis hujus causam comminiscitur Abrahami peccata? Quis aliam intelligit quàm probationem, exercitium, incrementum virtutis & meriti in Abrahamo atque Isaaco ejus filio; Posteris autem transmittendum illustre obedientiæ ac religionis exemplum?

De Jobo testatur initium ejus Historiæ: *Vir erat in terra Hus nomine Job: & erat vir ille simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo*; de quo mox Deus ad Satan: *Nunquid considerasti servum meum Job, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo*? Exposcit eum Satan calamitatibus probandum: postulationi Deus annuit: Exercetur Jobi fortitudo, religio, constantia, & de malis omnibus triumphat, fructusque refert amplissimos, ac toto celebratos orbe, pro vita non solummodo futura; sed etiam præsente: *In omnibus his non peccavit Job labiis suis*. Quamvis porrò Job, ut solent Sancti, agnoverit præcedentibus peccatis Dei iram se meruisse, tamen etiam addit, quod si cum peccatis mala, quæ patitur, appenderentur in statera, longè gravior appareret peccatis castigatio.

Alium tribulationum finem, quàm punitionem, aut purgationem peccatorum docet nos quoque S. Laurentius Justinianus in ligno vitæ Tract. de patientia cap. 4. *Sicut*, inquit, *caro si sale non aspergatur, quamvis sit magna & præcipua, corrumpitur, ita & anima, nisi tentationibus assiduè saliatur, continuò resolvitur, & relaxatur. Per ipsa namque tentamenta anima negligentiæ putredinem excutit, & in spiritûs vivacitate conservatur. O quantos vidimus modicis tentationibus à magnis periculis protegi, & tentatione quadam timoris, & corporali quadam ineptitudine à peste superbiæ liberari, qui aliàs quasi equi effrænes suis talentis superbirent!*

3 Ipso naturæ lumine & quotidianis experimentis discere potuit Seneca, quod ait epist. 95. *Quasi inter se contraria sunt bona fortuna, & mens bona: ita meliùs in malis sapimus: secunda rectum auferunt*. Certioribus quoque nos documentis didicimus nihil infelicius esse felicitate peccatorum; Viam arctam crucis ad superos esse securissimam. Hac passim Sanctos & electos Divina providentia ac bonitas ducit; adeò ut in animabus piis afflictionum mensura quodammodo eadem sanctitatis esse videatur. Vires animi in Sanctis non frangit, nec minuit tribulatio; sed firmat magis atque auget, ut quercus ventis agitata, altiùs radices agit, & ferrum ignitum malleorum ictibus roboratur. Quod confirmans S. Chrysostomus Tract. de pœnitentia ait: *Fortiores nos tentamenta faciunt, persuadentque familiarissimos nos Deo fieri; torporem enim excutiunt, & sanctum fervorem immittunt*. Homil. 14. ad Populum: *Dormitantes nos expergefacere solet, & religiosiores facere tentationum natura*. Ideo David Psalmo 25. *Proba me Domine, & tenta me: ure renes meos & cor meum*. Et Eccles. 27. *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis*. Sapientiæ r. v. 5. *Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se*.

Et, si sacris profanum rursus scriptorem jungere liceat, ipse adversarium Seneca doceret, à Deo sæpe viros probos, non pro-

propter delicta affligi; sed, inquit lib. 1. de Providentia: *Deus bonos, ut severi patres duriùs educat, utpote operibus, doloribus, ac damnis colligant robur* &c. *Ecce par DEO dignum vir fortis cum mala fortuna compositus: Spectaculum Deo dignum. Fortuna ut gladiator fortissimos sibi pares quærit, alios fastidio transit: ignem experitur in Mutio, paupertatem in Fabricio* &c. *Dicant ergo* [magni viri] *digni visi sumus Deo, in quibus experiretur quantum humana natura possit pati.*

Etiam Lactantius, divinarum Institutionum adversùs gentes lib. 5. de Justitia ad Constantinum Imperatorem cap. 23. De justitia, & patientia Christianorum, nos ad Senecam remittit, dicens: Si quis autem „ volet scire pleniùs, cur malos, & injustos Deus potentes, beatos, & divites „ fieri sinat; Pios contra humiles, miseros, inopes esse patiatur: sumat eum Senecæ librum, cui Titulus est: Quare bonis viris multa mala accidant, cùm sit „ providentia. In quo ille multa, non planè imperitiâ seculari; sed sapienter, ac penè divinitus elocutus est: Deus, inquit, homines pro liberis habet; sed „ corruptos & vitiosos luxuriosè ac delicatè patitur vivere; quia non putat emendatione sua dignos. Bonos autem, „ quos diligit, castigat sæpius, & assiduis „ laboribus ad usum virtutis exercet, nec „ eos caducis, ac mortalibus bonis corrumpi ac depravari sinit ...

„ Nam cùm posset populo suo, & opes, & „ regna largiri sicut dederat ante Judæis, „ quorum nos successores, ac posteri sumus; idcirco eum voluit sub aliena ditione, atque imperio degere, ne rerum „ prosperarum felicitate corruptus, in luxuriam laberetur, ac Dei præcepta contemneret, sicut illi majores nostri, qui sæpe terrenis ac fragilibus his bonis enervati aberrarunt à disciplina, & legis vincula ruperunt.

„ Itaque ne tam corrumperentur cultores „ sui otio, quàm Patres eorum licentiâ, „ premi eos voluit ab iis, in quorum manibus eos collocavit, ut & labentes confirmet, & corruptos ad fortitudinem reparet, & fidos experiatur, ac tentet. Quomodo enim potest Imperator militum „ suorum probare virtutem, nisi habuerit „ hostem? & illi tamen adversarius exurgit invito, quia mortalis est, & vinci potest. DEO autem, quia repugnari non „ potest, ipse advetsarios nomini suo excitat, non qui contra ipsum Deum pugnent, sed contra milites ejus, ut devotionem, ac fidem suorum vel probet, vel „ corroboret, donec pressuræ verberibus „ destruentem corrigat disciplinam.„

Similis est mos parentum etiam hoc tempore filios sapienter diligentium, ut ab omni procul aversos mollitie, duris potiùs vel ab infantia assuefaciant.

Hic mihi in memoriam redit celebre factum Egmondani comitis, qui ante annos aliquot obiit Prorex Sardiniæ. Nescio an seculo integro augustius quidquam Bruxella viderit, quàm militare exercitium, quo die Princeps de Gavere, & Marchio de Renty filii ejus, decennis prior, alter nonnisi octennis nomen dedêre militiæ, & cum cohotte, cui adscripti fuerant, processere publicè velut gregarii. Cohors illo die magnitudinem excesserat Legionis, aucta numero Baronum, Comitum, Marchionum, Principum, Ducum, ac totius præcipuæ Nobilitatis, diversis ordinibus, nationes varias ornatu vestium splendidissimo repræsentantibus. Ambos autem militiæ tirones voluit Excellentissimus parens eâdem die ac nocte, omnia gregariorum militum inter ipsos obire munia, excubias agere, in nudis decumbere asseribus, vesci solo pane atro, & aquâ refici, interea dum convivio & festivis plausibus domi omnia resonarent: Istud non delictorum pœnam, sed virtutis exercitium amantissimus Pater filiis suavissimis irrogavit, ut institutio durior ad magna redderet aptiores.

At, missis secularibus, sufficiat nobis longè salubrius exemplum Apostoli Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem*, & 2. Cor. 4. *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Id enim, quod in præsens est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Juxta quod Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 23. ad Cassium: *Præcedit coronam probatio, probationem victoria, patientia victoriam, afflictio atque tentatio, seu exploratio patientiam.*

Denique ut infinitos alios afflictionum fructus prætercam, quos Ascetici passim amplissimè deducunt, tribulatio nos DEI memores reddit, infirmitatis nostræ conscios, nostri ac rerum temporalium contemptores. *Ad Dominum cùm tribularer clamavi* inquit David Psalmo 119. qui inter prospera Dei immemor, adulterii crimen graviore homicidii flagitio cumulavit.

5 In tanta optimorum finium varietate, quis

quis Deo à consiliis fuit, ut determinare valeat, quos singulis Sanctorum calamitatibus divina providentia præfixerit? At sinè temeritate, & gravi in Beatissimam Virginem atque alios Sanctos contumelia asseri nequit, quidquid afflictionum, sive in corpore, sive in animo passi sunt, peccatorum vel supplicia fuisse, vel purgationem.

Quis enim ignorat innocentissimos, & Deo charissimos, plusquam peccatores aut tepidos, totâ penè vitâ tribulationibus exercitos fuisse, & quasi lapides assiduo fabri politos malleo, construendæ cœlesti Jerusalem præparatos? Absurdissima igitur Propositio est in sensu obvio, negans ulli unquam homini innocenti afflictionis quidpiam à Deo immitti; cùm constet innumeros parvulos tum novi fœderis, tum antiqui, sive in Circumcisione, sive in Baptismate justificatos, ac penitùs innocentes, nihilominus fuisse morbis, vulneribus ac morti traditos, benignissimo Divinæ providentiæ consilio; ne ætate maturiore in vitia proruentes exciderent justitia pariter ac salute.

Ita docemur libro Sapientiæ capite 4. *Placens DEO factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est: raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sinè malitia. Consummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius; propter quod properavit educere illum de medio iniquitatum. Populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia*, quemadmodum hodie Quesnellistæ supplicio cœlitus immisso, vel infortunio tribuunt, quod divinæ beneficentiæ erga dilectos sibi & electos munus maximè singulare est.

Non diffiteor quemlibet mortalium, qui in Adamo lapsus fuerat, etsi Deo sive baptismate in infantia, sive in adulta ætate pœnitentiâ justificatum, manere obnoxium humanæ vitæ infirmitatibus, etiam morti, easque posse à Divina justitia in pœnam delicti illius justissimè infligi; sed negari pariter non potest, in libero Dei arbitrio esse; pœnas illas restringere, atque in afflictionibus quibusdam inferendis, alios sibi fines præfigere, prætermissâ intentione supplicii.

Contingere istud aliquando, ex ipso discimus Christi testimonio apud Joannem c. 9. Ubi *præteriens Jesus, vidit hominem cæcum à nativitate; & interrogaverunt eum Discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? Respondit Jesus: neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Parentes indubiè peccaverant; neque dubium est quin propter parentum crimina, subinde eorum liberis in hoc mundo calamitates, etiam mors accelerata obveniant. Sic lib. 2. Regum cap. 12. Nathan denuntiat Davidi: *Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Et Exodi cap. 2. *Ego sum Deus Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.*

6 Ad illud etiam quod de cæco quærunt discipuli, num peccaverit, respondere Christus potuisset, hunc quoque peccasse in origine; propter quod nasci poterat cum cæcitate. Verùm interrogantium erat intentio intelligere, num propter parentum, an cæci ipsius peccata talis ei calamitas accidisset. Hanc eorum mentem intuitus Salvator, secundùm eam respondet: Neque peccavit hic, neque parentes ejus, delicto scilicet, de quo vos quæritis, propter quod cum cæcitate natus fuerit; sed ut manifestentur opera Dei in illo, seu Dei omnipotens per me operatio; atque inde certiùs innotescat omnibus prædicationis meæ veritas.

S. Cyrillus existimat discipulos hoc interrogantes, Pythagoræ fuisse imbutos errore, ut crederent, animas in alio priùs corpore extitisse, & propter delicta in eo commissa, alteri dein corpori misero alligari. Leontius alium tribuit discipulis errorem, quasi infantes luerent delicta temporis futuri. Qualiscumque autem error eorum fuerit, quem conjecturâ assequi, non est facile; in eo saltem constat eos à veritate deviasse, quòd putaverint, hanc cæcitatem in delicti supplicium fuisse irrogatam. Oppositum ex ipsius Christi accepimus testimonio: *Neque pecavit hic, neque parentes ejus.*

Istud Augustinus Tract. 44. in Joannem num. 3. ait Christum respondisse, sicut & nos supra notavimus, *ad rem de qua interrogatus est, ut cæcus nasceretur*, non fuisse videlicet causam peccatum aliquod sive parentum, sive filii. Simili quodammodo ratione de Lazaro Christus docuit: *Infirmitas hæc non est ad mortem*; quia ut Augustinus observat in Joannem Tract. 49. num. 6. *& ipsa mors non erat ad mortem; sed potiùs ad miraculum: Quo facto crederent homines in Christum, & vitarent malam mortem.*

Discipulorum quæstionem *ineptam & ab-*

absurdam vocant Chrysostomus & Theophilactus, *stolidam* Ambrosius epist. 45. ad Bellicium: *Quàm stolidè discipuli interrogant: Hic peccavit, an parentes ejus? Debilitates corporum ad merita referentes delictorum.* Ita & nostri hic referunt adversarii; sed minùs, quàm discipuli, excusabiles, quòd opinionem *stolidam* postquam à Christo rejecta fuerat, instaurare temerè præsumant, ipsamque veritatem arguere falsitatis & mendacii. Sic nempe, quibus Summorum Christi Vicariorum authoritas vilis est, iidem sacrilegium contra ipsum extendunt facilè Salvatorem: comitantur injuriæ & contumeliæ adversùs ipsam Sanctissimam Dei Matrem; quasi omnis ejus afflictio, peccati punitio fuerit, aut purgatio peccatricis, cui errori similis olim inter Bajanos à tribus Pontificibus, ut supra retuli, condemnatus est.

Contra prætensos Augustini Discipulos litem dirimit ipse Sanctissimus Doctor lib. de peccatorum meritis cap. 12. de Jobo loquens, *Novimus*, inquit, *non propter peccata; sed propter ejus demonstrandam justitiam, illa omnia fuisse perpessum*. Lib. de perf. Just. cap. 11. de eodem Sancto: *Non propter peccata ejus facta sunt ei multa contritiones; sed propter probationem patientiæ.* De Davide quoque postquam ei Deus peccata condonaverat, non desiisse eum tamen adversitatibus affligi, *ut pietas hominis in illa humilitate exerceretur atque probaretur*, ait Doctor maximus lib. de peccatorum meritis cap. 34.

Et hæc quidem hactenus contra Propositionis sensum obvium abundè sufficiunt, ut censuris dignus gravissimis habeatur: neque qui ab authore intenditur, sanior obvio est.

CAPUT II.

Nullius ponderis sunt argumenta adversariorum ex Sacris Literis petita.

1 PRoducitur contra nos illud Exodi cap. 20. v. 4. *Domine, num gentem ignorantem & justam interficies?* Quod dum intorquent Hexapla, nos commonent esse verba Regis Abimelech, & quidem pagani, quasi rectiùs is de Deo senserit, quàm Apostolica Sedes, quæ Articulum tali consentaneum veritati percutit anathemate. Æqua tamen eatenus Abimelechi oratio est, quòd non deceat Judicem, morte punire populum innocentem velut reum criminis, cujus ignarus & penitùs expers est. Aliàs si arbitratus fuerit non posse Deum interficere innocentes, ut paganus, & Divini in res creatas dominii non satis conscius loqueretur; quemadmodum cæcus Evangelicus, asserens quòd Deus non audiat peccatores, visus est Augustino, ut cæcus & nondum fidei illustratus lumine sic enuntiasse.

Quis enim fidelis nesciat, Deum quotidie complures interficere *ignorantes & justos*? Fulmina, tempestates, terræmotus, inundationes maris & fluminum, quot absumunt parvulos & adultos donatos justitiâ! Sed & licèt Abimelech purus esset ab adulterio, & raptu conjugis alienæ, utpote quam innuptam esse crediderat, neque attigerat hactenus à Domino in somnis apparente monitus tempestivè; Attamen neque in ipso, neque in populo noxæ aliæ deerant sufficientes, ob quas mortis supplicio addici justissimè potuissent: jamque non levi plagâ percutere Deus cœperat domum regiam, ut legitur in fine capitis: *Orante autem Abrabam sanavit Deus Abimelech, & uxorem, ancillasque ejus, & pepererunt; concluserat enim Dominus omnem vulvam domûs Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ*, non veluti propter delictum illud à quo erant immunes; sed ut vexatio daret intellectum, ut scilicet in tantæ calamitatis causam Abimelech inquireret, atque à Deo postea monitus crederet, & à peccandi periculo averteretur.

Liberemus & nos adversarium à cæcitate, quæ eum impediverat, ne videret, quod in nos vibrare voluit spiculum, in se faciliùs, ictuque non irrito convertendum. Si enim juxta Abimelech & nostrum hic adversarium Dei justitia non sinat eum interficere gentem ignorantem & justam, non sinet etiam eandem affligere graviter: quia in Quesnelli sententia, *Nunquam Deus affligit innocentes: & afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.* Attamen hic deprehendimus gentem, judicibus Abimelech & adversario, innocentem, immissâ à Deo calamitate vexatam non in pœnam peccati, vel purificationem peccatoris; sed finem alium Divinæ Sapientiæ, sanctitati, misericordiæ, atque adeò bono ipsius hominis convenientissimum.

2 Perceperit indubiè Hexaplorum subsidiarius *Collator* errorem stolidum Hexaplorum producentium historiam sacram novo dogmati prorsus infestam. Ideò ab illa studiosè abstinens unicum arripit textum Sapientiæ cap. 12. *Cùm ergo sis justus, justè*

justè omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare exterum æstimas à tua virtute. Æstimo istud & ego; sed & simul exterum esse à *Collatoris*, & cæterorum Constitutioni refragantium ingenio, ignorare discrimen afflictionem inter & condemnationem, punitionemque. Calamitas dirigente Deo obvenire potest, atque ab illo sinè ulla injustitiæ specie immitti, etiam innocentissimis ob fines Divinæ Sapientiæ, sanctitati, misericordiæ maximè congruos, conducentes patientium saluti, ut habes superiore capite compluribus, etiam Scripturarum exemplis ac testimoniis comprobatum. Uti mortis acceleratio, non punitio peccati, aut purgatio peccatoris; sed singularis æstimatur erga justos atque electos gratiæ beneficium, erit etiam quædam erga reprobos plurimos misericordia, qui ideò sublati citiùs à Deo fuerint, ne in pluribus delinqnendo, graviùs punirentur. Aliud reperire in sacris paginis non potuere adversarii, quo collabentem novitatis fabricam fulcire conarentur: atque hoc eorum studium non solùm irritum; sed fraudulentum simul deprehenditur; cùm latere eos non potuerit, in utroque textu nihil esse penitùs eum proscripto Articulo commune.

S. Thomas parte 3. quæst. 69. art. 3. ex sacris Literis colligit fuisse *rationabile & convenientius*, non auferri baptismate *pœnalitates* hujus vitæ: quod tribus stabilit argumentis, inter quæ neque punitio peccati est, neque peccatoris purificatio. Sed „ Primum est: quia per Baptismum homo „ incorporatur Christo ... & ideo conve„ niens est, ut id agatur in membro incor„ porato, quod est actum in capite. Chri„ stus autem à principio suæ conceptionis „ fuit plenus gratiâ & veritate; habuit ta„ men corpus passibile, quod post passio„ nem & mortem est ad vitam gloriosam „ resuscitatum: unde & Christianus in Ba„ ptismo gratiam consequitur quantum ad „ animam; habet tamen corpus passibile, „ in quo pro Christo possit pati; sed tan„ dem resuscitabitur ad impassibilem vi„ tam.

3 „ Unde Apostolus dicit Rom. 8. *Qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivi„ ficabit & mortalia corpora vestra propter „ inhabitantem spiritum ejus in vobis*. Et „ infra: *Hæredes quidem Dei; cohæredes „ autem Christi; si tamen compatimur, ut „ & simul glorificemur*. Secundò hoc est „ conveniens propter spirituale exerci„ tium, ut videlicet contra concupiscen„ tiam & alias passibilitates pugnans ho„ mo, victoriæ coronam acciperet: unde „ super illud Rom. 6. *ut destruatur corpus „ peccati*, dicit Glossa (Augustini) *Si post „ Baptismum vixerit homo in carne, habet „ concupiscentiam, cum qua pugnet, eamque „ adjuvante Deo superet*: in cujus figuram „ dicitur Judicum 3. *Hæ sunt gentes, quas „ Dominus dereliquit, ut erudiret in eis „ Israelem, & postea discerent filii eorum „ certare eum hostibus, & habere consuetu„ dinem præliandi*. Tertiò hoc fuit conve„ niens, ne homines ad Baptismum acce„ derent propter impassibilitatem præsen„ tis vitæ, & non propter gloriam vitæ „ æternæ. Unde Apostolus dicit 1. Cor. 15. „ *Si in hac vita tantùm sperantes sumus in „ Christo, miserabiliores sumus omnibus ho„ minibus*. „

Hìc juxta Angelicum interpretem terminatur ratio Scripturæ, cur baptismate non extinguatur simul eum peccato pœnalitas, quæ à vitiata contrahitur origine. Si S. Thomas aut sacer textus adversario consentiret, non omitteret rationem juxta ipsos præcipuam, ut foret punitio peccati, aut purificatio peccatoris: rationem, inquam, juxta adversarios præcipuam; cùm à Deo in singulis hominis afflictionibus intendatur. A nobis verò hæc attributa Deo tam universalis intentio convincitur, velut minimè congrua Divinis Oraculis; sed ab adversariis stolidè, & post iteratas sæpius Sedis Apostolicæ condemnationes, exitialiter conficta.

CAPUT III.

Non favet adversariis celebris sententia S. Augustini lib. 1. operis imperfecti cap. 39.

1 EX Patribus præter Gelasium Pontificem solus objicitur Augustinus, in quo præcipuè placet adversariis illud lib. 1. operis imperfecti *Neque sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereatur, potest*: Sed non omnis, qui afflictionem patitur, *miser* est, Nemo sapiens Paulum tunc miserum reputaverit, quando in tribulationibus & persecutionibus pro Dei gloria toleratis, superabundare se gaudio fatebatur: neque cæteri fuere miseri de quibus refertur Actorum cap. 5. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Miseria propriè opponitur beatitudini.

Discimus autem ipsius veritatis testimonio, non miseros; sed *beatos esse, qui persecu-*

secutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et cur afflictio corporis hìc miserum reddat, quando ipsius Augustini, & aliorum Patrum judicio, propriè mala non est, sed etiam bene sustinenti utilis ad meriti & gloriæ incrementum?

Ita Sanctus Hipponensium Antistes Lib. de Agone Christiano cap. 7. „ Nec enim „ nos moveat, quod in hac vita secundùm „ carnem, quam portant justi, multa gra- „ via & aspera tolerant: nihil enim mali „ patiuntur; quia jam possunt dicere, quod „ ille vir spiritualis exultat, & prædicat „ Apostolus Paulus dicens: *Gloriamur in* „ *tribulationibus, scientes quoniam tribulatio* „ *patientiam operatur, patientia probatio-* „ *nem, probatio verò spem; spes autem non* „ *confundit; quia charitas Dei diffusa est in* „ *cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui* „ *datus est nobis*.

„ Si ergo in hac vita, ubi tanta tor- „ menta sunt, possunt boni & justi viri, cum „ talia patiuntur, non solùm æquo animo „ tolerare; sed etiam charitate in Deo „ gloriari; quid cogitandum est de illa „ vita? „

Epist. 156. „ Rectè facis, mala hujus „ mundi tolerabilia ducere spe futuri. Sic „ enim usu quodam bono convertuntur in „ bonum, dum non augent nostram con- „ cupiscentiam; sed exercent patientiam: „ de qua re Apostolus ait: *Scimus quoniam* „ *diligentibus Deum omnia cooperantur in* „ *bonum*. Omnia, inquit: non solùm ergo „ illa, quæ appetuntur ut suavia, verùm „ etiam illa, quæ ut molesta vitantur, „ quando alia sic sumimus, ne capiamur, „ alia sic ferimus, ne frangamur, & se- „ cundùm præcepta divina in omnibus „ gratias agimus ei, de quo dicimus: *Be-* „ *nedicam Dominum in omni tempore, sem-* „ *per laus ejus in ore meo*; & *Bonum est* „ *mihi, quoniam humiliasti me, ut discam ju-* „ *stificationes tuas*. Neque enim teverà, si „ fallacis prosperitatis semper hic tran- „ quillitas arrideret, anima humana por- „ tum illum veræ, certæque securitatis „ appeteret. „

2 Idem Sanctus Doctor Libro octoginta trium Quæstionum quæst. 81. „ Quan- „ quam non defuerint, qui justitiæ suavi- „ tatem, & internum ejus gaudium, cum „ corporalibus omnibus laboribus, & mo- „ lestiis, quas genus humanum pro condi- „ tione suæ mortalitatis patitur, cum „ omnibus etiam, quæ propter ipsam ju- „ stitiam in eos, qui justè vivunt injurio- „ sissimè cogitantur, ita compensarent, ut „ sequestratâ spe futuræ vitæ, jucundiùs „ & lætiùs præ amore veritatis torque- „ rentur, quàm luxuriosi præ cupiditate „ ebrietatis epulentur. „ Longè igitur aliud, & quidem in Augustini sententiâ est, *miserum* esse, aliud perpeti afflictiones. Prius peccatoribus proprium est, & iis, qui adversitatibus se dejici pusillanimes, suæque vitio voluntatis sinunt; posterius etiam fortium & perfectorum est.

Miseria igitur propriè dicta est malum Beatitudini oppositum, quodcumque videlicet eâ nos privat, vel ab ea nos abstrahit, vel saltem afflictio, in qua sistitur, absque relatione aut utilitate ad bonum superius. Talis est miseria Dæmonum de qua Augustinus lib. 9. de Civitate cap. 13. *Porrò quia providentiâ summi Dei, sicut etiam ipsi* (hæretici) *fatentur, non fortuitâ temeritate regitur mundus, nunquam esset istorum æterna miseria, nisi esset magna malitia*. In Testamento veteri Joseph, etsi aliquanto tempore fratres suos affligeret, manifestationem sui differens; non tamen id præstitit vindictæ spiritu, neque miseros reddere voluit; sed pati aliquantum ut tanto majore cumularet lætitiâ & felicitate. Ita censuit Augustinus in Genesim Quæst. 145. *Quod non eos utique fecerit calamitosos, quando tanta etiam ipsorum futuræ lætitiæ exitum cogitabat: & totum hoc quod agebat, ut eorum gaudium differretur, ob hoc agebat, ut eadem dilatione cumularetur*, nullâ habitâ ratione injuriæ sibi à fratribus illatæ.

Similis ab Augustino intentio tribuitur Deo non solùm in permittendis; sed etiam infligendis tribulationibus. Inter collectas scilicet à S. Prospero ex Augustino sententias est 231. *Quando Deus permittit, aut facit, ut aliquâ tribulatione vexemur, tunc misericors est, quia excitans fidem, & differens in opere, non auxilium negat; sed desiderium movet*.

3 Immittere Deum aliquibus calamitates neque ad puniendum peccatum, neque ad purificandos peccantium animos; sed ad virtutis, potissimùm charitatis, & tolerantiæ probationem, discimus iterum ex Augustino Epist. 28. ad S. Hieronymum: *Deus bonus est, Deus justus est, Deus omnipotens est. De hoc dubitare omnino dementis est. Tantorum ergo malorum, quæ fiunt in parvulis, causa justa dicatur. Nempe cùm majores ista patiuntur, solemus dicere, aut sicut in Job merita examinari, aut sicut in Herode peccata puniri. De parvulis autem quid respondeamus edissere; si tantis pœnis nulla

nulla sunt in eis punienda peccata. Nam utique nulla est in illis ætatibus examinanda justitia.

Ignorantia, qua indubiè est malum aliquod animi rationalis, in nobis non semper, quamvis sæpissimè dicenda est ultio peccatorum; sed aliquando decernitur à Deo ut sit homini exercendæ humilitatis occasio. Sic Augustinus Lib. 11. de Civitate cap. 22. *Nos admonet Divina providentia, non res insipienter vituperare; sed utilitatem rerum diligenter inquirere: & ubi nostrum ingenium, vel infirmitas deficit, ita credere occulta, sicut erant quædam, quæ vix potuimus invenire: quia & ipsa utilitatis occultatio aut humilitatis exercitatio est, aut elationis attritio.* Denique in cæco Euangelico defectum hunc obvenisse non propter peccatum; sed ad manifestandam Dei gloriam, & Christi in pellendis quibusvis infirmitatibus potestatem asserit Augustinus Lib. 3. contra Julianum cap. 6. *Deus enim, qui est animarum, ipse est etiam corporum conditor, qui utique humanæ in ipsa conditione naturæ vitia non infligit immerita. Neque de innumerabilibus parvulis, qui & in animo, & in corpore cum tanta vitiorum varietate nascuntur; hoc dici potest, quod Dominus ait Joannes 9. de illo qui cæcus est natus; non propter peccatum ipsius, vel parentum id esse factum; sed ut manifestarentur opera Dei in illo.*

S. Chrysostomus hom. 8. in cap. 4. Epistolæ ad Timotheum *Hæc sciens Quænam sint bona, quæ mala, quæ media disce: ut puta bonum virtus, nequitia malum, media verò divitiæ, paupertas, vita, mors. Cùm ista didiceris, adde, quod ideo premuntur justi ut coronentur; peccatores verò ut pœnas exsolvant.* Durior Sententia Macarii Senioris Ægyptii est hom. 15. *Deus sui juris est, & quod vult facit, itaut si visum sit ei per potentiam suam mittere possit justos in gehennam; peccatores autem in regnum Cœlorum, licèt hoc minimè velit, nec ei gratum sit.* Quod certissimum est fieri non posse in præsenti Decretorum ordine. Quid in alio potuisset Deus non est instituto nostro necessarium disceptare.

4 Inter Augustini sententias à Prospero collectas est etiam hæc 186. *Non queratur homo, quando in his quæ justè habet, patitur aliquas adversitates: per amaritudinem enim inferiorum docetur amare meliora, ne viator tendens ad patriam, stabulum pro domo diligat.* Sententiâ 158. *Inimici Ecclesiæ qu olibet modo errare censeantur, vel malitiâ depraventur, si accipiant corporaliter potestatem affligendi, exercent ejus patientiam: si tantummodo malè sentiendo adversantur, exercent ejus sapientiam: & ut etiam inimici diligantur, exercent ejus benevolentiam: quia Deus his, qui eum diligunt, omnia cooperatur in bonum*; dilectionis videlicet cæterarumque virtutum & gloriæ incrementum. Utinam hodierni hostes Ecclesiæ tantummodo malè sentiendo ejus exercerent sapientiam, & non etiam acceptâ corporaliter potestate Ecclesiam affligendi, exercerent ejus nimiùm patientiam, neque ejusdem abuterentur nimiùm in diligendis hostibus charitate! Verùm oportet hæreses esse & persecutiones, ut qui probati sunt, manifesti fiant, dum reprobi publicis suis querelis, Protestationibus, rebellionibus noti, horridi, detestabiles omnibus reddantur fidelibus.

Tolerentur præsentia mala, donec veniat beatitudo promissa: sustineantur à fidelibus infideles, & inter hortorum frumenta zizaniorum avulsio differatur: Quantumlibet sæviant impii, melior est etiam in hoc tempore causa justorum, qui quanto acriùs impetuntur, tanto gloriosius coronantur, inquit Augustinus sententiâ inter collectas à Prospero nonagesimâ nonâ.

Præiverat S. Basilius hom. 9. dicendo: *Sapiens & providentissimus rerum humanarum dispensator Deus utitur ad nostram excitationem malignitate aliorum, quemadmodum Medicus viperæ veneno ad salutarem medicamentorum præparationem.*

Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 8. *Quos dilexit, cum his sic permittit Diabolum luctari, ut vincentes coronentur, & factâ victoriâ, major quidem victus à minore confundatur; homines autem magnificè probantur, cùm eum, qui aliquando fuerat Archangelus, vincunt.*

Consonat Origenes Homilia 13. in caput 22. Numerorum: *Ob hoc neque Diabolum removet à principatu seculi hujus, quia adhuc opus est operâ ejus ad perfectionem eorum, qui coronandi sunt, ad exercitia certaminum, ad victorias Beatorum.*

5 Nimia verò adversariorum temeritas est, quod, quasi ab intimis Deo consiliis forent, definire præsumant, quis omnium ab eo proficiscentium afflictionum finis sit, peccati videlicet punitio, vel purificatio peccatoris. In aliquibus quidem casibus ex circumstantiis fieri potest, ut à Sanctis Patribus fieri vidimus, conjectura probabilis; at ubique velle eum adversariis determinare rationem Dei nos tribulationibus exercentis, temeritas est. In plurimis sufficere

nobis

nobis debet quod suggerit Basilius homilia 9. expendens illud quod, *Deus non sit author malorum, Malum*, inquit, *aliquod est secundùm nostrum sensum, aliud naturâ ipsâ. Malum itaque naturâ ex nobis oritur, injustitia, lascivia. Rursus malum dicimus quod triste durumque sit sensibus nostris, ut corporis morbum, plagas, egestatem, ignobilitatem, quorum quodlibet à sapientissimo & optimo Domino ad utilitatem inducitur.*

Ibid. *unum quidem hoc habere in mentibus nostris præsumptum oportet, quod cùm simus boni Dei opificium, & ab illo constemus, omnia circa nos tam modica, quam magna dispensante, nihil nobis accidat, illo non volente: & quod nihil eorum, quæ nobis accidunt, malum sit, aut tale, ut melius illo aliquid excogitare valeamus.*

Basilii sententiam adoptat, Anastasius Nicænus, homiliam ejus suis inserens quæstionibus, ubi col. antepenultimâ dicit: *Propriè malum est peccatum, quod quidem maximè dignum est mali appellatione, ex libero nostro arbitrio dictum; cùm in nostra potestate sit situm vel à vitio abstinere, vel esse malos. Ex cæteris autem alia quidem objiciuntur, tanquam certamina ad ostendendam animi magnitudinem: alia autem tanquam medicina peccatorum: aliquod aliud genus terribilium, quæ à justo Dei judicio inferuntur, ad reddendos modestiores eos, qui sunt proclives ad peccatum.*

6 In hominibus quidem ex utroque sexu sanctissimis, dum peccatores se, & subinde peccatorum maximos autumant, laudabilis humilitas est, omnia, quæ patiuntur incommoda, omnes corporis & animi angustias, iisque longè majores credere suis esse debitas peccatis. Verùm sicut in aliis indigna censeretur contumelia de sanctis istiusmodi enuntiare quòd magni peccatores fuerint, & veluti tales contemni ab omnibus mereantur, ita indigna de iis opinio est, omnes ærumnas eorum & angustias fuisse supplicia delictorum.

Crescit contra adversarios indignatio, quando revocamus in memoriam, ipsos omnia clamoribus, questibus, protestationibus implere contra summos utriusque fori Principes, quoties pati sibi quidpiam ab illis contigerit: tunc non pœna demeriti est, sed oppressio innocentiæ, & persecutio veritatis. Exemplis de hoc innumeris plena Jansenistarum historia est. Repete eam, si placet, ab ipsis Michaelis Baji & Jansenii temporibus. Si Gabrieli Gerberon credimus, quidquid anathematis Bajus ante retractationem incurrerat, non pœna inobedientiæ fuit, sed iniqua insectatio veritatis, ac tum primùm cœpit ejus passio esse punitio peccati, quando Articulos suos à duobus proscriptos Pontificibus, condemnando, Ecclesiæ reconciliatus est. Quidquid Vergerius Abbas Sancyranus in Vincennensi prope Parisios carcere passus fuit, nullus Quesnelli assecla vocavit usque adhuc supplicium peccati; sed persecutionem justitiæ, imò Divinæ gratiæ de suis hostibus triumphum. Non aliud est Arnaldi & Quesnelli in tot suis dogmatibus, etiam hæreticis iterata toties condemnatio: non aliud multiplici contra Constitutiones Apostolicas rebellioni inflictum anathema.

7 Art. 98. *Status persecutionis & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitiosus & impius, ultima plerumque probatio est, & maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo*: in quo nullum *puniri* potuit *peccatum*, nulla esse *purgatio peccatoris*. Art. 100. *Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque Discipulos! Tempus hoc advenit. Haberi & tractari à Religionis Ministris tanquam impium & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustrà quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & Zelo quodam religionis, persequendo flammâ ferroque viros probos, si propriâ passione est excæcatus, aut abreptus alienâ propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus Diabolo Dei servum*, qui sacrificium istiusmodi sacrilegum minimè meretur: atque adeò illud neque punitio peccati est, neque purgatio peccatoris.

Finis nobilior disertiùs traditur Art. 96. *Deus permittit ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ.* En Prædicatoribus veritatis, quæ sola Quesnello novaturiens, & Janseniana est, illata persecutio, non propter eorum crimina, vel delicta, etiam leviora; sed ut *veritatis* (Jansenianæ) *victoria attribui non possit nisi Divinæ gratiæ*, quæ omnis insuperabiliter efficax est, utpote per Art. 10. *Operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*. Quidquid verò extra novam Ecclesiam patimur, semper est punitio peccati, aut ad justificationem peccatoris dispositio.

CAPUT IV.

Neque usquam alibi Augustinus damnato dogmati suffragatur.

1 Prolixior contra nos adducitur sententia ex ejusdem Augustini lib. 4. adversùs Julianum in fine. „ Parvulos intuere, quot & quanta mala patiantur: in quibus varietatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus crescant: deinde jam grandes, etiam Deo servientes tentat error ut decipiat: tentat labor, aut dolor ut frangat: tentat libido ut accendat: tentat mœror ut sternat: tentat typhus ut extollat. Et quis explicet omnia festinanter, quibus gravatur jugum super filios Adam? Hujus evidentia miseriæ gentium Philosophos nihil de peccato primi hominis sive scientes, sive credentes, compulit dicere, ob aliqua scelera suscepta in vita superiore pœnarum luendarum nos esse natos ... Apostolus autem amputat opinionem, qua creduntur singulæ animæ pro meritis anteactæ vitæ diversis corporibus inseri. Quid igitur restat, nisi ut causa istorum malorum sit aut iniquitas, aut impotentia Dei, aut pœna primi veterisque peccati? Sed quia nec injustus, nec impotens est Deus, restat, quòd non vis; sed cogeris confiteri, quòd grave jugum super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset.

Totum istud cum Augustino asserimus Catholici, quòd grave jugum ignorantiæ & inordinatorum concupiscentiæ motuum, morborum atque ipsius mortis, utpote ex vitiata natura orientium, non fuisset, nisi delicto originis præcedente. Verùm non omnia quæ mortales patimur, ex corruptæ radicis vitio proficiscuntur. Exempla evidentia sunt in afflictionibus, quas Deipara pertulit, quòd parienti non esset locus in diversorio, quòd fugere cum infante coacta fuerit in Ægyptum propter imminens ab Herode periculum, quòd JESUS Matre & Josepho insciis se subduxerit in templum, denique & cum doloris gladius animam ejus in passione Unigeniti pertransivit.

Idem statue de Josepho circa priores angustias, quarum dum viveret cum Virgine particeps fuit. Neque ex corruptione originis profluunt dolores Martyrum, quos ex illatis à lictore cruciatibus sentiunt. Idem est de Jobi calamitatibus, quas irrogandi potestas diabolo concessa à Deo est, non ut forent punitio, aut purgatio peccatoris, sed justi probatio, & gloriosa de Diabolo victoria.

a De Tobia quoque disertè Angelus testatur, non quia peccator, sed quia justus, *quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te* lib. Tobiæ cap. 12. De istiusmodi afflictionibus nullus Patrum loquitur quoties de peccati originalis, vel etiam actualis fructibus, sive suppliciis disserunt, ut per se patet, atque ex ipsis Scripturarum testimoniis manifestè colligitur, consentiente ipso Augustino epist. 28. ad Hieronymum: *Cùm majores ista patiuntur, solemus dicere aut sicut in Job merita examinari, aut sicut in Herode peccata puniri*. lib. 6. contra Julianum cap. 21. *Vos autem negantes Originale peccatum, profectò aut cogimini dicere, Deum vel invalidum, vel injustum, sub cujus potestate imago ejus in parvulis sinè ullo vel proprii, vel originalis peccati merito tantis affligitur malis; non enim per hac exercetur virtus, quod rectè de bonis hominibus majoribus dicitur, in quibus rationis est usus*. Plures Augustini sententias dedi capite superiore.

Neque desinit rationi consentanea esse objecta S. Doctoris ratiocinatio, cùm ex antecedente posito sic concludit: „ Quid igitur restat, nisi ut causa istorum malorum sit aut iniquitas, aut impotentia Dei, aut pœna primi veterisque peccati? Sed quia nec injustus, nec impotens est Deus, restat .... quòd grave jugum super filios Adam à die exitûs à ventre matris usque ad diem sepulturæ .... non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset. „ Ubi non ex uno qualicunque malo, & cuicunque homini obveniente; sed ex tota malorum congerie concluditur originis delictum; quia etsi aliqua justis adultis & ratione præditis accidant, ut hìc & superiùs ab ipso edocti fuimus Augustino, non veluti noxæ alicujus supplicium, sed virtutis probatio, & meriti incrementum; id tamen locum non habet in parvulis, neque peccatoribus adultis, neque omnibus justorum miseriis, ut sunt morbi, mors, & cætera quæ corruptionem naturæ necessariò sequuntur.

Quanquam neque de singulis infantium justificatorum afflictionibus constat etiam Augustino, eas ex peccato originis profluxisse. Et quidem de aliquibus etiam ante non justificatis, quos Herodis sustulit persecutio ita pronuntiat lib. 3. de libero arbitrio

trio cap.23. „ Quis autem novit, quid parvulis, de quorum cruciatibus duritia majorum contunditur, aut exercetur fides, „ aut misericordia probatur? Quis ergo „ novit quid ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bonæ compensationis „ conservet Deus? Quoniam quanquam „ nihil rectè fecerint; tamen nec peccantes aliquid ista perpessi sunt: Non enim „ frustrà etiam infantes illos, qui, cùm Dominus JESUS Christus necandus ab Herode quæreretur, occisi sunt, in honorem Martyrum recepti sunt „. Non igitur ex singulis sive adultorum sive infantium afflictionibus sequitur Deum esse arguendum injustitiæ, si quid earum non propter peccatum aliquod patientibus accidisset.

3 Instant Adversarii ex eodem libro 3. de libero arbitrio cap.9. num.26. *Si peccatis detractis miseria perseverat, aut etiam peccata præcedit, rectè deformari dicitur ordo atque administratio universitatis.*

Vera est Augustini sententia, neque favet adversariis accipiendo *miseriam* ut miseriam, quâ homo verè & propriè miser dicitur, qualis non est quælibet justis adveniens afflictio, teste Augustino sententiâ inter collectas à Prospero ducentesimâ septuagesimâ: „ Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram „ gloriam, quæ revelabitur in nobis. Sæviat & fremat mundus, increpet linguis, „ corruscet armis, quidquid fecerit, quantulum erit ad illud quod accepturi sumus? Appendo quod patior contra id „ quod spero: hoc quidem sentio, illud „ spero; & tamen incomparabiliter majus „ est quod speratur, quàm quod aufertur. „ Quidquid est, quod contra Christi nomen sævit, si potest vinci, tolerabile est: „ si non potest, proficit præmio citiùs consequendo, & fidelis fine temporalis mali transit in perceptionem æterni boni.

Nemo fidelis & sapiens desinet Dei Matrem prædicare beatissimam; etiam dum ejus animam in passione Filii Unigeniti pertransivit doloris gladius, quia probè conscia erat, quantum ex hoc Filii Sacrificio gaudium cœlo, quanta sibi & cæteris bonis mortalibus felicitas, quantum ex brevi suo mœrore præmium, quanta gloria sibi proveniret æternitate apud superos bonis omnibus cumulatissimâ. Puer dyscolus & insipiens, otio ac lusui deditus miseriam reputat laborem necessarium discendis literis, & quibuscunque artibus, ac scientiis instituì animum necesse est, ut perficiatur, reddaturque idoneus ad omnem vitam honorificè ac feliciter traducendam: Prudentiæ autem parentibus dictat, non indulgere malesano puerorum genio; sed assiduis eos monitis, blanditiis, præmiis, etiam, ubi opus est, verberibus avertere ab ignavia, atque ad studia adducere vel reluctantes.

4 Neque istiusmodi educatio, quantumlibet dura pueris appareat, revera misera est; sed optabilis ad vitam, quantum conditio fert mortalium, beatam conveniens præparatio. Ita multò magis in spiritualibus ait S. Augustinus sententiâ inter collectas à Prospero ducentesimâ septuagesimâ quintâ: *Labor piorum, exercitatio est, non damnatio. Nec enim conturbari debemus, cùm aliquis Sanctus gravia & indigna perpetitur; si obliti non sumus, quæ pertulerit Justus justorum, Sanctus sanctorum.* Sent.97. *Adhærens Deo, etsi quædam dura atque adversa patiatur, non relinquitur, sed probatur*: neque, etsi nullius noxæ punitio supponitur, propterea rectè dicitur deformari ordo atque administratio universitatis; sed si miseria propriè dicta, cujus officium, & finis est affligere patientem, ut fit in punitionibus peccatorum, si, inquam, hoc sensu miseria noxam præcederet, vel eâ detractâ perseveraret, non incongruè vocaretur recti ordinis atque universitatis perturbatio.

Reliqua quæ ex Augustino, Gelasio, & D. Thoma *Collator* objicit, nihil penitùs difficultatis pariunt, unâ eâdemque responsione perfacili dissolvenda: Audiantur nihilominus singula.

Juxta Augustinum lib.83. Quæst. Quæstione 34. „ Justus Deus regens & gubernans universum, nullam pœnam cuiquam „ sinit, immeritò infligi; nullum præmium „ immeritò dari. Meritum autem pœnæ „ peccatum est; & meritum præmii rectè „ factum. „

Idem lib.3. de libero arbitrio cap.18. „ Omnis, inquit, pœna, si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur; „ si autem injusta est pœna, quoniam pœnam esse nemo ambigit, injusto aliquo „ dominante, homini imposita est. Porrò „ quia de Omnipotentia Dei & justitia dubitare dementis est, justa hæc pœna est, „ & pro peccato aliquo penditur. Non „ enim quisquam injustus dominator, aut „ surripere hominem potuit, velut ignoranti Deo: aut extorquere invito, tanquam invalidiori, vel terrendo vel confligendo, ut hominem injusta pœna cruciaret. Relinquitur ergo ut hæc justa „ pœna de damnatione hominis veniat.

Gelasius Papa epist. ad omnes Episcopos per Picenum „ Videbitur, quod absit, „ injustus Deus si, illic infligatur pœna, ubi „ nulla sit culpa.

S. Thomas 1. 2. q. 87. art. 7. „ Quævis „ pœna, sive simpliciter, sive satisfactoria, „ propter aliquam culpam est, sive originalem, sive actualem, sive propriam, „ sive alterius.

5 Ubique patet, *pœnam* asseri fructum esse peccati, neque sinè hoc esse posse justitiæ consonam, vel à justo judice infligi quod nemo æquus & sapiens negaverit. Sed nullum inde Quesnelli Articulo subsidium est; agit enim ille de cujuscunque generis *afflictionibus*, definiens, eas semper servire vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem; at *pœnam* inter & *afflictionem* discrimen latissimum semper agnovit Ecclesia, & pridem apertissimè declaravit feriens anathemate Propositionem Baji 72. affirmantem „ Omnes omnino justorum afflictiones, esse ultiones peccatorum; unde & Job & Martyres, quæ „ passi sunt, propter peccata sua passi sunt. „ 73. Nemo præter Christum est absque „ peccato originali: hinc Beata Virgo „ mortua est propter peccatum ex Adamo „ contractum, omnesque ejus afflictiones „ in hac vita, sicut & aliorum justorum „ fuerunt ultiones peccati originalis vel „ actualis „. Doctorem Angelicum proscripto Articulo contrarium dedi capite 2.

Ex Collatoris autem & aliorum Constitutioni adversantium, allegationibus liquet, sic eos Quesnelli sententiam interpretari ut non solùm *afflictiones semper*; sed etiam necessariò *serviant ad puniendum peccatum aut ad purificandum peccatorem*, seu fieri nequeat, ut dolotis aliquid à Deo obveniat homini penitùs innocenti; aliàs Deus ipse reus fiat injustitiæ & crudelitatis. Quid enim aliud sibi velle potest coacervatio tot locorum, quibus arguitur iniquitatis, si pœnam inferat antequam præcesserit delictum; sic *pœnam* ineptissimè interpretando, ut omnis cum ea afflictio confundatur, quasi omnis ærumna, omnis dolor, si à Deo justo immittitur, necessariò sit peccati supplicium? Unde neque sinè originali justitia, quâ per peccatum primi hominis deficiente, omnis miseria nostra initium duxit, condi homo potuerit, futurus aliàs obnoxius ægritudini & morti absque prævio peccato; sed non absque conditoris ipsius injustitia in Quesnelliano Systemate.

6 Augustinus verò lib. 1. Retractationum cap. 9. ait: *Quamvis ignorantia & difficultas essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus; sed laudandus esset, sicut in eodem tertio libro* [de libero arbitrio] *disputavimus*. Nomine *difficultatis* penès Augustinum venit concupiscentia. Si autem non culpandus esset Deus; sed laudandus; etiamsi ignorantia & concupiscentia fuissent primordia hominis naturalia; sive licèt Deus Adamum cum ignorantia & concupiscentia condidisset, quare conjicienda esset in Deum iniquitas, si eundem fecisset morti, ægritudini, & afflictionibus expositum; cùm hæ neque peccatum sint, neque ad peccatum alliciant, ut allicit concupiscentia?

Ignorantia quoque transgressionum plurimarum, saltem materialium, si inculpata & insuperabilis est, principium esse noscitur. Sed tota illa systematis Quesnelliani series remissa pridem ad inferos fuit iterato trium Pontificum anathemate, quo feriuntur Bajani Articuli non solùm septuagesimus secundus, & septuagesimus tertius superiùs relati; sed etiam 78. „ Immortalitas „ primi hominis non erat gratiæ beneficium; sed naturalis conditio. 55. Deus „ non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur. 26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio; sed naturalis ejus conditio.

Plura in iisdem Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. Constitutionibus proscripta Baji dogmata in eundem sensum conveniunt. Neque primus, qui contra ea anathematis gladium strinxit Pontifex, aut qui ea denuntiaverant, fuere Molinæ Discipuli; sed prior eruditissimus Sancti Thomæ, posteriores Scoti & Bonaventuræ.

7 Verùm Quesnellus, contempto quolibet anathemate, maluit abdicaras ab ipso rettactante se Bajo, abjectasque spurcitias assumere, amplecti, quia adamatas aliquando viderat a Jansenio; licèt & hic vitæ tempore sæpius, ac dein moriens, se suaque scripta omnia, Romani Pontificis judicio subjiciens, proscriptas ab eo opiniones singulas censeri debeat condemnasse. Nè scilicet, qui errantem ubique sequitur Jansenium, audiat se corrigentem, obest Antonii Arnaldi institutoris sui domestici, omnibus sibi Pontificibus majoris testimonium in Apologia pro Jansenio pag. 92. *Deum sicut alias Salomoni ædificationem templi, ita reservasse Jansenio materiam de gratia clariùs elucidandam*.

Quapropter hanc novæ suæ Ecclesiæ Quesnellus petram, hoc fundamentum censuit

fuit securius, quàm quod Christus in Petro ejusque successoribus designavit. Sic autem Jansenius Tomo 2. editionis Lovaniensis col.883. *Mors nequit innocenti Creaturæ sinè merito præcedentis iniquitatis à Deo infligi*. Col.938. *Ex ipsis terminis crudelitatem, & injustitiam spirat, innocentem animam, nulli peccato obnoxiam, ad miserias statûs præsentis condemnare*. Col.925. *Nullum qualecunque malum inferri à Deo potest creaturæ rationali sinè culpa*. Col.746. *Impossibile est, miseriam à Deo infligi sinè culpa præcedente*. Col.945. *Ex miseriis puræ naturæ cogimur ad diversas impietates, ad blasphemiam in Deum, ad Manichæismum*. Col.975. *Deus non potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur*, obnoxius morti & miseriis, ut ab errante Bajo Jansenius didicerat; non enim potuisse creari primum hominem cum peccato, ab omnibus agnoscitur: neque de hoc ulla Bajo aut Jansenio cum suis unquam adversariis disceptatio fuit.

Discere autem has novitates Jansenius potuit, non solùm à Bajo; sed etiam à Calvino lib.2. Institut. cap.1. à Chamiero Calvini discipulo Tom.3. lib.10. cap.17. & lib.1. cap.1.

Propositio damnata septuagesima prima.

Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem. *Observ. Moral. Marc.2.v.28.*

CAPUT I.

Damnatus error convellitur.

1 Sensus Articuli apparet obvius, quod homo quilibet, etiam privatus, quotiescunque memoratus casus occurrerit, absque ullo valeat peccati periculo se dispensare. Dogmatica enim assertio est, cujus subjectum illimitatè positum æquivalet universali. Porrò si homo quilibet ob sui conservationem id possit in lege, quam Deus condidit ob ejus utilitatem, multò magis id poterit in lege qualibet eundem in finem lata ab Ecclesia, vel quacumque inter homines potestate. Hactenus persuasum omnibus sive Theologiæ, sive legum scientiam profitentibus fuerat, dispensandi authoritatem non penès inferiores esse; sed solum Legislatorem, vel successorem ejus, vel superiorem, saltem ubi ad eum patuerit aditus; nec opus Epikiæ subsidio sit; Verùm Theologia nova & quidem *Moralis Evangelicæ compendium* potestatem hanc amplissimè extendit ad omnes homines nullo gradûs aut sexûs discrimine.

In hac itaque Quesnelli sententia pro dispensatione in lege jejunii non amplius ad Pontificem, ad Episcopos, vel Superiores alios recurrendum est, habente privato quolibet pro se dispensandi expeditissimam facultatem, est enim lex jejunii inspirante Deo per suos condita ministros propter hominis utilitatem.

S. Leo sermone 1. de jejunio ait: *Quosdam jejuniorum dies per temporum recursus esse nobis à Deo præfinitos, ut castigatione corporum virtus roboraretur animorum*. S. Augustinus epist.86.ad Casulanum. *Ego in Evangelicis & Apostolicis literis, totoque instrumento, quod appellatur Testamentum novum, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præceptis Domini, vel Apostolorum non invenio definitum*. A Deo scilicet præcipitur hominibus, ut diebus aliquibus jejunent, sed dierum determinatio Rectoribus Ecclesiæ commissa est. Ita cum Angelico Doctore 2.2.qu.147. art. 3. Theologi communiter. Quid autem præcepto illi tandem eveniet, si dispensandi se authoritas penès mortalium singulos resederit.

2 Requirit quidem Propositio ut dispensetur *ob sui conservationem*; sed ea communissima dispensationem petentium ratio est. Quædam scilicet infirmitas corporis conservationi hominis magis obfutura, si jejunium accesserit. Si enim infirmitas tanta sit, ut cum ea jejunium componi nequeat, vel proximum mortis periculum ab eo crearetur, prudentissimè supponitur non fuisse à Legislatore volitum, ut in istiusmodi casu lex sua obstringeret.

Legem non vescendi idolothytis condidit Deus ob utilitatem hominis, ut eum magis ab idololatriæ sacrilegio, ac periculo removeret. Machabæos autem dogma Quesnellianum latuit; potuissent aliàs ob sui conservationem se dispensare ab illa car-

carnium Diis oblatarum abstinentia, atque ita evadere sævos adeò cruciatus, quos sacra refert historia, & horret animus meminisse.

Propter utilitatem hominis prohibentur Matrimonia in certis gradibus affinitatis & consanguinitatis, uti & propter quædam crimina. Poteritne hic etiam privatus quilibet ob sui conservationem se dispensare, quia scilicet ægrè aliàs, & in gravi inopia vitam traducere cogeretur, vel minis premitur læsionis forsitan ab alio inferendæ? Ita dispensationibus Ecclesiæ vix amplius opus erit, quando privatus quilibet sui ipsius Judex constituitur, & in legibus, quantum sibi sufficit, dispensator.

Propter utilitatem hominis pollutio & fornicatio vetantur; licitæne fiunt ob hominis conservationem? Non minùs propter hominis utilitatem lex prohibet adulterium. Apparebat autem castissimæ Susannæ medium evitandi calumniam & mortem ignominiosissimam unicè necessarium, non tamen potuit in animum inducere ideo sibi innocuam fore in lege castimoniæ dispensationem. Quid si bestialitatem & quæcumque sodomiæ crimina, quæ naturæ maculam inferunt & Dei gravissimam offensionem barbarus, vel quivis impius, certam aliàs mortem illaturus, imperaverit, fientne ob conservationem hominis licita?

3 Nullum est in ipso Decalogo præceptum in quo ferendo Deus utilitatem hominis non spectaverit, ut Asceticorum omnium & Theologorum sententia est: An etiam illorum omnium obligatione liberare se quivis poterit, quoties inopia gravis vel læsio corporis timetur?

Non ob solam, inquies, hominis utilitatem Decalogus conditus est. Sed neque Propositio, ut licitè ab homine quolibet in lege dispensetur, ullo indicio restringitur ad eas leges, quas Deus ob solam ejus condiderit utilitatem: neque ad eas limitari poterat, ne fieret, ut vocamus, *de subjecto non supponente*, & chimerica; nam neque ulla lex à Deo tradita est, aut condi poterat nisi propter Deum: Omnia scilicet, propter semetipsum operatus est Dominus, Scripturâ teste, & naturæ necessariò perfectissimæ est, in omni opere finem intendere optimum, qui indubiè Deus ipse est.

Ab Innocentio XI. justissimè condemnatæ sunt Propositiones 65. *sicut jacent ut minimùm tanquam scandalosæ, & in praxi perniciosæ*. Resuscitandæ autem ex iis decimæ octavæ ansam præbet Quesnelli Articulus.

Ab Innocentio scilicet proscripta est: *Si à Potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri ut Deo & fidei gloriosum consulo: tacere ut peccaminosum, per se non damno*. Confessio fidei, interrogante Potestate publica, indubiè confitenti utilis est ad salutem; imminente verò mortis periculo permittit Quesnelli novaturiens benignitas, ut se homo ob sui conservationem à confessione fidei dispenset.

Neque hic ad dispensationem in lege qualibet Divina necessitatem exigit extremam, vel periculum mortis proximum; sed latissima panditur cuilibet laxitati janua, significando non requiri aliud, quàm quod sive propè sive remotè conduceret talis dispensatio ad sui valeat conservationem. Neque ad hoc alterius opus est judicio; sed quilibet sui Judex statuitur in causa propria. Ulliusne unquam Casuistæ laxissimi, eò progressa dissolutio est?

4 Aliud Propositionis defensoribus effugium est, eam agere de sola lege positiva; non verò naturali. At restrictionem istam non exhibet enuntiatio. Locus quidem Scripturæ, unde ejus occasio sumpta est, ad legem pertinet positivam; sed familiarem nimiùm Quesnello fallaciam esse novimus ex locis maximè impropriis errores suos elicere, atque ex casu aliquo singulari dogmata formare generalia, quale est, quod hic fecit anathemate Pontifex. Quanquam neque restrictionem illam circumstantiæ continent, neque, si fieret ad solas leges positivas limitatio virus omne à novitate abstergeret. Præceptum scilicet suscipiendi & conferendi aliis Baptismatis, positivum est, atque ob utilitatem hominis à Deo datum. Tyrannus autem idololatra, aut alius Ecclesiæ ac fidei inimicus, prohibeat salutiferi adeò susceptionem collationemque mysterii: adde eum velle subditos inrentatâ morte adigere, ut pollicitatione & forsitan jurejurando fidem suam obligent, fore ut neque se, neque alios Christiano lavacro ablui patiantur. Licitumne fiet subditis tam impio obedire mandato, seque istiusmodi obstringere promisso? Nullus dixerit.

Sed neque se dispensandi in lege qualibet positiva humana solummodo, sive Ecclesiastica, sive civili potestas subditis omnibus & privatis, quos amor proprius facilè decipit, tribuenda est, præteritâ, & quodammodo spretâ majorum, etiam dum accessus ad eos facilis est, authoritate. Nescio an Quesnellus sensum suum enuntians, satis intellexerit, quid assereret, concedens adeò liberaliter facultatem omnibus dispen-

difpenfandi fe à lege Divina propter fui conditâ utilitatem, quoties difpenfatio in fui cederet confervationem. Eft enim actus jurifdictionis ut refert Anto. de Bu. in caput *At fi Clerici*. §. de adulteriis: Extra de judi. Et dicunt Petrus de Ancha & Gemi. in cap. *Cùm ex eo* de elect. in vt. quod eft jurifdictionis, de quo per Lud. Roma. confi. 325. in fi.

5 Præterea difpenfatio dicitur juris relaxatio. Decius in c. *At fi Clerici*. §. de adulteriis. col. 11. in princ. Extra de judic.

Difpenfatio eft de genere prohibitorum, nifi fit exprefsè permiffa Doc. & Archi. in c. *At fi Clerici*. de judi. in gl. arg. contra.

Difpenfatio eft rigoris mitigatio, vel pœnalitatis moderatio facta per habentem authoritatem ex publica authoritate, vel utilitate, vel alia rationabili æquitate, quam lex civilis indulgentiam vocat. Bal. in Addi. fpe. de difpen. v. t. & in fpe. §. t. Item eft relaxatio Juris tt. 9. vtt. §. 3.

Unde Jurifperitis & Theologis indubitatum eft, difpenfandi facultatem non penès fubditum; fed penès Superiorem folummodo effe, ipfum videlicet Legiflatorem, vel Superiorem ejus, vel fucceforem, & æquali cum Legiflatore præditum poteftate. Cùm igitur Deus fibi habere nequeat æqualem in Divinis legibus nulla fieri poteft five humanâ, five angelicâ authoritate difpenfatio. Mirabilem itaque hic fibi Quefnellus poteftatem vindicat, fuifque communicat Symmiftis: etiam gregalibus. Hoc nempe fingulare Ecclefiæ novæ privilegium eft. Denique præfens novitas minimè fapit rigorem, quo aliàs Theologi ifti ad cæterorum invidiam gloriantur; fed authoribus fuis & fequacibus percommoda eft, innumeris quoque patentem latè adeò licentiam amantibus, ad novam Ecclefiam alliciendis peridonea.

CAPUT II.

Nihil in Divinis Literis, nihil in SS. Patribus, aut alibi eft, quod fundamentum præbeat errori.

1 NUllum in Patribus, aut Scholafticis invenire fubfidium novitas potuit. In facris autem paginis textus geminos arripit, fed injuriâ; neutro enim loco, ut mox videbimus, in jure Divino difpenfatio fit, fed folùm prudens interpretatio, quod cafum illum Divina prohibitio minimè comprehendat.

Lib. 1. Machabæorum cap. 11. „ Dixit „ vir proximo fuo: Si omnes fecerimus, „ ficut fratres noftri fecerunt, & non pugnaverimus adversùs gentes pro animabus noftris, & juftificationibus noftris, „ nunc citiùs difperdent nos de terra: & „ cogitaverunt in die illa dicentes: Omnis „ homo, quicumque venerit ad nos in „ bello die Sabbathorum, pugnemus adversùs eum: & non moriemur omnes, „ ficut mortui funt fratres noftri in occultis.

Alter locus eft Marci 2. „ Et factum „ eft iterum, cùm Dominus Sabbathis ambularet per fata, & Difcipuli ejus, cœperunt progredi & vellere fpicas. Pharifæi autem dicebant ei: Ecce quid faciunt „ Sabbathis, quod non licet. Et ait illis: „ Nunquam legiftis, quid fecerit David, „ quando neceffitatem habuit, & efuriit „ ipfe, & qui cum eo erant? Quomodo introivit in domum Dei fub Abiathar Principe Sacerdotum, & panes Propofitionis manducavit, quos non licebat ei „ manducare, nifi Sacerdotibus, & dedit „ eis, qui cum eo erant? & Et dicebat eis: „ Sabbathum propter hominem factum eft, „ & non homo propter Sabbathum. Itaque Dominus eft filius hominis etiam „ Sabbathi. „

In triplici hac hiftoria facra, nufquam eft difpenfatio privati hominis; fed explicatio legi congrua. Et quidem excufandis Apoftolis fuffecerat ipfe Dei filius incarnatus, fe Dominum Sabbathi & legis effe fignificans, in lege fua difpenfare poterat: Verùm neque difpenfatione propriè dictâ opus fuerat, quando quidem nulla fiebat *juris aut rigoris relaxatio*, in qua difpenfationem confiftere fuperiùs vidimus, ita definiente univerfo Jurifperitorum agmine. Remanente itaque jure & rigore legis integro, folummodo declarabatur, cafum, de quo difceptatio eft, à lege minimè prohiberi; quia, inquit Chriftus, non homo propter Sabbathum; fed hoc propter hominem eft: ne fcilicet labore continuo vires hominis atterantur, dies feptimus quieti conceditur, & ut poffit animus rerum cœleftium meditationi attendere & precibus.

Quemadmodum autem moderata comeftio, quæ neceffaria virium refectio eft, neutri legis fini officit; fed utramque juvat; imò utrique neceffaria eft, ita non apparet difpenfationis neceffitas, aut materia, fed & quoties occurrerit legis à Deo nobis fimul cum natura inditæ obligatio non finendi

di nos fame emori, nemo sapiens censebit esse à Deo vetitum in istiusmodi circumstantiis vellere spicas, etiam die Sabbathi, aut vesci panibus Propositionis, dum alii deficiunt. In idem coincider, si dixeris, occurrentibus alicubi legibus naturali & positiva, debere priori cedere posteriorem, si unius observatio impletionem non patiatur alterius.

2 Audiatur clarissimus scripturarum interpres Cornelius à lapide in Matthæi capit. 12. „ Vis [inquit] argumenti (quo „ Christus Pharisaicam retundit calumniam) est hæc: David vir secundùm cor „ Dei in necessitate famis usurpavit, & comedit panes Propositionis sanctos, quos „ aliàs laicis comedere non licebat; sed „ solis Sacerdotibus; quia prudenter judicavit legem positivam de non comedendis his panibus à laicis cedere debere legi, jurique naturæ, quod dictat „ in gravi necessitate famis conservandam „ esse vitam, comedendo quoslibet panes „ & cibos, etiam Deo consecratos: ideoque S. Paulinus, S. Laurentius, & alii, „ calices, & vasa Deo consecrata vendiderunt, ut per eorum pretium succurrerent gravi necessitati, famique pauperum. Ergo pariter; imò multo magis „ licet mihi, meisque discipulis vellere „ spicas in sabbatho, ut elicitis inde granis fami nostræ succurramus. Sanctitas „ enim Sabbathi prohibens opus servile, „ uti est vellere spicas, est juris positivi, „ quod cedere debet juri naturæ dictanti, „ in fame, vitæ esse consulendum quolibet „ cibo, etiam sacro. „

Divini itaque Legislatoris providentia casum istiusmodi necessitatis noluit lege sua prohibente contineri, sed legem naturæ statuit omnimodè sequendam. Atque ea prima quidem Christi contra Pharisæos ratio fuit. Altera ejusdem apud Matthæum eodem loco sequitur: *Aut non legisti in lege, quia Sabbathis Sacerdotes in templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt?* Dum scilicet victimas jugulant, excoriant, dissecant, lavant, componunt ligna, accendunt ignem, quo victimæ in honorem Dei comburuntur. Quæ opera in se nudè spectata servilia sunt, & violant Sabbathum, ni pietas & sanctitas excuset, atque ex servilibus & profanis sacra & divina efficiat, ut fit in casu.

„ Sensus itaque est (prosequitur A lapide) quasi Christus dixerit, uti Davidem necessitas, & Sacerdotes pietas, ita „ utrumque discipulos meos excusat à „ Sabbathi violatione per hanc spicarum „ vellicationem; ipsi enim me quasi Prophetam & Messiam sequuntur, meæque „ sacræ doctrinæ adeò intenti sunt, ut panum & ciborum parandorum obliti fuerint. Cur ergo famem ex opere tam pio „ contractam non levent vellicatione spicarum in Sabbatho? „

Tertia Christi ratio ibidem est, quod ipse qui templo major est, & Sabbatho, nempe filius Dei, istud discipulis opus permittat; non autem privatus quilibet sibi, ut Quesnelli novitas permittit omnibus quibus visum fuerit ad sui conservationem conducere. Quapropter ipsa Scripturæ historia, unde novus Theologus occasionem accipit errandi, errori prorsus est contraria.

Non plus præsidii adversariis est in Historia Machabæorum, de qua sic iterum A lapide in lib. 1. cap. 2. ad illud *cognovit Mathatias* &c. „ Hic (inquit) quasi Pontifex interpretatus est legem Sabbathi „ tali casu, quo scilicet quis invaditur ab „ hoste, non obligare, dixitque satius esse „ pugnare pro Deo & lege, ne omnis populus interficeretur, atque ita Ecclesia „ & Dei cultus periret. Unde hoc ejus „ responsum cæteri secuti, statuerunt die „ Sabbathi invadentes se armis repellere, „ ut patet v. 41. „ Ubi nulla conspicitur dispensatio in lege; sed solùm interpretatio ejus legitima, defensionem necessariam lege minimè prohiberi, utpote iure naturæ licitam, & sine tam honesto pioque laudabilem.

3 Hinc patet frivolam esse Quesnelli jactantiam dicentis „ Solam loci Euangelici ex Marco relationem sufficere, ut quivis intelligat, quàm parum æquitatis in „ Articuli censura sit. Evidens est eum „ de sola agere lege positiva, qualis erat „ de Sabbatho, & non comedendis panibus Propositionis, nisi à solis Sacerdotibus. Quid igitur? Num condemnabimus Davidem, qui pressus fame comedit ipse & comedendos porrexit sociis? „ An redarguemus Apostolos qui urgente „ fame vellebant spicas die Sabbathi ad „ manducandum? An & peccati maculam „ affingemus Christo, propterea quod ipsos ab omni labe vindicaverit, tum „ exemplo Davidis, tum ratione manifestâ; „ quia Sabbathum propter hominem, non „ homo propter Sabbathum est? „ Ita Quesnellus in animadversionibus circa Propositiones 101. Constitutione Unigenitus damnatas. Nos verò jam demonstratum dedimus,

dimus, nihil in Marci, nihil in Matthæi Euangelio esse unde erui valeat ullum proscripto dogmati fundamentum. Nam neque discipuli pro vellendis spicis, neque David se dispensavere in lege Domini; sed pro iis æterna veritas declaravit actiones talibus sociatas circumstantiis prohibitione legis minimè contineri, proin jus aut rigorem legis talibus non relaxari; sed etsi Discipulorum operatio legi fuisset contraria, non excusare eos debuit propria sua dispensatio, ipso facultatem concedente, qui aderat, legis æquè ac Sabbathi Domino.

4 Pergit nihilominus Quesnellus Constitutionem incessere, sibi objiciens: „ Verùm, inquiunt (Constitutionis vindices) „ si ea aliquando stabiliatur regula, licita „ cuique habenda erit sua in positivis „ omnibus Dei legibus dispensatio. Frivolum argumentum! Quasi verò regulæ „ istæ non concluderentur certis limitibus, „ quibus restringuntur, velut hæc agens „ de *Lege quam Deus condidit propter hominis conservationem*. „

Potiùs subdola Quesnelli, attamen tentata frustrà evasio est; nulla enim in Propositione conspicitur limitatio ad eas solummodo leges, quas Deus condidit ob ejus conservationem; sed Articulus extenditur ad leges omnes in quibus à Deo intenditur qualiscunque utilitas hominis. Subdolam appello evasionem mutato scilicet *utilitatis* vocabulo in *conservationis*. Num fortè eadem utriusque penès adversarios significatio est? Si affirment, ideoque indifferentem & innocuam esse unius cum altero commutationem; licitum nobis pariter fiet in priore Articuli parte pro *conservationis* nomine substituere *utilitatis*; ut dicatur *homo ob suam utilitatem posse se dispensare ab ea lege, quam Deus propter ejus utilitatem condidit*.

Si his conceptam vocibus Propositionem Constitutio retulisset, quibus *Protestationibus* & *Querelis* contra perfidiam non declamassent Quesnelli vindices, propterea quod ejus enuntiatio exprimeretur odiosiùs, quàm ab ipso scripta & typis edita fuerit! Si nempe cujusvis ratio *utilitatis*, ad dispensandum in lege qualibet Divina sufficit, resuscitabitur non exigua dogmatum antea proscriptorum pernicies, quale est illud: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam; si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo Regalo, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & epulæ aliæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur*. Errorem hunc profligavit Alexander VII. inter Morales Quadragesimum primum.

Similis est 51. damnatus ab Innocentio XI. *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestram ad stuprandam Virginem, & multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter; si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur*.

Infinita istiusmodi sunt & longè graviora crimina, quæ homini licita faciet Quesnelli Articulus, si *conservationis* vocabulum mutare placuerit in *utilitatis* Quemadmodum in suis ipse vindiciis pro *utilitatem* posuit *conservationem*: fraudulenter quidem, ut patentem latissimè Propositionem restringeret. Si verò, ut amoliatur à se notam perfidiæ, sustineat hìc esse synonima, idem jus tribuitur omnibus, ut *conservationis* nomine in damnato Articulo non plus intelligant, quàm *utilitatis*.

Hac ratione ut nihil à Deo præcipitur, quod sive immediatè, sive mediatè saltem non serviat utilitati mortalium, Divinâ disponente providentiâ, ita nullum, aut rarissimum flagitium est, in quo non utilitatis aliquid à quovis intenditur peccatore. Quid igitur sic licitum non fiet, si homo ob sui conservationem (hoc nomine non plus intelligendo quàm utilitatem) dispensare se possit ab ea lege, quam hominum utilitas ratio Deo fuerit condendi.

5 Porrò si ob utilitatem quamlibet homo se dispensare valeat à legibus Divinis, quanto faciliùs poterit ab humanis sive secularibus, sive Ecclesiasticis! Hinc libertinorum impia triumphabit dissolutio, repertura semper facilè utilitatis quidpiam, quod transgrediendis omnibus humanis divinisque legibus obtendat. Et sanè ab annis octoginta, quibus Janseniana hæresis divulgari per Gallias, & Belgium cœpit, nihil illâ factione fœcundius vidit utraque regio in comminiscendis prætextibus contra legem quamlibet novitatis suæ progressibus obsistentem. Centena in promptu habeo Magistratuum sæcularium, Principum, & Regum, Academiarum, Antistitum, Nuntiorum Apostolicorum, Cardinalium, Congregationum, ipsorumque Romanorum Pontificum Decreta, Brevia, Constitutiones à Novatoribus non contemptas solummodo, sed contumeliis etiam & modis quibusque indignissimis impugnatas. Singulorum, si majoribus visum fuerit, luculen-

ta specimina palàm dabo postquam confutavero Propositiones. Institutum interim prosequamur.

Ex deductis hactenus manifestè colligitur, mendacem esse, quam Quesnellus memorat, sui dogmatis restrictionem; reverà autem esse latissimam, quam ad eludendum Ecclesiæ judicium, occultare nititur, dissolutionis suæ subdolæ falsitatem. Proindè invicta remanet Catholicorum adversus damnatum Articulum oppositio; quod, si admittatur velut regula, *hominem ob sui conservationem posse se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem*, vix ulla futura sit lex Numinis adeò sancta, à qua dispensare se homo etiam privatâ nequeat authoritate?

Idem statue de lege qualibet seculari & Ecclesiastica. Propriæ enim conservationis obtentus, amplam patitur acceptionem, ut facilè comprehendat, quidquid conservando homini, seu proximè, seu remotè, etiam remotissimè possit conducere: atque ut de hoc quilibet suus statultur judex, dispensare se poterit. Nullo inposterum recursu ad superiores pro dispensationibus opus erit. Et quidem in Divinis legibus nulla posse authoritate hominum propriè dispensari; sed declarari solummodò casum aliquem lege Numinis haud contineri, persuasum hactenus Theologis fuerat; quandoquidem dispensandi potestas in lege qualibet, penès solum legislatorem est, vel authoritate præditum superiore, vel saltem æquali. Quales igitur Quesnellus homines singulos fecit, jurisdictionem eis tribuens, humanâ atque Angelicâ majorem?

6 Instat nihilominus dicens „ Prætereà „ Author Articuli odiosa omnia præoccupat consectaria, quæ elici ex eo possint, „ mox addens hanc plenam sapientiâ observationem: Valde nobis curæ sit attendere „ semper in legibus intentionem & motivum legislatoris. Is modus est veram earumdem assequendi intelligentiam, & „ nihil faciendi carumdem Spiritui contrarium. „

Recentiores hæretici, qui soli fidei tribuunt justificationem, non desinunt tamen in scriptis & concionibus commendare cætera virtutum opera. Ita quodammodo Quesnellus agit pium subdolè hortatorem, postquam permisit omnibus in lege Dei qualibet dispensationem, quoties aliqua obtendi poterit sui ratio conservandi, quæ ut latissimè patet, facilem reddit dissolutionis amatoribus ansam agendi pro suo genio, vel omittendi quidlibet. Quid igitur sequens commendatio quoad inanem speciem sancta juvat, nisi, ut præcedentis horror dogmatis fallaciâ leniatur, & virus lethiferum ab incautis bauriatur securiùs?

CAPUT III.

Expenditur Quesnelli temeritas insultantis opusculo cui titulus: Venenum 101. Propositionum à Clemente XI. damnatarum.

QUesnellus etiam acceptâ clade triumphare solitus. „ Dicatur modo, „ inquit, quod Propositio sic temperata tendat, ut licita reddatur, exempli gratia, Polygamia, quod unum ex consectatiis est ex Articulo deductum ab authore *Veneni*. Fateamur „ quod res est, sola impossibilitas allegandi quidpiam verisimile, adversarios adigit ad excogitandum, objiciendumque „ adeò exotica. „

Author Veneni Quesnello est scriptor Catholicus opusculi, cui titulus: *Venenum 101. Propositionum à Clemente XI. damnatarum*. Libellus mole exiguus est, sed perutilis, iis præcipuè quibus non vacat prolixiora legere volumina, &, ut animo fideli ac probè catholico sunt, disputationibus non egent; sed definitionibus solùm, earumque simplici intelligentiâ, ut veritati consentientes ab erroribus avertantur. Meretur autem solida authotis contra articulum observatio, ut quemadmodum Quesnelli defensionem integram retuli, ipsa quoque integra audiatur, unde magis perspicua fiet Quesnelli, pro se vindicias scribendi ratio, ineptiis pariter & fraudibus contexta, quando argumenta æquè ac exempla conspicua, quibus convincitur, dissimulans, unicum aggreditur, nec nisi infidelissimè relatum; Satis conscius quòd ne hujus quidem vires infringere valeret, si, ut ab authore proponitur, oppugnandum susciperet.

In Propositionem itaque Quesnelli sic Gallicè observaverat, author Catholicus, quo pestiferi dogmatis venenum detegeret. „ Juxta hunc Quesnelli Articulum, „ absque ullo limite, absque distinctione „ præceptorum Dei & Ecclesiæ, juris naturalis & positivi, *homo ob sui conservationem potest se dispensare ab ea lege, „ quam Deus condidit propter ejus utilitatem.* Atqui lex nulla est etiam juris naturalis,

„ ralis, quâ utilitas hominis à Deo non
„ intendatur. Lex igitur nulla est, à qua,
„ si Quesnello creditur, homo ob sui con-
„ servationem se nequeat dispensare.

„ Nunquam doctrina moralis dissolutis-
„ sima, latam adeò criminibus omnis gene-
„ ris aperuit januam. Comperta nimiùm
„ reddita est, aliàs arcana, Novaturienti-
„ um praxis, quasi præcepta Ecclesiæ non
„ obligent in conscientia remoto scan-
„ dalo, quæ restrictio etiam Calvinistarum
„ fuit antequam satis viribus & multitu-
„ dine sibi pollere viderentur ut apertè
„ jugum excuterent. Sic nempe famosus
„ eorum Martyr du Bourg interrogatorii,
„ pag. 33. respondit: *Quod attinet ad præ-*
„ *cepta Ecclesiæ Romanæ jejunia, creare se*
„ *nolle scandalum proximo; sed neque se cre-*
„ *dere ullam in conscientia esse Dei offensio-*
„ *nem, quando Deo gratias agendo non jejuna-*
„ *ret.* Utinam minor esset exemplorum
„ istiusmodi & abusuum copia, quos re-
„ formationis obtentu Moralis ista nova-
„ turiens procreavit. Nihilominus praxis
„ eadem quantumlibet execranda, videri
„ Quesnello debuit consentanea rationi.

2 „ Et sanè non loquitur is de præceptis
„ solùm Ecclesiæ: Assertionem statuit il-
„ limitatam, quæ ad Divina quoque man-
„ data extenditur. Duplicis ea generis
„ sunt, alia scilicet juris naturalis, alia po-
„ sitivi. Utrisque applicari potest Ques-
„ nelli enunciatio, si ejus vocibus insista-
„ mus: *Homo*, absque restrictione ulla, *ob*
„ *sui conservationem se dispensare potest ab*
„ *ea lege, quàm Deus condidit ob ejus utili-*
„ *tatem.* Quò ista vergant, satis explora-
„ tum est; attamen dissimulatâ etiam pro-
„ prietate verborum, supponatur non alia
„ fuisse authoris intentio, quàm de præ-
„ ceptis, quæ juris dicimus positivi: re-
„ cepta inter Theologos opinio est, man-
„ data Dei prohibentia polygamiam & di-
„ vortium, dum fieret saltem utriusque
„ consensu conjugis, esse juris solummo-
„ do positivi.

„ Sit itaque apud barbaros Christianus
„ junctus matrimonio, qui postmodùm in-
„ tentatâ morte jubeatur ducere uxorem
„ alteram: uxor pariter jubeatur alium
„ accipere conjugem. Uterque consulens
„ Confessarium, ab eo audiat polygamiam
„ & divortium adversari quidem Divinæ
„ legi; sed positivæ duntaxat, cui senten-
„ tiæ si jungatur Quesnelliana, *Hominem ob*
„ *sui conservationem, se posse dispensare à*
„ *lege condita propter ejus utilitatem*, uterque
„ in talibus circumstantiis licere securâ
„ conscientiâ credet alteras adire nuptias.
„ Non solum in regionibus infidelium oc-
„ currere potest casus homini in Matrimo-
„ nio, qualis in cœlibatu accidisse legitur
„ Casimiro Regi Poloniæ. Is facilè sibi ap-
„ plicabit Quesnelli Articulum: Et non ne
„ plausibilis hinc suggeritur excusatio Lu-
„ thero, aliisque Protestantium Magistris,
„ secundâ Conjugem permittentibus Land-
„ gravio Hassiæ.

„ Denique præceptum suscipiendæ fidei
„ Christianæ, ejusdem in quibusdam cir-
„ cumstantiis profitendæ, atque admitten-
„ di baptismatis, ad jus attinet positivum.
„ Quâ igitur ratione Quesnelli discipulus
„ persuadere poterit infideli, nullum mor-
„ tis periculum ab hac hominem eximere
„ obligatione? Tu ipse nos edoces, in-
„ quiet infidelis, *posse* quemlibet *ob sui con-*
„ *servationem dispensare se ab ea lege, quam*
„ *Deus condidit propter ejus utilitatem*: cur
„ itaque me meosque liberos crudeli ob-
„ jiciam supplicio, aut durissimæ servituti?


3 „ Non credimus quidem, omnia hæc
„ aliaque, ex ejus dogmate facilè deducen-
„ da consectaria, Quesnellum animo con-
„ cepisse, atque in ea collimasse studio;
„ sed exhibita sibi, protinus detestaturum;
„ non tamen propterea ejus enuntiatio,
„ unde ea sponte profluunt, minùs agno-
„ scenda est execrabilis.„

Hactenus author ille, quem Quesnelli charitas *Veneni artificem* appellat. Argumenta autem ejus callidè dissimulans solum vellicat, & quidem fide pessimâ à se relatum de polygamia exemplum; non enim author, ut jam vidimus, ex damnato colligit Articulo Polygamiam, quasi simpliciter & passim licitam; sed in casibus, quos indicat, rarioribus. Neque hos Quesnellus à suo dogmate excludere conatus est, indubiè quia desperaverat de successu. Frequentiores sunt casus de non suscipiendo baptismo, & non profitenda fide inter infideles: frequentissimi autem de violando jejunio obtentu valetudinis conservandæ, quando præteritis superioribus, suus quisque constituitur judex & dispensator in Divinis humanisque legibus; nam si id juris tribuitur homini in Divinis, quanto magis ei competet in humanis sive civilibus, sive Ecclesiasticis!

4 Neque hominis *conservatio* supponit periculum semper mortis proximum: intelligi etiam poterit remotum, intelligi & levissimum. Habet enim sui *conservatio* amplissimam latitudinem, præsertim ut Quesnellus in præsentibus videbatur vindiciis

confundere eam cum qualibet *utilitate*. Quo sensu suppposito, ut superiùs ostendere cœperam, vix ulla occurret morum relaxatio, quæ obtentu istiusmodi nequeat excusari. Sed præscindendo ab omni gravamine, quod improvida illa *Conservationis* cum qualibet *utilitate* confusio inducere Articulo nata foret, accepta nudè secundùm se, quæ proscribitur enuntiatio, sufficientem inducit moribus dissolutionem & perniciem, partim à demonstratore *Veneni*, partim à me superiùs indicatam, ut nemo probè catholicus, & divinæ humanæque amans justitiæ, neque omnino prodigus conscientiæ & salutis, execrari non debeat pestiferum adeò laticem, ex quo talis corruptio morum dimanaret.

Denique temerariis istis in Divina lege dispensatoribus, eosque pravo dogmate foventibus terrorem incutere deberet illud Christi apud Matthæum cap.5. *Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut Prophetas: non veni solvere; sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant: Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno Cœlorum.* Vilis, abjectus habebitur in Ecclesia; in regno autem cœlorum propriè dicto reputabitur indignus adeò, ut ad illud non admittatur, inquiunt Chrysostomus, & Theodoretus.



SAN-

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS XI.

PONTIFICIS MAXIMI

CONSTITUTIO

UNIGENITUS,

Providè, ac justissimè damnans Propositiones centum & unam, excerptas ex Libro Gallico *Observationum Moralium in Novum Testamentum*,

Theologicè propugnata.

PARS III.

Refellens reliquas triginta Propositiones quæ sunt de Ecclesia; *&* Ecclesiæ Disciplina *ad quam videlicet referuntur* Lectio Scripturæ Sacræ, Usus Sacramenti Pœnitentiæ, Sacrificium Missæ, Excommunicationis sententia &c.

Propositio damnata septuagesima secunda.

Nota Ecclesiæ Christianæ est quòd sit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos & justos terræ & omnium seculorum. *Observ. Mor. Hebr.* 12. *v.* 24.

CAPUT I.

Damnationis æquitas defenditur.



1 Ecclesiæ nostræ nota rectissimè dicitur Catholica. Nulli enim hæreticorum Conventiculo convenit, neque ulla hactenùs secta nomen illud sibi palàm tribuere ausa est, aliàs de mendacio nimis facilè convincenda. De sui temporis hæreticis & anterioribus, eò procedere impudentiæ nunquam ausis, ut se publicè appellarent Catholicos, Augustinus testatur scribens contra Epistolam fundamenti, & lib. de verâ & falsâ religione cap. 7. Ideo pro Ecclesiæ Nota meritò à fidelibus assumitur, & ipso traditur Symbolo Apostolorum. Ita Pacianus epistolâ ad Simpronianum *Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen: illud me nuncupat: istud ostendit.*

Si autem Ecclesiam constituentium enumeratio, quæ à Quesnello describitur adæquata sit, ut passim intelligitur, excluduntur ab Ecclesia omnes peccatores reprobi. Hic sensus Propositionis obvius est, juxta quem Ecclesiæ *Catholicæ*, seu universalis *Nota* ineptissimè truncatur & ad pauciores restringitur, quàm olim à Donatistis apud Augustinum lib. de hæresibus cap. 69. & à Novatianis apud eundem lib. 3. contra Parmen. cap. 2. apud Cyprianum lib. 4. epist. 2. apud Epiphanium in hæresi Catharorum. Illi enim quantumvis perversi hæretici, ut ex citatis locis colligit Bellarminus lib. 3. de Ecclesia militante cap. 2. contra Calvinum, non omnes peccatores ab Ecclesia exclusere; sed solos in fide lapsos, Tradito-

tores librorum sacrorum, & similes.

Damnato dogmati consonat Augustana Lutheranorum Confessio art.7. statuens, Ecclesiam esse Sanctorum Congregationem, qui verè credunt, & obediunt Deo. & Philippus Melancthon in Confessionis istius Apologia assumit ostendendum, peccatores ad Ecclesiam solo nomine pertinere. Consentit Brentius in Prolegomenis contra Petrum Soto.

2 Verùm communis Catholicorum Sententia est, Ecclesiam non in solis sanctis & justis consistere; sed etiam in peccatoribus; neque occultis tantummodo; sed cognitis quoque & manifestis. Catholicus hic sensus probari solet à Sanctis Patribus ex variis Scripturæ locis, ac Parabolis de area in qua cum tritico zizania & paleæ sunt; de convivio nuptiali, in quo non omnibus nuptialis vestis est: de Ovili in quo hædi ovibus mixti sunt: de decem virginibus, inter quas referuntur quinque fatuæ. Clarissima Christi enuntiatio est Matth.18. „ Si peccaverit in te frater tuus, vade, & „ corripe eum inter te & ipsum solum .... „ Si autem te non audierit, adhibe tecum „ adhuc unum vel duos... Quod si non „ audierit eos, dic Ecclesiæ: Si Ecclesiam „ non audierit, sit tibi sicut ethnicus & pu„ blicanus.„

Igitur peccatores de Ecclesia sunt; nam de iis, qui foris sunt, non solet Ecclesia judicare, teste Apostolo. Quid evidentius illo Pauli Epist.1. ad Corinthios cap.5.? *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes itaut uxorem patris sui aliquis habeat*. Rescindi quidem eum ab Ecclesia ibidem jubet Apostolus dicens, *Tollatur de medio vestrum*: Ar quamdiu à fidelium cœtu authoritate publicâ separatus non fuerat, ad Ecclesiam pertinebat.

Apocalypseos cap.2. & 3. scribit Joannes septem Ecclesiis Asiæ, quarum ferè singulas de vitiis non levibus reprehendit: imò, ut monet Augustinus lib.2. contra Parmenianum cap.10. Ecclesiæ Sardensis Præpositum, nomine Angeli significatum graviter Joannes redarguit dicens: *Nomen habes quod vivas, & mortuus es: esto vigilans* &c.

Si solis justis constaret Ecclesia, opus non haberet Sacramento Pœnitentiæ. Verùm Christus fideles suos infirmos sæpe tentationibus succubituros prævidens, ut eos faciliùs post lapsum erigeret, prompto remedio donavit, & quasi secundâ post naufragium tabulâ. Unde S. Augustinus Tractatu 6. in Joannem. *Nos fatemur in Ecclesia Catholica & bonos, & malos esse; sed tanquam grana & paleas*. Idem tradit lib.2. retract.cap.18.lib.post collat.cap.7.& 20. lib. de unit.Eccl. cap.13.lib.18.de Civitate Dei cap.49.& alibi.

3 Ante Augustinum Cyprianus lib.3. Epist.3. ad Maximum: „ Impediri non de„ bet aut fides, aut charitas nostra, ut „ quoniam zizania esse in Ecclesia cerni„ mus, ipsi de Ecclesia recedamus.

S. Chrysostomus in Psalm.39.„ Nec ex „ perfectis quidem universa constat Eccle„ sia; sed habet eos etiam, qui otio & so„ cordiæ se dedunt, mollemque & dissolu„ tam vitam amplectuntur, & libenter ser„ viunt voluptati, & quoniam est unum „ corpus, tanquam ex una persona, hæc „ & illa pronuntiat.

S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos post medium: „ Arca Noë Ec„ clesiæ typus fuit, ut in illa omnium ani„ malium genera, ita & in hac universa„ rum & gentium, & morum homines sunt: „ ut ibi pardus, hædi, lupus, & asini; ita „ & hic justi & peccatores, id est vasa au„ rea & argentea cum ligneis, & fictilibus „ commorantur.

Post illos S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap.43. „ Firmiter tene, & nulla„ tenus dubites, aream Dei esse Catholi„ cam Ecclesiam, & intrà eam usque in „ finem seculi frumento mixtas paleas con„ tineri, id est bonis malos Sacramento„ rum communione misceri.

Idem multis probat S. Gregorius hom. 11. & 38. in Euangelia.

Recentiùs verò Constantiensis Synodus damnavit Joannis Huss errorem 22. quo statuitur Pastor malus tantum *æquivocè Pastor*; & 23. quo Prælatus malus asseritur *non verus prælatus*. Non esset autem verus Pastor, neque verus Prælatus, si Ecclesiæ membrum non esset. Pastores enim & Præpositi Duces sunt & capita quædam Ecclesiarum; ut quomodo capita erunt, si è membrorum numero eradantur?

4 Maximè accommodatus hic Novatoribus error est, at omnem Ecclesiæ obedientiam excutiant. Quisquis enim Novitatibus inimicus hæreticorum audaciam censuris, vel aliis pœnis reprimere conatus fuerit, mox veritatis hostis & Sanctorum persecutor à Novatoribus declarabitur, atque adeò juxta Quesnelli Observationem extorris ab Ecclesia, Jurisdictione omni Ecclesiastica spoliatus & authoritate. Quanta inde perturbatio, quanta confusio fidelibus orietur, si peccator membrum Ecclesiæ

clesiæ esse definit, atque ita Episcopus Ecclesiæ suæ Rector, Summus Pontifex universi fidelium cœtûs caput amplius non agnoscitur, hoc ipso quo in peccatum inciderit! Morum etiam quanta corruptio, atque adeò perniciei succedet animarum, quando obtentu peccati ab Ecclesiæ Præpositis commissi, omnis detrectabitur obedientia, omnis pœna & Censura Ecclesiastica eludetur, neque modus supererit vitiorum licentiam in malevolis comprimendi!

5 Non tamen sola hæc Articuli proscripti labes est. Alia etiam hæreticis familiaris ibi cernitur, Ecclesiæ Nota invisibilis, cùm dicitur:„ Nota Ecclesiæ Christianæ „ est, quòd sit Catholica comprehendens „ & omnes Angelos cœli & omnes Electos „ & justos terræ, & omnium seculorum. Cùm nulla salus extra Ecclesiam sit, jussit Deus omnes homines ad eam confluere; ideoque talibus eam notis insigniri voluit, quæ oculis paterent, & possent facilè dignosci, ut à sectis errantium, cœtus fidelium discerneretur. Electio autem quæ in mente Divina est, & justitia in Sanctorum animis latens, non pervia aspectibus hominum est; sed iniquitas sæpe & hypocrisis specie pietatis obtegitur. Quapropter audiamus potius quomodo hanc Ecclesiæ Notam exhibeat Catechismus Romanus authoritate Tridentinæ Synodi compositus; quandoquidem ad eum ab ipsis provocamur adversariis.

Sic habet in Expositione Symboli. „ „ Tertia proprietas Ecclesiæ ea est, ut Ca„ tholica, nempe universalis vocetur. Quæ „ appellatio verè illi tributa est: quoniam, „ ut testatur S. Augustinus, A solis ortu „ usque ad occasum unius fidei splendore „ diffunditur. Neque enim, quod humanis „ Rebuspublicis, aut hæreticorum conven„ tibus (proprium) unius tantùm regni ter„ minis, aut uno hominum genere Ecclesia „ definita est; Verùm omnes homines, sive „ illi barbari sint, sive scythæ, sive servi, „ sive liberi, sive masculi, sive fœminæ, „ charitatis sinu complectitur. Quare scri„ ptum est: *Redemisti nos Deo in Sanguine* „ *tuo ex omni tribu & lingua, & populo, &* „ *natione, & fecisti nos Deo nostro regnum*. „ De Ecclesia dicit David: *Postula à me* „ *& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &* „ *possessionem tuam terminos terræ*. Item „ *Memor ero Raab & Babylonis scientium me:* „ *Et Homo natus in ea*.

„ Præterea omnes fideles, qui ab Adam „ usque in hunc diem fuerunt, quive futu„ ri sunt, quamdiù mundus extabit, veram „ fidem profitentes, ad eandem Ecclesiam „ pertinent, quæ super fundamentum Apo„ stolorum fundata est, ac Prophetarum, „ qui omnes illo lapide angulari Christo, „ qui fecit utraque unum, & pacem iis qui „ prope, & iis qui longè annuntiavit, con„ stituti sunt & fundati. Universalis etiam „ ob eam causam dicitur, quod omnes qui „ salutem æternam consequi cupiunt, eam „ tenere & amplecti debeant, non secus „ ac qui Arcam, ne diluvio perirent, in„ gressi sunt.

„ Hæc igitur velut certissima regula tra„ denda est, qua vera & falsa Ecclesia ju„ dicetur „. Hactenus Catechismus nobis exhibens tertiam proprietatem velut Notam & Regulam ex qua veram Ecclesiam à falsa certissimo judicio discernamus. Hæc Regula seu Nota Ecclesiam ad omnes omnium temporum fideles, seu veram profitentes fidem amplissimè extendit; non autem, ut Quesnelli Articulus, coarctat eam intrà terminos justorum. Professio veræ fidei est visibilis, de ea judicare tutò possumus, & ab ea dirigi, ut tali nos cœtui jungamus, in quo talis professio reperitur. Verùm neque æterna Dei electio, neque vera hominum justitia ab omnibus certò detegi potest, Angelo Satanæ sæpe in lucis Angelum se transfigurante, & homine hypocritâ in sanctum.

CAPUT II.

Nihil in SS. Literis est quod Articulo proscripto faveat.

1 Unicum nobis *Hexapla*, Unicum eundemque *Collatio* ex divinis oraculis objiciunt textum Apostoli ad Hebræos cap. 12. „ Accessistis ad Sion mon„ tem & Civitatem Dei viventis, Jerusa„ lem cœlestem, & multorum millium An„ gelorum frequentiam, & Ecclesiam pri„ mitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, „ & Judicem omnium Deum, & spiritus „ justorum perfectorum „. Caverint adversarii ostendendum assumere, quomodo hinc sequatur. „ Notam Ecclesiæ Christia„ næ esse, quòd sit Catholica comprehen„ dens & omnes Angelos Cœli, & omnes „ Electos & justos terræ, & omnium secu„ lorum. „ Satis pro sua sagacitate perspiciunt, nullam ex antecedente fieri posse ad suum dogma deductionem legitimam, aut probabilem. Quapropter malunt Sacrum textum temerè in chartam conjicere, quàm

quàm ejusdem ostendere cum novo dogmate connexionem. Hanc scilicet supponendam relinquunt devotis sibi Discipulis, & simplicibus, penès quos adeò stabilita creditur Magistrorum authoritas, ut quidquid ab illis in confirmationem Articuli cujuscumque proponitur, fidem obtineat sinè examine, & credatur quod non intelligitur.

Consideret autem quilibet textum Apostoli sive ut sonat, sive juxta probatum quemcumque interpretem, nullum occurret vocabulum, quod patrocinium præbeat errori. Commentarius Angelici materiam nos inter & adversarios controversam nè attingit quidem. Propiùs ad eam accedit Cornelius A lapide; sed neque penès eum quidpiam quod faveat novitati; quamvis interpretatio ejus copiosa sit adeò & accurata, ut ad plenam totius loci intelligentiam non videatur quid amplius posse desiderari.

Eruditio ejus digna est relatu: „ Opponit hic Apostolus Christianos Judæis, „ Sion Sina monti, Jerusalem Cœlestem „ terrestri, id est Ecclesiam Synagogæ, docetque, quanto Christiana lex, fides, „ & spes altior sit & sublimior Judaicâ & „ Mosaicâ lege, ut videant Hebræi, quàm „ in ea firmi & constantes esse debeant; „ ita scilicet ut malint omnia dura perpeti, „ quàm ejus jacturam facere. Si enim Judæi legem in Sina datam violantes, puniti sunt, multò graviùs punientur Christiani, qui fidem & gratiam Christi abjiciunt. Ita enim hoc argumentum deducit Apostolus v. 25.

2 „ Nota, per Sion, intelligi Ecclesiam „ Christi; quia in Sion, puta in templo, „ quod erat in Sion, docuit Christus. Rursum in Sion promulgata est lex nova, descenditque in Apostolos Spiritus Sanctus „ specie linguarum ignearum in Pentecoste. Ecclesia ergo dicitur Sion; quia „ cœpit in Sion: hinc ab Isaia, David & „ Prophetis sæpe vocatur Sion.

„ Nota secundò per *Sion* intelligi Ecclesiam, tum terrestrem & militantem; tum „ potius cœlestem & triumphantem: Quasi „ dicat: accessistis per fidem & spem ad Ecclesiam cœlestem & triumphantem, nam „ Ecclesia hîc in terris tendit, rectàque „ nos ducit ad triumphantem; adeòque una „ & eadem est Ecclesia, & Societas fidelium hic in terris militantium, & in cœlis triumphantium.

„ Quod enim potiùs loquatur Apostolus „ de Ecclesia triumphante, quàm militante, patet ex eo quod, dicat *nos accessisse* „ *ad multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cælis & Spiritus justorum* „ *perfectorum*; hi enim Angeli & spiritus „ sunt in Ecclesia non militante; sed triumphante.

3 „ Rursum quia triumphans Ecclesia, „ utpote invisibilis, opponitur meliùs „ Sina monti tractabili & visibili, quàm militans; nam militans Ecclesia tractabilis „ quoque est & visibilis.

„ Tertiò quia hanc Ecclesiam vocat civitatem Dei viventis, in qua scilicet regnat Deus vivens & æternus suosque „ Cives beatâ immortalitate donat & glorificat. Eandem vocat Jerusalem cœlestem; quam scilicet præfignravit Jerusalem terrestris, in qua Deus regnabat per „ Davidem in populo, & per Pontifices „ in templo. Hæc enim, aliaque meliùs „ competunt Ecclesiæ triumphanti, quàm „ militanti. Unde Theophilactus & Æcumenius per Sion cœlum accipiunt.

„ *Et multorum millium Angelorum frequentiam*, id est, solemnem conventum „ & celebritatem, qualis est in festis, in „ ludis publicis, & triumphis: ubi omnia „ plena sunt pompâ, decore, gaudio, magnificentia; Quasi dicat: Non accessistis ad Sina, ut ibi fulguris & tonitruis percellamini; sed ad Sion & Jerusalem cœlestem, ut ibi cum myriadibus Angelorum „ lætos dies festosve agatis in omni felicitate, gloria, gaudio, jubilo, triumpho. „ Agite ergo: modicum ô Hebræi tolerate: „ modicum certate: brevi ad festa hæc & „ triumphos cum Angelis transituri: prandete hic inter hostes pugnantes: mox in „ in cœlo cum Deo cœnaturi triumphantes.

„ *Et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cælis*. Primogenitos vocat „ Apostolos, primosque fideles & martyres, jam vita functos qui non tantùm per „ Dei prædestinationem, sed actu & reipsa „ jam conscripti sunt, effectique cives cœlestis Jerusalem: Quasi dicat: Videte „ Stephanum, videte Jacobum: videte „ Apostolos & Martyres, qui pro Christi „ fide usque ad mortem decertarunt, sanguinemque & vitam profuderunt; modò „ in cœlis coronantur. Hosce intuemini, „ hosce vidistis, novistis, spectastis: hi „ jam vos invitant ex alto, ut pro fide pariter generosè decertetis, itaque brevi „ cum eis in cœlis coronemini, & regnetis in æternum „. Hactenus Interpres communi eruditorum calculo approbatus.

4 Quid autem hic totus Commentarius ti.

tinet, quo statuatur universalitas Ecclesiæ *Angelorum* solummodo, *justorum*, *perfectorum & primitivorum*, *qui conscripti sunt in cœlis*, sive prædestinatorum, & jam æternâ felicitate gaudentium termino comprehendi? Recensentur cum Deo omnes Spiritus, & homines beati, velut præcipua universalis Ecclesiæ membra, quæque ad propositum Apostoli scopum unicè faciunt. Is scilicet est, ut initio interpres monuit, & sacer textus luculenter indicat, movere Hebræos, ut fidem & justitiam firmiter teneant, fortiter dimicent contra tentationes, & aspera quæque, et persecutiones fortiter patiantur, proponendo sibi exempla Sanctorum, præmia nullo tempore finienda. Procul autem abest Apostolus à sic concludenda Ecclesia, quasi universalis seu Catholica aliud non sit quàm Ecclesia primitivorum, justorumque spiritus perfectorum.

Neque in tota Apostoli oratione quidquam est, quod tam angustis Ecclesiam limitibus circumscribat, vel universalitatis Notam, quam ex Symbolo discimus, proponat invisibilem: quod utrumque Articuli condemnati vitium est, minimè haustum ex sacris paginis, neque ullâ Augustinianorum textuum coacervatione subdolâ excusandum.

CAPUT III.

Augustinus ab adversariis frustrà vocatur in subsidium.

1 Quesnelliani nos tribus præcipuè impetunt Augustini sententiis, quas integras securus exhibeo. Prima est ex Enchiridii cap. 56.
„ Rectus itaque confessionis ordo posce-
„ bat, ut Trinitati subjungeretur Ecclesia,
„ tanquam habitatori domus sua, & Deo
„ templum suum, & conditori Civitas sua.
„ Quæ tota hic accipienda est, non solùm
„ ex parte, quâ peregrinetur in terris, à
„ solis ortu usque ad occasum laudans no-
„ men Domini, & post captivitatem vetu-
„ statis cantans canticum novum; verùm
„ etiam ex illa, quæ in cœlis semper, ex
„ quo condita est, cohæsit Deo, nec ul-
„ lum malum sui casus experta est. Hæc in
„ Sanctis Angelis beata persistit, & suæ
„ parti peregrinanti, sicut oportet, opitu-
„ latur: quia utraque una erit consortio
„ æternitatis, & una est vinculo charita-
„ tis. „

Secunda est in Psalm. 36. serm. 3. num. 4.
„ Caput nostrum Christus est: corpus il-
„ lius capitis nos sumus. Nunquid soli
„ nos, & non etiam illi, qui fuerunt
„ ante nos? Omnes qui ab initio seculi
„ fuerunt justi, caput Christum habent...
„ Est & ipse totius caput Civitatis Jeru-
„ salem omnibus connumeratis fidelibus
„ initio usque in finem, adjunctis etiam
„ legionibus & exercitibus Angelorum,
„ ut fiat illa una Civitas sub uno Rege,
„ & una quædam Provincia sub uno Im-
„ peratore, felix in perpetua pace & sa-
„ lute laudans Deum sinè fine, beata sinè
„ fine. „

Tertia in Psalm. 90. serm. 2. num. 1.
„ Dominus noster Jesus Christus, tanquam
„ totus perfectus vir, & caput & corpus:
„ caput in illo homine agnoscimus, qui
„ natus est de Maria Virgine .... corpus
„ hujus capitis Ecclesia est, non quæ hoc
„ loco est; sed & quæ hoc loco & per to-
„ tum orbem terrarum: nec illa quæ hoc
„ tempore; sed ab ipso Abel usque ad eos,
„ qui nasci turi sunt usque in finem, & cre-
„ dituri in Christum, totus populus San-
„ ctorum ad unam Civitatem pertinen-
„ tium, quæ Civitas corpus est Christi,
„ cui caput est Christus.

Augustino ab Adversariis jungitur Gregorius Magnus lib. 5. epist. 18. ad Joannem Episcopum Constantinopolitanum.
„ Sancti ante legem, Sancti sub lege, San-
„ cti sub gratia (id est omnes Sancti, qui
„ tribus his temporibus vixerunt) omnes
„ hi perficientes corpus Domini, in mem-
„ bris Ecclesiæ sunt constituti. „

2 Locorum istiusmodi operosa congestio, unde firmamentum quæritur proscripto Articulo, ad finem propositum omnino inutilis est. Neque hoc fugere potuit adversariorum scientiam; non enim hebetes adeò sunt, ut non perspiciant, aliud esse ad commendandam Ecclesiæ Christianæ excellentiam, ad conciliandam ei apud Neophytos venerationem, & vocationis suæ eminentissimæ amorem, in Catechumenis desiderium, serie longa producere membra ejus illustriora, eorumque gloriam ac beatitudinem perpetuam commemorare: aliud partes ejus describere universas, quæ mortalium patere possunt aspectibus, & absque errandi periculo dignosci. Illud consilium passim Sanctis Patribus est Ecclesiam magnificè extollentibus.

Ita quisquis Regni alicujus, Reipublicæ, Congregationis aut prosapiæ encomiasten agere constituit, membra ejus nobiliora colligit, quæ ad multitudinis à se lau-

dandæ dignitatem, splendoremque conferre potissimum existimantur, prætermissis studio iis, qui opprobrio potiùs esse viderentur, quàm honori. Verùm qui universam se deducere prosapiam profitetur non solos referre debet sapientiâ, justitiâ, fortitudine, & cæteris virtutibus, ac præclaris actibus celebres, callido suppressis silentio innumeris, quorum fama odoris fuerit minimè boni; aliàs fidem ipse suæ destruet narrationis.

Maximè verò fraudulentus apud omnes, vel ineptissimus censebitur, qui *Notam* se pandere testatus, unde prædicta à se multitudo seu Congregatio discerni facilè & certissimè à cæteris valeat hominum conventibus, talem suggerit, quæ quoad partes singulas, & tota penitùs invisibilis sit. Talis Christianæ Ecclesiæ Nota quæ à Quesnello traditur, à Sede Apostolica meritò reprobatur.

3 Adde Augustinum agere de multitudine prædestinatorum, inter quos ipse se suosque auditores non superbâ præsumptione, sed spe, & piâ fiduciâ supponit, ut primam potissimùm & secundam ejus sententiam consideranti fit evidens: unde à Calvinianis magis, quàm à Quesnellianis ingeri debuit; nisi etiam hic, qualis passim alibi, amica inter eos consensio sit. Non frustrà scilicet Lutheri & Calvini asseclæ pro Quesnelli opinionibus & contra Bullam *Unigenitus* scriptis publicis decertant. Proinde ex illis Augustini sententiis nihil præsidii est damnato Articulo, nisi pariter sit Calviniano.

Dicendum itaque, ut jam animadvertere cœperam, non fuisse S. Antistiti propositum de universa loqui Ecclesia militante, indiciumque designare falli nescium, unde homo quilibet veram Ecclesiam ab omnibus infidelium conventibus discernere valeat. Quesnelli autem fraudulentia Augustinianam istiusmodi partium Ecclesiæ enumerationem exhibet, velut membra ejus omnia complectentem, & ex Apostolorum Symbolo creditam à fidelibus Notam, qua sua Congregatio à sectis omnibus, ipso oculorum indicio separetur.

Istud nobis Quesnellum persuadere subdolè voluisse, colligimus ex ipso loco, unde Propositio desumpta est *Notæ* (inquit) *& proprietates Ecclesiæ Christianæ: Est 1. Visibilis ut mons: 2. Una, Civitatis instar, cujus omnes partes spiritu Dei unitæ sunt. 3. Sancta velut cœlestis quædam Jerusalem per adorationem suam in spiritu & veritate, per sacrificium suum, religionem, ac charitatem. 4. Catholica &c.* prout damnata exprimit Propositio. *Apostolica &c.* De his amplior discurrendi campus offeretur capite proximo.

Interea saltem ex præsentibus authoris verbis & circumstantiis liquet, propositum ei fuisse loqui de Ecclesia *Notis* talibus insignitâ, quales in Apostolorum Symbolo traduntur: *Credo in Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*, eamque ut præfatur *Montis instar Visibilem*. Verùm quemadmodum peritissimus fallendi Mahumetus, ad conciliandos sibi Christianorum omnium & Judæorum animos, ab utrisque mutuari aliquid studuit; ita passim Quesnellus Catholicis Catholicus videri volens, cum religione Romana, Jansenianam hæresim in omnibus, Calvinianam in non paucis componere tentavit; atque hìc quidem contra hæreticos Ecclesiam visibilem verbotenus asserens, reipsa reddere conatur invisibilem, quando Catholicæ Notam, qua potissimùm Ecclesiæ visibilitas ostenditur, truncat adeò atque corrumpit, ut nihil in ea reliquum faciat, de quo mortalium oculi ferre valeant remotum ab errandi periculo testimonium.

In solis scilicet omnium temporum justis Ecclesiæ Catholicæ ratio à Quesnello constituitur. Hæc ipsi placet Nota quasi veram Ecclesiam à spuria divellens, quæ tamen ipsamet nulli conspicua est. Quapropter repudiatâ erroneâ & Catholicis hactenus incognitâ Quesnelli Notâ, retineamus communem ex Tridentini Concilii Catechismo, & Catholicorum omnium consensu superiùs traditam. Augustinus, & quisquis alius Patrum omnes omnium temporum justos, etiam Angelos agnoscens in Ecclesia, neque in ea collocans fidelium reliquos alio sensu Ecclesiam accipit, quàm communiter intelligatur.

Et quidem quæ objicitur ex Sancto sententia, prima potissimùm & secunda non alios videtur Ecclesiæ adscribere, quàm prædestinatos. Juxta primam scilicet Ecclesiæ pars, quæ hic peregrinatur, & altera, quæ beata quiescit in termino, utraque una erit consortio æternitatis: in secunda sententia omnes nomine Ecclesiæ recensiti fient una Civitas sub uno Rege: una Provincia sub uno Imperatore, felix in perpetua pace & salute, laudans Deum sinè fine, beata sinè fine. Quæ exprimendi Ecclesiam ratio, si nobis contraria sit, erit & adversariis, qui præter Electos, etiam statuunt in Ecclesia justos omnes omnium seculorum, proinde plurimos non præditos dono per-

perseverantiæ, & beatitudinis expertes.

Verùm ne inutilis fiat altercatio de nomine, nunquam Augustinus aut quisquam alius è Patribus vel probatis Scholasticis docuit quod docet Quesnellus, Notam Ecclesiæ Catholicæ, in sola consistere justorum multitudine: quo modo Nota, quæ in Catholicorum contra hæreticos sententiâ est maximè visibilis, hominum aspectibus subduceretur, ut gratia sanctificans & vera charitas.

4 Denique licuerit aliàs subinde nomine Ecclesiæ uti, intelligendo solummodò triumphantem, vel numerum prædestinatorum, vel justorum omnium multitudinem, quando nulla grassabatur hæresis excludens ab Ecclesia omnes reprobos, vel peccatores: at postquam Hussitarum & Calvinianorum grassari cœpere contagia, cautiùs loquendum est. Ita Augustinus Juliano Pelagii discipulo objicienti locum aliquem minùs perspicuum S. Chrysostomi, respondet lib. 1. contra Julianum cap. 2. *Cur putamus eum ita locutum; nisi quia disputans in Ecclesia Catholica, non se aliter intelligi arbitrabatur? Tali Quæstione nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus securiùs loquebatur.* Quanquam, ut dixi, nullus Pater Quesnellum docuit solam justorum multitudinem esse Notam Ecclesiæ Catholicæ, ex qua vera à falsa Ecclesia secerni certò debeat ac facilè possit.

Minus difficultatis patitur locus S. Gregorii, qui justos omnes & omnium temporum in Ecclesia constituit, iisque perfici ait corpus Domini, quod est Ecclesia, non propterea excludit fideles à justitia delapsos, qui si Ecclesiam tunc non perficiunt, ut filius dyscolus non perficit familiam, non tamen ideo statim de familia esse desinit. Non est cur data à me utrique Sancto interpretatio pluribus stabiliatur, cùm eam adversarii hodie impugnare adeò non audeant, ut similem videantur etiam damnato applicare velle Articulo. De hoc Collatoris Observatio mox audienda est.

CAPUT IV.

Examinatur subdola Collatoris Observatio.

1 Liber cui titulus: *Propositionum in Constitutione Unigenitus damnatarum Collatio cum quibusdam Sacræ Scripturæ locis & Patrum testimoniis*, sic animadvertit pag. 121. „ Spectat author „ (proscripti dogmatis) hoc loco, quem„ admodum & Paulus, Ecclesiam in omni „ latitudine sua, & secundùm omne tem„ pus, quo hic durat in terris; sic autem „ spectata manifestè comprehendit & om„ nes Angelos cœli, ut Patres disertè do„ cent & omnes Electos; quoniam nullus „ est electus, qui non aliquando mem„ brum sit Ecclesiæ militantis: & omnes „ justos terræ & omnium seculorum; si „ quidem omnes, qui ab initio seculi fue„ runt justi, caput Christum habent, & in „ membris Ecclesiæ sunt constituti: atque „ hoc sensu, quanquam non solo, rectissi„ mè dicitur Catholica seu universalis.

„ Verùm hæc universalitas, inquiet „ quispiam, quandoquidem invisibilis est, „ non rectè dicitur *Ecclesiæ Nota*: visibiles „ debent esse *Notæ*, ut ex iis Ecclesia di„ gnoscatur. Hanc difficultatem tollit con„ textus, qui sic habet: *Notæ & proprieta„ tes Ecclesiæ Christianæ. Est* 1. *Visibilis ut „ mons*: 2. *Una Civitatis instar, cujus om„ nes partes spiritu Dei unitæ sunt.* 3. *San„ cta velut cælestis quædam Jerusalem per „ adorationem suam in spiritu & veritate, „ per sacrificium suum, religionem, ac cha„ ritatem.* 4. *Catholica comprehendens & „ omnes Angelos cœli, & omnes electos & „ justos terræ, & omnium seculorum.* 5. *Apo„ stolica &c.* ubi vides illud *Catholica* com„ modè referri posse ad vocem *Proprieta„ tes*, atque ita verissimum esse quod scri„ bit author; quippe ex Ecclesiæ latius „ sumptæ proprietatibus una est, eos om„ nes, de quibus in Propositione, suo in „ sinu comprehendere.

„ Cæterum inverecundiam illorum, „ qui egregio Scriptori hunc tribuunt er„ rorem, *malos non esse in Ecclesia*, vix „ operæ pretium est refellere. Tot, ac „ tam evidentia loca sunt in *Considerationi„ bus Moralibus*, quibus oppositum doce„ tur. Vide Matth. 13. & .... Porrò de „ malis hoc loco non est locutus author, „ quod nec Paulus de iis loqueretur.„ Hactenus Collatoris *Observatio*, cujus partes singulæ discutiendæ sunt, & de fraude turpissima convincendæ.

2 Dicitur, proscripti Articuli *author, quemadmodum & Paulus, spectare Ecclesiam in omni latitudine sua, & secundùm omne tempus, quo hic durat in terris.* Quomodo Ecclesiam author accipit in omni sua latitudine, si in toto Articulo solùm fiat mentio justorum, & tamen Quesnellus locis pluribus afferat etiam *malos esse in Ecclesia* ipsius testimonio Collatoris? Nisi fortè distinxerit inter esse in Ecclesia, & esse de Eccle-

Ecclesia, seu membra Ecclesiæ. Collator in suis plerumque Observationibus perbrevis est, cui accidere solet, quod vulgare fert proverbium: *Dum brevis esse volo, obscurus fio*.

Videtur autem explicationes studio fugere, & malignas ex brevitate captare tenebras, ut malè agens, & malæ conscius doctrinæ lucem solitus est odisse. Expectandum igitur nobis ab adversario est, ut nos edoceat, quo sensu hæc tria inter se conciliari cupiat: Primum: *Nota Ecclesiæ est, quòd sit Catholica comprehendens & omnes Angelos, & omnes electos, & justos terræ & omnium seculorum*, non autem alios. Secundum: *Spectat author hoc loco Ecclesiam in omni sua latitudine*. Tertium: *Inverecundia est Scriptori* eidem hunc *tribuere errorem, malos non esse in Ecclesia*.

3 Non minùs exoticum est & oppositum veritati, Ecclesiam ex eo quòd contineat omnes Angelos cœli, omnes electos & justos terræ, rectissimè dici Catholicam seu universalem. Quidni ratione simili Calvinistarum Congregatio suam etiam stabiliat Ecclesiæ definitionem, quæ ad solos restringitur prædestinatos, *atque hoc sensu rectissimè dici Catholicam, seu universalem asserant*? Confirmabunt eos citationes Collatoris geminæ, in quibus superiore capite Augustinus adducitur, Ecclesiam in duas partes dividens, quarum una triumphantium in cœlo Angelorum, hominumque est, altera hic *peregrinantium sicut oportet*, quæ *utraque una erit consortio æternitatis*, & modò *una est vinculo charitatis*: futura *cum exercitibus Angelorum una Civitas sub uno Rege, & una quadam Provincia sub uno Imperatore, felix in perpetua pace & salute, laudans Deum sinè fine, beata sinè fine*.

Quæ omnia, inquient Calvinistæ, solis conveniunt prædestinatis: proinde si quid pro damnato valeant Quesnelli dogmate, suffragantur etiam, & ampliùs nostro: atque eo sensu Calviniana Ecclesiæ definitio dicetur *Catholica seu universalis*. Ita nempe Quesnelli Factio, ut mutandorum Ecclesiæ dogmatum, ita pariter jus sibi vindicat significationis vocum, etiam quæ Apostolorum Symbolo continentur.

4 Altera difficultas est, & præfocandæ novitati sufficiens laqueus, quòd Nota Ecclesiæ hanc reddere debeat visibilem, quod minimè præstat Nota in Quesnelli Articulo designata consistens in justitia & sanctitate humanis oculis non satis pervia, ut neque Nota Calvinistarum prædestinatio. Hunc nodum adversarius non dissimulat; sed solitâ suâ fretus fallendi peritiâ, confidit se eum non quidem solvere posse; sed eludere. Sic ille:

„ Hæc universalitas, inquiet quispiam, „ quandoquidem invisibilis est, non re- „ ctè dicitur Ecclesiæ Nota: Visibiles „ debent esse Notæ, ut ex iis Ecclesia di- „ gnoscatur. „

Non infida objectionis relatio est, cujus expectatur avidè solutio. „ Hanc (ait) difficultatem tollit contextus, qui sic habet: „ Notæ & proprietates Ecclesiæ Christianæ. Est I. visibilis ut mons. II. Una Civitatis instar, cujus omnes partes Spiritu „ Dei unitæ sunt. III. Sancta, velut Cœlestis quædam Jerusalem per adorationem suam in spiritu & veritate, per Sacrificium suum, religionem ac charitatem. „ IV. Catholica comprehendens & omnes „ Angelos Cœli, & omnes Electos & „ Justos terræ, & omnium seculorum. „ V. Apostolica &c. ubi vides illud *Catholica* &c. commodè referri posse ad *proprietates*, atque ita verissimum esse quod „ scripsit Author; quippe ex Ecclesiæ latius sumptæ proprietatibus una est, eos „ omnes, de quibus in Propositione, suo „ in sinu comprehendere. „

Contextum Quesnelli totum video; sed nihil in eo penitùs solutionis ab adversario promissæ, & juxta omnes Catholicos debitæ, videlicet, quod universalitas prout *Nota* veræ nostræ Ecclesiæ debeat esse visibilis. Non enim sufficit Ecclesiam prædicari visibilem, quando ejus *Nota*, ex qua præcipua hæc ejus proprietas ostenditur, ipsa visibilitas derogatur.

Percepit adversarius difficultatem hanc sibi insuperabilem, nisi *Notam* ex Articulo damnato expungeret, & pro ea substitueret *proprietatem*. „ Vides, inquit, illud Ca- „ tholica commodè referri posse ad vocem „ *proprietates*. „ Sic est, sed non subtrahi vocabulum *Notæ*, ut sensus enuntiationis maneat, quemadmodum ab omnibus intelligitur, ut esse *Catholicam*, Nota & proprietas sit Ecclesiæ, sicut esse Unam, esse Sanctam, esse Apostolicam. Aliàs de prædicatis singulis ineptus quilibet causæ pessimæ patronus fingere pro libito poterit, non adscribi ea debere *Notis Ecclesiæ*; sed *proprietatibus*. Quid autem est causam suam prodere, si hoc non est? Desperatissimam illam suis videri propugnatoribus necesse est, & defensionem apparere impossibilem, quando demens adeò fuga per impervia tentatur & præcipitia.

5 Non minùs frivola excusatio est, cùm dici-

dicitur *de malis hoc loco non locutus Author; quod nec Paulus de iis loqueretur*: Scopus Apostoli erat prædicare Hebræis ad Christi Ecclesiam conversis, ejus excellentiam, ut magni facerent vocationem suam atque in ea constantissimè perseverarent, tentationibus & persecutionibus superiores. Ad quem finem maximè conducebat, consortii, ad quod accesserant exponere nobilitatem: *Accessistis ad Montem Sion & Civitatem Dei viventis, Jerusalem Cœlestem & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in Cœlis, & judicem omnium Deum, & spiritus justorum perfectorum.*

Huc autem minimè pertinebat exprimere peccatores; quanquam & hi forsitan visibilis Montis Sion nomine eum melioribus Ecclesiæ partibus, valeant subintelligi. Quidquid sit, non declarat Apostolus sicut denuntiantem conspicimus Quesnellum, se Notam tradere Ecclesiæ quatenus universalis seu Catholica est, atque ipso visu à Synagoga, & reliquis hominum Congregationibus discernitur. Denique quod Adversarius memorat de aliis Quesnelli textibus, quibus alibi agnoscit peccatores in Ecclesia, differendi locus erit in sequentibus.

Interim, Lector, memineris ejus quod antiquus Scriptor Aponius in Cant. lib. 4. sub finem de hæreticis monet, illorum Dialecticâ appellari *Tergiversationem*, qua præcipuè utuntur, sive ubi fervere contra se judicia conspiciunt, atque decretoriam imminere sententiam, sive ut postquam damnati sunt in suspicionem vocent æquitatem judicii. Ita de Pelagii literis censuit Augustinus lib. de Peccato Orig. cap. 18. *Videte latebras ambiguitatis falsitati præparare refugia, offundendo caliginem veritati, ita ut etiam nos, cùm primùm legimus, recta vel correcta propemodum gauderemus.* Et de admittendis ad communionem Pelagianis Leo Papa Epist. 86. *Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inveniatur ambiguum; quoniam novimus hanc istorum esse versutiam, ut in quacunque particula dogmatis execrandi, quâ se à damnatorum societate discreverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum: cumque omnes definitiones suas ad tantam facilitatem improbare se simulent, atque deponere, hoc tibi totâ fallendi arte, nisi intelligantur, excipiant &c.*

Propositio damnata septuagesima tertia.

Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus Persona, redemptorum ejus Sanguine, viventium ejus Spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri seculi? *Observat. moral.* 2. *Thessalon.* 1. *v.* 1. *edit. Anni* 1693.

CAPUT I.

Propositio impugnatur:

1 Fingit hic nobis Quesnellus Ecclesiæ definitionem nulli hactenus cognitam Catholico. Et quidem in primis acephalam sinè capite visibili Congregationem statuit; invisibile autem, quod est Christus, omnes hæretici æquè ac Catholici agnoscunt. Cur definitionem Bellarmini inter Theologos communissimam repudiat? Sic Cardinalis lib. 3. de Ecclesia cap. 2. *Nostra sententia est, Ecclesiam esse cœtum hominum ejusdem Christianæ fidei professione, & eorumdem Sacramentorum Communione colligatum, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè unius Christi in terris Vicarii.*

Similem sed ampliorem Ecclesiæ descriptionem præbet alter hæreticorum malleus Thomas Stapletonus libr. 4. controversia 1. de principiis fidei doctrinal. *Ecclesia*, inquit, *Christi, sive Novi Testamenti, est collecta multitudo omnium fidelium, Christi nomen profitentium, per universum Orbem visibiliter dispersa, crescens per omnes gentes, successione Pastorum & populorum perpetua, semper illustris & manifesta, mixta bonis & malis, electis & reprobis, fide & sacra-*

cramentis Sancta, Communione totius Una, origine & successione Apostolica, amplitudine & perpetuitate Catholica, fidei conservatione & propagatione firma, sub Christi Vicario uno Capite Petri Successore, in finem Seculi duratura.

2 Duo præcipuè sunt, quibus Stapletoni & Bellarmini definitio dissonat à Quesnelliana, expressio Vicarii Christi, & malorum hominum Ecclesiæ membris annumeratio. Pars utraque nos à Calvinianis secernit, quibus consentire Quesnellus maluit, quàm Catholicis. Quoad eliminationem Pontificis è definitione Ecclesiæ profitebitur se potius Edmundi Richerii Doctoris Sorbonici, quàm Lutheri, Calvini, aut Marci Antonii de Dominis Discipulum. Richerii librum dudum Vaticano fulmine prostratum, à Sorbona, & ipso Authore rejectum, suisque consepultum tenebris, Jansenìani nuper ab inferis revocasse dicuntur novis typis editum, magno Catholicorum luctu & gaudio hæreticorum.

Studiosè autem; sed perfidè evulgatores isti suppresserint utramque ab Authore conscriptam sui operis palinodiam. Hic assertionem ejus sextam cum ejusdem retractatione exhibeo lib. 2. de Ecclesiastica, & politica potestate edit. 1. pag. 18. *Papa est Caput Ecclesiæ symbolicum, ministeriale, accidentarium, non essentiale, visibile sub Christo Capite principali & essentiali, cum quo potest Ecclesia facere divortium; quia hoc Caput symbolicum, seu figurativum potest adesse, & abesse ad tempus sinè Ecclesiæ interitu.*

3 Quam Propositionem Author in secunda sua palinodia sic perstringit. „ Liquet hanc Propositionem valde consonam esse doctrinæ Plessæi Mornei (Calvinistæ) cùm asserit in impio suo iniquitatis mysterio, Ecclesiam Christi facilè Romano Pontifice carere posse, juxta quod didicerat ab alio insigni hæresiarcha flammis damnato. Non est, ajebat, scintilla apparentiæ; quod oporteat in spiritualibus esse unum Caput regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa Ecclesia militante conversetur & conservetur. Sanè fateor nihil ineptius à me scriptum fuisse, quàm Papam Caput symbolicum Ecclesiæ esse, quasi verò in pictura, & nuda repræsentatione duntaxat esset, sicut hedera ad venditionem vini suspensa.

„ Nec minùs mihi ridiculum fuit dicere, eundem Papam esse Caput ministeriale, ac si esset simplex Ecclesiæ minister, quemadmodum apparitores sunt ministri justitiæ.

„ At nunc discussis è cerebro tenebris, agnosco Pontificem Romanum esse verè ministeriale Caput Ecclesiæ identificatum cum essentiali, ac principali Capite Christo, à quo dependet. Quia licet Christus ipse se dixerit Regem Regum & Dominum Dominantium, suis tamen discipulis ad humilitatis exemplum ministrare, non ministrari se venisse testabatur. Propterea cùm Romanus Pontifex sit Summus Princeps atque Caput Ecclesiæ de Jure Divino, ab illo ipsa nunquam divelli potest, nec cum eo divortium facere; alioqui Ecclesia sinè suo capite monstrosum esset corpus.

„ Et quamvis defuncto Papâ videatur Ecclesia ipso capite carere, tamen, ut loquuntur Juris-Consulti, vivus apprehendit mortuum; nec tunc minùs subsistit Ecclesia incolumis, quam Regnum Rege suo mortuo, aut Diœcesis suo Episcopo. Igitur cùm Papa sit de essentia Ecclesiæ, ut membrum præcipuum, nempe caput, nec accidentarium, nec symbolicum caput esse poterit; alioqui prorsus everterem definitionem nominis Ecclesiæ, quam omnes Catholici his verbis concipiunt: Ecclesia est cœtus hominum ejusdem Christianæ fidei professione, & eorundem sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum; præcipuè verò unius Christi Vicarii Romani Pontificis.

„ Tandem cum Doctore Sorbonico concludam: auferibilis non est usque ad consummationem seculi Christi Vicarius Sponsus Ecclesiæ, quin aliquis certus & unicus præficiatur. Quod si daretur oppositum, tunc Ecclesia maneret imperfecta usque ad consummationem, nec suorum gauderet integritate membrorum, & præsertim membri principalis, quod est Summus Pontifex ut caput Ecclesiæ, & corporis mystici Christi. „ Hactenus Richerius.

Dein post 7. Propositionem huc non pertinentem, sic concludit. „ Propterea ad æquiorem mentem reversus, has septem Propositiones, quas contra Sedem Apostolicam olim impiè scripsi, nunc lacrymis meis deleo, corde & animo abjuro cum summa compunctione scandali, quod Ecclesiæ & piis animabus attuli; nam, ut ait Prosper, lupus est, qui Pastorem aggreditur, &, ut D. Bernardo videtur, plus nocet falsus Catholicus,

„ quàm

„ quàm si verus appareret hæreticus. „

4 Ita Rieberius, cujus antea errantis præsumptio magis novatoribus, Quesnello in primis placuit, quàm se corrigentis Christiana demissio. Contra illos meritò conclamarent Concilii Tyr. Patres: *Ejice foràs acephalos: si vicerint morimur*. Acephalus autem est Quesnellus, qui tum in præsenti sua definitione Ecclesiæ, tum in sequentibus nullum capiti visibili, seu Pontifici, locum tribuit.

Sed neque hæc unica definitionis ejus macula est: ut enim definitio legitima sit, necesse est complectatur saltem implicitè, aut generali vocabulo membra omnia ad quæ eam extendi debere catholica veritas postulat. Istud minimè præstat definitio Quesnelliana universam excludens peccantium multitudinem, atque Ecclesiam non verbo; sed sensu prædicans invisibilem. Ut enim fateri omnes cogimur inscrutabile esse cor hominis, neque de se scire quempiam utrum amore an odio dignus sit, nemo absque Divinæ revelationis privilegio discernere certus potest à peccatoribus *filios Dei in ejus sinu manentes, adoptatos in Christo & viventes ejus spiritu*. Si autem hi soli in membris Ecclesiæ computantur, ut solos computat Quesnellus, neque Pontifex, neque Episcopi, neque alii inferioris Ordinis Pastores, quando gratiâ exciderint, membra Ecclesiæ erunt, adeòque neque capita suorum cœtuum, neque Pontifex Ecclesiæ caput universæ: Qua assertione nihil perniciosius fingi potest, & ad subruendam Ecclesiæ gubernationem fraudulentius.

5 Quesnellus, sive author operis Gallici, cui titulus Constitutio Clementis XI. Pontificis edita 8. Septembris 1713. & Observationes in Propositiones damnatas, pag. 267. graviter conqueritur de Propositionum denuntiatoribus, quòd deferentes Pontifici solas authoris sententias, quibus Ecclesiam considerat solummodo velut sanctam, exclusis ab ea peccatoribus, celaverint locos ejusdem authoris alios, ubi bonis malos permixtos in Ecclesia agnoscit. Mihi verò in mentem venit, quod scriptor elegans & eruditus Franciscus Simonis ante annos amplius 40. monuit Tract. de Fraudibus hæreticorum parte 2. Anacephalæosi ad fraudem 12., „ Lacrymas videre est miserabiles, & meretricium audire ejulatum, „ si quispiam, quos verboso libro inspersêre errores, verbis totidem excerptos, „ nitidéque expressos contulerit in unam „ summam. Ibi supetos hominesque contestantur de calumnia: exclamant, sacramento quovis contendunt doctrinam „ suam non esse suam: „ allegatis etiam ex suo opere textibus, quoad verborum corticem contrariis.

„ Ibid. ad fraudem 13. Ne damnentur, „ aut damnati videantur, videas tergiversantes, vitilitigantes, loquentes ambiguè, mentientes, pejerantes: Denique „ Isa. 6. loquentes linguâ Chanaan, quam „ nemo satis intelligat, nisi Chananæus: „ nihil rectum, nihil sincerum, nihil confitentur minùs, quàm quod confiteri censeas maximè. Quod dictum est modò, „ indictum sit mox. Sic illis pro ludo est „ fides, fideique confessio, ut sacra eludant „ fidei Tribunalia, liceatque & hæreticis esse, & orthodoxis annumerari. Hoc „ ut obtineant, Jerem. cap. 9. *Extenderunt „ linguam suam, quasi arcum mendacii, & „ non veritatis: confortati sunt in terra; „ quia de malo ad malum egressi sunt, & me „ non cognoverunt, dicit Dominus ... Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium: „ ut iniquè agerent, laboraverunt. Habitatio „ tua in medio doli: in dolo renuerunt scire „ me, dicit Dominus*.

6 Audiamus nihilominus Quesnelli textus aliquot Catholicos, ut Matth. 3. v. 10. *Ecclesia præsens & visibilis, est area, in qua frumentum cum palea, Electi cum reprobis permixti sunt*. Matth. 13. v. 25. *Mali bonis immixti sunt in Ecclesia super terram. Non nisi in cœlo totum purum est, & mixtionis expers*. Matth. 22. v. 10. *Ubique Ecclesia proposita ut visibilis & ut continens justos & peccatores eorundem unitos participatione sacramentorum*. Plures alibi habet ejusmodi enuntiationes; sed quibus fortè aliud non vult, quàm quod Melanchton in Apologia Confessionis Augustanæ, & Brentius in Prolegomenis contra Petrum Soto, malos esse in Ecclesia; sed non revera de Ecclesia, sive non esse veras Ecclesiæ partes.

Et quidem relatæ Quesnelli vindiciæ ad Propositionem 73. pag. 271. profitentur ejus sensum esse, quòd *peccatores corporis istius mystici, quod est Ecclesia, non sint vera membra; sed velut humores mali in humano corpore, cujus nequaquam pars sint*. Attamen in Epistolam 1. Joannis cap. 2. v. 11. & 19. ait: *Omnes qui sunt in Ecclesia, sunt de Ecclesia, quamvis non de Sanctorum numero & electorum. Habet sua membra viva; sed & habet membra corrupta, & humores pravos*, Quis istud conciliet cum præcedenti? Illic peccatores *non sunt vera membra corporis mystici quod est Ecclesia*; *nequaquam sunt ejus par-*

partes: Hic autem iidem *membra* prædicantur, licèt *corrupta*.

Huic iterum opponitur Quesnelli textus in præsenti Articulo condemnatus: *Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri seculi?* Ubi peccatores à constitutione Ecclesiæ, seu partibus ejus disertissimè excluduntur. Interrogatio enim *quid est aliud*? Emphatica est, æquivalens enuntiationi huic, *nihil est aliud*, scilicet, quàm electi & justi, quos tot ibi signris & phrasibus in eundem sensum concurrentibus Quesnellus exprimit, ut apprimè ei & sociis ejus conveniat illud Basilii Epist. 73. *Habent isti astutum quoddam dogma ad ejusmodi mutationes paratum. Nam verbis fidei, more medicorum utuntur pro commoditate, aliter atque aliter sese ad affectiouum rationem ac varietatem attemperantes*.

Unde ne in admittendis Novatorum professionibus faciles simus, altè animis infixa manere semper debet S. Leonis Pontificis monitio Epist. 86. ad Nicetam contra Pelagianos & Cœlestianos: *Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inveniatur ambiguum; quoniam novimus hanc eorum esse versutiam, ut in quacumque particula dogmatis execrandi, qua se à damnatorum societate discreverint, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum: Cumque omnes definitiones suas ad tantam facilitatem improbare se simulent, atque deponere, hoc tibi totâ fallendi arte, nisi intelligantur, excipiant, ut gratia Dei secundùm meritum dari accipientium intelligatur*; & juxta præsentis novitatis vindices peccator non sit propriè pars Ecclesiæ.

Isto supposito quotquot Ecclesiarum regimini præsunt Episcopi peccatores, si partes seu membra propriè dicta Ecclesiæ esse definunt, quomodo capita erunt Ecclesiarum particularium, quomodo Pontifices gregis universi? unde quàm horrenda profluerent consectaria, quivis Lector sapiens facilè percipit, & nos aliqua inferiùs attingemus.

Cur non potius Quesnellus Ecclesiam definire volens Dupinium suum conterraneum secutus est, qui Tract. de Excommunicatione part. 1. §. 7., „Ecclesia, inquit, „Societas est visibilis personarum, quæ in „eadem fidei professione externa, eorumdem participatione Sacramentorum, at„que externis fidei & charitatis indiciis „invicem uniuntur. Omnes istius Socie„tatis sunt, qui veram fidem exteriùs pro„fitentur, qui eorumdem participes Sa„cramentorum cæteris fidelibus colligati „sunt omnibus unionis & charitatis indi„ciis, quantumcumque increduli interiùs „& peccatores.„ Hæc Dupinii sunt ex Gallico reddita.

Deficit quidem etiam ista Ecclesiæ descriptio, quod nullus in ea Pastoribus locus sit, nisi communi fidelium nomine; est tamen longè innocentior, seu minus noxia, quam Quesnelliana, propter non exclusos ab Ecclesia Peccatores.

7 Quidquid ad hanc controversiam pertinet, solidissimè explicat Tridentinæ Synodi Catechismus in expositione Symboli, quam delibare cœperam contra Articulum præcedentem; nunc quoniam perniciosi dogmatis virus etiam per totos quinque sequentes Articulos diffunditur, abundans ex saluberrimo isto opere, quod maximæ penès omnes Catholicos authoritatis est, juverit desumere antidotum. „ Ut unico „ (inquit) verbo hæc res tota absolvatur, „ Ecclesia, ut ait Sanctus Augustinus in „ Psalm. 90., & de catechizandis rudibus „ cap. 3. est populus fidelis per universum „ orbem dispersus... Domus autem Ec„clesia idcirco appellatur, quia sit veluti „ una familia, quam unus Pater familias „ moderatur...

„ Ecclesiæ autem, duæ sunt partes, „ quarum altera triumphans, altera mili„tans... In Ecclesia militante duo sunt „ hominum genera, bonorum & impro„borum: & improbi quidem eorumdem „ Sacramentorum participes, eandem quo„que quam boni fidem profitentur, vitâ „ ac moribus dissimiles. Boni verò in Ec„clesia dicuntur ii, qui non solùm fidei „ professione, & Communione Sacramen„torum; sed etiam spiritu gratiæ & cha„ritatis vinculo inter se conjuncti & colli„gati sunt: De quibus dicitur: *cognovit Dominus qui sunt ejus*. Possunt verò „ etiam homines aliquibus conjecturis o„pinari, quinam sint, qui ad hunc piorum „ hominum numerum pertineant; certò au„tem scire minimè possunt.

„ Quare existimandum non est, Chri„stum Salvatorem de hac Ecclesiæ parte „ locutum esse, cum ad Ecclesiam nos re„misit, eique ut pareamus, præcepit. Nam „ cùm illa sit incognita, cui certum esse po„terit, ad cujus judicium confugiendum, „ & cujus authoritati obtemperandum sit? „ Bonos igitur & improbos Ecclesia com„plectitur, quemadmodum & Divinæ Li„te-

„ teræ, & Sanctorum Virorum scripta te-„ stantur: in quam sententiam scriptum est „ illud Apostoli, unum corpus, & unus „ spiritus.

„ Hæc autem Ecclesia nota est, urbique „ supra Montem positæ comparata, quæ „ undique conspicitur; nam cùm illi ab „ omnibus parendum sit, cognoscatur ne-„ cesse est. Neque bonos tantùm; sed „ malos etiam complectitur, ut multis pa-„ rabolis Euangelium docet; veluti cum „ Regnum Cœlorum, id est militantem Ec-„ clesiam, simile esse sagenæ in mare missæ „ commemorat; vel agro in quo zizania „ superseminata sunt: aut areæ in qua fru-„ mentum cum paleis continetur: vel de-„ cem virginibus partim fatuis, partim „ prudentibus. Sed multò ante etiam in „ Arca Noë, quâ non solum munda; sed „ etiam immunda animalia continebantur, „ hujus Ecclesiæ figuram, & similitudinem „ licet intueri.

„ Quamvis autem bonos, & malos ad „ Ecclesiam pertinere Catholica fides ve-„ rè & constanter affirmet; ex iisdem ta-„ men fidei regulis fidelibus explicandum „ est, utriusque partis diversam admodum „ rationem esse. Ut enim paleæ cum fru-„ mento in area confusæ sunt, vel interdum „ membra viva inter mortua corpori con-„ juncta, ita etiam mali in Ecclesia conti-„ nentur: ex quo fit, ut tria tantummodo „ hominum genera ab ea excludantur: pri-„ mò infideles, deinde hæretici & schisma-„ tici, postremò excommunicati...

„ De cæteris autem quamvis improbis „ & sceleratis hominibus, adhuc eos in „ Ecclesia perseverare dubitandum non est „ idque fidelibus tradendum assiduè, ut si „ fortè Ecclesiæ Antistitum vita flagitiosa „ sit, eos tamen in Ecclesia esse, nec prop-„ terea quidquam de eorum potestate de-„ trahi, certò sibi persuadeant. Interdum „ quoque Ecclesiæ nomine ejus Præsides „ ac Pastores [quodammodo soli] signifi-„ cantur: si te non audierit, inquit Chri-„ stus, dic Ecclesiæ: quo in loco Præpositi „ Ecclesiæ designantur... Præcipuè verò „ in hoc Articulo Ecclesia bonorum simul „ & malorum multitudinem; nec Præsides „ solùm, sed eos etiam qui parere debent, „ significat.

8 Hinc progreditur Catechismus ad exponendas Ecclesiæ proprietates seu notas, quarum prima in Symbolo est unitas. Propositis autem variis rationibus unde Ecclesia una dicatur, hanc sibi censet amplissimè deducendam, ac solidis stabilien-dam fundamentis, quod unus sit ejus rector ac gubernator, invisibilis quidem Christus, quem æternus Pater dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus: visibilis autem is, qui Romanam Cathedram Petri Apostolorum Principis legitimus successor tenet: de quo fuit illa omnium Patrum ratio & sententia consentiens, hoc visibile caput ad unitatem Ecclesiæ constituendam, & conservandam necessarium fuisse.

Quod præclarè & vidit & scripsit Sanctus Hieronymus contra Jovinianum iis verbis: *Unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio*. Et ad Damasum: *Facessat invidia: Romani culminis recedat ambitio: cum successore piscatoris, & discipulo Crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum, sequens Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est: si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante Diluvio*. Quod & longè antea ab Irenæo lib. I. contra hæreses capit. 3. probatur, & Cypriano lib. de simplicitate Prælatorum, qui agens de unitate Ecclesiæ, ait: *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego Petre dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Super unum ædificat Ecclesiam... ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem, ab uno incipientem, authoritate sua disposuit &c.*

9 Optatus deinde Milevitanus lib. 2. contra Donatistas ait: *Ignorantiæ tibi adscribi non potest, scienti in Urbe Româ Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus: in quo uno Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut jam schismaticus & prævaricator esset qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret*. Basilius homil. de Pœnitentia: *Petrus collocatus est in fundamento: dixit enim: Tu es Christus Filius Dei vivi: & vicissim audivit, se esse petram. Licèt enim petra esset, non tamen petra erat, ut Christus. Nam Christus verè immobilis petra: Petrus verò propter petram. Dignitates enim suas Deus largitur aliis: Sacerdos est, & facit Sacerdotes: petra est, & petram facit: & quæ sua sunt largitur servis suis*.

Postremò S. Ambrosius ait: *Si quis objiciat, Ecclesiam uno capite, & sponso Jesu Christo contentam, præterea nullum requirere, in promptu responsio est. Ut enim Christum Dominum singulorum Sacramentorum non solùm authorem; sed intimum etiam præbitorem ha-*

bemus [nam ipse est qui baptizat, & qui absolvit, & tamen is homines Sacramentorum externos ministros instituit) sic Ecclesia, quam ipse intimo spiritu regit, hominem sua potestatis Vicarium & ministrum præfecit. Nam cum visibilis Ecclesia, visibili capite egeat: ita Salvator noster Petrum universi fidelium generis Caput & Pastorem constituit, cum illi oves suas pascendas verbis amplissimis commendavit, ut qui ei successisset, eandem planè Ecclesiæ regendæ & gubernandæ potestatem habere voluerit.

CAPUT II.

Propositionis impugnatio confirmatur à centum Galliæ Episcopis.

1 QUadraginta Galliæ Antistites Parisiis congregati *Institutionem* ediderant *Pastoralem* cui deinde sexaginta alii suffragati sunt. In hac circa Quesnelli de Ecclesia Articulos Sic animadvertunt: „ Aggressus ad Ecclesiam definiendam author *Observationum* „ (Quesnellus) eam nobis describit tanquam invisibilem, & omni proinde spoliatam authoritate; si enim cognosci nequeat, hæreticos à quibus oppugnatur, inultos pati cogetur. *Quid est Ecclesia?* „ inquit, Quis hoc audiens non expectat „ accuratam definitionem, quæ Lutheri & „ Calvini erroribus opponi possit? Nihil „ minus Fratres charissimi; Respondet esse „ *cœtum filiorum Dei*; sed istorum Dei filiorum eam pingit imaginem, quæ nisi perfectissimis convenire non possit: nempe „ *manentium in ejus sinu, adoptatorum à* „ *Christo, subsistentium in ejus Persona, redemptorum ejus Sanguine, viventium ejus* „ *Spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri sæculi* Prop. 73. „ Quibus aliis adumbrari verbis possent justi vel perfectissimi, inter eos qui in justitia perseverant?

„ Iisdem inhærens principiis author affirmat Prop. 77. eum, *qui non ducit vitam* „ *dignam filio Dei & membro Christi, cessare* „ *interiùs habere Deum pro Patre, & Christum pro capite.* Solis igitur perfectissimis „ Dominicam usurpare orationem licet, „ *Pater noster, qui es in cælis*: nec potuisset „ ille prodigus pœnitentium peccatorum exemplar, testes doloris sui voces proferre: *Pater peccavi in cœlum & coram* „ *te*. Lucæ 4. An istis coloribus pingi Ecclesiam decuit? Aut quis illam ita definitam agnoscit?

2 „ A sacris Literis & Traditione accipimus, unicam esse Christi Ecclesiam „ eamque aspectabilem; cujus membra ejusdem fidei professione, & eorumdem „ Sacramentorum communione juncta inter sese, à legitimis gubernantur pastoribus, & uno capite visibili. Quare ab „ Ecclesia sunt exclusi infideles, hæretici, „ schismatici, excommunicati, ipsique catechumeni; at peccatores pars Ecclesiæ „ sunt, quamdiù palàm ab illa non denuntiantur ejecti.

„ S. Augustinus & amplius trecenti „ Episcopi, in celebri Collatione Carthaginensi, habita anno quadringentesimo „ undecimo, eùm respoderent Donatistis, „ plurimos Scripturæ sacræ locos objicientibus, quibus illi Schismatici probare contendebant, peccatores inter Ecclesiæ membra nequaquam esse numerandos, duo tempora distinguunt in quibus Ecclesia spectari potest: unum quo „ nunc est, *in præsenti nimirum seculo*, „ quo justi cum peccatoribus sunt permixti, triticum cum lolio: alterum novissimi judicii, cum erit maculæ expers & „ purgata, separatis per summum judicem justis à peccatoribus.

3 Hoc gemini temporis discrimen explicant ducta comparatione à duabus Apostolorum piscationibus: *Hæc duo tempora Ecclesiæ*, inquit Augustinus Breviculo Collationis, cum Donat. 3. die cap. 9. „ n. 16. *Quæ nunc est, & qualis tunc erit, significata sunt duabus piscationibus; unà* „ *ante resurrectionem Christi, quando mitti* „ *jussit retia, nec sinistram, nec dextram nominans partem, ut nec solos malos, nec solos* „ *bonos; sed commixtos bonis malos intrà* „ *retia suorum Sacramentorum futuros doceret; post resurrectionem autem, quando* „ *jussit retia mitti in dextram partem, ut* „ *post resurrectionem nostram solos bonos in* „ *Ecclesia futuros intelligeremus.*

„ Animadvertite, Charissimi Fratres, discrimen inter definitionem Ecclesiæ, haustam à sacris Literis & Traditione, atque illam, quam nobis *Observationes morales* exhibent: Quæ dum explicant Catholicitatem & amplitudinem Ecclesiæ, „ in ea comprehendi tantùm volunt omnes Angelos cœli, & omnes electos & „ justos terræ & omnium seculorum Prop. „ 72. An non tanto æquiùs authorem Observationum condemnari par est, quanto „ clariùs in eandem sententiam hæreses „ Lutheri & Calvini sunt locutæ? Hæreticorum sermonem est imitatus, eâdem at-

„ atque illi censurâ plectatur.

„ Optamus ut ne idem atque illi, sentiat, „ nobisque id persuadeat, Ecclesiæ potestati se subjiciendo, non eo duntaxat pacto, „ ut Ecclesiam esse visibilem, in eaque contineri peccatores, & ad eandem pertinere fateatur, hoc hæretici quoque agnoverunt: Hoc variæ Professiones fidei „ à Calvinianis & Lutheranis editæ ultro „ declarant. Tunc ergo intelligetur sinceram Ecclesiæ obedientiam citra fucum & ambiguitatem præstare, si agnoscat bona fide, unicam esse Ecclesiam, cui „ obtemperare fideles omnes debeant: „ hanc ejus propriam, & cum ipsius natura „ necessariò conjunctam esse dotem, ut cadat sub aspectum; in ejus verò membris „ non solum justos; sed ipsos quoque peccatores, in hac etiam vita numerari.

„ Intellexistis, Dilectissimi Fratres, verum & genuinam Ecclesiæ definitionem; „ vidistis quid in ea definienda peccaverit „ *Moralium Observationum* architectus. „ Hactenus centum Episcopi: audiendus modo pro se adversarius.

CAPUT III.

Quesnellianæ Protestationis pars prima refellitur.

1 Gravis (inquit) Quesnellus mihi „ lis impingitur propter Articulum hunc 73. *Quid est Ecclesia, „ nisi cœtus filiorum Dei, manentium in ejus „ sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium „ in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, „ viventium ejus spiritu, agentium per ejus „ gratiam, & expectantium gratiam futuri „ seculi*. Fingunt [Censores eisque suffragantes Episcopi] me verbis illis tradere voluisse accuratam & Theologicam „ Ecclesiæ definitionem. Falsa est suppositio, cujus neque hîc, neque alibi fundamentum reperias. Monui aliàs sæpius, „ me de religionis veritatibus passim non „ agere, nisi quantum eò adducor, atque determinor sacro textu, in quem facienda „ est *Observatio*. Hanc dedi in illud, quod „ Apostolus ait de Thessalonicensium Ecclesiâ, sicut etiam de aliis, *Paulus & Silvanus, & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo*. Quam hæc alteram de Ecclesia notionem ingerunt, quam meam? „

2 Vicissim nos ex Quesnello quærimus, quæ alia interrogatio cogitari possit aptior ad significandum Lectoribus secuturam Ecclesiæ *definitionem accuratam & Theologicam*, quam cùm dicitur: *Quid est Ecclesia nisi &c.*? Num forsitan Authorem edicere oportuit, quod sua contineat responsio definitionem, ut pictor imperitissimus timens ne canis à lepore non discernatur characteribus adnotat, hic lepus est, hic canis? Notionem expectare debuimus omnibus Ecclesiæ partibus convenientem, dum talis præmittitur interrogatio *Quid est Ecclesia nisi &c.*, ac si diceretur, nihil esse aliud, ut ab eadem scilicet exclusum intelligas quidquid reddito mox responso non comprehenditur. Et quid non *accuratum, non Theologicum* expectare debuimus ab eo, qui mortuo Arnaldo communibus Jansenistarum suffragiis electus est totius novæ caput Ecclesiæ, ut ex citatis in *Causa Quesnelliana* Literis didicimus, præcipuè ex pag. 290. & sequentibus?

Quid non *accuratum, & Theologicum* debuit ipse famæ suæ, qui veluti supra omnes sapientes Doctores Catholicos, Episcopos, Cardinales, Pontifices fungorum instar solitus est despicere? Epistola ejus sub nomine Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum pag. 31. *Maxima* (inquit) *pars Cardinalium & Theologorum* [*qui adhibentur ad ferendas de Propositionibus censuras*] *nihil intelligit*. pag. 43. *Censores Romani modicam habent antiquitatis notitiam, imò sæpe ignorant, quod in novis Theologis est optimum*. Quis autem dubitat quin melius noverit Quesnellus? Ibid. *Censores Romani susque deque per nefas, condemnant quidquid lubet, vel quidquid non consentit cum Theologiæ suæ ideis, quæ sæpe falsissimæ sunt, vix aliquid habentes de Theologia Patrum*. Quid non effutiit contra centum Episcopos Documenti Pastoralis approbatores?

3 Nihil autem à Christiano candore remotius, nihil plenius fraude, & convicitissimo à me sæpius mendacio, quàm quod idem adversarius affirmat se *non loqui passim de veritatibus religionis, nisi quantum eo adducitur & determinatur occurrentium Oraculis Scripturarum*. Exempla contraria, & luculentissima dedi toto præcipuè Tomo primo. Cur dolos similes ubique obvios non redarguerim frequentiùs Tomo 2. & modò tertio, non alia obstitit ratio, quàm metus, ne ubique recurrentis fallaciæ iterata toties exprobratio tædium pareret Lectori. Nihil scilicet Quesnello familiarius, quàm ex singulari, vel particulari aliquo, quod sacro textu asseritur, conclusionem elicere universalem, quo penès omnes non mo-

modò Theologos & Philosophos, sed vel sano utcumque præditos intellectu, nihil habetur magis fatuum.

Specimen hujus non eminus accersendum est, manifestum exhibet præsens Articulus, ad quem nos præsidens Quesnelli temeritas ausa fuerat provocare. Paulus, Silvanus & Timotheus Ecclesiam Thessalonicensium salutant, vocantes eam *Ecclesiam in Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo*. Ideone asseritur nullum in ea esse peccatorem, vel si istiusmodi quis fuerit, vult eum in salutationis officio prætereundum? Fide & spe adhærere Deo Patri & Domino Jesu Christo potest aliquis imperfectè, qui justitiâ & charitate excidit. Propter plurimos etiam & plerosque è Thessalonicensibus justos Deoque charitate conjunctissimos, *Ecclesia* illa dici potuit esse *in Deo Patre & Domino Jesu Christo*, desumptâ denominatione à parte Ecclesiæ istius potiore.

Quæ loquendi ratio inter homines & in Divinis eloquiis usitatissima est, ut nemo diffitebitur. Verumtamen supponamus existimasse Apostolum, quod in Thessalonicensium Ecclesiâ omnes essent gratiâ prædití sanctificante; quia mox sequitur: *Gratias agere debemus semper Deo pro vobis Fratres, ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas uniuscujusque vestrûm in invicem*. Conveniretne istud omnibus aliis Ecclesiis? Non ita scribit de unoquoque Ecclesiæ Galatiæ: cap. 3. ait *O insensati Galatæ! Quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus?* Quem locum sic Angelicus interpretatur, præeunte, ut ait, Augustino: *Fascinati estis, quia veritatem, quam recepistis, scilicet Christum per fidem in cordibus vestris evomitis, sicut pueri. Et hoc ante oculos vestros, id est in vestra præsentia, Jesus Christus proscriptus est, id est, expellitur & ejicitur de hæreditate sua, quod molestum deberet esse vobis; quia, quem non deberetis pati, quod ab aliis proscriberetur & expelleretur, in vobis proscriptus est, id est hæreditatem suam amisit in vobis, id est vosmetipsos.*

Potest & quarto modo exponi secundùm Glossam ut per hoc designet Apostolus gravitatem culpa eorum, quia in hoc, quod Christum deserunt, legem observantes, æqualiter quodammodo peccabant Pilato, qui Christum proscripsit, id est damnavit. Diceretne in talibus circumstantiis Apostolus *Quid est* Galatarum *Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam?*

Neque ita sensit Joannes de *unoquoque* homine septem Asiæ Ecclesiarum, quibus in Apocalypsi scribens, vitia subinde objicit non levia: Quesnellus autem ex singulari encomio, *Thessalonicensium Ecclesia* propter *superabundantem uniuscujusque in invicem charitatem*, concludit de Ecclesia universali, eam nihil aliud esse quàm Congregationem justorum: *Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei &c.* ut supra. Si talis sacras paginas interpretandi, vel Observationibus illustrandi (veriùs dixeris corrumpendi) ratio invaluerit, nulla doctrinæ tam absona erit novitas, nulla hæresis tam pestifera, ad quam Divini Spiritus Oracula non pertrahantur.

4 Desideras Lector etiam hic speciminis aliquid amplioris, quo istam mendacii Quesnelliani blasphemiam convincas?

Ab ipso initium ducitur primo Articulo: *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum & peccati consecutiones, superba paupertas & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?* Huc scilicet Quesnellus, si ipsi creditur *Protestanti*, *pertractus & determinatus* fuerat [*porté & determiné*] illo Villici nequam in Euangelio Lucæ cap. 16. *fodere non valeo, mendicare erubesco*. Ubi ex unius singulari pigritiâ, quæ nonnisi latissimè & impropriissimè vocatur fodiendi impotentia, concluditur adversùs omnes ubique gentium peccatores, *generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum.*

Art. 2. *Jesu Christi gratia principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum. Absque illa non solùm nihil fit; sed nec fieri potest.* Nunquid eò Quesnellum pertrahit & determinat illud Christi apud Joannem cap. 15. *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sinè me nihil potestis facere?*

Aperta facti textus significatio est, Discipulos & cum eis cæteros homines sinè Christi adjutorio nihil posse boni facere ad justitiam conducentis & salutem. Quesnellus hinc colligit nihil nos posse sinè gratia *efficaci*. Collectionis istius vitium dialecticis turpissimum est, quando à termino non distributo, sive à particulari proceditur ad distributum vel quodpiam determinatum, de quo nulla est in antecedente assertio.

Sed talis quantumvis fatua collectionis ratio, Quesnello utilis videbatur ad stabilien-

biliendas quatuor Jansenii hæreses inter quinque ab Innocentio X. & aliis Pontificibus, universâ applaudente Ecclesiâ condemnatas. Quia si absque efficaci gratia nihil boni facere possumus, evidens est mandata Dei esse impossibilia hominibus etiam justis, quoties ea non perficiunt. Quæ est hæresis Jansenii prima. Secunda includitur non minùs perspicuè: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*. Quia, si sola gratia efficax in hoc statu tribuat boni operis potestatem, patet omnem aliam gratiam fore inutilem; proinde non dari: Efficaci autem non resisti extra dubium est.

Hinc profluit hæresis Jansenii tertia: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione*. Certissimum scilicet est, nos plurimis bonorum actuum omissionibus demereri; sed neque exercere illos possumus sinè efficaci gratia juxta secundum Quesnelli Articulum. Quid igitur superest nisi ut quidquid boni operis omittitur, necessariò omittatur, atque ita demeritum cum necessitate componamus. Neque dubium est, quin meriti & demeriti eadem sit ratio, ad utrumque scilicet libertas requisita eadem, & sufficiens.

5. Quintam Jansenii hæresim eadem inducit omnis gratiæ sufficientis destructio. Si enim absque efficiente auxilio omnis actio bona redditur homini impossibilis, quomodo eo carens, ut finali gratiâ carent reprobi universi, salutem sibi bonis operibus comparare potuit, quomodo eam Deus voluit, aut meruit Christus, nullo præstito vel oblato auxilio, quo salvari ullus mortalium possit extra numerum Electorum? Pro salute itaque Prædestinatorum dumtaxat, non verò ullius reprobi mortuus fuerit.

Ad *Observationem* tot fœtam Propositionibus hæreticis, nulla, ut vidimus, Quesnellum Scriptura impulit aut invitavit; sed solus ejus spiritus novatoriens, & hæreses suas, etiam cùm opportunitas deficerit, importunissimè infarciendi cupiditas avidissima *induxit* ubique *ac determinat*.

Tertius Quesnelli Articulus est: *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das quod præcipis*: ubi vanitatis arguitur quodlibet Dei mandatum cum omni gratuito & supernaturali auxilio sufficiente, quod hominis malitia respueret, quoties non concederetur invictum. Hinc iterum sponte profluunt quatuor Jansenii hæreses, quas ex superiore deduximus. Quod autem oraculum ad *Observationem* tot plenam erroribus, & quidem hæreticis pertrahere Quesnellum potuit ac determinare?

Remittimur ab illo ad illud Actuum Apostolicorum cap. 16. *Cùm autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem, & visio per noctem Paulo ostensa est. Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam, adjuva nos. Ut autem visum vidit, statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti quod vocasset nos Deus evangelizare eis*. Vocantur omnes homines ad justitiam & salutem: de hoc certi reddimur ipsius Christi vocibus & Matthæi testimonio cap. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*. Servatoris amantissimi vocatio, etiam erga reprobos benevola fuit, minimè vana; sed supernaturalium & sufficientium præparatrix mediorum, quibus adulti omnes salutem consequi poterant, modò voluissent, ipsâ volitione in eorum positâ arbitrio & potestate: Falsissimum igitur est, & blasphemiam sapit, quod Quesnellus ait, se illo Scripturæ testimonio ad talem Observationem *pertrahi ac determinari*.

6. Articulus Quesnelli quartus est: *Ita Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo*. Tunc primùm scilicet, & non priùs, nec aliàs mandata nobis fiunt possibilia. Non itaque in nostra potestate fuit obedientia mandatorum, quoties eam Deus in nobis victrice gratia operatus non fuit. Sic omnis excusabitur peccator, qui mandata non impleverit; quia Deus possibilem non fecerat observantiam, eandem in ipso non operans efficacis gratiæ subsidio. Sic Deus accusabitur injustitiæ, velut homines puniens immerentes; nisi demeritum in hoc statu composueris cum necessitate, quæ hæresis tertia Jansenii est. Quintam pariter cum duabus primis Lector quilibet ex eodem facillimè colliget Quesnelli Articulo, ut à me deductam superiùs conspicit ex secundo.

Discutiendum superest, quæ Quesnellum Scripturæ sententia ad talem *induxerit ac determinaverit* novitatem. Suggeritur illud Christi apud Marcum cap. 9. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*. Ex eo autem quod omnia credenti dicantur possibilia, quomodo sequitur tunc primùm fieri possibilia, cùm Deus ipsa opere exequitur? Multa homini possibilia sunt, quæ non facit: possibilis omni homini saltem justo Divinorum impletio præceptorum, etiam quando eam sua desidiâ prætermittit, aliàs omittendo non delinqueret. Quæ con-

contra Quesnellum & Jansenium veritas adeò stabilita fuit Scripturis innumeris & clarissimis, Traditione Patrum & Concilii Tridentini, ut mirum sit potuisse adversariis in mentem venire doctrinam oppositam.

Præclaro nempe illo suo adversarii gestiunt, hæretico, inquam, axiomate: *Rectè sequitur: Titius potest operari bonum, igitur illud operatur. Et. Non operatur bonum, igitur illud operari non potest.* Eidem Scripturæ textui annexuit novus Theologus *Observationem*, quæ est inter damnatos Articulos sexagesimus nonus: *Fides, usus, augmentum, & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei*: quod interpres mirificus tam facilè elicit ex relato Servatoris testimonio, quam ex Apostolorum Symbolo Alcoranum.

Hinc progredi ad Articulos cæteros, mihi quidem in promptu est; sed supervacaneum; Quandoquidem de singulis differens Articulis loco proprio, ostendo in singulis falsitatem, quam patet sacris textibus attribui non posse absque blasphemia. Videant proinde adversarii, quàm enormi crimine, eoque multiplici se implicent, qui cum Quesnello sustinere obstinatiùs pergunt, non eum solitum religionis attingere veritates, nisi *inductum determinatumque textibus Scripturarum*. Prorsus deprehenditur contrarium; verissimum videlicet esse quod Quesnello passim idem consilium fuerit, idem studium quod hæreticis, non ut annotationes suas Sacris Literis adaptent, sed ut præconceptis suis novitatibus & erroribus Spiritum Sanctum, quantumlibet invitum jubeant deservire.

CAPUT IV.

Confutatur Protestationis pars altera, quæ est de Ecclesia visibili.

1 SIbi objectum adversarius memorat „ Quod juxta notionem à se tra- „ ditam, Ecclesia foret invisibilis, „ cùm dicitur, *non esse nisi cœtus filiorum* „ *Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum* „ *in Christo, subsistentium in ejus personâ, re-* „ *demptorum ejus sanguine, viventium ejus* „ *spiritu, agentium per ejus gratiam, & ex-* „ *pectantium gratiam futuri seculi.* Quasi „ verò hæc (inquit) non indicent satis „ unum corpus visibile, compositum ex „ personis invicem colligatis ejusdem pro- „ fessione doctrinæ, qui facti sunt filii Dei & „ adoptati in Jesu Christo per Sacramen- „ tum visibile Baptismi, manentium in uno „ eodemque sinu, quo separantur ab om- „ nibus hæreticorum Congregationibus, „ necnon à Schismaticis: Denique quo ex- „ hibentur velut mutuâ communione invi- „ cem uniti, exclusis omnibus aliis con- „ ventibus, sive qui se à communione Ca- „ tholicâ separarunt, sive quos rescidit „ Ecclesia velut membra mortua, & cor- „ rupta. „

Huc usque Protestatio, quæ damnatæ Propositioni callidè addit *professionem unius doctrinæ, & Baptismatis susceptionem*, quæ utraque exterior est & sensibus perceptibilis; sed neutrum exprimit Quesnelliana definitio: & quia utrumque ad justos restringitur, Ecclesiam Catholicam non magis visibilem reddit, quàm Calvinianam. Major autem Quesnelli ejusque Sodalium, quàm Calvinistarum impudentia est, quando doctrinæ suæ cum catholica unitatem jactare apertissimo non verentur mendacio. Nullo igitur hactenus definitio illa discrimine distinguitur à Calviniana: Non enim refert quod posterior pro justis exprimere soleat prædestinatos; cum penès hæresim illam justitia amitti nequeat, ut proinde idem censeatur justitiâ donatum esse, & ad beatitudinem destinari.

„ At (prosequitur Quesnelli Protesta- „ tio) quid verba mea significant, quod „ non contінet vocabulum *Sancti*, quo ab „ Apostolo Christiani catholici communi- „ ter appellantur? Si valeat adversariorum „ cavillatio, nonne hæretici niti possent „ verbis symboli in quo professio non fit, „ nisi unius Sanctæ Ecclesiæ, neque alia „ agnoscitur *communio*, quàm *Sanctorum*, „ ut stabiliant velut regulam fidei, Eccle- „ siam esse invisibilem, compositam ex so- „ lis Sanctis, & in qua nonnisi inter San- „ ctos communio sit? Quod fidei Ecclesiæ „ est contrarium, dicente Sancto Ambrosio „ lib. 1. offic. cap. 19. *Ecclesia in commune* „ *orat, in commune operatur, in commune* „ *tentatur*. „

2 Si quid tenebrarum catholicæ veritati hic affundere visa est Quesnelli objectio, ejusdem mox prosecutio dissolvet. Audet scilicet contra nos convertere catechismum Romanum, quo nihil infestius est novitati in præsenti Articulo condemnatæ. Sic igitur Catechismus in explicatione Symboli ait, „ Nec mirum cuipiam videri debet Ec- „ clesiam dici Sanctam; tametsi multos „ peccatores contineat; Sancti enim vocan- „ tur fideles, qui populus Dei effecti sunt, „ quive se, fide & baptismate suscepto, „ Christo consecrarunt; quanquam in mul- „ tis

„ tis offendunt, & quæ polliciti sunt non „ præstant, quemadmodum etiam qui ar- „ tem aliquam profitentur, etsi artis præ- „ cepta non servent, nomen tamen artis „ retinent. Quare D. Paulus Corinthios „ sanctificatos & sanctos appellat in qui- „ bus nonnullos fuisse perspicuum est, quos „ ut carnales, & gravioribus etiam nomi- „ nibus objurgat.

„ *Sancta* etiam dicenda est, quod vel- „ uti corpus cum Sancto capite Christo „ Domino totius Sanctitatis fonte conjun- „ gitur, à quo Spiritus Sancti charismata, „ & Divinæ bonitatis divitiæ diffunduntur. „ Præclarè S. Augustinus interpretans ver- „ ba illa Prophetæ, *Custodi animam meam* „ *quoniam sanctus sum*, audeat, inquit, & „ Corpus Christi: audeat & unus ille ho- „ mo clamans à finibus terræ cum capite „ suo & sub capite suo dicere, *Sanctus sum*; „ accepit enim gratiam Sanctitatis, gra- „ tiam baptismi, & remissionis peccato- „ rum. Ac paulò post: Si Christiani om- „ nes & fideles in Christo baptizati ipsum „ induerunt, sicut Apostolus dixit: *Quot-* „ *quot in Christo baptizati estis, Christum in-* „ *duistis*, si membrum sunt Sancti corporis „ ejus, & dicunt se Sanctos non esse, ca- „ piti ipsi faciunt injuriam, cujus membra „ sancta sunt. Accedit etiam, quod sola „ Ecclesia legitimum Sacrificii cultum, & „ salutarem habet Sacramentorum usum, „ per quæ tanquam efficacia Divinæ gratiæ „ instrumenta Deus veram sanctitatem ef- „ ficit, ita ut qui verè Sancti sunt, extra „ hanc Ecclesiam esse non possint.,,

Post hæc adversarius addit: „ Non „ ignorabant authores Catechismi Eccle- „ siam Christianam in Scripturis appellari „ *Ecclesiam Sanctorum*. Sic David Psal.88. „ v.6. *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum*. Rur- „ sus Ecclesia Sanctorum dicitur Psal.149. „ v.1. In hunc Augustinus num.3. *Hæc est* „ *Ecclesia Sanctorum, Ecclesia frumentorum* „ *toto terrarum orbe diffusorum. Ecclesia* „ *Sanctorum Ecclesia Catholica est: Ecclesia* „ *Sanctorum non est Ecclesia hæreticorum*. „ Et num.5. *Ipsa nos genuit: ipsa est Ecclesia* „ *Sanctorum: ipsa, nos nutrit, ex parte* „ *peregrina, ex magna parte immanens in* „ *cœlo*.

3 Modis igitur variis juxta Catechismum Romanum in sacris literis & Patribus fundatum, dicitur Sancta & Sanctorum Ecclesia, non quasi nihil sit aliud, quàm Congregatio justorum, sive ut damnatus Articulus loquitur, *nisi cœtus filiorum Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona... viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri seculi*; Sed quia plurimi in ea sancti sunt, dum in omnibus hæreticorum sectis nulla est sanctitas, & nè unus quidem verâ præditus pietate; quia ubicumque fides deficit, quæ omnis justitiæ & charitatis radix est, impossibile ab omnibus noscitur, veram excrescere sanctimoniam.

Omnes præterea leges, cæremoniæ, omnia sacramenta, sacrificia sancta sunt, sancta fides, & doctrina. Sanctum etiam dicitur quod Deo consecratum est: cùm itaque fidelis populus Deo Baptismate dicatus & consecratus sit, injuriam, inquit, infert Christo si se eo sensu sanctificatum negaverit.

Visibilis itaque Ecclesiæ catholicæ sanctitas est, in professione publica sanctæ fidei, in sanctis morum regulis, in susceptione S. Baptismatis & aliorum Sacramentorum, in sacrificiis, ritibus seu cæremoniis, præter sanctitatem in plurimorum moribus elucentem; quamvis posterior, ut sæpe obnoxia deceptioni est, & vera justitia in animis humano aspectui non patentibus sita, ad constituendam Ecclesiæ Notam haud sufficiat, qualis totâ Quesnelli definitione producitur. Manet proinde dejecta ejus novitas omni destituta præsidio, etiam quod ex secunda Ecclesiæ Notâ, quæ in symbolo est *sanctitas*, elicere frustrà tentaverat.

Neque minùs inanis est ejusdem Novatoris fiducia pro suo errore in nono symboli Articulo de *Communione Sanctorum*, prout à Romano Catechismo iterum hic nobis ab adversariis objecto, exponitur. Ut autem lectori Catholico neque ad institutionem, neque ad Novaturientium convictionem desit quidpiam, refero explicationem hujus Articuli integram, prout in Catechismo traditur.

4 „ Cùm S. Joannes Euangelista de Di- „ vinis mysteriis ad fideles scriberet, ut „ eos in illis erudiret, hanc rationem at- „ tulit, *ut & vos*, inquit, *societatem habea-* „ *tis nobiscum, & societas nostra sit cum Pa-* „ *tre, & cum Filio ejus JESU* Christo: Hæc „ Societas in *Communione Sanctorum* sita est, „ de qua in hoc Articulo sermo habetur. „ Utinam verò in eo explicando Ecclesia- „ rum Præsides, Pauli & aliorum Aposto- „ lorum diligentiam imitarentur! Est enim „ non solùm quædam superioris Articuli „ interpretatio, doctrinaque uberrimorum „ fructuum; sed etiam quis usus mysterio- „ rum esse debeat, quæ symbolo conti- „ nen-

„ nentur, declarat. Omnia enim ejus rei „ causâ pervestiganda sunt, ac percipienda: ut in hanc tam amplam, & beatam „ Societatem Sanctorum admittamur, admissique constantissimè perseveremus cū „ gaudio *gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine* Coloss. 1.

„ In primis igitur fideles docendi sunt, „ hunc Articulum esse illius, qui de una Sancta Ecclesia Catholica antea positus „ est, veluti explicationem quamdam. Unitas enim Spiritûs, à quo illa regitur, efficit, ut quidquid in eam collatum est, „ commune sit. Omnium enim Sacramentorum fructus ad universos fideles pertinet: quibus Sacramentis, veluti Sacris „ vinculis Christo connectuntur & copulantur: & maximè omnium baptismo, „ quo tanquam janua in Ecclesiam ingredimur. Hac autem *Sanctorum communione*, Sacramentorum communionem intelligi debere Patres in symbolo significant „ illis verbis: *Confiteor unum baptisma*.

„ Baptismum verò in primis Eucharistia, & deinceps cætera Sacramenta consequuntur. Nam etsi hoc nomen omnibus Sacramentis convenit, quòd cum „ Deo nos conjungant, illiusque participes, „ cujus gratiam recipimus, efficiant; magis tamen proprium est Eucharistiæ, quæ „ hanc efficit communionem. Sed alia „ etiam communio in Ecclesiâ cogitanda „ est. Quæcunque enim piè sanctèque ab „ uno suscipiuntur, ad omnes pertinent, „ & ut illis prosint charitate, quæ non quærit quæ sua sunt, efficitur. Id verò S. Ambrosii testimonio comprobatur, qui locum illum Psalmi explanans, *particeps ego sum omnium timentium te*, ita inquit, „ sicut membrum particeps esse dicimus „ totius corporis, sic conjunctum omnibus timentibus Deum.

„ Quare Christus eam nobis orandi formam præscripsit, ut diceremus *Panem nostrum*, non meum: ac reliqua ejus generis, non nobis tantùm; sed omnium saluti & commodis prospicientes. At verò „ hæc bonorum communicatio, membrorum humani corporis aptissimâ similitudine in sacris literis sæpè demonstratur: „ nam in corpore multa sunt membra; sed „ etsi multa sunt; unum tamen corpus constituunt, in quo singula proprio, non autem omnia eodem munere funguntur. „ Nec verò omnia eandem dignitatem habent, aut æquè utiles & decoras functiones exequuntur: nullique suum, sed „ totius corporis commodum atque utilitas proposita est: omnia deinde tam apta „ inter se atque connexa sunt, ut, si unum „ aliquod dolore afficitur, cætera item naturæ cognatione & consensu doleant: si „ contra benè affectum est, communis sit „ omnibus ille jucunditatis sensus. Atque „ hæc eadem in Ecclesia licet contemplari: „ in qua, etsi diversa sunt membra: nempe „ variæ nationes Judæorum, gentium, liberi & servi, pauperes & divites: cum tamen baptismo initiantur, unum Corpus „ cum Christo fiunt, cujus ille caput est.

„ Unicuique præterea in hac Ecclesia „ suum munus assignatum est; ut enim alii „ in ea Apostoli; alii Doctores; omnes verò publicæ utilitatis causa sunt constituti: ita aliorum est præesse ac docere: aliorum item parère ac subditos esse. At verò tot tantisque muneribus ac bonis divinitùs collatis illi fruuntur, qui in charitate vitam Christianam degunt, justique & chari Deo sunt; membra verò „ mortua, nimirum homines sceleribus „ obstricti, & à Dei gratia alienati, hoc „ quidem bono non privantur; ut hujus „ corporis membra esse desinant; sed cùm „ sint mortua, fructum spiritualem, qui ad „ justos & pios homines pervenit non percipiunt; tametsi cùm in Ecclesia sint, ad „ amissam gratiam, vitamque recuperandam ab iis adjuvantur, qui in Spiritu vivunt, & eos fructus capiunt, quorum „ expertes esse dubitari non potest, qui „ omnino ab Ecclesia sunt præcisi.

„ Nec verò tantùm communia sunt ea „ dona, quæ homines Deo charos ac justos reddunt; sed gratiæ etiam gratis datæ, in quibus numerantur scientia, prophetia, donum linguarum ac miraculorum, & cætera hujus generis, quæ dona malis etiam hominibus, non privatæ, „ sed publicæ utilitatis causa ad ædificandam Ecclesiam conceduntur. Nam sanitatis gratia non illius, qui ea præditus „ est, sed ægroti curandi causâ tributa est.

„ Ac nihil tandem à verè Christiano homine possidetur, quod sibi cum cæteris „ omnibus commune esse non existimare „ debeat. Quare ad sublevandam indigentium miseriam prompti ac parati esse „ debent; nam qui hujusmodi bonis ornatus est, si viderit fratrem suum egere, „ nec illi subvenerit, is Dei charitatem „ non habere planè convincitur. Quæ cùm „ ita se habeant, satis constat eos, qui in „ hac *Sancta communione* sunt, quadam felicitate perfrui, & verè dicere posse:

„ *Quàm*

„ *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini: & Beati qui habitant in Domo tua Domine* „.

5 Hactenus Catechismus Concilii Tridentini jussu compositus & authoritate S. Pii Pontificis editus, juxta quem Symboli Apostolici Articulus nonus, qui de Communione Sanctorum est, nihil habet cum damnato Quesnelli dogmate commune: totum illi oppositum. Quesnelli enim Propositio Ecclesiam constituit in solis hominibus justis: proinde nulla his cum peccatoribus est Ecclesiastica communio. At juxta Catechismum Ecclesiâ ex justis consistente simul & peccatoribus, eorum utilitati instituit Christus Sacramenta, offeruntur in dies sacrificia, funduntur preces, & quæcumque Deus largitur Ecclesiæ suæ dona, omnibus prodesse cupit Christiani corporis partibus: instituendis eis doctrinâ sanâ, excitandis ad vitæ sanctæ exercitia, &, si à justitia aberraverint, commonendis, obsecrandis, corripiendis, ut ad salutis semitam reducantur.

Proinde *Communio Sanctorum* sic exposita, qui verus sensus est symboli, etiam Catechismo Romano interprete, ut minimè favet; sed contraria est proscripto Articulo, ita remotissima est à fovenda hæresi Calvini.

Reliqua, quæ in Protestatione sunt, Articulorum quinque sequentium censuram impetunt, refutanda loco proprio.

CAPUT V.

An suam Ecclesiæ definitionem discernere satis Quesnellus valeat à Calviniana.

1 Quesnelli definitio Ecclesiam constituit in justis omnibus: Calviniana in solis electis. Ut autem acceptâ semel justitiâ, Calvino judice nunquam amittitur, quilibet justificatus consecutione necessariâ salvandus est, atque adeò prædestinatus. Istud quidem Quesnellus palàm asserere nondum audet; sed viam ei aperit latissimam, vel Deum statuit in promissionibus infidelem, neque satis tenacem justitiæ. Vel enim Deus efficacem gratiam in Quesnelli sententiâ semel datam, similibus ad finem usque prosequitur: vel justificato impossibile est in justitia perseverare, & impossibilis ei redditur mandatorum observatio, atque ita spoliatur sanctificante gratia, quam conservare nequiverit. Quo suo demerito? Nullo nisi quod cum peccandi necessitate juxta tertiam Jansenii hæresim componatur.

Hic mihi indubiè consentiet quisquis est Theologus, imò lector quilibet sano præditus judicio, si sequentia Quesnelli axiomata cum quibusdam fidei dogmatibus consideraverit. Undecimum Quesnelli damnatum: *Gratia non est aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet*. Decimum: *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*. In eundem sensum confluunt effata ejusdem complura, ut omnis gratia in præsenti statu credatur insuperabilis. *Sinè gratia* autem *nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem* juxta Articulum Quesnelli 40., similiter juxta 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris nisi ad se præcipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum: Est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. 2. *JESU Christi gratia principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solùm nihil fit; sed nec fieri potest*. 3. *In vanum Domine præcipis; si tu ipse nos das quod præcipis*. 4. *Ita Domine omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.* Omni alteri possibilia non sunt, cui gratia efficax non obvenerit; quia sufficiens penès novos Theologos nulla est. Recensitis Quesnelli opinionibus, junge tria fidei dogmata inconcussa: Primum, quod ab Apostolo traditur 1. Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*. Secundum Tridentini Concilii Sess. 6. cap. 11. *Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur*. Tertium ibid. cap. 13. *Deus nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet*.

2 His suppositis, statuo hominem in infantia baptizatum; proinde donatum justitiâ, & verè membrum Ecclesiæ, ut etiam Quesnelli fert definitio. Ubi primùm ad usum pervenit rationis, vel in promptu habet gratiæ auxilium, quo diligere Deum valeat: vel illo destituitur. Si obtigerit, diligitur Deus necessariò, quia operationem gratiæ *nihil impedire potest, vel retardare* Prop. 10. Si verò gratia supponitur denegari, labitur justus necessariò, quia juxta Prop. 44. Omnis actio est mala, quæ non est *amor Dei, omnia agens propter Deum, quemque Deus remuneratur*; sinè gratia autem constat amorem Dei salutiferum esse impossibilem, maximè juxta Propositionem

Quesnelii 2. 39. & 40. superiùs relatam. Itaque fidelis Deus esse desineret, si justum *tentari pateretur*, vel urgeret imperio, *supra quàm posset sustinere*: *desereret* justum *antequam ab eo liberè desereretur*.

Avertere solicitè debemus hanc à Deo maculam: proinde non destituendus est justus omni auxilio in primo opere, quod sinè gratia nequit esse innocuum, ut esse in Quesnelli sententiâ pluribus expositâ Propositionibus nullum potest. Concesso adjutorio efficaci pro actione omnium prima, non poterit subtrahi pro secunda ob rationem pro primo opere adductam, & valentem æqualiter pro secundo, tertio & sequentibus universis; ita ut in Quesnelliana hypothesi justus quilibet donum perseverantiæ consequatur, obtentam semel gratiam sanctificantem nequeat amittere, atque adeò certissimè prædestinatus sit.

Denique si Ecclesia non sit aliud, quàm justorum congregatio, non est pariter aliud, quàm prædestinatorum: ut scilicet Quesnellus sæpius gloriatur: *Non esse amplius solidum discrimen suos inter Augustini discipulos, & Calvinistas in materia de gratia*, non posterioribus ad priores, sed his ad illos pleno agmine currentibus, ut ipsis Calviniani insultando exprobrant, forsitan visum Quesnello fuerit, paulatim etiam in cæteris inter novam utramque Ecclesiam conveniendum, neque dissentiendum inposterum reipsa in Ecclesiæ definitione.

Ideo non solùm Quesnellus, qui terris Catholicorũ nusquam securus degeret, asylum in Hollandia tutissimum invenit; sed etiam quotquot ad eum à Sede Apostolica defecere Missionarii, tantis gaudent Acatholicorum parrociniis, ut Novorum, quæ Gazettas vocitant, nuntiatores publici, non minore illic studio in omnibus causæ faveant Quesnellianæ, quàm si communis foret, aut propria Calvinistarum. Quesnellus etiam cum suis plus fiduciæ habere visus est in ordinibus heterodoxis, quàm in Ecclesia, ad quam à Christo remittimur. Matth. 18. Quod *si non audierit eos, dic Ecclesiæ*. Catechismus Romanus in Explicatione Symboli ait, hoc loco *Ecclesiæ nomine ejus Præsides ac Pastores significantur*. Ita quoque S. Chrysostomus, Theophilactus, Euthymius, Cornelius à Lapide, & alii passim.

3 Fuere quidem etiam inter Catholicos, qui Ecclesiæ nomine hic cœtum fidelium intellexere; maximè verò Zvinglius, & similes hæretici, ut blandirentur populo, ac Democraticum, & populare Ecclesię regimen fingeretur, hanc interpretationem avidè arripuerunt. Sed nulli insanivere Catholici adeò ac Quesnellus, ut causas Ecclesiasticas ad Tribunal Laicum, quod agnosceret hæreticum, potiùs deferendas judicaverint, quàm ad Sedem Apostolicam. Archiepiscopus scilicet Sebastenus Quesnello & Jansenistis omnibus, ut appellabant ipsi, *Bonifacius*, à Catholicis Pontifici Innocentio XII. denuntiatus fuerat, ideoque ab ipso non indecoro titulo; sed velut occasione anni sancti ad Apostolorum limina evocatus.

Hic post plurium mensium tergiversationem, tandem iter suscipiens, Romam primùm advênit, mortuo Pontifice. Ab ejus autem Successore benevolè exceptus, etiam quoties voluit benignissimè auditus, cùm tamen non satisfaceret, à vicarii Apostolici munere suspensus est, postquam causa ejus in Congregatione Cardinalium ad examen specialiter deputatorum discussa funditus, ac dijudicata fuit. In quo Tribunali cùm causâ cecidisset Archiepiscopus, enixè à Pontifice petiit, ut remitteretur ad Congregationem S. Officii. Annuit Sanctissimus, atque illic *Declaratio* ejus & *Responsiones* ad objecta denunriationis capita novo examini commissæ, graviorem damnationis tulere sententiam, additis censuris variis, judicatusque fuit author, à Missionum regimine penitùs & in perpetuum amovendus. Sententiam Pontifex confirmavit, jussitque Congregationem de *Propaganda Fide* ad novi Vicarii procedere electionem, quâ à Pontifice approbatâ, ejusdem simul supremâ authoritate depositi sunt Provicarii quatuor, ab Archiepiscopo antea constituti.

Quesnellus autem, spreto omni Ecclesiæ judicio, respondit Heussenio, uni ex amotis Provicariis, posse contra Romanorum sententiam *recurri ad superiores Potestates*, Acatholicos scilicet Hollandiæ Magistratus; quia inquit, *Protestantes ad judicandum de causa Archiepiscopi Pastorumque ei adhærentium multo magis idonei sunt, quàm Romani*. Sic nempe & de Quesnelli Propositionibus multò faventius ipsi judicium tulere Batavi, quàm Sedes Apostolica cum tota sibi consentiente Ecclesia. Verùm ut in verbis Christi apud Matthæum superiùs allatis sequitur: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*.

CA-

CAPUT VI.

De manifesta fraude convincitur author Observationum in Propositiones 101. *allegans pro damnato Articulo Bellarminum.*

1 MAgnum hìc adversarius patrocinium novo dogmati pollicetur ab authoritate doctissimi,& nullâ hæreseos suspicione laborantis Bellarmini,quem, si jure nequeat, in suas fraudibus pertrahere partes statuit. Textum Eminentissimi citat ex lib. 3. de Ecclesia militante, cap. 2. *Notandum est ex Augustino in Breviculo Collat. 3. Ecclesiam esse corpus vivum, in quo est anima & corpus: & quidem anima sunt interna dona spiritûs sancti fides, spes, charitas* &c. *Corpus sunt externa professio,fidei, & communicatio Sacramentorum. Ex quo fit ut quidam sint de anima & corpore Ecclesiæ, & proinde uniti Christo capiti interiùs & exteriùs: & tales sunt perfectissimè de Ecclesia; sunt enim quasi membra viva in corpore... Aliqui sunt de anima & non de corpore, ut Catechumeni, vel excommunicati; si fidem & charitatem habeant, quòd fieri potest. Denique aliqui sunt de corpore, & non de anima, ut qui nullam habent internam virtutem, & tamen spe,aut timore aliquo temporali profitentur fidem, & in sacramentis communicant sub regimine Pastorum: & tales sunt, sicut capilli,aut ungues, aut mali humores in corpore humano.*

2 Quod hic Propositionis defensor adverbium *perfectissimè* gallicè verterit in gradu solummodo positivo *parfaitement*, minoris momenti corruptio est; at plena dolo altera rescindens quæ subjungo, inserenda loco tribus punctis interpolato: *Quamvis etiam* inquit Bellarminus, *inter istos aliqui magis, aliqui minùs vitam participent, & aliqui etiam solùm initium vitæ habeant, & quasi sensum; sed non motum, ut qui habent solam fidem sinè charitate.* Pars ea subdolè à Propositionis vindice suppressa litem contra ipsum manifestè dirimit, statuendo peccatores in Ecclesia, sive eos, ut Cardinalis loquitur, *qui habent solam fidem sinè charitate*, quos ait esse *de anima & corpore Ecclesiæ, & proinde unitos Christo capiti interiùs & exteriùs, & tales esse perfectissimè de Ecclesia; sunt enim quasi membra viva in corpore; Quamvis etiam inter istos aliqui magis,aliqui minus vitam participent, & aliqui etiam solum initium vitæ habeant, & quasi sensum; sed non motum, ut qui habent solam fidem sinè charitate.*

3 Prorsus igitur à veritate alienum est, quod Bellarmino affingitur eum censuisse de *peccatoribus* universis, eos in Ecclesia esse sicut capillos,aut ungues,aut malos humores in corpore humano, quod solis applicat iis, qui nec fidem quidem habent; sed solummodo propter lucrum temporale, vel metum,fidem simulant, sacramentis, & fidelibus communicantes, sub tegimine Pastorum. Proinde altera ejusdem sententiæ malefida truncatio est,quod adversarius ex Bellarmini textu reticeat, *spe aut timore aliquo temporali* ut fraudis ignarus Lector existimet, peccatores fidem verè profitentes à Bellarmimo, malis corporis humotibus comparari; cum ex Sententia Cardinalis integrâ omnibus perspicuum sit, id non de veris fidelibus peccato inquinatis asseri; sed de iis, qui fidem mentiuntur, sive ut Eminentissimus ait, *qui nullam habent internam virtutem, & tamen spe aut timore aliquo temporali profiteutur fidem exteriùs.* Et quidem tales, si in Sacramentis communicant, Cardinalis ait non solum in Ecclesia esse,sed etiam ejus partes. Sic enim statim subjungit. *Definitio igitur nostra solùm comprehendit hunc ultimum modum existendi in Ecclesia, quia hic requiritur ut minimum, ut quis possit dici pars visibilis Ecclesiæ.*

4 Audiat denique Propositionis defensor, qui librum 3. Bellarmini de Ecclesia militante nobis objicit, quasi *illic optimè Quæstio decidatur*: Audiat, inquam, quid capite 9. enunciet de opinione, quæ peccatores solùm in Ecclesia esse censet veluti humores, dentes, pilos, ungues in corpore: *Si ita est, sequitur Pontificem malum non esse Caput Ecclesiæ, & alios Episcopos, si mali sint, non esse capita suarum Ecclesiarum. Caput enim non est humor, aut pilus; sed membrum,& quidem præcipuum. At hoc est contra Concilium Constantiense, in quo Sess. 15. damnatur error 22. Joannis Huss, quo asserebat Pastorem malum esse æquivocè Pastorem: & error 30., quo asserebat, Prælatum malum non esse verè Prælatum.* Cladem itaque damnata novitas accipit, à quo speraverat præsidium. Fallor; truncatio enim & corruptio adeò enormis absque perfidia esse non potuit; unde suffragarorem turpiter mentira est, quem certissimè noverat adversarium.

Propositio damnata septuagesima quarta.

Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet ut Caput: omnes verò Sanctos ut membra. *Observ. mor. 1. Tim. v. 16.*

CAPUT I.

Propositionis oppugnatio.

1 Plurimos Sanctos esse inter Catechumenos, facilè agnoscet, quisquis Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. contra Bajanos articulos Constitutionibus consenserit. Illic nempe proscribuntur Articuli sequentes: 31. *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus potest esse sinè remissione peccatorum.* 33. *Catechumenus justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.* 43. *In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum.* 71. *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut Martyrii sinè actuali susceptione Sacramenti.*

Nihil igitur obest quin Catechumeni Baptismatis Sacramentum votis ardentibus expetentes, ante susceptionem ejus, justitiam consequantur & remissionem criminum, atque ita verè sancti sint. Non tamen propriè adhuc Ecclesiæ corpori aggregantur. Ideo Sanctus Augustinus Tract. 4. in Joannem & alibi Catechumenos à fidelibus distinguit, & distinguunt Patres cæteri.

Tertullianus Lib. de Præscriptionibus, hæreticos accusat, quòd Fideles inter & Catechumenos non discernant. Cyrillus l. 12. in Joannem cap. 50. ait Catechumenos esse apud Christianos, quod apud Judæos erant non circumcisi, quibus Agno Paschali vesci haud licuit.

Joannes Chrysostomus homil. 24. in Joannem dicit Catechumenum fidelium numero non comprehendi, nihil habere cum eis commune, non civitatem, non mensam &c. Gregorius Nazianzenus oratione in Sanctum Lavacrum asserit Catechumenum esse in vestibulo pietatis, nec adhuc posse vocari fidelem, nisi Ecclesiam ingrediatur per Baptismum.

Denique Florentinum Concilium Sanctorum Patrum insistens vestigiis in Instructione Armenorum docet, homines fieri membra Christi, ac de corpore Ecclesiæ cum baptizantur.

2 Augustinus quidem Tract. 4. in Joannem dicit Catechumenos esse in Ecclesia; verùm cùm eos ibidem à fidelibus separet, & initio libri 2. de Symbolo eos comparet hominibus cùm primum in matris utero concipiuntur, Fideles, Christiani, & de Ecclesia sunt in voto, & quodammodo in semine, sive ut Bellarminus lib. 3. de Ecclesia militante cap. 3. Augustinum explicans, dicit: *Sunt in Ecclesia non actu; sed potentia*: &: *certum est, Catechumenos non esse in Ecclesia actu; sed potentia, quomodo homo conceptus, sed nondum formatus & natus non dicitur homo nisi in potentia*: quod saltem de homine primùm concepto & nondum formato verissimum est.

Non igitur in rigore admittitur, *omnes Sanctos esse membra Ecclesiæ*, quod enuntiat damnata Propositio, cum catechumeni multi Sancti non tamen Ecclesiæ membris accenseantur. Non enim jus habent ad Confirmationis, Eucharistiæ & cætera fidelium Sacramenta.

Alius Propositionis defectus gravior est, quem in duabus præcedentibus reprehendimus, quòd Ecclesiam solorum Sanctorum numero circumscribat, atque ita baptizatos omnes, qui in peccatum inciderint ex albo fidelium expungat, & præcipua Ecclesiæ membra, Doctores, Pastoresque, etiam supremos vel unius peccati lethiferi, etsi merè interni reos, à mystico Christi Corpore, quod est Ecclesia, rescindat. Juxta quam sententiam nulli fidelium Sacramento Pœnitentiæ opus foret: neque peccatoribus; sed justis solummodo institutum. Ut autem bene valentibus opus medico non est, ita neque justi reconciliationis eguerint Sacramento.

Et tamen solis justis institutum est, si omnis peccator ab Ecclesiæ corpore rescinditur, ut statuit Propositio; Excommunicati enim Ecclesiæ restituuntur, ante quam absolvantur à peccatis; at si nullus Ecclesiæ mem-

membrum fit nisi justus, quomodo ante justificationem absolutioni fiet idoneus, cùm hæc ad Sacramentum Ecclesiæ pertineat, & solis intrà Ecclesiam pœnitentibus impertiatur. *Quid enim mihi de iis qui foris sunt, judicare?* inquit Apostolus 1. Cor.5. Ideo neque Infideles, neque Catechumeni ad Sacramentum pœnitentiæ admittuntur.

3 Patet itaque juxta damnatum Articulum, illud inter Sacramenta mortuorum minimè numerandum, ejusdem prorsus destrui necessitatem, everti deoique institutioois finem, si non & ipsa eliminetur institutio. Horrorem quidem Catholico lectoti incutiunt istiusmodi consectaria, uti & illud in superioribus indicatum, quod, si solis Ecclesia constituitur Sanctis, si omnes peccati lethiferi maculâ inquinati, mystico illo Christi corpore excluduntur vel non iocluduntur, nisi veluti sordes, vel humores mali in corpore physico, conclusio secutura fit inevitabilis, Pastores & Episcopos à justitiæ culmine in noxam delapsos mortiferam, non esse amplius commissæ sibi Ecclesiæ capita, neque Pontificem Universæ. Quomodo enim capita seu partes præcipuæ sunt, qui ne in membrorum quidem ampliùs numero computantur?

Unde meritò ajebat quidam Antistes apprimè catholicus, nescio quæ fatalis quosdam collegas nostros occupaverit fascinatio, ut non perspiciant, quantum Constitutio *Unigenitus* nostro consulat ordini, perniciosos adeò proscribendo Articulos, quibus non solùm doctrina sana, & fides Catholica subvertitur, sed etiam Episcopalis in pluribus enervatur authoritas, quando quolibet vero, vel affictο à malevolis crimine, populus ioducetur ut credat, Præsulem suum desiisse esse membrum Ecclesiæ, atque ita dignitate capitis excidisse: Se proinde mandatis ejus imposterum non constringi.

An pro talium defensione dogmatum tota conturbari debuit Ecclesia, & jurata pridem Christi Vicario obedientia denegari?

Conciliumne rursus œcumenicum, convocatis undique Episcopis indicendum, ut quod à Patribus olim Constantiensibus in Joanne Hus tam solemniter condemnatum est, iterum in controversiam adducatur, quin & Concilio in plura forsan secula differendo, proprer aliquorum appellationem Antistitum, talis interim dissimulanda pernicies, ut grassari per Ecclesiæ viscera impunè, fidemque pariter & disciplinam pessumdare permittatur? In gratiam novitatis tam exoticæ suspendi etiam debebit clarissimarum locis innumeris Scripturarum authoritas & constans Traditio, quibus docemur non justos solummodo, sed peccatores etiam ad constitutionem Ecclesiæ pertinere.

4 Dices: Non istud negat Propositio; omnes Sanctos in Ecclesia collocat, præscindendo à peccatoribus; sed non eos didacticè excludendo, cùm ait: *Ecclesia sive integer Christus, incarnatum Verbum habet ut caput, omnes verò Sanctos ut membra.*

Quisquis istud pro liberando ab inferis Articulo comminisceris, attende Sermonem esse de Ecclesia, quibus partibus componatur: De Christo integro; non de aliquibus ejus membris; sed simul omnibus: de quo omne dubium, si quod foret, tolleret definitio Ecclesiæ superiore Articulo tradita, qua perspicuè asseritur Ecclesiam nihil esse aliud quam justorum omnium Coogregationem: *Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona.... viventium ejus Spiritu, agentium per ejus gratiam...?* Ubi à peccatoribus Ecclesia non solùm præscinditur; sed exempta quoque penitùs declaratur. Idem satis iodicat in præsenti Articulo *Christi integri* in suas partes distributio, quæ sicut enuntiatur simpliciter, supponi debuit adæquata, cùm partium designatio traditur indefinita.

CAPUT II.

Nihil est in Sacris Paginis quod fundamentum præbeat damnatæ Propositioni.

1 Apostolus Timotheum Epist.1.cap. 3. ita monet: *Hæc tibi scribo, sperans me venire ad te citò. Si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat in Domo Dei conservari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Et manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu: apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo: assumptum est in gloria.* Hinc elicit Quesnellus suum Articulum *Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum verbum habet ut caput; omnes verò sanctos ut membra.*

Si quis ante Quesnellum Theologus, aut Scripturarum interpres catholicus in textu Apostoli, fundamentum detexerit quod tale superstrui exigeret doctrinæ ædificium, fatebor hic illum non me solo; sed

cæ-

cæteris passim commentatoribus perspicaciorem; cùm neque in Doctore Angelico neque ullo eum secuto, aut præcedente interprete talem videre licuerit Paulinæ hujus sententiæ expositionem. Attamen superiore Articulo *Protestantem* audivimus Quesnellum, *se non agere solitum de veritatibus religionis, nisi quantum textu sacro pertrahitur illuc atque determinatur*.

Profectò talis sensus minimè conduceret Apostoli scopo, qui erat Timothei & cæterorum institutio, ut pro discendis ad salutem necessariis, eam semper consulerent Ecclesiam, quæ, testante per Apostolum Spiritu Sancto, est *columna & firmamentum veritatis*. Quesnello autem interprete remitteret nos Paulus ad Ecclesiam invisibilem, qualis in damnata Propositione describitur. *Verbum* enim *incarnatum*, quod *caput Ecclesiæ* dicitur, mortalibus invisibile est, eratque cum Paulus scriberet post Christi ad superos ascensum: invisibilis quoque gratia sanctificans est, à qua sanctorum denominatio fit.

Præcisâ igitur Ecclesiâ à capite visibili, qui summus Christi Vicarius est, omissis Episcopis & Pastoribus, expunctis etiam fidelibus præterquam sanctis, quando ad hos solos pro dissolvendis doctrinæ dubiis, & hauriendâ in causis fidei firmissimâ veritate, recurrere juberemur, fatendum foret, incongruè nobis à Christo de controversiarum judice fuisse prospectum. Quis enim nesciat, ut Satanam se transformare solitum in Angelum lucis, ita & hypocrisim multis esse hæreticis familiarem, atque sub ementitæ sanctitatis imagine impietatem latere maximè execrandam?

2 Tractatu aureo Francisci Simonis *de fraudibus hæreticorum* parte 1. plurimis illustrata hæreticorum veterum exemplis, & Patrum testimoniis traditur Fraus prima, *Mentiri sanctitatem vitæ*. Cui recensendæ fallaciæ hoc dat initium ex Matth. cap. 7. „ *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt* „ *ad vos in vestimentis ovium; intrinsecus* „ *autem sunt lupi rapaces*. Locum interpre„tans S. Hieronymus, specialiter, inquit, „ de hæreticis intelligendus est, qui vi„dentur continentiâ, castitate, jejunio, „ quasi quadam pietatis se veste circum„dare: intrinsecus verò habentes animum „ venenatum, simpliciorum fratrum corda „ decipiunt.

„ Fraudem antiquissimam in Marcioni„stis atque Valentinianis cæterisque hære„ticis detexit olim, ac detestandam exhi„buit Origenes in Ezechielem homilia 7. „ *Vide mihi*, inquit, *aliquem Marcionistam*, „ *sive discipulum Valentini, aut certè cujus*„*libet hæresis defensorem, & considera, quo*„*modo idola sua, id est, figmenta sua, quæ* „ *ipse composuit, mansuetudine & castitate* „ *vestiat... Juxta mei quidem animi sen*„*sum multò nocentior est hæreticus bona vita* „ *& plus in doctrina sua habet authoritatis* „ *eo, qui doctrinam conversatione comma*„*culat... Idcirco sollicitè caveamus hæreti*„*cos, qui conversationis optimæ sunt: quo*„*rum fortè vitam non tam Deus, quàm Dia*„*bolus instruxit; nam quomodo quasdam il*„*lecebras escarum aucupes proponunt, ut fa*„*ciliùs aves capiant per oblectamenta gulæ*, „ *sic, ut audacius dicam, est quædam casti*„*tas Diaboli, id est, decipula humanæ ani*„*mæ, ut per istiusmodi castitatem, & man*„*suetudinem, & justitiam possit faciliùs ca*„*pere, & falsis sermonibus irretire*.

„ *Quandam Diaboli castitatem*, cæteras„que virtutes rectè commeminit Orige„nes; etenim hæreticorum Pater primâ „ Ecclesiæ ætate, parum etiamnum peri„tus spargendarum hæreseon, hoc ferè „ egerat ut spurcissimis Gnosticorum, alio„rumque hæreticorum moribus Ecclesiam „ commacularet. Factum igitur est deni„que, ut suâ ipsi turpitudine exosi, atque „ detestabiles essent hæretici. Hoc ani„madvertens ille, nihilo in se melior spe„ciem mutavit, suscitansque Montanum „ atque Montanistas, hæresim induxit pu„dicam, probam, sanctam; si speciem „ pro re acceperis. Juxta Philastrium de „ hær. cap. 50., & Epiphanium hæresi 48. „ Jejunia, continentia, Martyria, Eccle„siæ disciplina, Spiritus Sancti charismata, „ hæc ipsis in ore erant præcipuè, atque „ etiam reipsa perplacebant, ut videba„tur. Ibi damno suo Ecclesia didicit, „ quanto graviùs metuendi sint hæretici „ diabolicis virtutibus nitentes, quàm „ apertis vitiis infames „. Hactenus Simonis.

3 Objiciunt Hexapla illud Isaiæ 62. *Dicite Filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit: ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo. Et vocabunt eos populus sanctus, redempti à Domino; tu autem vocaberis quæsita Civitas & non derelicta*. In toto Isaiæ Oraculo nihil est quod ad præsentem pertrahi valeat controversiam, nisi quod ad solatium filiarum Sion dicatur in proximo esse Salvator, cujus *populus Sanctus vocabitur*. Ubi quidem Christi adumbratur Ecclesia, quam nemo negaverit Sanctam esse, & meritò appellari, ut ex ipso accipimus, & profitemur in

in dies Symbolo Apoſtolorum: Credo *Sanctam Eccleſiam Catholicam*.

Verùm & pueri Chriſtianæ fidei principiis inſtituti noverunt, quod paſſim in Catechiſmis traditur, in primis Romano, *Eccleſiam dici Sanctam, tametſi multos peccatores contineat. Sancti enim vocantur fideles, qui populus Dei effecti ſunt, quive ſe fide & Baptiſmate ſuſcepto, Chriſto conſecrarunt, quanquam in multis offendunt, & quæ polliciti ſunt, non præſtant, quemadmodum etiam qui artem aliquam profitentur, etſi artis præcepta non ſervent, nomen tamen artificum retinent. Quare Divus Paulus Corinthios ſanctificatos, & ſanctos appellat, in quibus non nullos fuiſſe perſpicuum eſt, quos ut carnales, & gravioribus etiam nominibus appellat*.

Eccleſia quoque *populus ſanctus* dicitur propter innumeros Sanctos, qui in ea ſunt, & quia in hæreticorum & infidelium cœtibus nullus eſt. Huc refertur, inquit Bellarminus lib. 4. de Notis Eccleſiæ cap. 13. „ Sanctitas vitæ authorum, ſive primorum „ Patrum noſtræ religionis: Eccleſia enim „ vera non ſolùm habet doctrinam ſanctam „ & efficacem, ſed etiam Doctores ſanctos, „ & ſignorum ac miraculorum gloriâ clariſſimos.

„ Jam ergo ſi quis conſideret Magiſtros Eccleſiæ Catholicæ, primùm Patriarchas & Prophetas, deinde Apoſtolos tum Doctores, qui contra ſingulas hæreſes dimicarunt; denique Inſtitutores Ordinum Religioſorum, inveniet omnes tam ſanctos, caſtos, pios, ſobrios fuiſſe, ut adverſarii nihil habeant quod reprehendant, niſi nimiam ſanctitatem, ut Beatus Auguſtinus ait de Monachis ſui temporis lib. de moribus Eccleſiæ cap. 31., & lib. 2. in Julianum de Catholicis Doctoribus: *Iſti ſunt Epiſcopi & Paſtores docti, graves, ſancti, veritatis acerrimi defenſores, qui Catholicam fidem in lacte ſuxerunt, in cibo ſumpſerunt, cujus lac & cibum parvis, magniſque miniſtraverunt. Talibus poſt Apoſtolos Sancta Eccleſia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, Paſtoribus, nutritoribus crevit....*

„ De hæreſiarchis mala plurima dici poſſent; ſed unum eſt vitium omnibus commune ſuperbia. Auguſtinus lib. de Paſtoribus cap. 8. *Diverſis locis ſunt diverſa (hæreſes) ſed una mater ſuperbia omnes genuit, ſicut una mater noſtra Catholica omnes Chriſtianos fideles toto Orbe diffuſos*.

4 Denique Bellarminus eodem libro 4. cap. 11. „ Conſtat, inquit, Sanctam dici „ Eccleſiam, quia profeſſio ejus eſt ſancta, „ nihil continens falſum quoad fidei doctrinam, nihil injuſtum quoad doctrinam „ morum...... Ex hac Nota evidenter „ oſtenditur, nullam eſſe veram Eccleſiam, „ niſi noſtram; nulla enim eſt ſecta vel Paganorum, vel Philoſophorum, vel Judæorum, vel Turcarum, vel hæreticorum, quæ non contineat aliquot exploratos errores, & rectæ rationi manifeſtè „ contrarios „ ut plurimos continere Queſnellianam ex toto præſenti Opere, Lectori cuilibet novitatis cupidine non infatuato redditur indubitatum. Non itaque deſunt clariſſimi & abunde ſufficientes tituli, ob quos Eccleſia Catholica ſanctitatis gloriâ de ſectis omnibus triumphet, licèt juſtitia non in ſingulis ejus partibus inveniatur.

Objectam ab Hexaplis Iſaiæ ſententiam ſatis conſpicati ſunt poſteriores Queſnelli vindices inutilem prorſus eſſe ad condemnati Articuli defenſionem; ideo ab ejus allegatione prudentiùs cenſuerint abſtinendum.

CAPUT III.

Nullæ Patrum ſententiæ Queſnellum, aut ejus Articulum excuſant.

1 OBſervator in Propoſitiones 101. nos provocat ad Auguſtini Enarrationem 2. in Pſalmum 30., ubi ſic Doctor maximus ait: *Totus Chriſtus caput & corpus: caput ille Salvator corporis: qui jam aſcendit in cælum; corpus autem Eccleſia, quæ laborat in terra. Hoc autem corpus niſi connexione charitatis adhæreret capiti ſuo, ut unus fieret ex capite & corpore, non de cælo quemdam perſecutorem corripiens diceret: Saule, Saule, quid me perſequeris? Quando eum jam in cælo ſedentem nullus homo tangebat, quomodo eum Saulus in terra ſaviens adverſùs Chriſtianos, aliquo modo injuriâ percellebat? Non ait quid Sanctos meos, quid ſervos meos; ſed quid me perſequeris? Hoc eſt, quid membra mea? Caput pro membris clamabat, & membra in ſe caput transfigurabat*,

Hæc quidem Auguſtinus; ſed præſens malæ cauſæ patronus, ut inde conficeret, ſolos Sanctos eſſe membra Eccleſiæ, contra claram Scripturæ & Auguſtini mentem perfidiâ ſibi familiari reſcidit ex Auguſtini ſententiâ, nullo truncationis facto indicio, verba ſequentia à me ſuperiùs loco ſuo reddi-

reddita: *Quando eum jam in cœlo sedentem nullus homo taugebat, quomodo eum Saulus in terra sæviens adversùs Christiauos, aliquo modo injuriâ percellebat?* Audin' adversùs Christianos? Non adversùs solos Sanctos. Quid enim? Num Saulus solos è Christianis Sanctos persequebatur, an verò omnes Christi nomen & fidem profitentes? Aut an Christus Saulum increpans de sola queritur adversùs Sanctos persecutione? Clarissima Christi querela, & totius Ecclesiæ interpretatio est de persecutione adversùs Ecclesiam, & adversùs Christianos nullo Sanctorum à non Sanctis discrimine: cui manifesto Scripturarum, & Ecclesiæ sensui ne & Augustinus consentire videretur *Christianorum* appellationem adversarius suppressit.

Non malè autem *Ecclesiam, quæ laborat in terra*, intelligit *Ecclesiam patientem* à Christiani nominis hostibus, *le corps est l' Eglise, qui souffre sur la terre*; verùm vel inde colligere potuit, ab Augustino Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, non pro solis Sanctis accipi; sed pro universa Christianorum fidelium multitudine, quæ Tyrannorum persecutionibus obnoxia est. Quod ibidem pluribus confirmat Augustinus: *Totum*, inquit, *Christi Corpus tentatur usque in finem. Fratres mei, quando jussum est, nescio quid, contra Christianos mali, simul impingebatur: in hoc corpus totum impingebatur.*

Et paulò post: *At ubi finita sunt illa, quæ totum corpus impingebant, ut caderet, cœpit tentatio esse per partes: tentatur Corpus Christi: una Ecclesia non patitur persecutionem, alia patitur.* Quis dicat hîc agi de solis sanctis? Non igitur Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, solis constituitur justis; sed Christi fidelibus. De quo nos ambigere non finit eadem Augustini Enarratio his verbis. *Loquens* [Apostolus] *de membris Christi, hoc est de fidelibus, non ait, sic & membra Christi, sed totum hoc quod dixit, Christum appellavit*: neque de solis differit justis; sed de fidelibus illimitatè. Nomine quoque *fidelium* significatione usitatissima, corpus hoc dicitur sanctum & charitate adhærere capiti, non quod singula membra sancta sint; sed à potiore parte sumitur denominatio; & quia illi proprium est habere Sanctos, quæ prærogativa nulli alteri hominum cœtui est communis. Plures rationes, ob quas Ecclesia dicitur sancta, videri possunt apud Bellarminum lib. 3. & 4. de Ecclesia militante & alios passim Scriptores Polemicos, qui Calvino præcipuè & Luthero restiterunt.

2 *Observatori* & *Hexaplis* suppetias ferre solitus *Collator Propositionum cum quibusdam Scripturæ locis & Patrum testimoniis*, opponit iterum Augustinum: sed in Ps. „ 90. Dominus noster Jesus Christus, tan„ quam totus perfectus vir, & caput & „ corpus in illo homine agnoscimus, qui „ natus est de Maria Virgine ... Corpus „ hujus capitis Ecclesia est, non quæ hoc „ loco est; sed quæ hoc loco & per totum „ Orbem terrarum: nec illa, quæ hoc tem„ pore; sed ab ipso Abel usque ad eos qui „ nasciturí sunt usque ad finem, & creditu„ ri in Christum, totus populus Sanctorum „ ad unam Civitatem pertinentium, quæ „ Civitas corpus est Christi, cui caput est „ Christus. Ibi sunt & Angeli cives no„ stri. Sed quia nos peregrinamur, labo„ ramus. Illi autem in Civitate expectant „ adventum nostrum. „

Eandem Augustini Sententiam idem adversarius attulit pro Articulo 72. quam ibidem explicui, & cum doctrina conciliavi Catholica. Multitudo credentium ad unam pertinet civitatem cœlestem Jerusalem, cui se baptismate consecratam in perpetuum dicavit; etsi ex illa multitudine complures concupiscentiâ & Diaboli tentationibus abstracti & illecti, peregrinationis tempore subinde ab ejus semita declinent, aliqui etiam ad optatum terminum nunquam perveniant.

Sed & Ecclesia *totus populus sanctorum* dicitur desumpto nomine à potiori parte, & quia extra illum nullus in alio uspiam populo sanctus est. Denique si sensu magis rigido allegata sententia intelligatur, Ecclesia illic accipitur pro solis & omnibus prædestinatis; dum illa dicitur *totus populus sanctorum pertinentium ad unam Civitatem ubi sunt Angeli*, & ad quam nos peregrinantes intentionem dirigimus.

3 Advertit istud adversarius, videlicet, Augustini sententiam aut non favere damnato Articulo, aut favere etiam hæresi Calvinianæ, solo Electorum numero Ecclesiam concludenti, ideo textum retulerit his vocibus mutilum *non quæ hoc loco est* [Ecclesia] *sed quæ hoc loco & per totum orbem terrarum est: nec illa quæ hoc tempore; sed ab ipso Abel usque ad eos qui nascituri sunt usque in finem, & credituri in Christum.* Et paulo post: *ibi sunt & Angeli cives nostri. Sed quia nos peregrinamur, laboramus; illi autem in civitate expectant adventum nostrum.*

Verbis prioribus videbatur Ecclesia esse omnium credentium, posterioribus electorum duntaxat, qui soli rigidè & propriissi-

ſimè ad illam pertinent civitatem, ad quam Angeli nos expectant. Verùm quemadmodum Auguſtinus ſuos Auditores Eccleſiæ & corporis Chriſti nomine comprehendit, non quaſi ſingulos prudenter credere poſſit, atque aſſerere prædeſtinatos, vel etiam juſtos; ſed ſicut Apoſtolus particularibus quibuſdam Eccleſiis ſcribens, eas Sanctas vocaverit deſumpta appellatione à parte potiore, ita propter juſtos, ut ſupponebat, plurimos, quos & confidebat donandos à Deo gratia perſeverantiæ, de tota audientium multitudine benignè adeò, & honorificè loquebatur.

Deſcripta igitur hic ab Auguſtino Eccleſia vel ad univerſam credentium multitudinem extendenda eſt, vel ad ſolos reſtringenda, qui ad cœleſtium pertinent civitatem; niſi corpori Chriſti myſtico, quod eſt Eccleſia, denominationem *populi Sanctorum* tribui patiaris, ſicut aliis cœtibus, nationibus, proſapiis & magnificis earum appellationibus uſuvenit, partium intuitu nobiliorum. Sic totus homo ratione præditus vocatur, etſi partibus ejus non omnibus ratiocinandi conveniat facultas.

Verùm non eſt eur ſtabiliendis iſtiuſmodi textuum interpretationibus Catholicis ſive Auguſtini, ſive Patrum cæterorum, ei conſentientium immoremur diutius; quando ipſi adverſarii, duce Queſnello, non auſi ampliùs explicationes hæreticas apertè defendere, Bellarmino conſentire ſe aſſerunt, de tribuendo ſano ſenſu Propoſitionibus ſeptem, ad eandem attinentibus materiam, ſoliciti potiùs, quàm de firmando, qui in legentium oculos inſilit, hæretico. Excuſationem diſcutiet diſputatio contra Articulum 78. præſenti controverſiæ coronidem impoſitura.

Suſpecta interim nobis ſemper ſit novæ Sectę excuſatio, quoties errorem à ſe manifeſtè traditum, & ratione à Catholicis certiſſimâ convictum, damnatumque, à ſuo avertere Syſtemate conatur. Hanc Janſeniani diſcere fallaciam potuere ab Ario, Pelagio, & verſutiſſimis utriuſque diſcipulis. De Pelagio ſic Auguſtinus lib. de peccato Orig. cap. 12.: *Dogma iſtc damnavit, tanquam contrarium veritati, ut ipſe à Catholicis Judicibus damnaretur: & id ſibi defendendum poſtea reſervavit, aut mendaciter damnans, aut callidè interpretans.* Sic Hęreſiarcha doloſiſſimus à Dioſpolitana Synodo, ut teſtatur Auguſtinus eodem lib. cap. 14. *Abſolutionem ſuam fallendo furatus eſt.*

Propoſitio damnata ſeptuageſima quinta.

Eccleſia eſt unus ſolus homo compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt caput, vita, ſubſiſtentia & perſona: unus ſolus Chriſtus, compoſitus ex pluribus ſanctis, quorum eſt ſanctificator. *Obſerv. Moral. Epheſ. 2. v. 16.*

CAPUT I.

Propoſitio convincitur erroris digni cenſurâ graviſſimâ.

1 Iterum hic à Queſnello corpus Eccleſiæ componitur ex ſolis Sanctis: iterum contra Paſtores, Epiſcopos, atque ipſum Pontificem Maximum, æquè ac cæteros fideles à novo Theologo definitur, eos ab Eccleſia reſcindi, ſi à juſtitia deciderint: ſimul enim ut Sancti eſſe deſinunt, membris illius corporis, quod eſt Eccleſia, amplius non annumerantur. Siquidem *Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt caput, vita, ſubſiſtentia & perſona: unus ſolus Chriſtus compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt ſanctificator.* Deſtructâ igitur in Eccleſiæ Rectoribus ſanctitate, ſimul juxta adverſarium periit forma, quæ conſtituerat eos membra Chriſti, atque Eccleſiæ. Proinde Chriſtianus populus eis amplius in ſpiritualibus non ſubditur: Quomodo enim Eccleſiarum particularium, vel Univerſalis caput eſſe pergerent, qui membra eſſe deſiiſſent? Horrorem Chriſtianis auribus incutit exitiale adeò & exſecrabile conſectarium; quâ tamen ratione illud à ſuo adverſarii dogmate poterunt amoliri?

Rurſus Eccleſia redditur inviſibilis, quando tota ejus compoſitio, ex membris conſtatur fugientibus conſpectum. Cor enim hominis alienis oculis inſcrutabile: atque ipſi, quamdiu in terris militant ſancti, niſi à Deo ſpecialiter revelante didicerint, ne-

nesciunt utrum amore digni sint an odio. Quapropter si Propositio steterit incolumis, Calviniani & quivis alii ipsis hìc consentientes hæretici, facilè dissabunt Tractatus omnes & doctissima Volumina, quæ gravium contra eos Theologorum pepererat studiosus labor, ut Ecclesia demonstraretur visibilis. Prædicationem verbi, & Sacramenta visibilia etiam hęretici illi agnoscunt; sed animorum justitia & Sanctitas non patens aspectui, penès illos forma Ecclesiæ est, seu ratio, quâ homines corporis istius mystici constituuntur membra. Ita Quesnelli Articulus, proculcatis Orthodoxorum lucubrationibus, facilem hæreticis concedit sinè certamine victoriam.

2 Prætereo affectationem authoris, ubique studio diffugientis, ne Ecclesiæ post Christi ad superos Asceusionem caput visibile præficiatur.

Recurrit hic animadversa à me sæpius Quesnellianæ *Protestationis* fallacia, dum occasione præsentis de Ecclesia controversiæ, palam asserere non dubitat se in damnato Opere *de religionis veritatibus haud agere solitum, nisi quousque scripturarum textibus inducitur atque determinatur*. Quid autem in tota Apostoli sententia est ad Ephesios capite 2. v.14. & duobus sequentibus, quod præsentem suggerere debuerit interpreti Propositionem? Nihil simile ibi detexerat Doctor Angelicus, neque ante eum Hieronymus, Chrysostomus, Theophilactus, Æcumenius, aut alius, ni fallar, veterum, aut recentiorum. Tuæ, lector sapiens, considerationi verba sacra exhibeo: *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne sua: legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* Est enim verò *Pax nostra* Christus, ut exponitur v.15. & ad Colossenses cap.1. v.20. *Pacificans per Sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.*

Fecit utraque unum Judæorum & Gentium populum, in unam congregans novi fœderis Ecclesiam, *medium parietem maceriæ solvens*, quod erat Judæos inter & gentes dissidium. *Legem mandatorum* [Christus] *decretis* [aliis] *evacuans*. Lex vetus dicitur *mandatorum*, propter eorum multitudinem, & quia non nisi mandata conferebat; non verò eadem implendi auxilium: qua ratione distinguitur à lege novâ, quæ rescissis innumeris præceptis ceremonialibus, retinuit moralia, quibus pauca addidit, qualia sunt Sacramentorum, utilissima ad salutem, eaque plena spiritualibus subsidiis ad exequendum quod præcipitur. Unde meritò Joannes epist.1. cap.5. asserit *mandata ejus gravia non sunt*: & ipse Christus Matth.11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, & onus meum leve.*

3 In controversum Apostoli textum ita Hieronymus: *Lex*, inquit, *mandatorum subversa est in dogmatibus, postquam Circumcisio & Sabbatismus, qui relictus est populo Dei & Pascha & Pentecoste, & Non apparere in conspectu Dei vacuum, sunt altiùs intellecta, quàm resonant, & ab occidente litera recedentes cœpimus vivificantem spiritum sequi.* Hactenus ut patet, nihil est in Pauli sententia, unde errandi occasio vel remotissima à novo interprete desumi potuerit. Quod sequitur ad materiam saltem præsentem accedere propius videtur, licèt minimè ad errorem. *Ut duos*, ait Apostolus, *condat in semetipso in novum hominem* (Christus) *& reconciliet ambos Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.*

In quem locum sic Cornelius A lapide: „ Ut duos populos, Judaicum scilicet & „ Gentilem, quasi duos homines, sibi & „ corpori suo, id est Ecclesiæ suæ, cujus „ ipse caput est, inserat & incorporet, faciatque utrumque hunc hominem, id „ est, populum, velut novum quemdam „ hominem in novitate vitæ ambulantem. „ Hic explicat (Apostolus) metaphoram „ præcedentem parietum maceriæ & domûs, per aliam metaphoram, scilicet „ hominis & corporis humani; Judæi enim „ & gentes sunt quasi duo homines, qui „ Christo incorporati coaluerunt in unum „ hominem mysticum, id est, in unum populum Christianum.

„ *Et reconciliet ambos*, scilicet homines „ id est populos, in uno corpore, mystico scilicet, quòd est Ecclesia, unitos: „ quasi dicat, ut ambos hos populos effectos jam unum corpus mysticum, *reconciliet Deo per crucem, interficiens inimicitias*, quæ erant inter Judæos & Gentes, „ rursum quæ erant inter utrosque & „ Deum.„

„ *In semetipso*, id est per semetipsum; „ puta per crucem & passionem suam.„ Quod hic adversariis placuit præcipuè, est Christum duos populos *in unum condidisse* no-

novum hominem in semetipso, & reconciliasse ambos Deo. Verùm ex eo non sequitur, omnes & singulos Christiani populi, quem Christus ex Judæis & Gentibus conflavit, sive omnia & singula membra hominis istius mystici ex duobus compositi populis, esse Sancta. Reconciliati omnes Deo fuimus à Christo in Baptismate, qui illud suscepimus in infantia; sed ex iis, qui Sacramentum illud in adultam differunt ætatem, quot absque pœnitentia ad remissionem actualium peccatorum necessaria, quot etiam ex iis, qui Sanctificationis munere donati sunt, illud postmodum delictis succedentibus amittunt? Neque propterea illi desinunt esse de Ecclesia, neque hæc Sanctitatis encomio spoliatur. Sic Bellarminus lib.3. de Ecclesia militante cap.9. hanc sibi proposuerat objectionem 2. „ Ecclesia in „ symbolo dicitur Sancta: igitur non con„ stat nisi ex Sanctis. Nec sufficit respon„ sio eorum qui dicunt, Ecclesiam esse San„ ctam, quia una pars est Sancta; nam tunc „ etiam dici posset Ecclesia scelerata; quia „ una pars, imò major est scelerata.

„ Respondeo [inquit] Ecclesiam dici & „ verè esse Sanctam, quia omnia quæ ad „ ipsam constituendam pertinent, sunt „ Sancta. Tria requiruntur: primò baptis„ ma quod Sanctum est: secundum pro„ fessio Christiana, id est, fidei & morum, „ sive dogmatum & præceptorum Christia„ norum ... Tertium unio membrorum in„ ter se, & cum capite, saltem externa, „ & quoad ea quæ ad religionem pertinent: „ quæ unio etiam est Sancta. Dicitur etiam „ Sancta propter Sanctos quos habet: & „ non propterea dici debet etiam scelera„ ta; nam denominatio fit à meliori, & „ præterea quia habere Sanctos est pro„ prium Ecclesiæ; quia ipsa sola habet ve„ rè Sanctos.

4 In responsione ad Objectionem tertiam, dicit *Scripturam interdum tribuere toti Ecclesiæ, id quod est proprium perfectorum, ut carere maculâ & rugâ.* Sic igitur & cap.2. ad Ephesios Ecclesia novus homo, & Deo reconciliatus dicitur, acceptâ parte meliore pro toto. Invicta hæc sunt contra adversarios, utpote qui ad Bellarminum nos unanimi voce & confidentiâ provocant, velut solidissimum præsentis controversiæ tractatorem.

Audiatur itaque iterum ejusdem capitis noni initio. „ In Una Vera & Catholica „ Christi Ecclesia, non solùm imperfectos; „ sed etiam graves peccatores esse, & non „ solùm occultos; sed etiam manifestos „ contra Errorem Novatianorum, Dona„ tistarum & Confessionistarum, probatur „ primò ex parabolis Evangeliorum de area, „ de reti, de convivio nuptiali, de decem „ Virginibus, & de ovili supra citatis, „ quibus Catholici ita confutarunt olim „ Donatistas, ut planè non invenerint „ ullo modo quà exirent, ut Augustinus „ refert in Breviculo Collationis expli„ cans collationem tertiæ diei.„

Verùm hæreticis istis fugam, & latebras quærentibus succurrit, & prælium instaurat cum suis commilitonibus Quesnellus, conquisitis undique Scripturarum, Patrumque suppetiis, quæ, etsi profligatam hic juvare nequeant dogmatis pravitatem, ampliùs tamen novorum malevolentiam Scriptorum, atque perfidiam detegere pergunt, quod veritatis agnitæ impugnationem prosequi non vereantur, atque ipsa Spiritûs Sancti oracula in defensionem convertere mendacii.

Ignorare enim minimè possunt, quod prima fidei rudimenta edocti pueri è Catechismis, Romano potissimum didicere, Ecclesiam, etsi Sanctam, reconciliatam Deo, & contra portas inferi roboratam, Sanguine & Cruce Unigeniti Salvatoris nostri, attamen, quamdiu à cœlesti patria cogitur exulare inter continua contra mundum, Diabolum, atque infestam præ cæteris carnem propriam, certamina, conspicit quotidie & luget fidelium plurimos negligentiùs dimicantes, in potestatem hostium venire, atque miserrimam servitutem.

Sic nempe Catechismus ille in Expositione Symboli Apostolorum docet: „ Mili„ tans Ecclesia est cœtus omnium fidelium, „ qui adhuc in terris vivunt: quæ ideo mi„ litans vocatur, quod illi cum immanissi„ mis hostibus mundo, carne, Satanâ per„ petuum sit bellum ... Jam in Ecclesia „ militante duo sunt hominum genera, „ bonorum & improborum ... Bonos igi„ tur & improbos Ecclesia complectitur, „ quemadmodum & divinæ literæ & San„ ctorum virorum scripta testantur: in „ quam sententiam scriptum est illud Apo„ stoli ad Ephesios cap.4. Unum corpus & „ unus spiritus.

Quam sententiam ratione maximi ponderis Catechismus paulò superiùs stabilit, quòd aliàs ad incertum judicem nos Christus remitteret, dum nos Ecclesiam adire jubet, eique crimen proximi denuntiare, *Dic Ecclesiæ.* „ Homines [inquit Cate„ chismus] possunt aliquibus conjecturis „ opinari, quinam sint, qui ad hunc pio-rum

„ rum hominum numerum pertineant; certò autem scire minimè possunt. Quare existimandum non est, Christum Salvatorem de hac Ecclesiæ parte locutum esse, cùm ad Ecclesiam nos remisit, eique ut pareamus præcepit. Nam cùm illa sit incognita, cui certum esse poterit, ad cujus judicium confugiendum, & cujus authoritati obtemperandum sit? „ Paulo post: *Bonos, inquit, & malos ad Ecclesiam pertinere Catholica fides docet.*

Quod ut ante dixerat, *multis parabolis Evangeliorum docet, veluti cùm regnum cælorum, id est, militantem Ecclesiam similem esse sagenæ in mare missæ commemorat: vel agro in quo zizania superseminata sunt: vel area in qua frumentum cum paleis continetur: vel decem Virginibus partim fatuis, partim prudentibus; sed multo etiam ante in Arca Noë, quâ non solùm munda; sed etiam immunda animantia concludebantur, hujus Ecclesiæ figuram ac similitudinem licet intueri.*

Quomodo igitur fieri potuit, ut sacræ paginæ fundamentum opposito præstarent errori, quo Ecclesia in solis fingitur consistere sanctificatis, sive, ut Quesnellus locutione exprimit figuratâ, *Ecclesiam esse unum solum hominem compositum ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia, & persona: unum solum Christum compositum ex pluribus Sanctis, quorum est sanctificator.* Ita Spiritus Sanctus veritati catholicæ, & sibi ipsi statueretur contrarius, qui eò quoque *induxisse* fingitur Quesnellum *atque determinasse*, ut Catholico & Apostolico dogmati hæreticam opponeret novitatem.

6 Antequam dimittam Apostoli textum, qui nullam penitùs occasionem præbere potuit *Observationi* Quesnelli adeò malesanæ, quam CLEMENTIS XI. Sanctissima Constitutio abolevit: Non deneganda tamen laus est exclamationi, qua *Observatio* concluditur: *Infelix* [inquit] *quicumque turbando Ecclesiæ pacem, domûs, templi, corporis hujus mystici destruit unionem, aut in se violat criminibus Sanctitatem!*

Utinam novo huic *Protestanti*, cùm ad supremi nuper judicis tribunal moriens profectus est, responsum non fuerit, *Ex ore tuo te judico*. Infelicitas te non latuit schismaticorum, de qua lectores tuos pridem tam salubriter commonuisti, edoctus forsitan ab Augustino epistola 51. alias 172. *Procul dubio te non fugit prioris populi temporibus, & idololatria Sacrilegium fuisse commissum, & à Rege contemptore librum Propheticum incensum: quo utroque crimine schismatis malum non puniretur atrociùs, nisi graviùs penderetur. Profectò enim recordaris, quemadmodum schismatis authores vivos dehiscens terra sorbuerit, & hos, qui contempserant, è cælo irruens ignis absumpserit: Sic nec fabricatum & adoratum idolum, nec sacer liber exustus, meruit vindicari.*

Idem sanctus lib. 2. adversùs literas Petiliani cap. 96. *Vos omnes nocentes ac sceleratos esse, non alios aliorum criminibus, quæ apud nos à quibusdam committuntur... Sed crimine schismatis, à quo immanissimo Sacrilegio, nemo vestrûm se potest dicere immunem quamdiu non communicat unitati omnium gentium.*

Dicet pro Quesnello ejus discipulus & socius perfidiæ: Nonne Magister noster morti proximus edidit professionem fidei, quâ quidem se à Pontificia contra suos Articulos sententiâ ad Concilium appellare œcumenicum protestatus est, suaque Scripta submittere Ecclesiæ: interim se illi, Romanoque Pontifici, ut Sacerdotem decet, communione adhærere inviolabili?

Verùm neque Deus irridetur, neque ejus Vicarius fictitiâ istiusmodi, inter Catholicos hactenus inaudita communione, atque unione chimericâ deluditur. Quæ enim potest esse conventio luci ad tenebras? Quæ communio Christo cum Belial? Quæ Sectæ Hæreticæ unio cum Ecclesia Catholica? Pars utraque penès se esse fidei Apostolicæ & Christianæ depositum contestatur: Pontifex cum sibi obsequentibus totius Orbis Episcopis, & Ecclesia universa sustinet, Propositiones 101. Bullâ *Unigenitus* esse meritò condemnatas censuris, quales exprimit Constitutio: inter opiniones illas, esse complures hæreticas. Quesnelli autem factio Articulos ait omnes, & singulos nihil continere, nisi Orthodoxæ fidei, atque optimis morum regulis congruum.

Quis igitur in duabus partibus, Doctrinâ morum, & fidei adeò dissidentibus unitatem fidei reperiat, unitati Ecclesiæ necessariam? Qualis inter illas coalescere potest communio, nisi ex omnibus, qui ubique gentium sunt, & fuere unquam, hæreticis unam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam conflati pariter Ecclesiam existimans, modò & istæ se communicare uniríque Romanæ Ecclesiæ mentiantur. Sic Lutherana Helmstadiensium Academia nuper censuit, licitum cuilibet amplecti fidem Pontificiam, modò non dicat anathema Lutheranæ. Hoc autem quid aliud foret, quàm sublatâ Ecclesiâ Dei viventis, quæ est columna & firmamentum veritatis, inducere et-

errorum omnium colluviem, ut de Romana gentili scripserat S. Leo Serm. 1. in Natali Apostolorum Petri & Pauli, *Omnium gentium serviebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem; quia nullam respuebat falsitatem.*

CAPUT II.

Argumenta opposita dissolvuntur.

1 AD Ephesios cap.5. dicitur: „ Christus caput est Ecclesiæ: ipse „ salvator corporis ejus... Dilexit Ecclesiam & se ipsum tradidit pro „ ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet „ ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid „ hujusmodi; sed ut sit sancta & immaculata „ . Qui locus ad præsentem minimè pertinet quæstionem, si accipitur de Ecclesia triumphante ut futura est in Cœlestibus, juxta Doctoris Angelici explicationem. Hæc omnia intelligi possunt de exhibitione, quæ erit in futuro per gloriam. Similiter Augustinus lib.2. Retractationum cap.8. docet Ecclesiam esse sinè macula & ruga, non quod talis sit in hac vita; sed quod talis futura sit in cœlo. Eandem Hipponensis Antistitis interpretationem amplectitur Cornelius à lapide dicens: *sicut Ecclesia ita & Ecclesiæ puritas & Sanctitas inchoatur in hac vita, sed perficitur in cœlo.* Nihilominus Ecclesiam quoque præsentis temporis ait esse sinè ruga & macula. Tum sibi objicit.

„ Dices: si in Ecclesia non est macula, „ nec ruga; sed tota est sancta: ergo soli „ sancti & justi sunt in Ecclesia; injusti verò, licèt fideles sint, & Christo credant, „ ab ea excluduntur.

„ Respondeo Ecclesiam dici Sanctam, „ sinè macula & ruga; non quod omnes, „ qui in ea sunt tales sint; sed quod præcipua Ecclesiæ pars, quæ Christo præcipuè adhæret, scilicet Sancti, qui non „ tantùm fide; sed & gratia ac charitate „ Christi præditi, tales sint. Tota ergo „ Ecclesia dicitur Sancta, primò quia caput Ecclesiæ, scilicet Christus & præcipua ejus membra Sancta sunt... Sicut „ totus homo dicitur ratiocinari, videre, „ audire, scilicet per caput, quia non pes „ aut manus; sed solum caput propriè ratiocinatur, videt, audit, ita Ecclesia tota dicitur Sancta per suum caput & collum, id est per Christum & Sanctos, qui „ ei proximè adhærent, quasi collum capiti. Sic dicitur de Antverpia, quòd sit „ dives, scilicet propter mercatores, qui „ in ea sunt divites; cùm alioqui multi „ alii in ea sint pauperes. Sic dicitur docta universitas Lovaniensis; quia Doctores habet egregiè doctos; etiamsi in ea „ multi alii sint non ita docti.„ Ita à lapide.

Pacianus quidem epist.3. ad Sympronianum videtur asserere de peccatoribus, eos non esse de Ecclesia, donec à peccato pœnitentes recesserint; Verùm sermo illic est non de peccatoribus quibuscunque; sed ut observat Bellarminus lib.3. de Ecclesia militante cap.9. de lapsis in hæresim; ante enim Pacianus dixerat, Ecclesiam carere macula & ruga, quia caret hæretico.

2 Idem eruditissimus Cardinalis objicit sibi Sanctum Hieronymum in illud Apostoli ad Ephesios cap.5. v.24. „ Sicut Ecclesia „ subjecta est Christo „ ubi ita Sanctus animadverterat: „ Ecclesia Christi gloriosa est, non habens maculam neque rugam, „ neque aliquid hujusmodi: qui ergo peccator est, aut aliqua sorde maculatus, de „ Ecclesia Christi non potest appellari nec „ Christo subjectus dici.

„ Respondeo (inquit Cardinalis) significat Hieronymus, non posse malos de „ ea parte Ecclesiæ appellari, quæ solos „ perfectos continet, nam Hieronymus in „ caput primum epistolæ ad Galatas exponens illud *Paulus Apostolus* &c. *Ecclesiæ Galatiæ*, volens explicare, quomodo cohæreant inter se verba Apostoli, qui nunc „ totas Ecclesias videtur laudare, nunc „ totas vituperare, ac reprehendere, dicit „ Ecclesiam dupliciter accipi, id est, non „ duas esse Ecclesias; sed de una diversimodè scripturas loqui. Interdum enim tribuit Scriptura toti Ecclesiæ id quod est „ proprium perfectorum, ut carere macula & ruga; interdum id quod est proprium „ imperfectorum, ut peccare & correptione indigere. Cùm ergo laudatur Ecclesia, respiciendum est ad eam partem, „ quæ perfectos continet: cùm reprehenditur ad eam, quæ continet imperfectos.„

Hunc esse Hieronymi sensum, confirmatur ex eo quod in Dialogo contra Luciferianos ultra medium ait: *Arca Noë Ecclesiæ typus fuit: ut in illa omnium animalium, ita & in hac universarum & gentium & morum homines sunt: ut ibi pardus, hædi, lupus, & agni, ita & hic justi & peccatores, id est vasa aurea & argentea cum ligneis & fictilibus commorantur.*

3 Vo-

3 Vocatur etiam in erroris patrocinium S. Augustinus ferm. 40. de tempore nunc 340. dicens : *Ex Abel justo usque in finem seculi, quamdiu generant, & generantur homines, quisquis justorum per hanc vitam transitum facit, quidquid nunc, id est non in hoc loco, sed in hac vita quidquid post nascentium futurum est, totum hoc unum corpus Christi, singuli autem membra Christi. Si ergo omnes corpus, singuli membra, est utique caput cujus hoc sit corpus.*

Rursus fidem hominis pessimam Lector percipe. Hæc nobis ex sermone 40. decerpta propinantur, ut errorem de solis Sanctis corpus Ecclesiæ constituentibus, velut Augustinianum dogma, perfido delusi stratagemate admittamus. Accipe igitur verba immediatè præcedentia, quæ proinde adversarius ignorare non potuit, nec nisi fraude turpissimâ reticere. *Membra Christi*, inquit Augustinus, *& corpus sumus omnes simul, non qui hoc loco tantùm sumus, sed & per universam terram &c.*

In objecta itaque sententia statuit Augustinus non solùm omnes suos auditores, utpote fideles ad Christum pertinere; sed etiam omnes omnium temporum justos. Quod autem non omnes suos auditores supposuerit justos esse, patet vel ex eo quod eâdem concione eos hortetur, *Exhibete ergo vos dignum corpus tali capite, dignam Sponsam tali Sponso*: mox addens, *lavamini, mundi estote, auferte nequitias de cordibus vestris.*

Ibid. ait quidem Augustinus *Non potest habere caput illud nisi condignum corpus, nec ille vir tantus, nisi condignam ducit uxorem, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi.* Verùm hic, ut patet, eos, qui de Ecclesia militante adhuc sunt, hortatur ut assumi se curent ad Ecclesiam gloriosam & triumphantem, quæ sinè *macula & ruga* est: nam Tract. 6. in Joannem *Nos*, inquit Doctor Sanctissimus, *fatemur in Ecclesia Catholica, & bonos & malos esse, sed tanquam grana & paleas.*

Idem habet lib. 2. Retract. cap. 18. lib. de unitate Ecclesiæ cap. 13. lib. 18. de Civitate Dei cap. 49. & alibi sæpius. Unde Augustini doctrinæ addictissimus S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 43. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, aream Dei esse Catholicam Ecclesiam, & intrà eam usque in finem seculi frumento mixtas paleas contineri, id est bonis malos Sacramentorum communione misceri.* Alioquin si prohibiti defensor Articuli, ab Ecclesiæ militantis corpore rescindere constituerit omnes, qui non ab omni penitùs maculâ & rugâ liberi sunt, quibus tandem Ecclesia militans constabit? Nam ut S. Cyprianus sermone de Eleemosyna ait: *Quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est.*

S. Gregorius Nazianzenus oratione 2. in Julianum: *Omni prorsus peccato vacare, supra humanæ naturæ modum Deus constituit.* Et ipsa Scriptura 3. Reg. cap. 8. *Nec enim est homo qui non peccet.* Jacobi 3. *In multis offendimus omnes.* 1. Joannis 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Si igitur singula Ecclesiæ membra, necesse sit sinè macula esse ac ruga etiam minima, non sufficiet justum esse, ut quis de Ecclesia sit; sed perfectio requiretur, qualem ubi terrarum reperturus sis, nescio. Hanc suo cœtui stultè vindicant cum Pelagianis Anabaptistæ, quos credo pudor erit adversariis imitari.

4 At neque verisimile est, Quesnellum cum sociis, culpam omnem levissimam in membris Ecclesiæ ignorare; sed hanc admittere Angelici interpretationem: *ut exhiberet ipse sibi, scilicet per fidem, Ecclesiam gloriosam . . . non habentem maculam, scilicet criminis mortalis.* Imò clamitant modò adversarii, non ita intelligendos esse Quesnelli Articulos, ut iniqui ab Ecclesia excludantur. Quæ Protestatio quàm sit seria, examinabitur occurrente Propositione 78., & jam inde satis intelligere Lector potuit ex iis quæ contra septuagesimam tertiam disputata sunt. Hic tantùm obiter moneo de nova Quesnelli Ecclesia, eam *rugis* undique plenam esse, plenas omnes ejus vindicias: in *rugis* præcipuè consistere totius illius corporis robur, ab iisdem pendere & columen. *Rugam* sensu Doctoris Angelici in cap. 5. epistolæ ad Ephesios lectione 8. versus finem, intelligo *duplicitatem intentionis, quam non habent, qui rectè conjuncti sunt Christo & Ecclesiæ.*

Duplicitatis istius specimina non pauca, in novis Doctoribus detexi toto hactenus opere: supersunt autem neque pauciora numero, neque minùs gravia iniquitate. Propositam interim quæstionem prosequamur. Ecclesiæ sive definitio, sive descriptio à Quesnello hîc, & tribus superioribus Articulis tradita, ut consideranti manifestum est, excludit ab Ecclesia peccatores omnes, in solis eam justis constituens: proinde potestatem legitimam ligandi atque solvendi Confessariis & Pastoribus eripit, jurisdictionem omnem Ecclesiasticam Episcopis & Pon-

Pontifici, quando excidere eos justitiâ contigerit: quod in Joanne Huss, & sociis ejus hæreticis, Constantiensis Synodus condemnavit. Neque perspexerit adversarius se Ecclesiam, ad quam à Christo pro directione remittimur, describere invisibilem, ut vera justitia in humanis cordibus delitescens, foris non nisi per signa errori & fallaciæ obnoxia revelatur. Proinde Articulum ut sonat, nescio an quis Catholicus ab hæresi absolverit.

Meritò itaque cum reliquis Patribus Augustinus frequentissimè inculcat, Christianos, etiam malos posse esse legitimos, utiles Sacramentorum Administros, nec tantùm regenerare; sed etiam ligare & solvere. Tractatu 5. in Joannem, comparat malos ministros canali lapideo, aquas in alios transmittenti, nulla sua utilitate, sed alienâ, dum causa est, cur herbæ in areolis nascantur & crescant, quod pluribus docet lib. 2. contra Parmenianum cap. 10. & 11. Non ligarent autem neque solverent mali; si Ecclesiæ membra non essent.

5 Objicitur S. Gregorius Magnus Explanatione in Psalmum 5. Pœnitentialem dicens: *Christus itaque cum tota sua Ecclesia, sive quæ adhuc versatur in terris, sive quæ cum eo jam regnat in cœlis, una persona est. Et sicut est una anima, quæ diversa corporis membra vivificat, ita totam simul Ecclesiam unus Spiritus Sanctus vegetat, & illustrat. Sicut namque Christus, qui est caput Ecclesiæ, de Spiritu Sancto conceptus est; sic Sancta Ecclesia, quæ corpus ejus est, eodem Spiritu Sancto repletur ut vivat: ejus virtute firmatur, ut in unius fidei & charitatis compage subsistat*. In qua Gregorii sententiâ porissimùm adversario placet illud quod initio positum, in fine concludens repetit: *Christus cum tota sua Ecclesia, una persona est*, & quod *totam simul Ecclesiam unus Spiritus Sanctus vivificet*. Verùm ex mystica illa unitate, minimè sequitur nullum peccatorem posse esse ejus membrum, alioqnin ut Christus ne levissimè quidem delinquere potuit, in nullo fidelium esset culpa vel minima, neque ullus in Ecclesia usus esse posset illius partis, ex Oratione Dominica *dimitte nobis debita nostra*: Quod est contra Concilium Milevitanum can. 7. & 8. ubi definitur, fideles & justos non solùm humiliter; sed etiam cum veritate, tam pro se quàm pro aliis dicere *dimitte nobis debita nostra*.

Quamvis igitur universa Ecclesia unum corpus, unam personam cum Christo mysticè constituat, non tamen necesse est omnem puritatem, & sanctitatem, quæ in capite est, in singulis illius compositi partibus reperiri. Quæcumque in Ecclesia sanctitas est, à capite profluit; verùm cùm corporis istius mystici partes omnes, quæ rationis compotes sunt, etiam polleant libertate, qua in hoc statu infirmitatis & miseriæ abuti possunt, ac defluentibus in se gratiis obices ponere, fit, ut non singula semper membra recta sint, licèt totum compositum ob potiorem partem nomine honorifico gaudeat sanctitatis.

Chrysostomus in Psalmum 39. illud *Iniquitates meæ .... multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me*, non dubitat applicare multis partibus personæ istius mysticæ: *Nec* enim, inquit, *ex perfectis quidem universa constat Ecclesia, sed habet eos etiam qui otio & socordiæ se dedunt, mollemque & dissolutam vitam amplectuntur, & libenter serviunt voluptati; & quoniam est unum corpus, tanquam ex una persona, hæc & illa pronuntiat*.

Denique S. Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 32. explicans illud Cant. 1. *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*, notat unam eandemque Ecclesiam nigram dici propter peccatores, quos in se continet, & formosam sicut pelles Salomonis propter bonos & sanctos.

Propositio damnata septuagesima sexta.

Nihil spatiosius Ecclesiâ Dei, quia omnes Electi, & justi omnium seculorum illam componunt. *Observ. mor. Ephes. 2. v. 22.*

CAPUT I.

Omni spoliata præsidio novitas destruitur.

1 Quamvis fieri natum est, ut pluribus inserta locis dogmatica perniciem, pluribus noceat Lectoribus, quibus non est otium vel animus totos evolvere tomos quatuor, ut quod sæpiùs legitur, imprimatur altiùs; attamen & repetitionem adeò frequentem, atque ad levandum Lectoribus tædium, quæ-

quæsitam studiosiùs figurarum phrasiumque varietatem, videtur Divina permisisse providentia ad bonum Ecclesiæ singulare, ut denuntiatum Sedi Apostolicæ, pestiferi operis contagium fugere oculos Consultorum minimè posset, & simul persuaderet judicibus indispensabilem prompti remedii necessitatem; Reo autem adimeretur inadvertentiæ obtentus, & quævis inde à deceptoribus accersiti solita delicti excusatio. Mihi quidem perquàm terrica accidit ejusdem erroris recoquenda toties impugnatio, & danda responsio argumentis seu Patrum allegationibus, non nisi verbotenus diversis: Quin subinde ne vocum quidem varietas est, sed nuda & cruda ad plures Articulos applicatio.

Ignoscat proinde mihi Lector, si intorta sæpius iniquitatis spicula averram etiam frequentiùs, quàm veritatis defendendæ postularet necessitas, nisi & meo Operi contingere existimarem, quod aliis passim, ut à multis legatur mutilum & desultoriè, arreptis hinc inde, ut casus fert, aut curiositas, Propositionibus disparatis. Si enim istiusmodi Lectoribus quæpiam fortè occurrerit Propositio leviùs confutata, quia fortissimè impugnata devictaque fuerat in superioribus, facilè fit ut vitio vertatur authori, quasi disputatoris partes negligentiùs exequenti.

Similis est enuntiatio ei, qua diceretur: Nihil spatiosiùs Universitate Parisiensi, quia omnes Doctores Sorbonici omnium temporum illam componunt. Mutilationis absonæ accusaretur hæc compositio, & velut injuriam inferens cæteris Parisiensibus Academicis, qui etsi in inferiore gradu, tamen illustrissimi illius corporis membra sunt.

Censores Romanos Adversarius redarguit, velut parum in Patribus versatos, & tum in Augustino, tum in Gregorio Magno locutionem similem se exhibiturum pollicetur.

2 Augustini locus est Sermone 36. concione 3. *Nostis... quia caput nostrum Christus est, corpus capitis illius nos sumus. Nunquid soli nos, & non etiam illi qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio sæculi fuerunt justi, caput Christum habent; illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus, & in ejus fide & ipsi sanati sunt, in cujus & nos: ut esset & ipse totius caput Civitatis Hierusalem, omnibus connumeratis fidelibus ab initio usque in finem adjunctis, etiam Legionibus & exercitibus Angelorum.* Atqui ab Augustino hìc in Ecclesia præter justos *connumerantur omnes fideles*, & omnes qui Augustini concioni intererant: *Corpus Capitis illius nos sumus. Nunquid soli nos, & non etiam illi, qui fuerunt ante nos?* Se autem & omnes suos auditores asserere justos neque modestia Augustini patiebatur, neque sapientia.

Forsitan non minùs verè Augustinus, quàm Gregorius Magnus hom. 19. in Euangelia dicere de auditoribus suis potuit: *ad fidem plures veniunt, & ad cæleste regnum pauci perducuntur; ecce enim ad hodiernam festivitatem, quàm multi convenimus, Ecclesiæ parietes implemus; sed tamen quis sciat, quàm pauci sunt, qui in illo electorum Dei grege numerantur? Ecce enim vox omnium Christum clamat, sed vita omnium non clamat: plerique Deum vocibus sequuntur, moribus fugiunt.... Hinc per Psalmistam Dominus dicit: Annuntiavi & locutus sum: multiplicati sunt super numerum. Vocante enim Domino super numerum multiplicantur fideles* [seu membra Ecclesiæ] *quia nonnunquam etiam hi ad fidem veniunt, qui ad electorum numerum non pertingunt.*

3 Ut autem ad Augustinum redeam, in eadem concione disertè ait: *Si boni sumus in Ecclesia Christi frumenta sumus: si mali sumus in Ecclesia Christi, palea sumus, tamen ab area non recedimus... Utrumque genus nos habemus in Ecclesia, Domino dicente, & bonorum & malorum. Boni enim cum prædicant, quid dicunt? Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. De nobis quid dicitur? Sed forma estote fidelium. Hoc nos esse elaboramus; Quid autem simus novit ille ad quem nos gemimus.*

Non igitur se & omnes suos auditores prædicat Augustinus justos; sed fideles, & Ecclesiæ filios. Tum sic prosequitur: *De malis tamen dictum est aliud: Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi: quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Vides quia in cathedra Moysi, cui successit cathedra Christi, sedent & mali? & tamen dicendo bona, non obsunt auditoribus. Quare tu* [Pars Donati] *propter malos ipsam Cathedram dimisisti? Redi ad pacem, redi ad concordiam, quæ te non offendit. Si bona loquor, & bona facio, imitare me; si autem non facio quod dico, habes consilium Domini, quæ dico, fac; quæ autem facio, noli facere; tamen à cathedra Catholica noli discedere.*

4 Nihil plus patrocinii habet damnata Propositio in Homilia 19. S. Gregorii in Euangelia *Regnum cœlorum* inquit S. Pontifex, *homini Patrifamilias simile dicitur, qui ad excolendam vineam suam operarios conducit:*

cit: *Qui verò Patrisfamilias similitudinem rectiùs tenet, quàm conditor noster, qui regit quos condidit, & electos suos sic in hoc mundo possidet, quasi subjectos dominus in domo? Qui habet vineam, universalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel justo usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot Sanctos protulit, quasi tot palmites misit.*

Quid habet hæc Gregorii sententia commune cum damnata? Hæc Ecclesiam ad solos electos & justos restringit; quasi solos Ecclesiam componentes: illa solùm asserit, omnes Sanctos, qui ab Abel justo, usque ad ultimum electum nasciturus est, ab Ecclesia velut palmites prodiisse, quod omnes agnoscimus: neque enim salus est, aut sanctitas extra Ecclesiam. Verùm de eadem vinea, quæ ab Abel justo, usque ad Isaiæ tempora tot laboribus à Patriarchis, Prophetis, & aliis dein viris Sanctis exculta, tot electos, etiam in Testamento vetere palmites produxerat, nihilominus ob peccatorum multitudinem conqueritur Deus apud Isaiam cap. 5. *Quid est, quod ultra debui facere vineæ meæ & non feci ei: An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?*

Occurrit hic animadversio S. Hieronymi in cap. 1. Epist. ad Galatas, ubi exponens illud *Paulus Apostolus ... Ecclesiis Galatiæ*; ostendit quomodo inter se cohæreant verba Apostoli, integras subinde Ecclesias laudantis, subinde easdem reprehendentis; ubi ait tribueres interdum Scripturas (idem est de SS. Patribus) toti Ecclesiæ quod proprium perfectorum est, ut carere maculâ & rugâ; interdum id quod est proprium imperfectorum, ut delinquere & correptionibus egere.

Idem commonet Bellarminus lib. 3. de Ecclesia militante cap. 9. ut aliàs retuli.

5 Quod verò S. Gregorius etiam in Christi Ecclesia labruseas, nec sanè paucas agnoscat, & palmites minimè sanctos, declarat aliâ similitudine in eadem concione: *Hoc ovile sanctæ Ecclesiæ*, inquit, *hœdos cum agnis recipit; sed attestante Euangelio, cùm judex venerit, bonos à malis separat, sicut Pastor segregat oves ab hœdis. Neque enim possunt, qui hic carnis suæ voluptatibus serviunt, illic in ovium grege numerari. Illic eos à sorte humilium judex separat, qui se hic in superbiæ cornibus exaltant. Regnum cœlorum percipere nequeunt, qui hic & in cœlesti fide positi, toto desiderio terrena quærunt. Et multos tales intrà Ecclesiam, fratres charissimi, cernitis.* Quid enuntiari poterat pro communi sententia magis conspicuum?

Denique aliud est Sanctos & Electos in Ecclesia, tanquam membra præcipua & digniora recensere, aliud solo eorum numero eandem circumscribere. Fortè nec advertit adversarius, Sanctos, quos hìc Gregorius commemorat, esse omnes & solos Electos, cum nullâ aliorum Sanctorum factâ mentione dicit: *Electos suos sic in hoc mundo possidet, quasi subjectos Dominus in domo: qui habet vineam universalem, scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel justo* (& Electo) *usque ad ultimum Electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot Sanctos protulit, quasi tot palmites misit.*

Non ait, quæ ab Abel justo usque ad ultimum justum; sed *usque ad ultimum Electum*, quibus vocibus comprehendit solos Sanctos ad beatitudinem provehendos, non reprobos, seu justos merè temporaneos. Quapropter evidens est, minimè definiri à S. Gregorio universalem Ecclesiam; sed in ea prædestinatos omnium temporum collocari. Unde longè alia sententia S. Pontificis est; alia damnati Articuli peccatores omnes ab Ecclesia proscribentis.

Si verò adversarius pertinax contendere pergat, alios homines ab Ecclesia excludendos, quos in ea non memorat Gregorius, necesse etiam fuerit, omnes justitiâ; sed non perseverantiâ donatos, ab Ecclesiæ finibus arcere; cùm nullus hìc Doctori Sanctissimo de justis temporalibus, & perenni postea incendio addicendis; sed de prædestinatis solummodò sermo fit. Hos autem solos sinu Ecclesiæ contentos asserere, nimis apertè hæreticum est, quod ne ipsi quidem adversarii publicè ausi fuerint approbare, obsistente perspicuo nimiùm, & iterato sæpius anathemate, eum Scripturæ locis frequentibus & manifestis.

6 Unum superest, de quo monendus es, Lector Catholice, ut præsentem Articulum memori mente retineas, convicturus eo fraudem & mendacium adversariorum, quoties negare voluerint, se ab Ecclesia excludere peccatores. Urgendi enim sunt ut edisserant, quâ ratione in præsenti Articulo affirmaverint, *Nihil spatiosius Ecclesiâ Dei; quia omnes Electi & justi omnium seculorum illam componunt* exclusâ injustorum sive peccatorum multitudine?

Nonne spatiosior foret Ecclesia, si, ut apertè nos erudiunt Scripturæ, præter electos & justos contineret etiam fide præditos peccatores? Sic fore spatiosiorem est evidens. Proinde non est, qua adversantium temeritas elabatur; sed fateantur illi necesse est, se ad peccatores Ecclesiam non extendere; at spatium ejus universum complexu electorum omnium justorumque ter-

terminari. Hic igitur laqueo suo constrictos, eluctari fraudibus novos Theologos non patiamur: sed maneat semper indubitatum, quod, si *nihil* est *spatiosius Ecclesiâ Dei, quia omnes Electi & justi omnium seculorum illam componunt*, necessariò ab ea exulent peccatores, constituturi aliàs cum electis & justis omnibus numerum, priore innumeris quodammodo accessibus ampliorem.

Adde quod damnata Propositio absolvat subditos ab exhibenda Pastoribus obedientia, quoties eos statu gratiæ excidisse deprehenderint; ut enim hi desinunt esse membra Ecclesiæ, perspicuum fiet, non esse membra præcipua seu capita. Si verò ipsi labuntur subditi, negligentiores facilè reddentur Præsides ad erigendos, quos ampliùs ad se, & Ecclesiam statuent non pertinere. Sacramentum quoque Pœnitentiæ desinet esse secunda post naufragium tabula; priùs enim esse membrum Ecclesiæ oportet, eum, qui Sacramento huic suscipiendo fieri desiderat idoneus, dicente Apostolo *Quid mihi de iis qui foris sunt judicare?* Ideo neque Catechumeni ante Baptismum, ad Sacramentum Pœnitentiæ admittuntur; neque absolutio à criminibus conceditur excommunicatis, antequam Ecclesiæ fuerint restituti.

Reus itaque tenetur Articulus erroris maximè noxii, ideoque in Scholis, vel libris editis minimè tolerandi: quem avertere à se in posterum adversarii candidâ poterunt palinodiâ; sed non tergiversationibus subdolis declinare, quamdiu in decumano eorum opere nimis perspicuè traditus exhibetur, paucorum, ni fallor, judicio nimiùm benigno à notâ hæreseos excusandus.

CAPUT II.

Imprudentes adversariorum vindiciæ, causam Propositionis & Authoris deteriorem reddunt.

1 ARticulo huic fundamentum non præbuit; sed à Quesnello nequirer assumitur, quod ait Apostolus Epist. 2. Ephes. 22. *In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto.* Ecclesia scilicet est Domus & Templum Dei, cujus fundamentum sunt Apostoli, Lapis angularis Christus, parietes Judæi & Gentes, qui quotidie assurgunt, cùm plures ex Judæis & Gentibus, Christo & Ecclesiæ inseruntur & inædificantur. Vos ergo, o Ephesii, cum aliis Christianis simul inædificemini huic fabricæ, ut sitis lapides, partes, & membra hujus Templi, ut illud in dies altiùs assurgat & crescat, fiatque ingens Templum, & habitaculum Dei per Spiritum Sanctum, seu ejus gratiam. Ita cum Cornelio à Lapide cæteri passim interpretes. Ubi, ut videmus, traditur hortatio ad justitiam & salutem, qui indubiè finis institutæ à Christo Ecclesiæ est; sed ad eum non omnes, qui Ecclesiam ingrediuntur, perveniunt. Aliud scilicet finis est, aliud effectus formalis à sua causa inseparabilis.

Tam Collator, quàm Hexapla, Apologiæ hìc initium ducit ab Isaiæ cap.60. v.21. *Populus autem tuus omnes justi*. Hic si sit adversariorum perfidia, detegenda facillimè & convincenda à quocumque textum integrum considerante. Sic habet: *Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem: nec splendor Lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam: & complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus omnes justi in æternum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ opus manûs meæ ad glorificandum.*

Pater hìc sermonem esse de solo Electorum populo; huic enim soli, non autem justis temporaneis, obveniet status beatitudinis qui perseverantibus hìc promittitur: *Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem* &c. Latere sensus iste non potuit adversarios nobis vaticinium objicientes; cum in ipso, quem callidè mutilatum proferunt, versu sit: *Populus autem tuus omnes justi in perpetuum hæreditabunt terram.*

Justisne omnibus, etiam merè temporaneis illa donabitur hæreditas, an solis perseverantibus, atque adeò prædestinatis? Calvinianum proinde animum satis produnt adversarii quando istiusmodi justis universam circumscribere moliuntur Ecclesiam, juxta idem Isaiæ Oraculum volentes intelligi, & stabiliri suum Articulum: *Nihil spatiosius Ecclesiâ Dei, quia omnes Electi & justi omnium sæculorum illam componunt*: Justi scilicet qui omnibus seculis extiterint, vel exstituri sunt, non qualescumque; sed perseverantes in justitia; his enim solis *perpetua* obveniet *hæreditas*.

Nihil spatiosius tali Ecclesiâ fuit etiam Vvicleffo, Hussio, & Calvino; sed spatiosior penès Catholicos est complectens etiam reprobos, quamdiu Fidem Christi sub ejus Vicario profitentur, nullâ Excommunicationis sententiâ à cœtu Fidelium segregati.

2 Denique non in omnibus Scripturis, etiam Propheticis, solos Justos in Dei populo intelligi discimus ex dilucido ipsius Dei apud Jeremiam testimonio cap. 2. *Obstupescite Cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.*

Tum recensitis afflictionibus, quæ in pœnam criminum populo Dei acciderant, *Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore quo te ducebat per viam?* Ita per Prophetam Deus objurgationem adversùs populum suum prosequitur: *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Et Quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam Fluminis? Arguet te malitia tua, & aversio tua increpabit te. Scito & vide quia malum, & amarum est dereliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus Exercituum. A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti: Non serviam.*

Feriâ sexta Parasceves interea dum ad Crucifixi osculum procedit Clerus & populus, identidem inculcatur illud Dei improperium: *Popule meus quid feci tibi aut in quo contristavi te?* Sive ut apud Michæam est cap. 6. *aut quid molestus fui tibi? Responde mihi; quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo servientium liberavi te. . . . Et custodisti præcepta Amri & omne opus domûs Achab, & ambulasti in voluntatibus eorum, ut darem te in perditionem, & habitantes in ea in sibilum: & opprobrium populi mei portabitis.* Aliud igitur est, omnes justos esse Dei populum, quod asserit Isaias, aliud solos justos esse populum Dei, quod contra Jeremiam, Michæam, ipsumque Dominum Quesnelli novitas affirmat.

Ad illud autem quod Deus populo suo exprobrat, *non esse timorem meum apud te*, facilis fuisset populo, & valde congrua responsio; si doctrina Articuli 66. legitima: *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque induci per instinctum naturalem, aut per timorem sicut bestiæ; sed per fidem & per amorem sicut filii.* Sic longè alia & directè opposita est Quesnelliano dogmati divina per Jeremiam institutio.

3 De Calviniano Articuli sensu, nos dubitare non sinit etiam applicata ei, à suis hìc defensoribus sententia Augustini lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 27., quæ perspicua de solis sic enuntiat prædestinatis: „ Numerus ille justorum, qui secundùm propositum vocati sunt, de quibus „ dictum est: Novit Dominus qui sunt „ ejus: ipse est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, Paradisus „ cum fructu pomorum. Ex hoc numero „ quidam spiritualiter vivunt . . . Sunt „ etiam quidam ex eo numero, qui adhuc „ nequiter vivant, aut etiam in hæresibus, „ vel in gentilium superstitionibus jaceant: „ & tamen etiam illic novit Dominus qui „ sunt ejus.

„ Namque in illâ ineffabili præscientiâ Dei, multi qui foris videntur, intus „ sunt, & multi, qui intus videntur, foris „ sunt. Ex illis ergo omnibus, qui, ut ita „ dicam, intrinsecus, & in occulto intus „ sunt, constat ille hortus conclusus, fons „ signatus, puteus aquæ vivæ, Paradisus „ cum fructu pomorum. „

Compertissimum ex ipsis vocibus est, non de universa hæc enuntiari Ecclesiâ, quæ indubiè spatiosior est constans etiam innumeris reprobis fidem Christi sub ejus Vicario profitentibus; sed de ea sola Ecclesiæ parte, quæ præcipua, nobilior, & sola felix est, quæ sola complectitur eos, *qui secundùm propositum vocati sunt*, & de quibus dicitur *Novit Dominus qui sunt ejus.*

Confirmatur is sensus ex antecedentibus & consequentibus. Nam pauló ante præcesserat: *in quibus est numerus certus Sanctorum prædestinatorum.* De hoc statim sequitur, *Numerus ergo ille justorum, qui secundùm propositum vocati sunt, & de quibus dictum est, Novit Dominus qui sunt ejus.* Post integram quoque relatam Augustini sententiam, idem ipse Sanctus subjungit: *Horum munera concessa divinitùs, partim sunt propria, sicut in hoc tempore infatigabilis Charitas, & in futuro sæculo vita æterna; partim verò cum malis perversisque communia, sicut omnia cætera, in quibus sunt & Sacrosancta Mysteria.*

Vita æterna, quæ toti illi numero propria dicitur, solorum indubiè prædestinatorum est. Quapropter, si juxta hanc Doctoris maximi de meliore Ecclesiæ parte sententiam, accipienda sit Ecclesia universa, ut damnatus contendit Articulus, solo salvandorum numero Ecclesia concluditur; quæ pridem hæresis Vvicleffi, Hussii, Calvini à Constantiensibus justissimè damnata Patribus, meritò Catholicis omnibus horrori est.

4 Rursus contra Constitutionem producit Augustinus Serm. 4. de Jacob, & Esau cap. 11.

cap. 11. dicens: *Ecclesiam accipite Fratres, non in his solis, qui post Domini Adventum & Nativitatem esse coeperunt Sancti, ad ipsam Ecclesiam pertinent*. In Psalmum quoque 36. Serm. 3. num. 4. *Omnes qui ab initio saeculi fuerunt justi, Caput Christum habent*.

Neutra sententia, si rectè perpenditur, eliminat omnes ab Ecclesia peccatores; qui enim asserit, justos omnes, etiam qui Adventum Christi praecesserunt, ad Ecclesiam pertinere, non propterea ait caeterorum neminem, etiam Christi fide, & baptismate donatum, in Christianorum ac fidelium coetu, qui Ecclesia est Catholica, censendum. Neque qui Christum justis omnibus designat Caput, propterea censendus est negare idem aliis Fidelibus. Sic, etsi Magistrorum omnium quos Academia Lovaniensis sinu suo complectitur Caput sit *Rector*, qui illic dicitur *Magnificus*, non ideo Caput idem detrahitur Licentiatis, Baccalaureis, & inferioris ordinis Academicis. Magis quidem propriè Christus Caput Justorum dicitur, quàm peccatorum Fidelium; attamen etiam verissimè Christianorum omnium est ratione Fidei, & Baptismatis, quam gratiam ab illo Capite defluentem in se possident.

Nec denique obest, quod peccantium caput Diabolus sit; quis enim nesciat, eundem hominem in moralibus subesse capiti non uni, ut domesticum Patri familias, ut Civem Consuli, & magis Principi, ut fidelem Episcopo, & amplius Pontifici maximo velut capiti? Praecipuè ut Christianus, sibi verticem agnoscit Redemptorem omnium hominum, Deumque omnium conditorem, singulos, quos condidit, perpetuò gubernantem.

Iterum, & velut peremptorius, nobis ingeritur locus S. Gregorii ex hom. 19. in Euangelia, ad quem saepius à me & copiosiùs quàm necesse fuerit, responsum est. Quia tamen Quesnelli vindices, consilio unanimi ad vibrandum hoc contra nos spiculum conspirant, non abstinendo ab insulsissima contra Romanos contumelia, videtur retundenda paulò fortiùs temeritas, ut, quam calumniando ceperant voluptatem, perceptâ castigatione congruâ sapientiores redditi, dimittant.

Sic igitur *Observator* in *Propositiones* 101. qui, si Quesnellus ipse non est, non ei cedit acerbitate & petulantiâ. „ Si Romanis, inquit, Censoribus placeat tantillum „ impendere laboris, ut vice Sanctorum „ Patrum, quos parum legunt, suum in„ spiciant Breviarium, idem (quod dam„ nata continet Propositio) repetient in „ Lectionibus pro Dominica Septuagesi„ mae: homiliam scilicet S. Gregorii deci„ mam nonam in Euangelia, ubi Sanctissi„ mus Pontifex explicans, quaenam sit il„ lius Patrisfamilias vinea, dicit esse, *Uni„ versalem Ecclesiam, quae ab Abel justo* (& „ praedestinato) *usque ad ultimum electum, „ qui in fine mundi nasciturus est, quot San„ ctos protulit, quasi tot palmites misit*. „

Nemo est qui S. Gregorio non consentiat. Neque ullus unquam revocavit in dubium, quin quot universalis Ecclesia Sanctos protulit, quasi tot palmites miserit. Quotcunque nos asserimus in Ecclesia peccatores, non tales protulit Ecclesia, cujus officium est per Sacramenta, & alia sanctitatis praesidia promovere homines ad justitiam: Quodlibet autem intervenerit peccatum, non fructus Ecclesiae est, sed liberi & corrupti arbitrii vitium. Verùm quomodo inde conficitur, solos electos & justos omnium seculorum componere Ecclesiam Dei? Istud enim compta & fucata significat oratio, *Nihil spatiosius Ecclesiâ Dei; quia omnes electi & justi omnium seculorum illam componunt*. Ratio scilicet formalis, cur nihil Ecclesiâ Dei spatiosius sit, exprimitur, quia ex omnibus electis & justis illa componitur.

Articulum hunc cùm primùm legerem, licèt judicarem perabsurdum, & prorsus dignum anathemate; attamen non ita censui intelligendum, ut Ecclesiam solis concluderet praedestinatis, quandoquidem *Electis* author addidit & *justos*, quorum ut plurimi solùm temporanei sunt, & ante obitum deficiunt, non solent singuli electorum numero comprehendi. Quanquam altè etiam inhaercat mihi monitio sapientum, in haereticorum lucubrationibus habenda esse omnia suspecta; unde in animum incidit subvereri, ne *justorum* ibi nomine, non alios forte Author intelligat quàm electos; Quemadmodum ad Romanos dicitur: *Quos autem praedestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit*.

Formidinem non fuisse inanem confirmat objectio sive ab ipso Quesnello, sive à fautore ejus optimè conscio superiùs allegata ex Augustini lib. 5. cap. 27. contra Donatistas, cui nunc apprimè consonat intorta nobis Gregorii Magni sententia de summi Patrisfamilias *Vinea, Universali Ecclesiâ, quae ab Abel justo usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulerit, tot palmites miserit*.

Cur

Cur *usque ad ultimum Electum dicitur*, & non usque ad ultimum justum, nisi ut sermonem sibi esse S. Doctor ostenderet de justis in justitia decedentibus? Ideo quemadmodum à primo mortuo prædestinato cœperat, concludere numerum debuit non justo qualicumque temporaneo (quales post ultimum electum futuros aliquos verisimillimum est) sed prædestinato, sive *ultimo electo*. Adversarii igitur significationis hujus haud ignari, dum juxta eam cupiunt Quesnelli Articulum intelligi, electos & justos pro iisdem accipiunt, ut accipir S. Gregorius. Proinde Quesnelli, & ei adhærentium sententia est, justorum electorum numero universam terminari Ecclesiam: *Nihil spatiosius Ecclesiâ Dei, quia omnes electi & justi* in justitia perseverantes, sive ita justi, ut pariter electi sint, *omnium sæculorum, illam componunt*. Ita proscripti dogmatis defensores importunis suis & ineptissimis vindiciis sensum in illo nobis detegunt deteriorem, & magis hæreticum, quàm ausi aliàs fuissemus illi adscribere.

6 Illo autem loco Gregorium non de Ecclesia universa, sed de electis solùm ejus palmitibus enuntiare quod objicitur, constat etiam ex verbis immediatè præcedentibus, quæ in Breviario exprimuntur: *Quis verò*, inquit Sanctus, *Patrisfamilias similitudinem rectiùs tenet, quàm Conditor noster, qui regit quos condidit; & electos suos sic in hoc mundo possidet, quasi subjectos dominus in domo?*

Denique Dei Vineam non in solis justis consistere, habemus ipsius Dei testimonio irrefragabili confirmatum Isaiæ cap. 5. *Nunc ergo habitatores Jerusalem & viri Juda, judicate inter me & vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas? Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur: & non fodietur: & ascendent vepres & spinæ: & nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem. Vinea enim Domini exercituum, domus Israel est: & vir Juda germen ejus delectabile: & expectavi ut faceret judicium, & ecce iniquitas: & justitiam & ecce clamor.*

Dei igitur vinea, quæ tanquam figura Ecclesiæ nobis ab adversariis opponitur, non solo absolvitur numero justorum; sed patitur etiam, & tanquam sua membra continet peccatores.

Superest contundenda, ut promiseram, impacta superiùs Romanis Censoribus contumelia: meretur hæc caput integrum.

CAPUT III.

Reprimitur Janseniana adversùs Sedis Apostolicæ Theologos petulantia.

1 Censores itaque Romani *Sanctos Patres parum legunt*, si turgido mendaciis credimus *Observatori*. *Collator* etiam licèt apparere passim voluerit minùs intemperans, minùs temerarius, idem tamen suis vindiciis illinere convicium non dubitat Observatione in Articulum 73. dicens: *Romanis Censoribus priscorum Patrum volumina parum aut nihil versantibus, atque nisi ferè modernæ scholasticæ intentis, ea quæ modo ex priscis circa Ecclesiam notavimus, ignota fuisse videntur. Sufficere poterit hæc observatio pro subsequentibus Propositionibus, in quibus de Ecclesia fit sermo.*

Triginta anni sunt, cum similia vomuit Quesnelli rabies, in epistola typis edita sub nomine Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum, contra Decretum Alexandri VIII. quo feriuntur Articuli 31. velut *temerarii, scandalosi, malesonantes, injuriosi, hæresi proximi, hæresim sapientes, errone*i, *schismatici, & hæretici respectivè*. Talis contra Jansenianos Articulos censura, etsi æquissima, non poterat à Quesnelli intemperiis aliud expectare submissionis aut reverentiæ specimen, nisi ut satyrâ exciperetur qualis deceret factionis hæreticæ antesignanum. Paginâ igitur 43. ait: *Censores Romani modicam habent antiquitatis notitiam; imò sæpe ignorant, quod in novis Theologis est optimum.*

Ibid. *Censores Romani contra fas omne, & pro libitu feriunt anathemate, quidquid non convenit cum ideis suis Theologicis, quæ sæpe falsissima sunt, vix quidquam habentes de Theologia Patrum*. Pag. 19. *Non adeò fatui sumus, ut agnoscamus arbitros & judices fidei nostræ duodecim plus minùs Theologos, qui sæpe non aliâ instructi sunt scientia, quàm lectione aliquot Scholasticorum, & quorum plerique pleni ideis scholasticis, judices sese statuunt Patrum, & Conciliorum, quæ nunquam legerunt.*

Ita Quesnellus è suo Bruxellensi latibulo, jacula veneno tincta pestifero, mittere pridem cœperat in Sedis Apostolicæ Theologos, ut eorum subrutâ authoritate ad destruendam Pontificiam gradum faceret. Hac arte libertatem sibi vindicans scribendi quidlibet impunè, qua malum Ecclesiæ redde-

redderet immedicabile. Non enim congregari semper possunt Concilia Oecumenica, &, si quod fortè mali gravitas extorqueret, contra ejus quoque definitiones Quesnelliana se factio præmunivit famoso Opere appellato *Testimonium Veritatis*; juxta quod illegitima omnis Conciliorum statuitur definitio, cui vox populi contradixerit. Quæ autem secta vocem populi sibi veluti faventem allegare non poterit aut fingere? Nihil jactatione istiusmodi, licèt mendacissimâ, in Jansenistarum Opusculis occurrit frequentiùs. Sed de his plura postmodum loco magis proprio.

2 Interim ex S. Gregorio, quem nobis adversarii superiùs objecerunt, accipiant quod ait in 15. Job: ubi hæreticis tribuit gloriationem Eliphaz Themanites *Senes antiqui sunt in nobis multò vetustiores quàm patres tui*. „ Hæretici, inquit, ut ea quæ asserunt, commendate stultis mentibus hominum, quasi de antiquitate possint, antiquos Patres se habere testantur, atque ipsos Doctores Ecclesiæ, suæ professionis Magistros dicunt: cumque præsentes prædicatores despiciunt, de antiquorum Patrum magisterio falsâ præsumptione gloriantur. „ Gregorio præluxerat Hieronymus in cap. Isaiæ 19. ad illud *Filius Sapientium ego*: *filius antiquorum*. „ Solent (inquit) hæretici regi suo, vel Pharaoni dicere: Filii sumus Sapientium, qui ab initio Doctrinam nobis Apostolicam tradiderunt: filii sumus regum antiquorum. „ Sed ut idem sanctus mox prosequitur: illi „ Filii antiquorum arguuntur stultos habuisse Doctores. Dominus enim miscuit eis spiritum vertiginis, sive errorum .... Tradidit illos Deus in reprobum sensum:

Ut modò Quesnellus eum suis, contemnit Scholasticos, velut Theologos quosdam novitios, ita sui temporis Doctores Catholicos aspernabatur Aëtius, velut *temporarios quosdam homines*, cui S. Epiphanius contra hæresim 76. meritò respondet. „ Tu verò temporarius multò magis appellandus es, qui & in errorem abductus es, & fastu arrogantiâque distentus, & gregis tui pecudes passim per dumis & spinis consita pascua propulisti. Nemo enim eadem tecum ex veteribus sensit, ò Aëti. „ Audiatur denique de istiusmodi prætensis Antiquariis Vincentius Lirinensis in Commonitorio ad Orthodoxos cap. 11. „ Cùm sub alieno nomine hæresim concinnare machinentur, captant plerumque veteris cujuspiam viri scripta, paulò involutius edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant, ut illud nescio quid, quodcunque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur. „

3 Scholasticos oderunt hæretici, quia si quid in Patribus occurrit obscurius, ab illis juxta certissima Catholicæ fidei principia exponitur, & cum exploraris Ecclesiæ dogmatibus conciliatur, teste Sanctissimo Sixti V. de Theologia Scholastica Oraculo, in Constitutione, quæ incipit TRIUMPHANTIS. „ Semper (inquit) maximum Ecclesiæ adjumentum adferre potuit sive ad Scripturas ipsas verè & sanè intelligendas, sive ad Patres securiùs & saniùs perlegendos & explicandos, sive ad varios errores & hæreses detegendas & refellendas. „

Ibid. „ sanè Catholicæ fidei dogmatibus confirmandis, & hæresibus confutandis pernecessaria est. Et profectò ita se rem habere ipsi veritatis inimici sunt judices: quibus Theologia Scholastica maximè est formidolosa, qui profectò intelligunt apta illa & inter se nexa rerum, & causarum cohærentia, illo ordine & dispositione, tanquam militum in pugnando institutione, illis dilucidis definitionibus, distinctionibus, illâ argumentorum firmitate & acutissimis disputationibus lucem à tenebris, verum à falso distingui, eorumque mendacia multis præstigiis & fallaciis involuta, tanquam veste detractâ patefieri ac nudari. „

Ideo, inquit, eruditissimus è sacro Prædicatorum Ordine Melchior Canus lib. 8. de locis Theologicis cap. 1. *Lutherani omnes ad unum, Scholæ nostræ authoritatem & mirificè contemnunt, & inimicè insectantur: atque hinc fortasse tanquam ex primo fonte, reliquæ istorum hæreses derivatæ sunt .... connexæ quippe sunt, ac fuere semper post natam scholam, scholæ contemptio & hæresum pestes.*

Cardinalis Aguirre in Theologia S. Anselmi disput. 130. sect. 3. „ Observandum, inquit, præterea est odium penè vatinianum quorumdam recentium Theologorum Lovaniensium contra Theologos Scholasticos, etiam in Disputatione hac indicatum num. 16. 17. & 18. videri derivatum ex Jansenio, qui sæpissimè Scholasticos criminatur, & conviciis proscindit; in hoc certè Calvini, Lutheri, Melanctonis, & aliorum ex heterodoxis vestigia premens.

4 Calvinus scilicet in Antidoto Decreti Sor-

Sorbonici ad Articulum 2. farcafticè illud fic excipit: *Magiftri noftri fic determinaverunt poft Ariftotelem & omnes Philofophos, qui rationem in homine dominam conftituunt loco Spiritûs Sancti*. Et lib. 3. Inftitut. cap. 2. *Hoc malum, ut & alia innumera, Scholafticis acceptum referre par eft, qui velut obducto velo Chriftum texerunt .... craffiffimam ignorantiam ornantes, plebecula cum magna pernicie illudunt*.

Lutherus libro contra Ambrofium Catharinum: *Obfcuratus eft fol juftitiæ & veritatis Chriftus, pro fide inductis moralibus virtutibus, pro veritate opinionibus infinitis, humanis doctrinis Chriftum & ejus fidem obfcurantibus; quia doctrina & vita eorum* [nempe Scholafticorum] *non fpiritu fidei; fed dictamine rationis naturalis regitur*. Idem lib. 1. de captivitate Babylonica conqueritur *Ariftotelem, & humanas doctrinas divinarum rerum cenfores fieri*.

Melancton in Apologia pro Luthero: *Ubi cœpit Theologia divinam legem ad Ariftotelis Philofophiam exigere, pro libidine refecit, quas voluit leges Dei*. Ibid. *Pro Chriftiano populo ne legis quidem, fed moralium Ariftotelis populus fumus: & ex Chriftianifmo contra omnem fenfum fpiritûs, facta eft quædam Philofophica vivendi ratio*. Tales potiùs hic, ut paffim alibi in famofo fuo Opere fecutus Magiftros Janfenius, non minimam eloquentiæ fuæ partem exercere vifus eft, in Scholafticis nullo difcrimine vellicandis.

Sic Tom. 2. editionis Lovanienfis col. 19. quærit „ Enim verò Quis fano judicio dubitare poffit, plerafque notitias genuinè „ Scholafticas, nonnifi puras abftractiones „ effe, depuratafque Ariftotelicæ meta„ phyficæ eliquationes; quandoquidem de „ rebus fupernaturalibus agatur. „

Col. 21. „ Quemadmodum in theoricis limites rerum verè divinarum transeundo, non femel in chimericas abftractiones inciderunt, ita in practicis moralés regulas agendorum fimplices relinquendo, quas fimplex & genuina ratio, „ & antiqui Patres præfcripferunt, tam laxas effecere confcientias, fub prætextu „ accommodandi fefe infirmitatibus hominum, ut nihil opus fit, nifi fceleratiores „ fieri homines, ut nova aliqua, & licentiofa regula fabricetur. Nam in feculo „ corruptiffimo, quamvis nonnulla peccata univerfa hominum commercia fœdaverint; ad eas tamen anguftias difputandi libidine redacta funt, ut nonnifi in metaphyfica quadam abftractione falva effe „ videantur.

Col. 22. „ Vix aliquid in moribus tam „ abfurdum eft, nifi decalogum apertè feriat; imò etfi feriat, quod non factum fit „ probabile: ut reverà plerifque Chriftianis fcientia recentioris Theologiæ ad nihil penè ferviat, nifi ut fenfa diverfa diverforum, fuis apta cupiditatibus nofcendo, & fequendo, depofitâ Chriftianâ fimplicitate verfutiores, & probitate „ nequiores fiant. „ Col. 25. „ Scholaftici plerique limites Chriftianæ Theologiæ fixos prætextu fubtilitatis excedunt. „

„ Ibid. col. 78. „ Illud quod afferunt „ Scholaftici, de rectitudine quadam naturali per virtutes morales ... non Ecclefiæ; „ fed quorundam philofophiæ magis, quam „ Scripturis & Ecclefiafticæ doctrinæ inhærentium fententia eft; Qualis homo „ jam olim à Philofophis, & poftea à Pelagianis inter Chriftianos introductus eft, „ fed ab Ecclefiaftica doctrina tale commentum remotiffimum eft, & in Auguftini fcriptis inauditum. „

Eodem tomo col. 18. „ Recentiores, „ præter nonnullas Ariftotelicæ Philofophiæ tricas, aut ineptias, è claffibus dialecticis in Theologiam immiffas, quibus „ cœleftis medicinæ finceritas magis adulterata eft, nihil omnino novi protulerunt, quod non Auguftinus ante viderit. „ Juxta interpretationem fcilicet Janfenii intellectus.

5 Denique in famofo Janfenii Manufcripto, ex quo fuum dein amplius deductum compofuit *Auguftinum*, poftquam declaravit operis fui fcopum effe defendere Propofitiones Michaelis Baji, non folùm à Pio V. & Gregorio XIII. condemnatas; fed ab ipfo quoque Bajo religiofâ retractatas palinodiâ, acerbè invehitur in Scholafticos dicens: „ Quamdiu Chriftiana doctrina pro inftructione populi, authoritate quafi paternâ & Epifcopali tradita „ fuit, cum omni finceritate & fimplicitate „ tradebatur, ipfique Doctores de ipfa doctrina foliciti, ad cujus normam videbant fui gregis mores componi, cum „ omni cautione à temeritate afferendi abftinebant, incerta, multifque curis occupati fuperflua præcidebant.

„ Sed poftquam cœpit in Scholis tradi ab hominibus, nihil præter hoc profitentibus, & ad nihil vacantibus, nifi ut illum campum excolerent, infinitarum farrago quæftionum inutilium, curiofarum, „ frivolarum, fuperfluarum invecta eft, ut „ magnitudine fcientiæ fe commendatos „ red-

„ redderent, & quasi quos docebant, non „ erat eorum grex proprius, quorum Christiana salus esset eorum curæ commissa, „ ut qui alios veros Patres, & Pastores in „ Christiana doctrina & probitate agnoscerent: [in margine notatur Origo corruptelæ in Theologiam introductæ, unde] „ Hinc nihil soliciti, nisi ut suam scientiam buccis concrepantibus venditarent, „ multa temerè asseruerunt, & antiquis abrogatis nova substituerunt; quia disciplinis Philosophicis imbuti, omnia voluerunt ad illam normam exigere; quia „ Patrum doctrinam, vel non legerant, „ vel suis nimiùm intenti, sedulò eorum „ sensum perscrutari non potuerunt.

„ Otium ergo eorum, qui hoc genus „ scientiæ (Theologiæ Scholasticæ) solùm „ profitebantur, tot inutiles quæstiones „ nobis peperit, de quibus nec Magister „ sententiarum cogitavit; quia reverà dimidia pars earum in Philosophia fundata est & Metaphysica. Hinc factum est, ut „ Monachis [præcipuè Alexandro Alensi, „ Alberto Magno, Thomæ, Bonaventuræ, „ Scoto, & eorum Sectatoribus) factum „ fuerit hoc genus scientiæ quasi proprium. Nam si Scholastici recenseantur, ex „ decem vix unus reperietur secularis. Sicut enim omnes antiqui Monachorum „ institutores certa opificia manualia induxerunt, ut otium à suo grege arcerent, „ ita Scholastici illi Religiosi tempus amplissimum, quo abundabant, frivolis quæstionibus indagandis impenderunt.

„ His accedit, quod Philosophis omni „ tempore proprium fuerit, per eruditionem, novarumque sententiarum introductionem gloriolam quærere, sententias suas mordicus tueri, & ita interminabilibus certaminibus inter sese contendere, ut ex Augustino in libris de Civitate Dei constat.

„ Quid mirum si illi, qui Philosophorum spiritu, & doctrinis plus satis instituti sunt, eorum vestigiis institerunt, eosdemque disputandi & altercandi modos, „ & mores, quos Philosophi in suis libris „ observant, imitati sint? Hine enim jam „ ista consuetudo invaluit, quemadmodum „ quidam scholastici non ignobiles ingenuè professi sunt; & experientiâ patet, „ ut ignominiosum habeatur, si discipulus „ ad professionem sacrarum literarum admotus, non aliquid Magistro superaddat, & novi aliquid moliatur.„

6 Talia Jansenius & plura notæ non melioris didicerat à Magistro suo Joanne Vergerio Abbate Sancyrano, qui, ut refertur in testimonio jurato, quod dedit Joannes de Jovaud Ordinis Cisterciensis Abbas, & Secretarius anno 1638. 17. Junii ajebat *Concilium Tridentinum fuisse Pontificis, & Scholasticorum, qui doctrinam Ecclesiæ multum immutaverint.. Se verò doctrinam perfectissimam esse consecutum plurimorum annorum studio, & assiduâ SS. Patrum lectione, maximè Augustini, quem* inquiebat, *bis terve totum evolvi*.

Oblitus scilicet videtur ejus quod, ut est in eodem testimonio, *sæpius jactaverat, quod quæ enuntiabat dogmata, non ea ex libris didicisset; sed legeret in ipso Deo, qui est veritas æterna: quodque in omnibus sequeretur ductum interiorem illuminationum, inspirationum, documentorum, quæ sibi à Deo identidem suggeri sentiebat*.

Nonne Vergerio hic rectè applicueris illud S. Bernardi de quibusdam hæreticis Sermone 42. in Cantica? *Hujusmodi non tam ambulant, quàm volitant in magnis & mirabilibus super se ... Spiritualem se simulant habere doctrinam, fluidum instar roris eloquium, incerta, occulta & quasi nocturna novisse mysteria sapientiæ Dei: Sanctieatis tenere caput & culmen, & in ipso Christi hærere vertice: eminendi magis, quàm intrandi studium gerere*.

Similis jactantia semper hæreticis, hæresiarchis potissimum visa est peridonea conciliandæ sibi, & suis novitatibus authoritati. Ita Eunomius apud Theodoretum de hæreticorum fabulis, lib. 4. cap. 3. *Nihil ex Divinis rebus ignoro; sed ipsam etiam Dei essentiam exactè novi; eam denique de Deo notitiam habeo, quam Deus ipse de se*: Et Aëtius apud Epiphanium hæresi 76. *Deum novi atque tantum novi, ut ne meipsum quidem melius noverim*.

Idem de Sancyrano testimonium exhibet eum asserentem, *Theologiam Scholasticam, ut passim traditur, esse doctrinam noxiam*. Addebat, Abbatem alloquens: *Si Ordinis vestri Religiosi S. Bernardo parente meritò gloriarentur, toti in Theologiæ Scholasticæ ruinam incumberent, quemadmodum S. Bernardus Abaillardum, Porretanum, aliosque hæreticos, primos Theologiæ scholasticæ authores prostravit. Ipse S. Thomas veram Theologiam humanis ratiociniis & Aristotelicis principiis depravavit*.

Quid igitur interrogabam, facto opus ut vera Theologia introducatur? Tum Sancyranus: Adducito mihi, inquiebat, quindecim aut viginti Religiosos Juvenes, qui sint instar tabulæ rasæ, nullis imbuti aliunde sententiis: omni

omni ratiocinio sepofito, aures mihi tantùm faciles prabeant & subjiciant intellectum, in me recipio fore ut sex mensium spatio omnes ad supremum Theologia apicem provebam. Hactenus juratum Abbatis Religiosi de Sancyrano testimonium.

7 Duo illa prima novæ Ecclesiæ capita Sancyranum & Jansenium, in contemptu & odio Scholasticorum passim secuti sunt eorum discipuli. Lovanienses de hoc potissimùm accusabat, superiùs Eminentissimus Aguirre; ut nempe addictis Jansenio Lovanium non caruit, haud mirum etiam non defuisse illic infestos Scholasticis. Duos istiusmodi novatores producit & reprehendit disputatione 130. sect. 2. ambos Tirocinium instituendis Theologis scribentes.

De quorum posteriore notat Cardinalis, quod *plaustra conviciorum in Scholasticos accumulet & jaciat; atque ut nemini ipsorum, ne quidem Doctori Angelico pareat, sic loquitur* &c. Si prius, quod dicitur, à Calviniana hæresi ad Ecclesiam conversus antea fuerit, minùs mirum videri poterit, aliquid ei fermenti veteris adhæsisse. Talibus autem Tirociniis, & Tironum directoribus Ecclesia non eget. Æquiùs de Scholasticis, imò de uno eorum antesignano Magistro sententiarum, sensit Stancarus, quantumvis hæreticus. Ægrè, scilicet ferens suorum de viris illustribus maledicentiam *Pluris*, inquiebat, *est Petrus Lombardus, quàm centum Lutheri, ducenti Melanchtones, trecenti Bulingeri, quadringenti Petri Martyres, quingenti Calvini. Qui si omnes in mortario contunderentur, non posset exprimi una uncia vera Theologia*. Quod judicium referens Cardinalis Aguirre Disput. 130. sect. 3. *Pudeat*, inquit, *Jansenium ejusque partiales, hec audire ab homine heterodoxo*.

Nihilominus Elias Dupin Sorbonicus tam temerarius in approbando famoso *casu conscientiæ*, ad restituendam Jansenii hæresim subdolè excogitato, quàm audax in rejicienda Constitutione *Unigenitus*, quantam intulit nuper injuriam toti Scholasticorum Ordini, atque ejus principibus, non Magistro solummodo sententiarum; sed etiam sanctissimis Ecclesiæ Doctoribus Angelico & Seraphico, uti & Alberto Magno, Alensi, Scoto! Attamen eorum singulis comparatis cum Jansenio, Sancyrano, Dupinio, & similibus Scholasticorum contemptoribus meritò applicueris, quod Stancarus de Lombardo dixerat collato cum ducibus hæreticorum.

8 Audiatur *Nova* Dupinii de Scriptoribus Ecclesiasticis *Bibliotheca*, Tomo 10. „ cap. 4. Ingens numerus authorum, qui „ seculo 13. in Occidente scripserunt, [Al„ bertus Magnus, Alexander Alensis, S. „ Thomas, S. Bonaventura, Scotus &c.

„ Viderentur nobis uberrimum, & re„ rum varietate amœnissimum campum „ promittere. Quapropter mirum profectò „ censebitur, vix aliud hoc capite reperiri, „ quàm nomina, officia, tempus plero„ rumque authorum cum simplice libro„ rum catalogo. Verùm, si quis attende„ rit, qualia ea sint opera, & quomodo „ composita, fatebitur nos aliter non agere „ debuisse: excerpta verò quæcumque ex „ eis promerem, inutilia fore & ingrata.

„ Præcipuæ istius temporis lucubratio„ nes sunt Commentarii in quatuor libros „ sententiarum Petri Lombardi Archiepi„ scopi Parisiensis, cujus opus unica fuit, „ quæ in scholis tradebatur Theologia. „ Verùm nec methodus ejus servata est, „ nec quas ille proposuerat Quæstiones, „ ex Patrum testimoniis decisæ fuerunt: „ vix aliud adhibitum, præter principia „ Philosophica & metaphysicas argutias. „ Non solùm non explicabatur textus Ma„ gistri sententiarum, imò non nisi solæ „ desumebantur ex eo quæstiones, & ra„ tione prorsus alia tractabantur. Sic li„ bris Commentariorum nihil commenta„ rii inerat præter nomen. Plures aliæ ad„ debantur Quæstiones, *Quodlibeticæ* ap„ pellatæ. Quibus Theologis nimis arctum „ videbatur adstringi normæ Magistri sen„ tentiarum: Hi extra methodum istam ex„ currentes, aliam sibi propriam eligebant „ appellabantque SUMMAM THEOLO„ GICAM.

„ Illic agitantur Quæstiones infinitæ, „ partim Theologicæ, partim Philosophi„ cæ, quæ propositis utrimque rationibus, „ resolvuntur passim speculationibus, & „ congruitatibus Philosophicis, adhibitâ „ frequenter Aristotelis authoritate, non„ nunquam SS. Patrum, quorum verba de„ scribebant ex Magistro Sententiarum, „ ex Gratiano, aut Glossâ ordinaria, sicut „ citationes essent sæpenumero parum ac„ curatæ, quia & nitebantur aliorum fide, „ & crisi destituebantur. Operum istorum „ stylus plerumque aridus est, barbarus, & „ ubique obscurus „. Sic terminatur elogium *Summa Theologica* & reliquorum operum S. Thomæ, uti & aliorum omnium, qui istud seculum illustrarunt principum Scholasticorum.

9 Idem novus Bibliothecarius Tomo 3. non minùs irreverenter & contumeliosè in S. Tho-

S. Thomam invehitur, propter citatam sæpiùs, velut ex S. Cyrillo sententiam authoritati Pontificiæ faventem, quam in nullo Dupinius monet reperiri Patrum. *Quis*, inquit, *Romano Episcopo tam putidè unquam adulatus est? S. Thomas primus est, qui eum locum citaverit. Scimus quantâ negligentia, & quàm exiguo discretionis judicio allegare soleat Patrum Opera.* Verùm in omnibus his, contra communem Ecclesiæ Doctorem & Scholæ Angelum, conviciis consolari nos possumus, quod à notorio Patrum passim omnium, etiam cujus se discipulum profitetur, Augustini profluant contemptore, ut loco videbimus magis opportuno.

Interim quòd præsenti sufficit instituto, lectorem moneo illam Dupinii Bibliothecam non esse magnum eruditionis sacræ & lectionis studiosissimæ argumentum, neque esse in cæteris Constitutionis adversariis *Observatore*, *Hexaplorum* compilatoribus, & eorum subsidiario *Collatore* tantam coacervationem textuum sive è Scripturis, sive è Patribus. Dupinio enim præluxerat crisis similis recenter ab hæreticis edita, quorum censuras Dupinius secutus est, subinde etiam superans temeritate, ut de suo addidisse aliquid videretur. Defensores quoque dogmatum in Constitutione UNIGENITUS damnatorum, ut pleraque protrudunt partim eadem, partim affinia iis, quæ ante Quesnellum ab hæreticis tradita conspiciuntur, collecta illic Scripturarum Patrumque testimonia reperire poterant, ut multo in iis aliàs operosiùs conquirendis labori parcerent & molestiæ.

Quanquam non negavero, singularem adhibitam à totâ malignantium Ecclesia diligentiam, ut undique corraderet, quidquid è divinis literis, vel Patribus violentè, seu fraude & corruptione multiplici valuit extorqueri. Quemadmodum enim juxta processum juridicum, aliàs *Causam Quesnellianam* Articulo decimo *Janseniana Factio latè per Galliam, Belgium, maximè Hollandiam diffunditur, à suis appellata Ordo continens Abbatias, ut vocant, Prioratus, Collegia, Domos, Hospitia, Eremos; constans Fratribus & Patribus, etiam Visitatoribus, Prioribus, Procuratoribus, qui pro expensis communibus collectas instituunt pecuniarias*, singulis ad eas pro zelo suo liberaliter concurrentibus; ita minimè dubium est, quin in tanta Ordinis necessitate ad avertendum imminens excidium, subruendamque si fieri posset, Bullam UNIGENITUS, nihil quod valuerint conferre singuli, fuerit prætermissum.

Facilè id colligas ex immensa Apologiarum multitudine, quæ Gallias, & Belgium, præcipuè Hollandicum, diluvii instar toto septennio inundavit, aliquibus ut verisimile est, pro comparanda materiâ, Scripturas Sacras, aliis Patres scrutantibus, aliis præstantibus compositionem. Nihilominus persuasum habeo, si hæreticos aliquot evolvere mihi animus, & otium foret, pauca esse Quesnellianæ novitatis fundamenta, pauca ab ejus propugnatoribus collecta ex Sacra antiquitate testimonia, quæ non illic antea congesta reperirem.

Simile quid deprehenderat pridem, & magnificis Jansenii laudatoribus exprobravit Stephanus de Champs. Jactantibus scilicet Liberto Fromondo & Valerio Andreâ in descripta Jansenii vita, eum *decies & amplius universa Opera Augustini attentione acri & annotatione diligenti; Libros verò contrà Pelagianos facilè trigesies à capite ad calcem evolvisse*, risit Stephanus utrinsque Historici levitatem, demonstrans Jansenium fuisse inverecundum hæreticorum Plagiarium, è quibus, tacito authorum nomine, plerasque mutuatus fuerit sententias, & Augustini testimonia, adeò ut ad sui voluminis compositionem vix inspici ab eo Doctorem maximum oportuerit: potuisse ei hæreticorum sufficere lectionem, ex qua tantum profecisse conspicitur.

10 Nunc ad prætensam Romanorum inscitiam, & vetustatis Sacræ ignorantiam propiùs accedamus. Prodierat ab anno contra priores aliquot Quesnelli Articulos Tractatus ab uno è Consultoribus ad examen Quesnelliani Operis, & excerptorum inde dogmatum destinato, plenus sententiis Sanctorum Patrum & Doctoris Angelici. Hoc ipsum cognitæ vetustatis, & Theologieę eruditionis specimen adversariis displicuit adeò, ut Calvini ex grege in Hollandia Gazettarium sibi devotum induxerint, ut ipsam sententiarum veterum multitudinem vitio verteret Authori. Quid igitur facias hominibus ad convicia & calumnias semper paratis? Quidquid egeris, vel omiseris, necesse est vapules. Si rationibus eos Theologicis aggrederis, Scholasticus es, Philosophus Aristotelicus potiùs quàm Christianus: Si definitiones fidei stabilias authoritate Patrum, & Doctoris Angelici, merus textuum cumulator diceris; quod reipsa nemini magis competit, quàm adversariis, ut patet ex *Observationibus*, *Hexaplis*, *Collatione*: & quidem tantâ perfidiâ, ut vix aliquid in horum relationibus sincerum sit, occurrente passim in omni-

omnibus corruptione, maximè sensuum, mutilatione, & dolo multiplici.

Romanus non sum genere; sed fide: & conor esse dogmatum puritate, ut sum domicilio. Sanè scientiam profundam, eruditionem verè sacram, ac solidam, avitæ fidei & religionis, non in theoricis solùm; sed etiam in moralibus puritatem, cum profanarum odio Novitatum, in omnium hìc Ordinum Magistris, & Professoribus suspicio, & veneror; quemadmodum in adversariis horrui semper ac detestatus sum perpetuum innovandi studium, atque in mutatione fidei vix minorem, quàm in variatione vestium levitatem; nisi quod in retinenda, quam semel amplexi fuerint, hæresi, nihil ipsis obstinatius sit, nil magis in defendenda temerarium.

Quæ de utrisque commemoro, non ex alienis refero, nimiùm fortè credulus narrationibus; sed de Romanis loquor veluti annis viginti tribus coram observator sedulus; quæ autem de Anti-Romanis longè diuturnior, neque minùs diligens editorum ab eis lector Operum. In posterioribus ubique deprehendo insilientem in oculos malitiam, affectationem eruditionis ridiculam, tam plenam mendaciis & perfidiâ, quàm veræ sapientiæ vacuam. In prioribus autem semper mihi placuit, & perpetuâ confirmatur experientiâ, quod ait S. Cyprianus, de adulatione erga Romanos & Sedem Apostolicam minimè suspectus, epist. 55. *Cogitandum, eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non potest habere accessum.*

CAPUT IV.

Digressio I.

Cur adversarii contemnant adeò Scholasticos, & tantopere tironibus velut necessariam prædicent lectionem veterum, præcipuè Augustini.

1 INter callidissimas Novaturientium artes propagandæ hæresi maximè idoneas, est persuadere simplicibus, & rudibus Theologiæ candidatis, ut abjecto Scholasticæ studio, incumbant unicè lectioni Patrum, Augustini præcipuè de peccato Originali, Gratiâ, & Prædestinatione contra Pelagium, ejusque discipulos Cœlestium & Julianum. Ex libris illis perperàm intellectis hæreses suas conflaverant Lutherus, Calvinus, Jansenius; neque à lapsu simili securus est, quisquis sinè duce & interprete probè Catholico, principiis Theologiæ Scholasticæ aut nullo modo, aut leviter tinctus, Lectionem istiusmodi temerè aggreditur. Qui verò in fide catholicâ solidè fundatus, & communibus affixus est Ecclesiæ dogmatibus, juxta ea intelligendum sibi constituet, quidquid in Augustino apparuerit obscurum.

Ideo Sancyranus & Jansenius nova placita introducere meditantes, tirones facilè sibi credulos ad institutionem, atque Augustinianorum lectionem Operum deposcebant: Sancyranus, ut supra vidimus, juvenes nullis adhuc imbutos opinionibus, nullis instructos Theologiæ principiis, & ad suscipienda quælibet indifferentes, *velut tabulas*, ut ajebat, *rasas*: Jansenius quoque dicere solitus refertur à Liberto Fromondo in ejus vita, *Augustinum à Discipulis, non à Magistris velle intelligi: & falli, quis quis aliâ opinione occupatus accederet ad ejus lectionem*. Propretereà de se ipso fatetur ibidem Jansenius, *se multis annis cum veteribus suis opinionibus luctatum esse, antequam in totum exueret, & perveniret ad intimam S. Augustini mentem*: Et tamen, ut ibi dicitur, *ab initio studii Theologici, cum Scholasticis legere cœpit Sanctos Patres; sed præcipuè Augustinum*.

Denique ajebat Jansenius, *Patres cæteros utiles esse; sed Augustinum necessarium; imò unum pro omni materia Theologica sufficere*. Etsi verò *Summam Theologicam* S. Thomæ Jansenius dixerit *Augustinum contractum*; non tamen illa satis ad gustum est Quesnelli Sociis. Inter hos Lovanii author libri *Theologus Christianus* appellari pag. 100 *Multorum*, inquit, *utilitati non satis accommodatus est S. Thomas, tum quod multas Quæstiones Philosophicas Theologiæ immisceat, tum quod terminis Philosophicis eas proponat resolvatque*.

Ut Tirones Theologos ab ejus lectione amplius avertat pag. 113. conqueritur de iis, *qui ab ipso cursûs Theologici initio immergunt se in lectionem sterilis alicujus Scholasticæ, in qua Quæstiones quidem Theologicas, sed philosophicè pertractatas inveniunt. Ubi hoc maximè deplorandum, quod qui deberent totos se in hoc impendere, ut ideas, quas inter Philosophos hauserant, cum vetri homine exuerent, jam quasi tantùm è Philosophiâ ad Philosophiam translati, unum hoc putant esse Theologi negotium, ut quemadmodum priùs de rebus Philosophicis in Philosophia contendere didicerant, ita nunc in Theologia discant contendere de rebus Theologicis.*

2 Quapropter quoties *Theologi* iſtius *Chriſtiani* diſcipulos, aut ex Lovanienſibus ſimiles audis in Diſputationibus publicis argumentum aliquod proponentes, fruſtrà ab eis expectes rationis quidpiam, formâ ſyllogiſticâ propoſitum, ſed tres ſolummodo quatuorve decerptas ex Auguſtino, confutaſque inter ſe temerè lacinias quas invenire in eo potuerint maximè obſcuras; Sic toti ſcilicet Auguſtiniani ſunt, qui, ſi Sanctum legerint, nonniſi juxta Janſenium intellexere.

Non ita Cardinalis Aguirre, Queſnello & ejus ſodalibus aliàs charus, & in eorum lucubrationibus etiam cum elogio commemoratus: non is, inquam, modum diſputandi Scholaſticum & Philoſophicum faſtidivit, dum adducto Sixti V. perhonorifico de Theologia Scholaſtica teſtimonio Diſp. 130. ſect. 3. ait: „ Hæc Summus ille Pontifex: ſed & idipſum plurimis retro ſeculis legebatur in Patribus, Philoſophiæ „ ſtudium deſervire Sacræ diſciplinæ per „ demonſtrationem acquirendæ, & tradendæ: ideoque Clemens Alexandrinus „ pag. 121. editionis Comel. de illa ait, „ *utilem eſſe ad Chriſtianam pietatem, ut quæ* „ *primæ inſtitutionis, ac rudimenti inſtar ſit* „ *iis, qui fidem per demonſtrationem ſibi* „ *comparant*. Auguſtinus quoque lib. 14. „ de Trinitate cap. 1. Philoſophiam appellat *ſcientiam qua fides ſaluberrimè gignitur, nutritur, roboratur, defenditur*: Qua „ quidem ſcientiâ non pollent fideles plurimi, quamvis fide polleant. Mitto plures alios è Patribus, & Anſelmum in „ omnibus ſuis ſcriptis Didacticis Theologiâ Scholaſticâ, ac rationibus Philoſophicis, & Dialecticæ regulis paſſim utentem in explanationem, confirmationem, „ & obſequium doctrinæ revelatæ.

3 Verùm juxta novos Theologos à ſuis edoctos præceptoribus Sancyrano & Janſenio, omnis ratio ſeponenda eſt, exuenda quælibet acceſſita aliunde, quàm ex Doctore maximo Sententia. Quid autem ſi tironi Theologo, in illo quidpiam occurrerit obſcuri? Nonne Magiſter alius, qui involutum explicet, conſulendus eſt? Minimè, inquit Janſenius, & ex eo Fromondus in ejus vita, quoniam „ Auguſtinus à diſcipulis, non à Magiſtris vult intelligi: „ & fallitur quiſquis alia opinione occupatus accederet ad ejus lectionem.„ Nonne adeundus alius ſaltem è Patribus, Quæſtionem eamdem forſitan magis dilucidè pertractans? Ne iſtud quidem juxta Janſenium opus eſt; „ nam unus pro omni „ materia Theologica ſufficit Auguſtinus.

Attamen nova ſuboritur difficultas ex eo quod Janſenius ibidem aſſerit „ Patres „ cæteros utiles eſſe; ſed Auguſtinum neceſſarium „. Omnibus enim etiam adverſariis exploratum eſt, & exemplis plurimis demonſtratur, Auguſtinum Hieronymo & aliis aliquando Patribus opponi. Imò ſi Eliæ Dupin tam infeſto Bullæ UNIGENITUS adverſario, quàm ſtrenuo Queſnelli & Janſenianæ hæreſis defenſori credimus, in ſua de Scriptoribus Eccleſiaſticis criſi, ſive ut vocare ei placuit „ Bibliothecâ novâ, Sanctus Auguſtinus tam in Scripturarum interpretatione, quàm in „ Theologicis opinionibus, ſæpe recedebat à præcedentium tramite, ut viam ſibi deligeret prorſus novam. Vocari poteſt in Theologicis, quo nomine Cicero „ à ſe dicebatur in Philoſophicis, Magnus „ Opinator... linguarum ignarus erat, & „ vix legerat veteres.

Quod poſteriùs adeò vitio vertitur hoc tempore, & quidem mendaciſſimè Cenſoribus Romanis, non à Catholicis; ſed à Janſenii Sectatoribus & Calvini.

Si igitur Patrum plurium incubuero lectioni, facilè fiet, ut aliqua ex his hauriam documenta Auguſtinianis contraria. Hinc imminet periculum, ne quoniam præ cæteris ubique ſequendus proponitur Auguſtinus, difficile ſit, imbibitam aliunde dimittere opinionem, ut Janſenio contigit, cui multis annis cum veteribus ſuis opinionibus luctandum fuit, antequam totas exueret, & perveniret ad intimam S. Auguſtini mentem. Hinc confirmabitur quod ibidem ait Janſenius *Auguſtinum à diſcipulis*, &, ut Sancyranus loquitur, veluti *tabulis raſis*, *non à Magiſtris velle intelligi*; utpote ex aliorum Patrum & principum Scholaſticorum lectione præoccupatis.

Adeò autem intellectu facilem eſſe Auguſtinum, ut à diſcipulis non à Doctoribus velit intelligi, ac proinde ſinè duce, ſinè interprete à rudibus volvendus ſit, ſolus aſſerit cum ſuis ſectatoribus Janſenius. Non tantam lucem in ſubtiliſſimi Doctoris ſcriptis detegunt Catholicorum præcipui. S. Anſelmus libro de Sacramento Altaris contra Berengarium, Auguſtini ſibi teſtimonia velut clarè faventia vindicantem cap. 13. in ipſo titulo ait: *In legendis Patrum ſcriptis eſſe opus multâ vigilantiâ*.

Dein ipſo capite: „ Poſtquam (inquit) „ ex confragoſis locis huc uſque evaſimus, „ conſiderare libet attentiùs, cut ſupra hac „ re in SS. Patrum tractatibus reperiantur ſen-

„ sententiæ tam dubiæ, tam scrupulosæ, „ & quæ etiam invicem contrariæ videntur, ut non solùm qui contendendi intentione, illas congregant, materiam in „ eis inveniant errandi; sed & qui ex eis „ adstruere velint Catholicam fidem, non „ facilè queant se inde expedire... Sed ut „ multa de eadem re ab eis relicta sunt, „ quæ benè dicta; sed obscuriùs, utpote „ ab eis, qui ut homines, venturas omnes „ errorum calumnias non poterant prævidere, malè intellecta materiam errandi „ vel contendendi perditis videntur præstare. Quæ B. Augustino in multis accidisse non ignorant, qui librorum ejus lectionem familiarem habent. Antequam „ enim Pelagiana hæresis exurgeret, in „ libris quos jam ediderat, non pauca posuit, quæ exurgens exinde illa hæresis sic „ sumpsit ad patrocinium erroris, ut etiam „ paria secum sentire, jactaret virum per „ omnia catholicum.

„ Unde illi necessitas imposita est, plures postea libros contra pestem illam „ edere, & confiteri crebrò, benè dicta sua, „ ad vitandum tamen pravum legentium „ intellectum, aliter quàm dixerat, debuisse se dixisse; quod scire posset, qui „ libros Retractationum legerit, aliosque „ quos ipse conscripsit: quoniam etiam super hac re de Sacramentis prædicto viro „ simile quid accidisse videtur „. Augustini testimonia de hoc Sacramento, quę S. Anselmus profert, agnoscit etiam Cardinalis Aguirre Disput. 135. sect. 4. esse *in speciem contraria*, licèt reipsa inter se cohæreant. Sed ignorantibus tironibus non semper in promptu est conciliationem ostendere, aut suo percipere intellectu.

4 S. Thomas in caput 1. Joannis lect. 7. ait: „ Antiquos Doctores & Sanctos emergentes errores circa fidem ita fuisse persecutos, ut interdum viderentur in errores labi contrarios: sicut Augustinus „ contra Manichæos, qui destruebant libertatem arbitrii, taliter disputat, quod „ in hæresim Pelagii incidisse videatur. „ Paria de Augustino referunt Genebrardus in Epist. ad Carolum IX. præfixa editioni Origenis, Sixtus Senensis in præfatione ad libr. 5. suæ Bibliothecæ: Osorius lib. 9. de Justitia Cœlesti: Sanctesius in Atheismis Calvini pag. 325. Pighius lib. 3. de Libero Arbitrio: Sadoletus lib. 3. Epist. 5. Cornelius Mussus in caput 5. Epist. ad Romanos. Nicolaus de Orbellis in 2. dist. 33. Cajetanus part. 1. quæst. 7. art. 3. explicans locum aliquem S. Thomæ „ Ad hoc, inquit, non „ video responsionem, nisi alteram duarum, vel hoc hic meliùs dixit, quia posteriùs scripsit, vel quod ibi intendebat &c. sustinent autem illa verba hanc „ glossam, quia quando contra Averroem „ erat sermo, fas erat declinare in oppositum, ut Augustinus contra Pelagianos „ fecit. „

S. Bonaventura in Breviloquio parte 3. cap. 5. „ Non debetur parvulis pœna sensûs in gehennâ. Hoc credendum est, „ sensisse S. Augustinum; licèt verba ipsius „ exteriùs propter detestationem erroris „ Pelagianorum aliud sentire videantur. „ Ut eos reduceret ad medium, abundantiùs declinavit ad extremum, plus dicens, & minus volens intelligi. „ De eadem agens sententiâ S. Thomas Quæst. 5. de Malo art. 2. ad 1. ait: „ Sancti tali modo locuti sunt, ut detestabilem reddere rent errorem Pelagianorum, qui asserebant in parvulis nullum peccatum esse. „

Genebrardus apud Cardinalem Aguirre Disput. 135. sect. 4. ajebat: „ Augustinus fuit interdum iniquior libero arbitrio, quòd Pelagianos haberet in procinctu, nihil aliud extollentes, quàm „ vires liberi arbitrii; Dei autem gratiæ „ minimum tribuentes. „

Denique Nicolaus Romæus Calvinistarum fortissimus impugnator, ad testimonia ex Augustino, quibus illi liberum impugnant arbitrium, respondet: „ Quod ad „ Augustinum attinet, habet aliquando, „ ut fatendum est, sententias aliquas difficiles; sed mentem ejus potiùs, quàm „ verba spectare oportet. Agebat cum „ Pelagianis, qui liberum arbitrium, „ non sinè gratiæ injuriâ nimiùm extollebant, & cum in lubrico loco versaretur, „ in alteram partem juxta Aristotelis præceptum inclinavit, ut medium faciliùs „ obtineret: sic enim qui virgam incurvam „ corrigere vult, in contrariam partem inflectit, ut vis vi repressa rectitudinem „ ipsam inducat.

„ Contigit hoc olim Sancto Gregorio „ Thaumaturgo, qui agens adversùm „ Oelianum ethnicum, plurium Deorum „ cultum Christianis objicientem, ita de „ Deo non tractavit, ut cum Sabellio tres „ personas quibusdam confundere videretur. Contigit & B. Dionysio Alexandrino, qui Sabellium confutare volens, in „ ejus hæresim tam vehementer invectus „ est, ut quibusdam visus sit Divinam essentiam cum personis divisisse, Arioque „ suæ hæresis materiam subministrasse:

„ quo

„ quo nomine apud S. Dionysinm Papam „ accusatus fuit. Sed Thaumaturgum „ egregiè defendit Basilius Epist. 64. Dio„ nysium S. Athanasius Lib. de Synodis. „

5 Sed Novatoribus interest, omnia in Augustino qualicumque specie, vel fraude ad suam hæresim pertracto, prædicare aperta, facilia, clarissima. Ita Jansenius ex statu naturæ lapsæ eliminans omnem gratiam sufficientem præter victricem lib. 2. de gratia Salvatoris cap. 25. ait: *Quod quantumvis gratia istius congrua authoribus permirum videatur; veritas tamen est in Scripturis Sanctis, & Augustini Scriptis explorata*. Sic etiam primam suam, inter quinque famosas hæreses confirmans: *Hac igitur*, inquit, *omnia plenissimè plauissimèque demonstrant, nihil esse in S. Augustini doctrina certius ac fundatius, quàm esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus excæcatis, obduratis; sed fidelibus quoque & justis, volentibus, conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deesse quoque gratiam quâ fiant possibilia*.

Ibidem: *Ex hac indubitatâ Doctrinâ quædam non parvi momenti ad hanc rem spectantia inferuntur & clarescunt. Primum quidem, esse quædam homini præcepta secundùm statum & vires in quibus constitutus est, impossibilia ... Secundum, non adesse semper gratiam qua possimus, hoc est, quâ illa eadem præcepta implere sufficiamus ... Tertium, hanc impotentiam reperiri non solùm in excæcatis, & obduratis, & infidelibus; sed etiam fideles & justi*: dicere voluit, *fidelibus & justis ... Quartum, hanc impossibilitatem fidelibus accidere, non solùm quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt. Perspicuum est enim &c.*

Unde aliqua à nobis obiter colligenda veniunt ad elidendas quorundam Jansenio pertinaciter patrocinantium excusationes. Liquet enim vel ex his Jansenianam hæresim non esse imaginariam, non affictam Jansenio; sed in ejus Volumine non solùm traditam, sed etiam fortiter inculcatam; neque merè historicè, ut quidam ajunt, seu veluti relatam solummodo ex Augustino, sed à Jansenio assertam: neque ut doctrinam solùm probabilem; sed ut certissimam, à qua nullo Catholico fas sit recedere. Sic ait in Præfatione Tomi 3. *Nihil publico utilius fieri posse puto, quàm si genuina profundissimi Doctoris mens, hoc est Ecclesiæ Catholica sententia, quam ille explicuit & contra hæreses propugnavit de gratia & prædestinatione proferatur*.

Et paulò superiùs: *In illa materia versamur, ubi post tot Apostolicæ Sedis Conciliorumque pronuntiata ex Augustini libris, verbo sensuque tenus hausta, meritò adversus hujusmodi retorquere possumus: si quis vobis annuntiaverit, præter id, quod ex Augustino accepistis, anathema sit*. Ex hoc anathemate proficiscitur Articulus penultimus inter 31. Alexandri VIII. Diplomate profligatos: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam*.

6 Non ita Angelicus Quodlibeto 10. art. 6. *Magis* inquit, *standum est sententiâ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quàm quorumlibet sapientum in scripturis opinioni*. Et 2. 2. Quæst. 12. art. 2. ad 3. *Hæreticus censetur, qui pertinaciter repugnat determinatis authoritate universalis Ecclesiæ: quæ quidem authoritas principaliter residet in Summo Pontifice ... Contra cujus authoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sacrorum Doctorum suam sententiam defendit*.

Nihilominus Quesnellus & Arnaldus in *Difficultatibus propositis Domino Steyaert*, parte 9. pag. 171. Censuram articuli istius totis viribus impugnant. *Ingens*, inquiunt, *periculum imminet à secundo Alexandri VIII. Decreto. An non metuendum est, ne ex condemnatione Propositionis 30. suboriatur in Theologis neglectus doctrina SS. Patrum? Negari non potest, intentionem eorum, qui propositionem detulerunt, fuisse reddere doctrinam S. Augustini inutilem in materia de gratia, & prædestinatione, quando Propositionem hanc modo conceptam tam odioso censura expofuerunt*. Pag. 176. *Quid igitur faciendum Theologo, qui doctrinam clarè fundatam in Augustino repererit, si eam pariter inveniat in Bulla aliqua Pontificia confixam?*

Neque dixeris casum esse metaphysicum, qui nondum contigerit, neque videatur unquam eventurus; quin potiùs affirmo, casum esse tantùm nimis realem: ad quod aliâ probatione opus non est, quàm exemplo quod ipse adfers de Jansenio, qui illam Augustini Propositionem in Decreto adversus Bajum edito offendens, OMNIA INFIDELIUM OPERA SUNT PECCATA, hæreo, inquiebat, fateor; sed quid ad Augustinum? Pag. 184. *Bajus dixit, & dicere cum Augustino debuit, actiones gentilium, cùm sublevabant miseriam pauperis, cùm debitum reddebant, colebant fidelitatem, fuisse in individuo malas; quia non referebantur in Deum, & habitus illorum actuum non veras virtutes fuisse; sed vitia virtutes imitantia*.

7 Vide

7 Vide nunc singularem Arnaldi & Quesnelli erga Romanos Pontifices, & eorum judicia reverentiam pag. 194. *Hoc pacto permittimus, ut ad deferendum aliquid Apostolicæ Sedi, dicas Propositionem non esse damnatam sensu Augustini; modò Pontificem deceptum fatearis, quando eam damnavit in sensu Baji; quia ostendi nullâ ratione potest, Bajum alio sensu eam docuisse, quàm docuerit Augustinus.* Quando in ultima sententia jubemur fateri Pontificem deceptum, tres voluere intelligi S. Pium V. Gregor. XIII. UrbanumVIII.

Multum autem Quesnello & Arnaldo Petri Cathedra obstringitur, quando hi *deferri aliquid sedi Apostolicæ* patiuntur; sed eâ lege ut pariter fateamur, tres illos Pontifices in *condemnando sensu Baji fuisse* aliorum fraudibus, & suâ ignorantiâ *deceptos.* Quod autem exemplum profertur de operibus infidelium, velut ineluctabile erroris Pontificii argumentum, maximè frivolum est. Evidens enim est, Propositionem à Bajo traditam esse ut obviè sonat, nullum scilicet ab infidelibus, quamdiu tales manserint, opus procedere, quod non propriè peccatum & Dei sit offensio; quia juxta Propositionem ejusdem trigesimam octavam: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur.* Quem errorem post trium Pontificum anathema resuscitare placuit Quesnello Propositione inter suas 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, & propter hoc ipsum fit malus.*

Longè ab illa tum Baji, tum Quesnelli insaniâ diffidet Augustinus, cujus genuina sententia est: Omnia infidelium opera, quæ infideliter fiunt sive fine infidelitatis in honorem falsorum numinum, vel quæ fiunt ex vana gloria, aut aliâ ratione noxiâ, peccatis annumerari debere, non actibus bonis quod nemo Catholicus inficiatur. Aliàs actus ab omni immunes vitio in infidelibus Augustinus locis plurimis & clarissimis agnoscit. Eadem indubitata Angelici sententia est. In c. 14. ad Rom. Lect. 3. sic intelligit, & nobis explicat Augustinum, etiam in *Summa Theologica*, quæ ipso teste Jansenio *Augustinus contractus est.*

Locus Summæ est 2. 2. Quæst. 13. ad 1. *Actus alicujus charitate carentis potest esse duplex: unus quidem secundùm hoc quod charitate caret, utpote cùm facit aliquid in ordine ad id, per quod caret charitate* [id est in ordine ad peccatum] *Et talis actus semper est malus: sicut Augustinus dicit in quarto contra Julianum ut supra, quòd actus infidelis in quantum est infidelis, semper est peccatum, etiam si nudum operiat, vel quidquid aliud hujusmodi faciat, ordinans ad finem suæ infidelitatis. Alius autem potest esse actus charitate carentis, non secundùm quod charitate caret; sed secundùm quod habet aliquod aliud donum Dei, vel fidem, vel spem, vel etiam naturale bonum, quod non totum per peccatum tollitur, ut supra dictum est,* [Quæst. 10. art. 4. & 1. 2. Quæst. 85. art. 2.] *& secundùm hoc sinè charitate* [etiam sinè fide] *potest quidem esse aliquis actus bonus ex suo genere; non tamen perfectè bonus; quia deest debita ordinatio ad ultimum finem.*

8 Ita sensim & quodammodo sinè sensu ab ipsa nobis proposita abducimur Digressione. Abducit autem impudens Arnaldi atque Quesnelli temeritas, insultans Apostolicæ Sedi hoc velut clarissimo erroris specimine, quo potiùs se de calumnia certissimè convinci ipsi ignorare minimè possunt, nisi in solis fortsitan hæreticorum lucubrationibus versati, in Sanctorum Patrum & Angelici Doctoris voluminibus peregrini sint. Prosequamur itaque in exemplo de infidelibus, quoniam eò nos adversarii tantâ provocant confidentiâ.

„ Ex illo Apostoli ad Rom. 14. *Omne „ autem quod non ex fide peccatum est* (in„ quit Angelicus lect. 3.) videtur sequi, „ quòd, sicut dicitur in Glossa: *Omnis vita „ infidelium peccatum sit,* sicut omnis vita „ fidelium est meritoria, in quantum ad Dei „ gloriam ordinatur, sicut illud 1. Cor. 10. „ Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid „ aliud facitis, omnia in Dei gloriam facite. Sed dicendum est, quod aliter se ha„ bet fidelis ad bonum, & infidelis ad ma„ lum. Nam in homine, qui habet fidem „ formatam, nihil est damnationis, ut supra „ 8. dictum est. Sed in homine cum infi„ delitate est bonum naturæ: & ideo cum „ aliquis infidelis ex dictamine rationis ali„ quod bonum facit, non referendo ad „ malum finem non peccat.

„ Cùm verò homo infidelis aliquid agit „ ex eo quod infidelis est (in finem sci„ licet infidelem) manifestum est quod „ peccat. Unde in Glossa cùm dicitur: „ Opus omne, quod non est ex fide pecca„ tum est, sic est intelligendum: omne quod „ est contra fidem, vel contra conscienti„ am, peccatum est, etsi ex genere suo bo„ num esse videatur, puta si paganus ad honorem

„ norem suorum Deorum Virginitatem „ servet, vel eleemosynam det, hoc ipso „ peccat „.

9 Si Aquinati, fidelissimo Augustini interpreti, fidem denegent Novatores, audiant ipsius Doctoris maximi à damnati erroris se suspicione liberantis testimonium lib.5. de Civitate cap.12. *Romani justitiâ & actibus strenuis promeruerunt à Deo imperium*. Necesse est Deo aut stultitiam tribuere, aut iniquitatem, si peccata præmio remuneretur qualicumque, etiam minimo & temporali. Infideles tamen erant veteres illi, de quibus agitur, Romani; verùm ut additur ab eodem Sanctissimo Doctore lib. de Spiritu & litera cap.22. *Ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat illis, qua legitimum aliquid anima rationalis & sentit, & facit: & sicut non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sinè quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua opera bona, sinè quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur*.

Epist.5. ad Marcellinum *Rempublicam primi Romani constituerunt, auxeruntque virtutibus; etsi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quæ etiam illos in æternam civitatem posset salubri religione perducere.. Deus enim sic ostendit, quantum valerent civiles, etiam sinè vera religione virtutes*. Quemadmodum autem datam pauperi eleemosynam ad eum à fide Catholica abstrahendum, violandam ejus castimoniam, vel eliciendum ab eo testimonium falsum, immeritò Augustinus vocaret virtutem etiam merè civilem, ita nullo sensu tolerabili dici virtus potest Virginum Vestalium oblata falsis numinibus castitas.

Istud certissimum est talem à carnali opere in illis Virginibus abstinentiam, quam Diabolis dicabant, non potuisse à vero Deo præmium qualecumque; sed pœnam solummodo promereri. Perspicuum proinde est, agnita ab Augustino fuisse opera quædam in Romanis infidelibus omnis expertia intentionis illicitæ, quibus apud Deum fundaverint aliquod mercedis saltem temporaneæ meritum. Ad hoc autem, ut vidimus, Qualiscumque officii bonitas non sufficit, si intentionis, seu finis malitiâ deturpetur, ut maculari necesse est, si omnia infidelium opera sint peccata. Paucas quidem in Ethnicis actiones sine simul & officio bonas reperiri docuit Augustinus; aliquas tamen lib. de Spiritu & litera cap.26. dicens: *In numero etiam hominum impiorum nec Deum verum veraciter justèque colentium quædam facta legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm non vituperare possumus; verùm etiam meritò justèque laudamus: Quanquam si discutiatur quo fine fiunt, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem defensionemque mereantur*. Inveniuntur tamen, quantumvis pauca.

10 Clarissimum exemplum est in Polemone Xenocratis philosophi hortationibus ad meliorem frugem reducto apud Augustinum epist.130. *Polemo ergo, si ex luxurioso continens factus, ita sciret cujus esset hoc donum, ut eum abjectis superstitionibus gentium piè coleret, non solùm continens; sed etiam veraciter sapiens, & salubriter religiosus existeret: quod ei non tantùm ad præsentis vitæ honestatem, verùm etiam ad futuræ immortalitatem valeret*. Si conversio Polemonis à luxuria ad continentiam fuerit Dei donum, non igitur vitium dicenda est, quamvis in homine infidelitatis adhuc tenebris obsito.

Quæ ergo necessitas, quæ justa ratio movere Arnaldum & Quesnellum potuit ad declamandum contra Quatuor Romanorum Pontificum definitiones, quasi in Bajo Augustinianum Articulum sensumque condemnassent? Meliusne Novatores illi sci Augustini sensum percipere sectarique præsumunt, quàm Angelicum ejus discipulum in *Summa Theologica*, sive ut ipse citatus supra Jansenius meritò nominat, *Augustino contracto*? Illic 2. 2. quæst.10. art.4. dicitur: *Manifestum est, quòd infideles non possint operari bona opera, quæ sunt ex gratia, scilicet opera meritoria: tamen bona opera ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter operari possunt: unde non oportet quod in omni suo opere peccent*.

Idem censuit Augustini Magister, & totius Ecclesiæ judicio in exponendis Scripturis Doctor maximus Hieronymus in Ezechielis cap.29. *Ex eo quod Nabuchodonosor mercedem accipit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri*. Non apparet dubium, quin Nabuchodonosor Rex Babylonis Ethnicus in ferendis Dei populo suppetiis adversùs Tyrios propria passim spectaverit commoda; sed neque dubitat S. Hieronymus quin aliquid subinde intentionis bonæ habuerit serviendi justitiæ contra violentos & iniquissimos ejus oppressores; cui sensui consonant verba Prophetæ, si obviè accipiantur.

Rursus Hieronymus in Matthæi cap.22. *Inter ipsos quoque Ethnicos est diversitas infinita; cùm sciamus alios esse proclives ad vitia*

tia & ruentes ad mala: alios ob honestatem morum virtutibus deditos. Consentit etiam hic Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis cap. 22. *Unde fit ut homo ab ineunte ætate .... ad virtutes cæteras provectior aptiorque consurgat: & tamen eo loci sit, ubi ei prædicari gratia Christiana non possit.*

11 Doctorem Sanctissimum, ut in aliis passim, etiam hic sequitur S. Fulgentius lib. de Incarnatione & gratia cap. 56. *Aliqua quidem bona, quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem inesse possunt* (infidelibus) *sed quia non charitate fiunt, prodesse non possunt* ad beatitudinem sempiternam. Denique ut prætermittam Tertullianum, Chrysostomum, Gregorium Magnum clarissimè author Operis imperfecti in Matthæum homilia 25. *Si infidelis fecerit opus bonum, hic ei prodest opus ipsius: & hic ei reddit Deus bona pro opere suo; in illo autem seculo* [futuro] *nihil ei prodest.*

Hæc si adversarii ignoraverint, vanissima eorum est de sua quasi diligenti adeò lectione Patrum, & vetustatis notitia gloriatio: proinde etiam impudens in Romanos veluti antiquitatis inscios invectiva. Si autem ea Patrum testimonia Quesnellus cum suis habuerit explorata, tanto detestabilior est eorum perfidia accusans quatuor Romanos Pontifices de Augustini, & in eo Ecclesiæ totius sententia, sub Baji nomine condemnata: sed neque in ulla Pontificum Constitutione nomen Baji exprimitur; etsi aliunde compertissimum.

Quod autem adversarii in sacra antiquitate sibi vindicant tanta præsidentiâ; sed mendacissimâ patrocinium, reperire veriùs poterunt in Jansenio Tomo 2. lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 3. 14. 17. 27. In Michaele Bajo lib. 2. de virtutibus impiorum cap. 2. & 5. In Calvino lib. 3. Institut. cap. 14. In Luthero Resolutione 2. contra conclusiones Eckianas. Omnes hi locis citatis Doctorem maximum inclamant, ejus, ut quidem ajunt, authoritate & sententiâ stare aut cadere parati; suis autem revera novitatibus eum reddere obsequentem, etsi invitissimum, moliuntur.

En quo nos abripuit, à proposita quæstione divellens, importuna Novaturientium de vetustate jactantia, & contra Romanos Theologos velut antiquitatis ignorantissimos, malesana declamatio. Aliam nunc à me exigit digressionem quorumdam scrupulus amicorum, qui tum in præsenti Disputatione, tum in superioribus animadvertentes, me contra Adversarios frequenter Eminentissimi Aguirrii proferre sententias, mussitari ajunt à pluribus, & vulgò credi, Cardinalem illum sub vitæ finem, quæ contra Jansenistas antea scripserat, retractasse. Istud modò superest discutiendum.

CAPUT V.

Digressio altera.

De prætensâ Scriptorum Cardinalis Aguirre contra Jansenistas Retractatione.

1 Ab adversariis spargitur de Eminentissimo Aguirre, eum, quæ in Hispania contra novos Augustini discipulos, velut Jansenistas, & hæreticos in lucem edidit, Romæ de veritate meliùs edoctum, omnia voluisse abolita, propterea quòd agnoverit, nullos existere Janseniano deditos errori, nisi in Jesuitarum, eisque adhærentium phantasiâ: quod dum à me non ignorari supponitur, arguor veluti fide non bonâ allegans Cardinalem toties contra Jansenistas, quos tandem crediderit nihil tradidisse non consonum Augustino.

Mutationis hujus asserendæ fundamentum, præstare novatoribus visa est Collectio quædam Conciliorum Hispaniæ, in qua Cardinalis sibi persuasum memorat Lovanienses Theologos, quos in *Defensione Cathedræ S. Petri* sæpe increpuerat veluti Jansenistas, nunc subscripsisse formulæ juramenti ab Alexandro VII. Pontifice constitutæ, adversus Jansenianam hæresim quinque famosis Propositionibus comprehensam. Quapropter religiosissimus Cardinalis exultans gaudio ob Theologorum istiusmodi conversionem, declarat, cupere se ut quidquid contra eos acerbiùs scripserat in *Defensione Cathedræ S. Petri*, eorumdem in posterum famæ minimè noceat. Unde contigit ut quando ejus opera novis typis Romæ edita fuerunt, prætermissa sit *Cathedræ Defensio*. Fraudulenta hic à Novatoribus subornata est veri cum falso confusio.

Qualiscumque autem facta est à Cardinale retractatio, neque dogmati obest catholico, neque hæresi patrocinatur, aut novitati. Quidquid enim ad doctrinam attinet, constantissimè nullo mutato apice retinuit, licèt quos antea hæreticè locutos, hæreticè sensisse fuerat arbitratus, nunc præstito contra Jansenium juramento, crediderit resipuisse, vel sensum suum duriùs antea, quàm foverent animo expressum,

sanioribus modò vocibus explicare.

Quidcumque hic ab Eminentissimo verè falsove creditum fuerit, nihil detrahit authoritatis omnibus, quas ex eodem describere soleo sententiis; nam & à Lovaniensium recentiorum, quos Defensio Cathedræ exagitabat, & sanius postea vel sensisse vel locutos Cardinalis credidit, impugnatione ubique abstineo. Quanquam, ut verum fatear, in hoc pietatem Religiosissimi Cardinalis circumventam existimo, quod ex pluribus, quos obedientes Petri Cathedræ esse sibi passus fuerit persuaderi, paucissimos [si tamen ullos] noverim, qui ex juramenti Alexandrini hostibus ad illud serio amplectendum inducti postea fuerint. De his ut crederem, nihil intervenisse fallaciæ Quesnellianæ in jurando, vim mihi intuli non levem, ob resistentes circumstantias, quas malo premere silentio, & qualicunque conversos modo, ut genuinos Ecclesiæ filios Christianâ prosequi charitate.

Præterea, quæ ex Cardinale proferre soleo, non sunt ex *Defensione Cathedra*; sed ex *Theologiâ S. Anselmi*, *Commentariis & Disputationibus dogmaticis & Scholasticis illustratâ*: & quidem ex editione novâ auctâ & correctâ Romæ anno 1688. Quod autem jactatur ab adversariis, & à bonis pluribus creditur de Retractatione, totum respicit *Defensionem Cathedra*; non autem *Theologiam* à me citatam, & cum sua editam correctione. Ne autem istud prætensæ Retractationis negotium pergat ambulare in tenebris, neve extendatur ampliùs, quàm veritas postulat, ut nemo ejus meliùs me conscius est, lectorem de eo authenticè, atque integrè edocebo.

2 Anno 1692. prodiit typis, ut quidem præfertur Coloniensibus lucubratio, cui titulus *Eminentissimi ac Reverendissimi D. Josephi Saenz de Aguirre S. R. E. Cardinalis & Inquisitoris Supremi Disputationes Selecta de multorum Belgarum, præcipuè Lovaniensium Jansenismo in genere & specie, cum Additionibus F. de Clairvau*. Additionum author eas dicavit eidem Eminentissimo, cui ignotus erat hactenus; sed notum reddidit lucubratio, magis tamen Religiosi Ordinis Generalis Eminentissimo charus. Hinc contigit ut tandem anno 1697. die 30. Martii Cardinalis authori scribi curaverit à suo Secretario Josepho de Peregrinis epistolam officiosam, quæ simul indicaret qualemcunque Eminentissimi retractationem. Hanc ex ipso descriptam authographo lector accipe:

„ Tribus ferè abhinc annis Dominus „ Cardinalis de Aguirre patronus meus, „ dum pararet viam hinc ad Regnum Neapolitanum, ut ibidem aliquod remedium „ acciperet ægritudinum, quibus affligabatur, vidit librum sibi dicatum à te, „ quamvis sinè epistola manu-scriptâ, ex „ qua satis constaret de vero nomine authoris. Nunc verò elapso fermè integro anno post reditum suum in Urbem, „ compertum habuit ex quibusdam Patribus Societatis, institutum & verum nomen tuum, quod antea suspicabatur fictum ut in his rebus fieri solet.

„ Interea per intervalla in hoc ipso libello invenit à te recusa plura, quæ olim „ Salmanticæ, id est, Anno 1683. idem „ patronus meus Salmanticæ ediderat adversus declarationem illam satis notam „ Cleri Gallicani, longè antequam vel „ ipse, neque alius quisquam cogitaret de „ exaltatione ad Sacram Purpuram, vel de „ Pontificia deputatione ad supremum „ istum universalis Inquisitionis Senatum.

„ Nunc jam expeditior aliquando ab „ ægritudinibus, lecto per intervalla illo Libello excerpto è defensione illa „ Cathedræ S. Petri in Disputationibus „ XIX., XX., & XXI. olim Salmanticæ „ primò editis, mihi præcepit ut Eminentiæ Suæ nomine tibi gratias agam de „ honore sibi exhibito in hac parte. Solùm denuò monet, quod ibidem breviter indicavit, nimirum theses illas Doctorum plurium Belgarum, præsertim Lovaniensium ab ipso solùm relatas fuisse, „ & exscriptas juxta testimonium Doctoris Nicolai Du Bois & Reverendi Patris „ Duffii, tunc versantis Madriti, quorum „ attestationi in ea re assensum bona fide „ præstitit. Neque enim videbatur esse „ locus tunc, aut modò satis apparet, dubitandi prudenter de veritate illarum testificationum Nicolai Du Bois aut Duffii, „ circa factum adeò publicum & evidens „ assertionum editarum in Belgio & coram „ Academia Lovaniensi. Itaque integra & „ exacta illarum thesium relatio & fides, si „ qua est, penès prædictos duos viros sive „ scriptores esto. Neque enim illam in se „ tunc recepit, aut modo recipit patronus „ meus.

3 „ Præterea monet ibidem Disp. XXI., „ id est pag. tuæ editionis 88. num. marginali 33. cui initium, *Quinta denique ex Propositionibus Jansenii*, ibidem legi majusculis literis verba ista: *Sed tantùm pro iis qui salvantur?* Hæc verba à te fideliter exscripta sive recusa fuerunt juxta „ edi-

„ editionem illam Salmanticensem, in qua „ patronus meus ductus fuit solo relatu „ aliorum, quem credebat prorsus exactum „ ad literam; sed modò aliquanto atten„ tiùs evolvens, aut examinari jubens lo„ ca ipsa Jansenii juxta varias editiones, „ non invenit verba ipsa, nec vellet illa „ olim Salmanticæ edita fuisse, præsertim „ majusculis literis, aut à te fuisse recusa. „ Solùm enim deservire possunt ad augen„ dam plus justo invidiam & dedecus il„ lius Episcopi, tamdiù satis d ffamati cum „ quinque illis famosis Thesibus toties à „ Sede Apostolica proscriptis, & excerptis „ ex illius libro, cui nomen Augustinus.

„ Illas denuò omnes Catholici, & ipsi „ Theologi Lovanienses palàm damnant „ juxta Formulare Alexandri VII. quod „ antea vix imperrabatur à quibusdam, aut „ multis Episcopis & Theologis in Gallia, „ Belgio & aliis. Nunc jam omnes conten„ tiones in ea parte finitæ sunt, aut finiri „ prorsus debent, post editum, & ubique „ receptum cum plausu & acclamatione „ Orbis Catholici Decretum Sanctissimi „ D. N. Innocentii XII. Papæ, ineunte Fe„ bruario anni 1694., identidem confir„ marum ab ipso simul cum tota Congre„ gatione hujus Sancti Officii. Quare jam, „ nec tibi, nec patrono meo, nec cuiquam „ alii opus erit recoquere eandem cram„ bem, aut controversiam circa Quinque „ Theses quas tantus Pontifex damnat & „ damnari vult ubique in sensu obvio, „ prout damnantur de facto etiam ab ipsis „ Lovaniensibus nemine excepto tam Ro„ mæ, quàm in Belgio.

„ Quapropter de cætero nollet patro„ nus meus unquam recudi libellum istum „ à te editum, nec disputationes illas ex„ scriptas è libro illo Defensionis Cathe„ dræ S. Petri olim Salmanticæ edito. Ait „ enim tunc opportunas fuisse ad repri„ mendam licentiam illam plurium The„ sium suspectarum, quæ eo tempore cir„ cumferebantur à quibusdam in Belgio, & „ suspectæ aliquo modo de Jansenismo „ erant, aut videbantur. Nunc verò ubi„ que recepto, & in executionem perducto „ celeberrimo Decreto Sanctissimi D. N. „ Innocentii XII., oportet altum silere „ scripto & verbo de ejusmodi contro„ versiis invidiosis, & jam prorsus extin„ ctis, atque de cætero aureâ pace frui in „ hac parte.

„ Si autem fortè recudendus à quo„ piam fuerit libellus iste tuus, aut dispu„ tationes illæ, quas Selectas dicis ex cita„ ta Defensione Cathedræ S. Petri, monet, „ atque urget patronus meus, ne unquam „ imprimantur aut recudantur verba illa, „ præsertim literis cursivis, *Sed tantùm pro iis, qui salvantur*. Religioni enim ducit „ quidpiam affingere, aut adjungere illi „ Quintæ Thesi damnatæ, ultra id quod „ circa illam scripsit, & errasse invenitur „ Jansenius ipse in ea parte. Unde nec In„ nocentius X. totam illam Thesim impu„ tavit Jansenio; sed solùm primam illius „ partem; posteriorem verò quoad præ„ destinatos solùm inussit censurâ illâ gra„ vissimâ ex suppositione quod sensus il„ lius fuisset aut esset ejusmodi. In quo te „ facilè & omnes æqui amantes video con„ sensuros. Interea patronus meus dum „ tibi salutem plurimam & felicia omnia „ exoptat, rogo ut me inter veneratores „ & amicos tuos recenseas. Datum Romæ „ die 30. Martii 1697. „

4 Hactenus epistola Secretarii scripta jussu Cardinalis, continens totam Eminentissimi retractationem: atque hæc ut patet, nihil officit omnibus quæ in toto præsenti Opere ex Cardinale protuli. Idem assero de citandis in posterum. Ad epistolam autem respondit author Additionum eodem anno 1697. die 7. Maji Antverpiæ, quo negotiorum causâ Bruxellis excurrerat. Ex utraque autem epistola Lector facilè colliges Secretarium, atque ipsum tunc Eminentissimum Cardinalem de Theologis, quos novos Augustinianos vocare solitus erat, & prætensâ eorum conversione, sensisse benigniùs, quàm Additionum author censuerit consonum veritati.

Ita scilicet bonâ fide credidit Cardinalis, & cum eo Secretarius, affirmantibus Romæ tum Belgis aliquibus, tum Gallis novaturientibus, quorum intererat Jansenianam hæresim inter phantasmata relegari, dum ipsi cum suis, universum Jansenii sensum in quinque Propositionibus verè hæreticum, retinerent obstinatissimè ut Orthodoxum, & propriè Augustinianum. Fraudem utcumque detegit responsoria epistola ut hîc sequitur, suppresso quodam nomine, cujus loco ponitur N. N.... suppressionis à me ratio reddetur post finem epistolæ, quam hîc exhibeo.

5 Ingens mihi solatium fuit, nec minimum laborum præmium, ex humanissimis tuis literis intelligere gratam accidisse Eminentissimo D. Patrono nostro dedicationem libelli, quem non alium in finem edideram, quàm ut Jansenismum quotidie invalescentem, utcumque reprimerem. Quæ autem Car-

Cardinalis nomine mihi præscribis, ad amussim observabo; quanquam neque ipse, neque alius in attribuenda Jansenio secunda parte Propositionis quintæ quidquam ei intulerit injuriæ. Licèt enim Jansenius non habeat verba illa ab Eminentissimo citata: *Sed tantùm pro iis qui salvantur*: habet tamen æquivalentia, & quæ secundam Propositionis quintæ partem manifestè continent: lib. 3. de gratia Christi Salvatoris cap. 21. sic loquitur: *Quibusdam hominibus dare prædestinavit fidem, charitatem, & in ea perseverantiam usque in finem, quos esse prædestinatos, electos, & salvandos dicimus . . . pro istis in æternum vivificandis mortuus est, pro istis ab omni malo liberandis rogavit Patrem suum, non pro cæteris, qui à fide & charitate deficientes in iniquitate moriuntur.*

Ibid. col. 390. *Quæ sanè cum in Augustini doctrina perspicua, certaque sint, nullo modo principiis ejus consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æterna salute mortuus esse, sanguinem fudisse, Patrem orasse sentiatur . . . . Ex quo factum est, ut juxta S. Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quàm pro Diaboli deprecatus fuerit.*

Nonne hic Illustrissime Domine, perspicuè dicitur Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus? Scio esse quorumdam Jansenio faventium interpretationem, ut hanc Quintæ Propositionis partem sic intelligant: *Christus nemini quidquam meritus est, nisi solis prædestinatis*; quasi verò reprobi neque justitiam temporalem, neque aliud beneficium morte Christi acceptum, vel præparatum habeant. Hoc sensu, ajunt, Propositionem esse damnatam, hoc sensu & ipsi eam condemnant: hunc vocant Propositionis *sensum obvium*. Sic nempe se, sic Jansenium à secunda, eâque hæreticâ Quintæ Propositionis parte liberare contendunt.

Sanè inficias ire non possumus, Jansenium ab hoc sensu absurdissimo alienum esse, neque eum inferunt verba ex ipso superiùs citata; sed tantùm, quòd Christus non sit mortuus pro æterna salute ullius reprobi. Hic sensus est Jansenii: hunc esse obvium Propositionis Quintæ, atque hoc eodem sensu Propositionis illius partem secundam damnatam esse ab Innocentio X. & Alexandro VII., hactenus arbitrati meum sunt omnes Belgii Theologi (exceptis iis, qui passim habentur Jansenianï) neque Belgæ solùm; sed quotquot aliarum in toto Christiano Orbe, ni fallar, Nationum de his Propositionibus scripsêre, atque in primis Eminentissimus noster Cardinalis de Aguirre in *Defensione Cathedræ Sancti Petri* Disp. 21. sect. 5. quam de verbo ad verbum retuli: & operæ pretium est præcipua rursus describere: Titulus sectionis est: *Quintam denique ex Propositionibus damnatis traditam fuisse à Jansenio in eodem sensu, quo inuritur ab Innocentio X. illam porrò passim ferè à Novis Augustinianis videri traditam.* Sectionem sic orditur.

7 „ Quinta denique ex Propositionibus „ Jansenii, quam Innocentius proscribit, „ hæc est: *Semi-pelagianum est dicere, „ Christum pro omnibus omnino hominibus „ mortuum esse, aut sanguinem fudisse*. Hanc „ Pontifex damnat, ut falsam, temerariam, „ & scandalosam: si autem intelligatur eo „ sensu, ut Christus pro salute dumtaxat „ Prædestinatorum mortuus sit, reprobat „ illam, veluti impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ Gratiæ derogantem „ & hæreticam. Porro Jansenium tradidisse eam Propositionem quoad utramque partem, videtur manifestum. Quoad „ priorem quidem lib 3. de Gratia Christi „ cap. 21. ubi inquit: *Neque enim pro omnibus omnino Christus passus, aut mortuus „ est*: quod fusiùs tradiderat c. 20. quoad „ posteriorem verò lib. 8. de Hæresi Pelagiana cap. 26. dum ait: *Christus non „ pro totius Mundi redemptione crucifixus, „ aut mortuus est, sed tantùm pro iis, qui „ salvantur*. Præmiserat quoque cap. 21. „ Christum pro solis Prædestinatis preces „ fudisse, id subjungens: *non magis Patrem „ pro æterna salute Reproborum, quàm pro „ Diaboli liberatione deprecatum fuisse*. „

Atqui Eminentissimus Cardinalis agnoscit, hunc sensum esse damnatum in posteriore parte quintæ Propositionis. Quod evidenter confirmatur ex sequentibus: sic enim paulò post prosequitur: „ Videamus „ modò, an nuperi Scriptores in Belgio, „ præsertim Lovanienses, adhuc post Judicium Sedis Apostolicæ tam luculentum & formidabile, eandem hæresim tueri pergant. In hac re verò, sicuti & in „ cæteris, huc spectantibus, nolo Judicem agere; sed simplici narratione proferro Theses aut testimonia ipsorum, „ κατὰ ῥητὸν, prout exscribuntur à Duffio, „ ubi supra Classe 4. Florentius de Cocq „ 10. Martii 1677. Thesi 21. sic habet: *Deus, „ quantum in se est, non vult omnium hominum salutem*.

„ Author Libelli inscripti *Eclairciss- „ ments de la grace* pag. 44. clariùs adhuc: „ *Deus*

„ *Deus non vult salvare nisi Prædestinatos*:
„ nulli autem sunt prædestinati, nisi electi.
„ Modò sic disputo: Deus vult salvare
„ omnes, & solos eos homines, pro qui-
„ bus mortuus est Christus, ut Fide san-
„ ctum est: atqui juxta hos Authores, Deus
„ non vult salvare nisi Solos Prædestina-
„ tos: ergo juxta eosdem Authores pro
„ solis Prædestinatis mortuus est Christus.

Eadem collectio sponte suâ fluit ex The-
„ si 3. Andreæ Laurent 20. Augusti 1660.
„ & Thesi 2. Jacobi Pontani 20. Januarii
„ 1665. hisce verbis prolata: *Cùm pluri-*
„ *mi homines ad salutem æternam non per-*
„ *veniant, perperàm existimamus verè Deum*
„ *voluntate beneplaciti velle, & quantum*
„ *est ex parte sua, desiderare, ut omnes omni-*
„ *no homines ad æternam salutem perve-*
„ *niant*. Unde consequens est, nec Deum
„ ex vero studio, seu voluntate ulla salu-
„ tis ipsorum misisse Filium suum in Mun-
„ dum, nec Christum ex eodem fine fuisse
„ passum, & mortuum; sed pro Electis &
„ Prædestinatis dumtaxat.

„ Verùm proferamus clariora testimo-
„ nia quorumdam ex iis, quæ subjungo,
„ eorum verbis: *Pro Electorum æterna sa-*
„ *lute (non item Reproborum) rectè dicitur*
„ *mortuus esse Christus*: Andreas Laurent
„ Doctor Lovaniensis 11. Augusti 1671.
„ Thesi 3. *Malè dixeris pretiosum Christi*
„ *Sanguinem pro ullius Reprobati æternâ sa-*
„ *lute Patri oblatum*: Libertus Fromondus
„ 2. Octobr. anni 1647. Thesi 3. „

8 Testimonia hæc Eminentissimus re-
fert *prout*, inquit, *exscribuntur à Duffio, an*
autem fideliter exscripta sint, nolo Judicem
agere; sed simplici narratione profero &c.

Præscindam & ego à fideli, vel infideli
exceptione, quanquam, ut rectè mones, de
Duffii, & Nicolai Du Bois fide, ac diligen-
tiâ neque tunc dubitandum videretur, ne-
que videatur modò: hoc tantùm ajo: Emi-
nentissimum disertè asserere, quod in sen-
tentiis seu verè, seu falsò relatis, contineа-
tur Propositionis Quintæ damnatæ Pars
posterior, quæ hæresim tuetur, & quidem
in sensu obvio, sive prout verba sonant.
Sic enim Eminentiss. Cardinalis sectionem
concludit: *Optandum autem est, nescio an ma-*
gis quàm sperandum, ut exitus harum contro-
versiarum in Lovaniensi Academia sit simi-
lis, ac illarum in Oxoniensi. Etenim Guliel-
mus Archiepiscopus Cantuariensis tunc toti
Angliæ persuasit, Ad damnandos omnes Vvi-
cleffi articulos, prout verba sonant, tamquam
erroneos, & hæreticos. Si Lovanienses hac-
tenus allegati, & reliqui ex Partiarils
idipsum præstent circa quinque illa dog-
mata Jansenii, & alia Baji, prout verba so-
nant (quod certè Pontifices præcipiunt) fi-
nientur lites & scandala.

Hunc in finem, ut rectè mones, Illu-
strissime Domine, Innocentius XII. *Pontifex*
quinque Theses damnat, & damnari vult ubi-
que in sensu obvio. Sed explicatione opus
habet, quod addis: *Prout damnantur de*
facto etiam ab ipsis Lovaniensibus, nemine
excepto tam Romæ, quàm in Belgio. Et pau-
lò ante: *illas denuò omnes Catholici, & ipsi*
Theologi Lovanienses palàm damnant juxta
Formulare Alexandri VII. quod antea vix im-
petrabatur à quibusdam, aut multis Episcopis
& Theologis in Gallia, Belgio, & aliis locis.

Dein paucis interjectis: *Quare jam nec*
tibi, nec Patrono meo, nec cuiquam alii opus
est, aut erit retoquere eandem crambem, aut
controversiam circa Quinque Theses. Non
foret certè opus, si Theologi isti, quos
Eminentissimus vocat *Novi-Augustinianos*,
per *sensum obvium* intelligerent eum, quem
intelligit Eminentissimus; & omnes passim
probi Catholici, atque adeò damnarent
Propositiones illas juxta sensum, quem con-
tinent verba Jansenii & tot aliorum ejus se-
quacium ab Eminentissimo fusè relata; non
autem fingerent *sensum obvium* pro libitu;
tum censeri possent omnes contentiones in
ea parte finitæ.

Verùm quamdiu *Novi-Augustiniani* illi
universum Janseniani Libri, toties dam-
nati sensum retinere mordicus pergent, vel-
uti innoxium, & omnes suas suorumque
Majorum Jansenio adhærentium sententias
defendent, tanquam apprimè Catholicas;
licèt Eminentissimus cum Theologis passim
omnium ordinum, eas ostendat cum dam-
natis Jansenii erroribus in sensu obvio tam
clarè convenire, *ut non sit ovum alteri ovo si-*
milius, quàm Theses ipsorum & doctrina Jan-
senii, quis hoc pacto erit fructus tot Con-
stitutionum, & definitionum Pontificiarum?
Quis tot Examinum? Quis Formularii, si
eandem semper doctrinam, eodem sensu, li-
cèt mutatis subinde vocibus quibusdam, re-
tinere Novi-Augustiniani finantur?

Ante Constitutionem Innocentii X.
apertè sustinebant Propositiones Quinque
in *sensu proprio, legitimo, naturali*, adeòque
obvio, tamquam *Catholicas, & præcipuas*
Fidei nostræ bases, ut loquebantur in famo-
so Libello trium Columnarum, & alio de
Gratia victrice, quorum primus totius fa-
ctionis nomine oblatus est Innocentio X.
alter à multis earumdem partium Antesi-
gnanis editus, & expressis nominibus ap-
pro-

probatus. In hoc profitebantur, imò gloriabantur Propositiones illas esse Jansenii. Statim autem, post condemnationem, mutare illis placuit modum loquendi: rejicere se dixerunt quinque Propositiones simpliciter & secundum se; sed simul afferendo fictitias esse, & nec à Jansenio, nec à quoquam alio Theologo traditas. Interea damnatam reverà in Jansenio doctrinam, aliis terminis quaqua versùs disseminabant, ut patet ex Thesibus ab Eminentissimo accusatis.

9 Quare ad extinguendam hanc pestem, Theologi Catholici, atque inprimis Episcopi Galliæ recurrerunt ad Alexandr. VII. Declaravit is Propositiones non tantùm secundùm se, sive *in sensu obvio*; sed etiam in sensu intento à Jansenio, prout in Libro ejus *Augustinus* appellato exprimitur, esse damnatas, & eodem eas sensu iterum damnat, ablegans inter *filios iniquitatis*, quotquot aliter locuti sint.

Cùm neque sic infringeretur Cavillatorum audacia; ad exprimendam omnibus claram Janseniani sensûs condemnationem, præscripta ab eodem Pontifice est Formula ejurandi Quinque Propositiones, non tantùm secundùm se; sed etiam ut excerptas ex Libro Jansenii *Augustinus*, & in sensu ab eodem intento. Opposuere se quidam pervicaces Jansenii Defensores, neque juxta Formulam illam jurare voluerunt, donec protestationibus publicis sibi, suisque persuasere, quod sufficiat ejurare Quinque Propositiones *in sensu obvio*, prout nempe *obvius* modò illis sonat, qui omnia Jansenii, aliorumque ejus sequacium, citata ab Eminentissimo placita propugnant veluti intacta ab anathemate. Particulas illas, quibus vocantur Propositiones *excerptæ* ex famoso illo Libro, & *in ejusdem sensu damnatæ*, ajunt tantummodò incidentes & accidentales esse, neque ad juramentum pertinere, neque agnosci à quoquam debere tanquam veras. Nihil hic à me Theologis istis affingi liquet èx *specimine* Propositionum hoc ultimo Sexennio defensarum, quod Typis impressum exhibeo.

10 Adjungo etiam Lapidem Lydium, juxta quem NN. & quorumlibet ejus sequacium fides explorari à quovis facile possit.

Hæc ego, Sapientissime Magister, non erudiendi, multò minùs corrigendi tui causâ suggessi; sed ut dum sensa mea pando, à te emendari ea possint, sicubi à veritate aberraverint. Utinam me Erditio tua responso dignetur, quo discipulum suum instruat I. An dicere liceat cum Jansenio, quod Christus pro nullius Reprobi, seu non Prædestinati æternâ salute Patrem oraverit, aut mortuus sit: II. An hoc dicere non sit hæreticum, & in Secundâ Quintæ Propositionis parte damnatum ab Alexandro VII. III. An Theologus in Controversiis hodiernis multum versatus, menti Sedis Apostolicæ, juramento in Formulam Alexandrinam, & conscientiæ suæ satisfaciat, si ita ejuret Propositiones *in sensu*, ut ait, *obvio*, ut tamen mordicùs in animo sustineat universam Jansenii, & Libri ejus doctrinam esse sanam, & nullâ ratione damnatam, aut damnabilem: IV. An rectè & sinè perjurio ejurent Quinque famosas Propositiones, qui sententias omnes Belgatum, quas Eminentissimus ait continere sensum prorsus similem Propositionibus illis quinque damnatis, defendunt, vel saltem in animo retinent tanquam Orthodoxas, & verè Augustinianas.

Quæstiones has non esse merè metaphysicas; sed in praxim deduci, facilè colliges ex eo, quod omnes Theologi, ut ipse testaris, damnare se dicant, & paratos ejurare Quinque Propositiones in sensu obvio, & juxta Formulam Alexandri VII., & tamen multi, ut aliunde constat, rradere pergant Propositiones in *specimine* denuntiatas, neque adduci se aut hic, aut Romæ patiantur, ut agnoscant aliquid esse in Jansenii libro rectè damnatum. Addunt palàm, & gloriantur se nunquam mutare sententias, neque à Majorum suorum dogmatibus usquam recedere.

Denique hoc esse mirabile prædicant, & ad Sedis Apostolicæ contemptum cum ludibrio jactant, eos, quos Alexander VII., ut *Filios iniquitatis* persecutus est, nunc à Sede Apostolica, & S. Congregatione haberi, ut plenè & perfectè Obedientes Constitutionibus Pontificum, atque hinc manifestum fieri, quod Jansenismus sit & semper fuerit in solo cerebro Jesuitarum, & eorum, quos ipsi deceperint. Si hic, Illustrissime Domine, instructionis aliquid ab humanitate rna accepero, immortali me, cæterosque Belgas beneficio obstrinxeris; curabo enim, si finis, ut ejus utilitas in quàm plurimos derivetur. Non parum id collaturum confido ad componenda inter Theologos Nostrates opinionum dissidia, & componendam pacem solidam ac stabilem, quæ sinè perspicua decisione frustrà semper optabitur, aut etiam impetrabitur.

Huc usque epistola, quæ aperta, sive sub Sigillo, ut dicitur, volante, missa fuerat

rat ad notum Religiofi Ordinis Generalem, ut de ea difponeret, prout judicaret expediens. Placuit epiftola Reverendiffimo Præpofito, eamque deferre ipfe voluit, non ad Cardinalis Secretarium, cui infcribebatur; fed ad ipfum Eminentiffimum, ut fidem habere defineret, quibufdam non alio fine perfuadere conantibus, nullum penitùs effe Janfenifmi veftigium, quàm ut fecuritate noxiâ fopitis Ecclefiæ cuftodibus pergeret novæ hærefeos virus impunè ferpere, donec tantam fecifset in Ecclefia ftragem, ut malum videretur non ampliùs medicabile; fed tolerandum potiùs feu diffimulandum filentio, quàm remedio fruftrà adhibito irritandum, cum fummâ Ecclefiæ regnorumque turbatione.

O! fi tantifper reducem videremus Aguirrium ex beatâ requie, ad quam migraffe eum confidimus, antequam novæ Sectæ confpirationem contra Ecclefiam detegeret Humbertus Mechlinienfis Archiepifcopus, & tanto Præfule Digniffimus Vicarius, nunc Antiftes Brugenfium, in editis contra Quefnellum & Gerberonem Proceffibus, quàm fe agnofceret à fraudulentis pacificatoribus deceptum!

Si centum & unum Articulos ex Quefnelliano Opere excerptos, quorum plurimi puram putam continent Baji & Janfenii hærefim, aliafque deteftabiles novitates, confpiceret: Si poft latum in eos æquiffimum à Chrifti Vicario anathema, à factioforum nihilominus multitudine, tot libellis infamibus, tantâ pertinaciâ propugnari atque adeò Janfenifmum, quem extinctum crediderat, tanropere invaluiffe, ut veluti proftratæ infultaret Apoftolicæ Sedi, atque in ipfo Galliæ regno potentiffimi Regis afpernata imperium, facrilegos jam fibi promitteret, de Orthodoxis Epifcopis atque universâ Ecclefiâ triumphos. Hæc, inquam quæ prævidere non potuit Cardinalis, fi redivivus coram afpiceret, quàm Novatorum fibi aliàs illudentium deteftaretur perfidiam! Catholicorum verò Antiftitum Doctorumque non zelum cohiberet; fed ardentiffimis accenderet hortamentis.

Ex pofteriore epiftola omifi expreffionem alicujus nominis, fupponens ejus loco N. N. ... quia finiftram, quam ille, oppugnato annis pluribus Formulario, & Inito cum Arnaldo, Quefnello & utriufque affeclis commercio, de fe pridem moverat fufpicionem, nuper elififfe creditur perorans publicè & fortiter pro admittenda à Lovanienfibus, ut Deus & religio poftulabat, Conftitutione *Unigenitus*.

Illic Facultatis Theologicæ Senatus Suffragio & fubmiffione unanimi definitionem Pontificiam amplexus eft, obmurmurantibus extra illum paucis minoris Notæ Academicis, præcipuè Grammaticis aliquot, & Philofophis, oblitis forfitan moniri veteris, *Ne futor ultra crepidam*; fed quemadmodum amentibus, & mulierculis, fic ignorantibus fuperbis paffim propria temeritas eft & obftinatio.

Propofitio damnata Septuagefima feptima.

Qui non ducit vitam dignam filio Dei, & membro Chrifti, ceffat interiùs habere Deum pro patre, & Chriftum pro capite. *Obferv. Moral. Joannis cap.2. verf. 22.*

CAPUT I.

Perniciofus error juftiffimè profcriptus oftenditur.

1 Populus Ifraeliticus non ducebat vitam Dei filiis dignam, quando fic eum Moyfes Divino dictante Spiritu affatus eft Deuteronomii cap.32. *Haccine reddis Domino popule ftulte & infipiens, nunquid non ipfe eft Pater tuus, qui poffedit & creavit te?* Hic dubitare nemini Catholico licet, quin velit Deus à filiis Ifraël, etiam criminum reis agnofci Pater: idque ab irrefragabili Divinæ mentis interprete denuntiari ipfis jubet, & emphaticè, ut vides inculcari; at contra interpres novus & novæ propagator Ecclefiæ Quefnellus, Deum appellari patrem prohibet omnium & fingulorum qui à juftitiæ tramite deflexerunt.

Dimiffo Novatore, audiamus nos Deum iterum in Malachiæ oraculo Judæis peccatoribus loquentem cap.2. *Vos autem receffiftis de viâ, & fcandalizaftis plurimos in lege: irritum feciftis pactum Levi, dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis, ficut non fervaftis vias meas, & accepiftis faciem in lege.* Profequitur facer Vates: *Nunquid*

quid

quid non Pater unus omnium nostrum? Nunquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum, violans pactum Patrum nostrorum?

Isaiæ capite 63. Judæi à gravibus, quibus Deum offenderant, delictis, redire ad ejus gratiam cupientes, ut ad misericordiam eum flectant, non verentur eum *Patris* nomine compellare, quod à Prophetis didicerant ipsi esse gratissimum; ideoque ad obtinendam ab eo reconciliationem præcipuè idoneum. Est ea Oratio Isaiæ loquentis vice populi maximè obdurati & à Deo quodammodo rejecti paulò ante, & sub Christi tempora, ut à Lapide explicat. Orat ergo flebiliter pro populo Isaias, ut Deus oculis gratiæ illum respiciat: Ita S. Hieronymus, & Cyrillus.

Nunc ipsa audiatur Oratio. *Attende de cælo & vide de habitaculo sancto tuo, & sede gloriæ tuæ: ubi est Zelus tuus & fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum super me continuerunt se. Tu enim Pater noster: & Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos: Tu Domine Pater noster, Redemptor noster, à sæculo nomen tuum. Quare errare nos fecisti de viis tuis: indurasti cor nostrum ne timeremus te?*

2 Ita & Divini Spiritûs instinctu, & peccatorum nomine loquitur Isaias, Deumque agnoscit, & prædicat iteratis vicibus eorum Patrem. Chaldæus vertit: *Tu es Pater noster; quia Abraham non eduxit nos de Ægypto, & Israel non fecit nobis mirabilia in deserto: Tu es Domine Deus noster.* Syrus & Arabicus: *Tu es Pastor noster: nos ignoramus Abrahamum, & non novimus Israelem. Tu es Domine Pater noster, & Redemptor noster.* Sic etiam S. Cyrillus, Theodoretus, Foter, à Lapide & alii.

Ipsa Veritas incarnata in Matthæi Euangelio cap. 23. Deum omnibus hominibus parentem designat: *Patrem nolite vocare vobis super terram; unus enim est Pater vester, qui est in cælis.* Quasi dicat: Nolite vobis vocare in terris patrem, veluti præcipuum vitæ authorem. *Non enim*, inquit Chrysostomus, *initium vitæ* habemus ex parentibus; sed transitum vitæ per eos accipimus. Ipse solus animam & vitam singulis aspirat, solus creat, conservat, auget, cum quo si parentes comparaveris terrenos, nonnisi umbraticè quodammodo patres sunt teste S. Hieronymo. Sensus igitur est: Nolite vobis patrem hic vocare velut præcipuum vitæ, cæterorumque bonorum authorem, ut cæca solet gentilium atque atheorum infidelitas. Talis est Deus noster circa omnes homines, etiam non ducentes vitam tam augustâ sanctâque dignam origine.

Christus Dominus non solos justos; sed etiam peccatores docuit orandi modum, septem petitionibus comprehensum, cujus præfatio captandæ Dei benevolentiæ, & excitandæ in orantibus fiduciæ in primis idonea est, *Pater noster, qui es in cælis.* Quod autem orationem hanc etiam peccatoribus familiarem esse voluerit, communis sensus Ecclesiæ est, & ex ipsa colligitur formulâ, juxta quam dimitti nobis debita nostra postulamus, sicut dimittimus debitoribus nostris. Debita hæc interpretatur Lucas cap. 11. græcè peccata.

Neque ullus dubitat, quin sicut à nobis exigitur, ut non solùm levia, sed etiam gravissima proximi contra nos peccata remittamus, ita pariter condonari omnia nobis delicta quantumvis enormia precando cupiamus. A lapide in illud Christi apud Matthæum cap. 6. v. 12. *dimitte nobis debita nostra* sic concludit: „ Debita ergo hæc „ sunt culpæ, quæ inducunt reatum, sive „ obligationem pœnæ & gehennæ: hujus „ enim debitorem constituunt hominem „ dum peccat: peccator ergo debet ani- „ mam Dæmoni, morti & inferno: Deo, „ autem debet mille, imò infinitas animas, „ mortes & gehennas; si eas haberet, vel „ sustinere posset „. Nihilominus etiam talium reus criminum, ex institutione Christi & Ecclesiæ salubriter ad Deum confugit hac Oratione *Pater noster, qui es in cælis* &c.

Idem nos docuit Servator parabolâ filii Prodigi, qui licèt duxisset vitam minimè dignam talis filio genitoris, nihilominus *Patris* appellatio, & grata patri fuit & filio salutaris.

3 Denique remittamus adversarios ad Catechismum Concilii Tridentini, ubi in expositione Orationis Dominicæ discere poterunt, etiam eos, qui vitam non ducunt dignam filiis Dei, & membris Christi, non propterea cessare interiùs habere Deum pro Patre. Ita scilicet Catechismus. „ Prima quidem vox, quâ Dei jussu & in- „ stitutione utimur in hac precatione, est „ *Pater*. Nam etsi Salvator noster Divinam „ hanc Orationem prætexere potuit ali- „ quo verbo, quod plus majestatis habe- „ ret, exempli causâ, Creatoris aut Do- „ mini; tamen hæc omisit, quæ timorem „ simul nobis afferre possent: illud autem „ adhibuit quod orantibus, & aliquid à „ Deo petentibus, amorem fiduciamque „ conciliat. Quid enim jucundius est *Pa-* „ *tris*

„ *tris* nomine, quod indulgentiam fonat „ & charitatem?

„ Quibus autem rationibus, *Patris* nomen Deo conveniat, fuppeditabit facul- „ tas docendi fidelem populum ex locis „ Creationis, gubernationis, ac redemptionis „. Cujus tituli triplicis non ad folos Sanctos; fed ad peccatores etiam veriffima relatio eft; utpote ad quos omnes pertinet creari à Deo, gubernari, ac redimi. Catechifmus profequitur: „ Nam „ cùm Deus hominem creaverit ad imaginem fuam; nec illam cæteris animantibus impertiverit, ex hoc fingulari munere, quo hominem ornavit, jure omnium hominum, nec fidelium modò; fed „ etiam infidelium, *Pater* in Scripturis Divinis appellatur „.

Audit nova Quefnelli Ecclefia, quod pluribus è Scriptura exemplis fuperiùs oftendimus, ipfius hic Archi-Catechifmi fuffragio ac ratione confirmari, *Deum* proptereà quòd *hominem creaverit ad imaginem fuam .... jure omnium hominum, nec fidelium modò; fed etiam infidelium*, adeòque vitam non ducentium Dei filiis dignam, *Patrem* in Divinis Scripturis vocari? Sed tam amabilis appellatio fidei noftræ reformatoribus non placet, arcenda ipfis videtur non à folis infidelibus & valde impiis; fed à peccatoribus quibufcumque non ducentibus vitam Dei filiis confonam.

Verùm quot ipfis è Divino Scripturarum codice expungenda tunc fuerint teftimonia? Pergamus nos, explofis Novatoribus, inftitutioni Chriftianæ, & Catholicæ potiùs aures præbere & animos faciles: „ A gubernatione [inquit Catechifmus] „ fumere poterit argumentum, quòd profpiciendo & confulendo utilitati hominum, præcipuo quodam curæ & providentiæ modo nobis præftat *patriam Charitatem*. Sed ut in hujus explicatione „ argumentis *paternam Dei de hominibus* „ *curam* meliùs agnofcat, de cuftodia Angelorum, in quorum tutelâ funt homines, aliquid dicendum videtur. Eft enim „ Dei providentiâ datum hoc negotium „ Angelis, ut cuftodiant humanum genus, „ fingulifque hominibus præfto fint, ne „ gravius aliquod detrimentum accipiant. „ Nam ut parentes, fi infeftâ & periculofâ „ viâ filiis iter faciendum fit, cuftodes adhibent & periculorum adjutores; fic *cæleftis parens* in hoc itinere &c.

4 Tentaverat Lovanii Quefnellianus author *Compendii Theologici*, luxare communem Fidelium de Angelis etiam reproborum cuftodibus, certiffimam perfuafionem parte 1. pag. 9. dicens: *Angelum cuftodem habent Electi, & forte etiam reprobi*. Conturbavit ea novitas bonos omnes, & plurium adverfos in fe calamos convertit; Româ quoque Compendium condemnante; fed ut iftiufmodi prohibitionibus non terretur andacia Quefnelli, patrocinium profcripti operis non dimifit in pfeudonymo libro cui titulum fecit *Defenfio Romanæ Ecclefiæ & Summorum Pontificum*, quæ præter mendaciffimam epigraphen, nihil penitùs continens defenfionis, veriùs dici debuit Catholicæ fubverfio fidei, Pontificiæque conculcatio authoritatis; ideoque etiam à Romanis debitum retulit perfidiæ fupplicium.

Qui nempe Deum dici nolunt totius humani generis Salvatorem, fed Electorum folummodò, utpote nihil paternæ benevolentiæ ac voluntatis feriæ habentem pro beatitudine cæterorum, cur ei tribuant hanc erga reprobos bonitatem, ut ab exordio ad finem ufque vitæ, Angelum eis impertiat, animæ à fe defertiffimæ cuftodem, promotoremque veluti ad perpetuam felicitatem, quam his fieri nunquam voluit poffibilem?

5 Faceffere juffis novi Euangelii præconibus, pergamus nos potiùs ex Tridentini proficere Catechifmo tutiffimâ Orthodoxis regulâ. Loco citato poft aliquot relata è facris literis exempla de cuftodia Angelorum etiam vifibili, „ Hanc (inquit Catechifmus) doctrinæ diligentiam illa utilitas confequetur, ut audientium mentes „ erigantur, & ad agnofcendam, ac venerandam *Dei paternam de fe curam*, ac providentiam excitentur.

„ Commendabit autem hoc loco Parochus, in primifque prædicabit divitias „ benignitatis Dei erga genus humanum: „ quem cum à primo parente noftri generis, & peccati ufque ad hanc diem offenderimus flagitiis, ac fceleribus innumerabilibus, retinet tamen in nos charitatem, neque præcipuam illam de nobis „ curam deponit: quem fi quis exiftimat „ hominum oblivifci, amens eft, & in Deum „ jacit indigniffimam contumeliam. Irafcitur Ifraeli Deus propter ejus gentis „ blafphemiam, qua fe arbitrabatur, eœlefti ope defertam effe ....

„ In quam fententiam audire licet conquerentem de Deo apud Ifaiam, Ifraeliticum populum, contra Deum, ftultam „ ejus querimoniam benigna fimilitudine „ refellentem. Dixit Sion: dereliquit me „ Dominus, & Dominus oblitus eft mei.

„ Cui Deus, *Nunquid oblivisci potest mulier* „ *infantem suum, ut non misereatur filio ute-* „ *ri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen* „ *non obliviscar tui: Ecce in manibus descri-* „ *psi te*.

„ Quibus locis quanquam id liquidò „ confirmatur; tamen ut penitùs fideli po„ pulo persuadeatur, nullum posse tempus „ accidere, quo deponat Deus hominum „ memoriam, quo eis non tribuat *patria* „ *charitatis* officia, Parochi tem clarissimo „ primorum hominum exemplo compro„ babunt; quos *post neglectum, violatum-* „ *que Dei jussum*, cum acerbiùs accusatos „ & horribili illa sententia condemnatos „ audis: *Maledicta terra in opere tuo* &c... „ Veruntamen in tantis Divinæ iræ, & ul„ tionis indiciis, oborta est lux quædam „ Dei in eos charitatis. *Fecit* enim, inquit, „ *Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas* „ *pelliceas, & induit eos*, quod maximum „ fuit argumentum, hominibus nullo un„ quam tempore defuturum Deum. Hu„ jus etiam sententiæ vim, non exhauri„ ri Dei amorem ulla hominum injuria, „ David expressit illis verbis: *Nunquid* „ *continebit Deus in irâ sua misericordias* „ *suas?*....

„ Magnam igitur vim habent, ad decla„ randam præcipuam Dei rationem in „ amando, tuendoque hominum genere „ creatio & gubernatio. Sed tamen illud „ opus redimendi hominem sic eminet in„ ter duo superiora, ut beneficentissimus „ Deus *Parensque noster*, summam in nos be„ nignitatem tertio hoc beneficio cumula„ tam illustrarit. Quare tradet spirituali„ bus filiis Parochus, & assiduè inculcabit „ hanc præstantissimam Dei erga nos cha„ ritatem, ut intelligant se, quia redem„ pti sint, admirabilem in modum Dei fi„ lios evasisse....

„ His expositis admonendus est fidelis „ populus, quid ipse vicissim debeat *aman-* „ *tissimo Patri Deo*, ut intelligat quem „ amorem ac pietatem, quam obedien„ tiam ac venerationem creatori, guber„ natori ac redemptori præstare, qua spe „ ac fiducia illum invocare oporteat.... „ *Castigat peccantes, ut ea disciplina melio-* „ *res faciat*, & præsenti animadversione „ redimat ab exitio sempiterno. Nam vi„ sitat quidem in virga iniquitates nostras, „ & in verberibus peccata nostra; miseri„ cordiam autem suam non aufert à nobis. „ Quare monendi sunt fideles, ut in ejus„ modi castigatione *patriam Dei charitatem* „ agnoscant„.

5 Si etiam in castigandis peccatoribus patria, seu paterna Dei charitas agnoscitur, non igitur desinit Deus peccatoribus Pater esse, paternique muneris partes benignissimè adimplere. Quæ Catholica & prorsus salutifera Catechismi doctrina excitare nata est in animis fidelium, etiam peccatorum mutuam erga Patrem amantissimum charitatem, & cum remissionis obtinendæ fiduciâ pœnitudinem congruam delictorum; Quesnelliana verò duritiei desperationem.

Redempti fuimus à Dei Filio cum adhuc peccatores essemus & æterno odio digni: neque circa miseros, quos Dæmonis postea insidiæ, & carnis illecebræ in crimina pertraxerunt, paternam solicitudinem deponit, aut penitùs exuit affectum; Sed Redemptionis, quæ tanto ipsi pretio stetit, beneficium protrahit, dum adhuc in via sunt, nondum æternæ traditi damnationi. Redemptoris proinde, atque hac ratione *patris*, neque titulum sibi detrahi patitur, neque deserit officium. Et quidem Redemptionem etiam erga peccatores voluit esse copiosam, atque hæc ipsi magis, quàm prima creatio, ut ex Catechismo discimus, nomen & gloriam vindicat Genitoris.

Affectum se paternum, etiam erga peccatrices animas non dimittere plurimis Scripturarum Oraculis testatum nobis Deus relinquere voluit. Quod desiderari testimonium potest illustrius illo Christi apud Matthæum cap. 23. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos sub alas & noluisti!* Quoties, inquit Christus, etiam postquam filii tui à me divagati peccando fuerant, colligere eos & reducere ad me volui, & modis pluribus conatus sum! Si de amoris magnitudine sciscitaris, minimè vulgaris est, non solùm patribus proprius amor; sed, qui erga liberos tenetior est, maternus; neque tantummodo qualis in matribus reperitur quibuscumque; sed qualis cernitur in Gallinis, quæ affectûs erga natos maximè soliciti & ardentis symbolum sunt.

In illis enim, ut ait Augustinus ad Psalm. 58. *Raucescit vox, fit hispidum totum corpus: dimittuntur alæ: laxantur plumæ, & vides circa pullos nescio quid ægrotum: & ea est materna charitas, quæ invenitur infirmitas &c.* Quæ S. Doctor transferens ad Christum ait: „ Congregavit omnes gentes, „ tanquam gallina pullos suos, qui infir„ matus est propter nos, accipiens carnem „ à nobis, id est à genere humano cruci„ fixus,

„ fixus, contemptus, alapis cæsus, flagellatus, ligno suspensus, lanceâ vulneratus. Ergo hoc maternæ infirmitatis est, non amissæ majestatis, ut ex eo quòd communicavit nobiscum infirmitatem, solveret nostram iniquitatem. „

Quæ autem in Novatoribus iniquitas est paternam adeò, imò & maternam in amantissimo Deo & Christo Salvatore omnium hominum, etiam criminibus obstrictorum, denegare tot probatam effectibus dilectionem?

Aliud non minùs paterni amoris erga peccatores indicium est apud Lucam cap. 19. Christi scilicet flentis super Jerusalem in sceleribus obduratam, & prædicanti veritati credere nolentem: in quem locum Gregorius Magnus hom. 20. in Euangelia: „ Flevit igitur pius Redemptor ruinam perfidæ Civitatis. (Ibidem.) Pravam autem animam Deus assiduè visitat præcepto: aliquando flagello: aliquando autem miraculo; ut vera, quæ nesciebat, audiat, & ea contemnens aut dolore compuncta redeat, aut beneficiis devicta, malum quod fecit, erubescat; sed quia visitationis suæ tempus non cognoscit, in extremo vitæ inimicis traditur, cum quibus in æterno judicio damnationis perpetuæ societate colligatur. „

7 Quid non maximè paternum in Deo erga peccatores significat illud Petri epistolâ 2. capite 3. *Sapienter agit* [Deus] *propter vos*, & vobis conjunctos quacumque necessitudine peccatores, *nolens aliquos perire; sed omnes ad pœnitentiam reverti*? Apocalypseos cap. 3. *Ecce sto ad ostium & pulso; si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*. Desidia, & peccatum Deo ostium claudit: in multa autem patientia expectat Deus aperiri sibi per pœnitentiam: neque expectat otiosus, sed identidem pulsat, monet, incitat, ut conversione in gratiam peccatores redeant, & salventur.

Christus Matthæi capite 11. *Venite ad me omnes; qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*. In quem locum Hilarius can. 11. *Legis*, inquit, *difficultatibus & peccatis seculi oneratos ad se vocat*. Chrysostomus hom. 39. in Matthæum *Non dicit* [Christus] *venite ille & ille; sed omnes qui in sollicitudinibus, qui in tristitiis, qui in peccatis estis, non ut expetam noxas* [sive pœnarum supplicium] *sed ut solvam peccata. Venite; non quoniam indigeo vestrâ gloriâ; sed quia volo vestram salutem: Unde dicit, & ego reficiam vos, non dixit salvabo solùm; sed quod multò amplius erat, reficiam vos, id est in omni quiete constituam*. Hæccine hostilis in Deo animi signa sunt, an paterni, & quidem erga peccatis non levibus oneratos?

Simile est Dei etiam in antiquo fœdere loquentis per Isaiam cap. 65., quod etiam ab Apostolo refertur testimonium epist. ad Romanos cap. 10. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem & contradicentem*, qui proinde non duceret vitam filiis Dei dignam attamen paternâ Dei benevolentiâ adeò non destituebatur penitùs, ut exprimi nequeat luculentiùs in Deo erga ingratissimum populum solicitudinis paternæ & continuæ argumentum. Interpretem audiamus Angelicum in cap. 10. ad Rom. lect. 3. „ Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas, populus qui ad iracundiam provocat me.

„ Quod autem dicit, *Expandi manus meas*, potest uno modo intelligi, de expansione manuum Christi in cruce, qui quidem dicitur fuisse in cruce totâ die, id est parte principali totius diei, scilicet ab hora sexta usque ad vesperas .... Alio modo potest referri ad extentionem manus Dei in miraculis faciendis. *Totâ die*, id est toto tempore prædicationis meæ, *expandi manus meas* miracula faciendo. *Ad populum non credentem*, etiam miraculis visis. Joannis 15. *Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Sed *contradicentem* mihi, id est miraculis meis detrahentem, secundùm illud Matth. 12. *In Belzebuth principe dæmoniorū ejicit dæmonia*. Oseæ 4. *Populus tuus, sicut hi qui contradicunt Sacerdoti*. Tertiò potest intelligi de extentione manûs Dei ad beneficia illi populo exhibita secundùm illud Proverb. 1. *Extendi manum meam & non fuit, qui aspiceret*, ut sic sensus: *Tota die*, id est toto tempore legis, & Prophetarum extendi manus meas ad dandum beneficia: *ad populum non credentem, sed contradicentem mihi*. Deut. 31. *Semper contentiosè egistis contra Dominum*.

8 Non igitur Deus populum, aut quemlibet hominem peccatorem à se statim abjicit, suâque privat paternâ solicitudine ac benevolentiâ simul ac ille cessat vitam ducere Dei filio dignam; sed cum multa patientia tolerat delinquentes, monet, excitat, ut ad bonam frugem redeant, & præparatâ filiis hæreditate potiantur. Ezechielis 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis*

suis & vivat?.... Quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis dicit Dominus: revertimini & vivite.

Idem capite 33. *Sic locuti estis dicentes: iniquitates nostra & peccata nostra super nos sunt*, quasi instructi à Quesnello fuerint, & maledicto ejus dogmate ad desperationem instigati; verùm occurrit Deus, per Prophetam eos commonefaciens: *Dic ad eos: vivo ego dicit Dominus Deus: Nolo mortem impii; sed ut convertatur impius à via sua, & vivat. Convertimini, convertimini: &c. Impietas impii non nocebit ei.* Isaiæ cap. 1. *Lavamini, mundi estote: auferte malum cogitationum vestrarum... si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Si volueritis & audieritis me bona terræ comedetis.* Quæ potest à benignissimo parente filiis prodigis dari monitio salubrior?

Sapientiæ cap. 12. *O quàm bonus & suavis est Domine spiritus tuus in omnibus! ideoque eos qui exerrant partibus corripis, & de quibus peccant, admones & alloqueris, ut relictâ malitiâ credant in te Domine.* Ibid. *Bona spei fecisti filios tuos, quoniam judicans das locum in peccatis pœnitentiæ. Si enim inimicos servorum tuorum* [Chananæos] *& debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, & liberasti dans tempus & locum, per quæ possent mutari à malitia, cum quanta diligentia judicasti filios tuos.* Non itaque filii penitùs esse desinunt, & à Patre projiciuntur velut alieni, quoties à justitia delapsi corripi merentur & castigari: sive non eo ipso quo declinare quis incipit à *vita Dei filio digna, cessat interiùs habere Deum pro Patre.*

CAPUT II.

Connexio præsentis Propositionis 77. cum plurimis aliis absurdissimis & meritò condemnatis.

1 Quæ in præsenti Articulo est durities exotica, & horrida piis auribus, non casu, vel inconsultè Quesnello excidit, quemadmodum subindè Concionatoribus, æstu nimio abreptis, ut homines à peccando deterreant, expressionis aliquid effluit illimatæ, quæ cum Theologiæ regulis non ad amussim consentiat. Talis aberratio reputari solet & facilè condonari velut simplex prudentiæ defectus, non effectus malitiæ; sed in Quesnelli Opere tam studiosâ annorum plurium meditatione composito, nulla reperitur novitas fortuitò incidens; sed quælibet è suis deducitur stabilitis antea principiis, vel connexa protrudit consectaria, quæ in eundem conveniunt errorem.

Talis fuerat primus inter damnatos: *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, etiam omne opus bonum?* Omnis anima peccatrix, sicut non ducit vitam dignam Dei filio, Deum amittit, ejusque excidit gratiâ. Si cessat interiùs habere Deum pro Patre, eum experiri sibi benevolum, ab eo accipere paternæ benevolentiæ effectum; minimè videbitur mirum, quod ad impotentiam redigatur generalem omnis laboris pii, orationis & salutiferi operis cujuscumque.

Rursus si *DEUS* ipsi non amplius *Pater* est, nec Christus caput, nulla à Deo propter Christum, & per Christum defluit in eam gratia efficax, sinè qua nihil boni agere possumus, & nonnisi malum juxta Articulum 2. *JEsu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solùm nihil fit; sed nec fieri potest.*

Tali homini in vanum Deus præcipit; si nullum is mandatum exequi valet juxta Art. 3. *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis.* Et Art. 4. *Ita Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo*: Ante operationem scilicet, quæ gratiam exigit efficacem; nihil boni penès hanc hypothesim in hominis potestate est.

Cui neque Deus interiùs est Pater, neque Christus caput, cùm omni careat efficacis gratiæ munere, omnia ad meliorem frugem monita, & qualiacumque præsidia ad nihil aliud conducere videbuntur, nisi ad augmentum injustitiæ & damnationis: Art. 5. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratia sua, exhortationes & gratiæ exteriores non inserviunt nisi ad illum magis obdurandum.*

2 Qui non ducit vitam DEI filio, & membro Christi dignam, cùm legem non impleat, adhuc Judæi instar sub lege est. Art. 63. *Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, vel adimpleat ex solo timore.* Ut autem rescias, quid sit esse sub lege, explicat Quesnellus, Documento 5. pag. 253. *Esse sub lege est esse sub dominatione peccati, quia homo illic existens sinè gratia, sinè amore, sinè charitate, nihil habet in animo, nisi formidinem servilem*; quâ nihil magis impium & blasphemum, nihil condu-

conducentius ad desperationem est juxta Art. 67. *Timor servilis, non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*.

Et Art. 60. *Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem*. Quid enim aliud expectes ab eo, qui non sibi repræsentat Deum, nisi ut barbarum & tyrannum, sive ut Propositio enuntiat *nonnisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*? Extra Deum scilicet nulla cuipiam speranda salus est: Quæ autem speretur à tali Domino, qualis hic à Quesnello describitur.

Denique peccator quilibet Quesnello instar Athei est; charitatis enim expers nosciturs per Art. autem 58. *Nec Deus est, nec Religio, ubi non est charitas*. Finem non inveniet oratio, si omnia prosequi voluero, quæ sponte fluunt exitialia ex præsenti, quem impugnamus, Articulo 77. juxta Quesnelliani Systematis intellectum: *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei & membro Christi, cessat Deum habere pro Patre, & Christum pro capite*.

Cùm tamen pleraque hactenus disputata sint contra priorem Articuli partem, quâ peccator quilibet asseritur, *Deum non habere interiùs pro Patre*, meretur refutationis aliquid distinctæ pars posterior, denegans Christum manere peccatoribus caput. Hoc illis patrocinium, hoc solatium adimunt Jansenii Sectatores, Redemptoris titulum restringentes ad solos fideles, & quidem modò expunctis ex eorum numero peccatoribus, si juxta Art. 58. *Nec Deus est, nec Religio, ubi non est charitas*.

Quod hic adversariis imputo de restricto Redemptoris Titulo ad solos fideles, colligitur ex Articulis quarto & quinto, inter 31. meritò anathemate percussis, ab Alexandro VIII. *Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo: non pro solis Electis; sed pro omnibus, & solis Fidelibus*: Et *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum: adeòque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam & inermem, absque omni gratia sufficienti*. Hanc intentatam Christo contumeliam, veramque blasphemiam, ab eo propulerat, ut dixi, Alexander VIII.

Verùm Arnaldi & Quesnelli temeritas non tulit inultam hanc Sedis Apostolicæ censuram; sed errorem impium summâ pertinaciâ propugnavit in *Difficultatibus Steyaertio propositis*, & Romæ damnatis, parte 9. pag. 232. *Ex doctrina*, inquiunt, *Omnium Sanctorum Patrum contra Pelagianos certantium & principum Theologorum, certum est non posse rejici sententiam, tanquam falsam, quæ statuit voluntatem Atheorum & infidelium, nudam, inermem, & sine ullâ gratiâ sufficienti, quando continuò violant divina mandata*, ut violare eos continuò necesse est, juxta Articulum octavum, eodem diplomate proscriptum: *Necesse est infidelem in omni opere peccare*. Quia nempe in Novaturientium Hypothesi, carent omni gratia juxta Quesnelli Articulum 26. *Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem*. 27. *Fides est prima gratia, & fons, omnium aliarum*. 29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*. Imò per Art. 28. nulla obtingit gratia peccatori, nisi quâ iniquus esse desinit sive ut verba Articuli sonant: *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*.

3 Lepida autem est Arnaldi & Quesnelli obtestatio in memoratis Difficultatibus, eadem parte pag. 219. *Obtestor omnes ratione utentes ut considerent, quomodo fieri posset, ut aliquis anathema Propositionis Quintæ*, ab Alexandro VIII. damnatæ, de omnium infidelium voluntate nudâ, & inermi, sinè omni gratia sufficienti, *componeret cum hoc Sancti Augustini axiomate, quo ad defendendam Ecclesiam adversùs Pelagianam hæresim utitur: GRATIA NON DATUR SECUNDUM MERITA*. Quasi infideles, quos constat nihil habere proprii meriti, si quid gratiæ acciperent, possent illud suis veluti meritis debitum adscribere. Rationem adeò fatuam dissimulare, facilius possemus in Arnaldo tunc decrepito, & præ senio forsitan ad infantiam redeunte, quàm in Quesnello ejus adjutore domestico tunc annum nondum sexagesimum attingente.

Postquam novi Theologi Redemptorem omnibus negaverant infidelibus, supererat ut eundem detraherent, etiam peccatoribus quibuscumque, quamdiu in peccato remanserint; proinde novitati coronidem imponens Quesnellus ait: *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei & membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro capite*. Patris scilicet est prospicere filio de necessariis, & capitis influere in membra cætera, eaque dirigere. At in Quesnelli sententia Deus peccatores, donec sibi reconciliare Decreto statuerit efficaci, dimittit desideriis inhonestis & omni penitùs auxilio gratiæ destitutos juxta Articulum, ut vidimus, 28. Superest ostendendum, quod superiùs promiseram, peccatores à Quesnello, ejusque sodalibus à cœtu fidelium eliminari.

Inter

Inter Articulos 31. confixos ab Alexandro VIII. fuerat hic duodecimus: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit vera fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina; sed humana*; quæ constituendis fidelibus minimè sufficit. Contra hujus Articuli censuram pugnant *Difficultates* Quesnello-Arnaldicæ parte 9. pag. 206. dicendo: *Condemnare non potes Propositionem hanc 12. nisi condemnando te ipsum. S. Thomam, & cæteros passim Theologos*: Quales Janseniſtarum judicio nulli sunt, nisi eorum erroribus patrocinantes. Ab illis nihilominus remotum esse S. Thomam cum genuinis omnibus suæ Scholæ discipulis notius inter Scholasticos est, quàm ut nostra isti indigeant apologiâ.

Quis enim Theologus ignoret, quod ait Angelicus, parte 3. quæst. 8. art. 3. directè oppositum Quesnelliano? Quæritur ibi *utrum Christus sit caput omnium hominum*? Respondet Conclusio: *Quamquam non eodem modo; omnium tamen hominum Christus caput est*. Quod in corpore sic explicat: *Dicendum est, quod accipiendo generaliter secundùm totum tempus mundi, Christus est caput omnium hominum; sed secundùm diversos gradus. Primo enim & principaliter est caput eorum, qui actu uniuntur ei per gloriam: secundò eorum, qui actu uniuntur ei per charitatem: tertiò eorum, qui actu uniuntur ei per fidem. Quartò verò eorum qui ei uniuntur solùm in potentia nondum reducta ad actum; quæ tamen est ad actum reducenda secundùm divinam prædestinationem. Quintò verò eorum qui in potentia sunt ei uniri, qua nunquam reducetur ad actum*.

4 Nobis hic ad convincendos adversarios sufficit, quod tertio loco asseritur de peccatoribus, qui etsi actu non uniantur Christo per charitatem, uniuntur tamen actu per fidem, atque hac ratione Christum actualiter habent pro capite. Ibid. ad secundum: *Percipiunt tales à Christo quemdam actum vitæ, qui est credere: sicut si membrum mortificatum aliqualiter moveatur ab homine*. Non itaque peccatrix qualibet anima censenda est mortua, instar cadaveris omni penitùs motu carentis; cùm lapsus crimine non semper amittat habitum fidei, quo actus elicere deinceps valeat habitui conformes. Sed hoc sensu mortua dicitur, quod careat vitâ gratiæ sanctificantis, atque actus exercere nequeat meritorios.

Ibid. permittit Angelicus peccatis subditos vocari *membra Christi actualia*; sed imperfectè per fidem informem, quæ unit Christo secundùm quid, & non simpliciter, ut scilicet per Christum homo consequatur vitam gratiæ. Verùm adversariis nulla vera fides est informis, quin aliquâ prædita sit dilectione contra fulgentissimam, non scholasticorum solummodo; sed etiam Concilii Tridentini doctrinam.

Describens nempe Synodus Sess. 6. c. 6. ordinem justificationis, quomodo ad eam homines variis actibus disponantur ait: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divinâ Gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum credentes vera esse quæ divinitus revelata sunt*. Hactenus fides vera & informis est, nullâ comite dilectione, quæ postea variis inducta actibus sequitur: *Et dum peccatores se esse intelligentes à divina justitia timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*. En demum dilectionis initium præeunte fide verâ, & per gratiam elicitâ, quæ ad illud, timore, & spe concurrentibus, disponit.

Hinc corruit illud Jansenii Libr. 5. de Gratiâ Christi cap. 7. *Augustinus Charitatem accipere solet pro dilectione, quâ verè, sincerè, & gratis ex animo propter seipsum... diligitur Deus, sive ad illam pertingat perfectionem, ut supra omnia creata diligatur, sive in simpliciori, & inferiori affectu hæreat... Talis igitur amor Dei, nisi voluntatem hominis ad credendum flectat, non erit Fides Christiana; sed vel dæmonum &c.* Itane fides dæmonum, aut ei similis sufficit transferendis montibus, aliisque obtinendis à Deo miraculis? Eamne fidem vocaret Angelicus *perfectam*, explicans illud Apostoli ad Corinthios cap. 3. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest? Omnem fidem*, inquit Angelicus, *id est mysteriorum omnium & perfectam*; scilicet in ratione fidei, non sanctificantis gratiæ, quâ supponitur destitura.

5 Contra Doctorem Angelicum, atque ipsum Apostolum Quesnellus, & quidem in ipsum caput 13. Epistolæ ad Corinthios v. 1. ait *sola charitas est quæ Deo loquitur, hanc solam Deus audit*, quasi fieri nequeat, ut per fidem aliquis miraculum à Deo impetret si fidem charitas non imperaverit. Charitatem veram & supernaturalem Quesnellus aliam non agnoscit, quàm sanctificantem, sic indefinitè enuntians in 1. Joannis cap. 3. *Charitas nullum secum patitur peccatum lethiferum* & Artic. 51. *Fides justificat quan-*

quando operatur; fed non operatur nifi per charitatem. Imò, inquit, Articulo 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eft peccatorum remiffio*.

Impoffibile eft itaque juxta noftros hìc adverfarios, ut fides, etiam maxima finè charitate miraculum à Deo obtineat, quod tamen affertum ab Apoftolo univerfa credit Catholicorum Ecclefia. *Compendium Theologicum* Lovanienfe à Sede Apoftolica condemnatum, & à Quefnello poft damnationis fententiam folitâ fua audaciâ defenfum pag. 29. affirmat *Fides charitate formatur; poteftque de formata fieri informis non tamen ita ut omni prorfus careat dilectione*. Fidei Charitate formatæ, in informem converfio, habitui potiùs convenire folet, quàm actui. Verùm habitus infufos, & fubinde otiofos nova Theologia in adultis minimè agnofcit.

Ita compendiofi Scriptoris hujus Difcipulus, cathedram Theologicam Namurci in Seminario adeptus, in Dictatis publicis de Fine §. 9. & 10. *Negamus*, inquit, *in adultis dari habitus otiofos, five bonos, five malos, five fupernaturales, five naturales, & quod generatim dictum eft de habitibus, fpecialibus obtinet in illis habitibus, quorum actus eft amor*. Si autem habitus fidei infufæ maneret in peccatoribus, deberet otiofus effe toto tempore quo exularet charitas, & fufpenderetur reconciliatio; quia per Articulum Quefnelli 51. *Fides juftificat quando operatur; fed non operatur nifi per charitatem*, quæ in jam noto Quefnelli fyftemate femper juftificat.

Confirmat iftud Propofitio 44. juxta quam omnis actio, ac proinde fides, ut vitio careat, procedere debet ex amore Dei juftificante, quemadmodum verba indicant fenfu intellecta obvio: *Non funt nifi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noftra procedunt: amor Dei qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur: & amor quo nos ipfos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eft non refert & propter hoc ipfum fit malus*. Omnia enim propter Deum agens dilectio, quamque Deus remuneratur, juftificationem in anima fupponit neceffariò, aut præftat.

Quis etiam per amorem Dei in corde regnantem fignificari non exiftimet eum, qui reconciliationi fufficiat conferendæ, eamque comitetur; imò fupponat certiffimè impertitam? Amore autem ifto non ampliùs regnante, atque ita definente in animo fanctitate, actus fidei cum cæteris omnibus, Quefnello judice, peccatum eft, ideoque fidei habitus, fi fubintrante peccato remanferit, debet fe in otio continere; aliàs non pariturus nifi prolem cupiditatis vitio maculatam, ita nos docente Articulo 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, neceffe eft ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Ceffante igitur regno Divini Amoris in Anima peccatrice, neceffe eft, aut habitum fidei otiofum remanere ac fterilem, quem Theologia nobis adverfantium non admittit, aut fœtus gignere diabolicis perfimiles, quod eft blafphemum.

6 At quomodo hìc fe Novatores expedient illo Tridentini Concilii anathemate Seff. 6. Can. 28. *Si quis dixerit amiffâ per peccatum gratiâ* [& charitate] *fimul & fidem femper amitti, aut fidem, quæ remanet, non effe veram fidem, licèt non fit viva; aut eum qui fidem finè charitate habet, non effe Chriftianum, anathema fit*. Spes elabendi non fupereft, nifi recurrere Novatoribus placuerit ad appellationem à Tridentino Concilio, quam à fuo ipfinfque Janfenii & Arnaldi Magiftro Joanne Vergerio Abbate Sancyrano didicerint, caufantes *Tridentinum non fuiffe legitimum Concilium, fuiffe Pontificis & Scholafticorum, qui multum in doctrina Ecclefia immutarint*.

Hoc & fimilia ex authenticis habentur teftimoniis anni 1638., quo carceri traditus fuit Sancyranus, cujus Difcipuli cautiores redditi, fi non meliùs de Tridentino fentiunt, obfcuriùs tamen ei obloquuntur, cum Elia Dupin inter Appellantes contra Conftitutionem UNIGENITUS ferventiffimo. Is fcilicet in Bibliotheca nova Tom. 9. cap. 18. *Quamvis*, inquit, *Concilii Generalis feu œcumenici nomen fignificet cœtum ex omnibus Orbis Epifcopis compofitum; tamen .... poft fchifma Græcorum, Concilia Generalia folis conftat Occidentis Epifcopis, convocatis à Pontifice, qui fua illic tum ad dogma, tum ad difciplinam fpectantia Decreta promulgat, approbantibus, & confirmantibus Epifcopis*. Quod quantum authoritatis penès novos Theologos tribuat Conciliis, facilè affequetur quisquis legerit famofi *Ægidii* inter Janfeniftas *Candidos* principis, *Auguftinum Iprenfem vindicatum* parte 2. cap. 10. Dein *Teftimonium veritatis* contra Conftitutionem UNIGENITUS &c.

Quod damnata fuperiùs ab Alexandro VIII. Propofitio 12. afferit de magnis peccatoribus, Quefnellus applicat quibufcumque vel unâ inquinatis noxa lethiferâ. Per illam enim Deus amittitur, & ejus gratia: *Quid* autem juxta Articulum ejus

ejus primum, *aliud remanet anima, qua Deum, atque ejus gratiam amisit, nisi peccatum & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?* Generalis impotentia ad omne opus bonum, indubiè complectitur impotentiam ad omnem Dei amorem; quo deficiente juxta Articulum ab Arnaldo & Quesnello superiùs propugnatum, fides penitùs deficit *Divina*, neque remanet alia, quàm *humana*, & ut Quesnelli vindices interpretantur, *Diabolicæ similis*.

Quomodo autem peccator fidelibus annumerabitur, penès quem nec Deus est, nec religio, uti non est, Quesnello judice, ubicunque Dei amor abfuerit? Abesse omnem à peccatoribus amorem Dei, humanis viribus superiorem in eadem hypothesi evidens est. Cùm enim Fides sit prima gratia & fons omnium aliarum per Articulum 27., ideoque amor Dei per gratiam elicitus, necessariò profluat ex fide, justificat necessariò eadem cum amore fides juxta Articulum 51. *Fides justificat quando operatur; sed non operatur nisi per charitatem*.

Non sic exhaustam autumes exitialem sentinam dogmatum præsenti Articulo 77. comprehensam. Cui scilicet neque Deus Pater est, neque caput Christus, perspicuum est non inesse *amorem Dei omnia agentem propter Deum, quemque Deus remuneratur*, sinè quo *omnis volitio & actio nascitur ex amore malo, quo nos ipsos ac mundum diligimus* juxta Articulum 44. Quod confirmatur pluribus ibi sequentibus.

Cui Deus desiit Pater esse & Christus caput, in omni usu sensuum peccat; quia deest charitas & juxta Articulum 46. *Cupiditas aut Charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt*. Ipsa legis qualiscumque obedientia peccato vertitur Art.47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte: & hic fons est Charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia*. Denique juxta Art.45. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante*, Quemadmodum non regnare deprehenditur, ubi neque *Deus Patris*, neque *Christus* locum *Capitis* obtinet, *necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*.

Idem alia Quesnellianorum dogmatum classis stabilit: ea videlicet quæ est de operibus sinè gratia. Ubi Articulo 38. legimus *Peccatorem non esse liberum; nisi ad malum sinè gratia liberatoris*, quâ juxta Art. 77. penitùs destituitur quisquis neque Deum interius habet pro Patre, neque Christum pro capite, à quo omnis gratia in membra cætera derivatur; maximè juxta Art.28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*: eadem gratia concedit Deum pro Patre, & Christum pro capite.

Verùm antea, ut nihil fuerat gratiæ, ita nihil potuit esse vacuum peccato per Art.40 „ Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad „ nostram condemnationem. 39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil „ habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, „ nisi ad se vulnerandum. 42. Sola gratia „ Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium fidei: sinè hoc nihil nisi impuritas, „ nihil nisi indignitas„. Pars prior Articuli, omnium Catholicorum est, posterior Quesnello & ejus sectatoribus propria: quam discere potuerunt à Bajo & Jansenio, atque his ducibus à Luthero, Calvino, Chamiero, Melanctone, Petro apud suos Martyre.

8 Quis credidisset, inquies, tantum veneni pestiferi, tantum fallaciæ & connexionis cum tot erroribus, etiam hæreticis, contineri hoc Quesnelli Articulo, „ Qui „ non ducit vitam dignam filio Dei, & „ membro Christi, cessat interiùs habere „ Deum pro Patre & Christum pro capite? De subtili sui temporis hæresi & plena fraudibus conqueritur anxiè S.Bernard.Serm.4t. in Cantica Angelos alloquens, eorumque ad detegendas insidias implorans auxilium: *Versuta*, inquit, *est valde, operta est iniquitate & impietate sua: planè tam pusilla atque subtilis, ut quidem facilè humanos frustretur obtutus: nunquid & vestros? Docete*, & suggerite, non mihi solùm; sed & Lectoribus meis, *qualiter fraus deprehendatur; hoc enim est cepisse vulpem; quia longè plus nocet falsus Catholicus, quàm si verus appareat hæreticus*.

Multis seculis ante S. Athanasius Dispu. tatione 1. contra Arianos, *In singulis*, inquit, *hæresibus transfiguratus Diabolus dictiones subjicit plenas dolo*: & licèt pluribus ab invicem diffideant, fraudibus tamen & odio contra Catholicos conspirant, ut contra Constitutionem UNIGENITUS experitur Ecclesia Lutheranos & Calvinistas Jansenianis undique ferre suppetias. Simile quid observaverat Gregorius IX. anathemate feriens Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Josephinos, Arnaldistas, aliasque istius temporis pestes.

Ex-

Excommunicamus, inquit, *universos hereticos ... facies quidem habentes diversas; sed caudas ad invicem colligatas; quia de vanitate conveniunt in idipsum.*

CAPUT III.

Occurritur objectionibus depromptis ex Scriptura Sacra.

1 SAnctus Thomas 3. parte quæst. 8. art. 3. disputandum proponens, *utrum Christus sit caput omnium hominum*, affirmare constituit; præmittit tamen, more suo, argumenta sententiæ suæ contraria, quibus antequam respondeat, subjungit aliqua sibi patrocinantia, dicens: „ Sed contra est, quod dicitur Timoth. „ cap. 4. *Est Salvator omnium hominum*, „ *maximè fidelium*. Et 1. Joannis cap. 1. „ *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non* „ *pro nostris tantùm: sed etiam pro totius* „ *mundi*. Salvare autem homines, & pro- „ pitiationem esse pro peccatis eorum, „ competit Christo, secundùm quod est „ caput: ergo Christus est caput omnium „ hominum. „ Tunc perpensis utrinque rationibus, Doctor Angelicus concludit: *Quamquam non eodem modo; omnium tamen hominum Christus caput est.*

Rationem istam Lector Catholicus semper præ oculis habeat, oti & quod in doctrinæ Christianæ compendio, Tridentinâ Synodo jubente composito, traditur pro expositione Orationis Dominicæ: *Quibus rationibus Patris nomen Deo conveniat, suppeditabit facultas docendi fidelem populum ex locis creationis, gubernationis, ac redemptionis*: quæ ibidem deducit prolixiùs, & pulcherrimè explicat, ut retuli capite primo. Hoc inexpugnabili Christianæ fidei clypeo, excipiemus securè, & facillimè diffringemus omnia novitatis spicula, quibus nos terrere, imperitos autem & simplices prosternere se posse adversarii temerè confidunt.

Ex Scripturis objicitur illud Christi dictum Judæis Joannis cap. 8. v. 44. *Vos ex Patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere*. Audiatur interpretatio Augustini *vos ex patre diabolo estis, non nascendo, sed imitando*; applicans illud Ezechielis cap. 16. *Pater tuus Amorrhaus, & mater tua Cethaa*, quia, ut Sanctus prosequitur, *Judai imitantes impietates eorum, invenerunt sibi parentes, non de quibus nascerentur; sed quorum mores sectantes pariter damnarentur.*

Nonne ridiculus esset, qui inde Judæis fetiò exprobrandum duceret, ipsos non ex Judaico; sed Amorrhæo & Cethæo sanguine progenitos? Non minùs ineptum est, ex diabolica illa paternitate, quam sola fundat imitatio peccati, negare Deo appellationem Patris, ab omnibus hominibus aliunde tot rationibus debitam, & locis Scripturæ pluribus apertè traditam, intuitu Peccatorum, etiam infidelium, ut capite primo non solius Tridentini Catechismi testimonio, sed ipsis Scripturarum clarissimis textibus demonstravi.

2 Instant nihilominus adversarii illo ex Joannis Apostoli Epistola 1. cap. 3. „ Qui „ facit peccatum, ex diabolo est... Om- „ nis qui natus est ex Deo, peccatum non „ facit; quoniam semen ipsius in eo manet: „ & non potest peccare; quoniam ex Deo „ natus est. In hoc manifesti sunt filii Dei, „ & filii diaboli. Omnis qui non est justus, „ non est ex Deo. „

Redit Augustini interpretatio. „ Qui „ facit peccatum ex diabolo est imitatio- „ ne, non proprietate. Nam neminem fecit Diabolus: neminem genuit; sed qui- „ cumque fuerit imitatus diabolum, quasi „ de illo natus sit, filius diaboli dicitur „ imitando, non propriè nascendo. (Ad- „ dit Venerabilis Beda:) Quoniam ab „ initio diabolus peccat; quia ex quo ab „ initio cœpit diabolus peccare, nunquam „ desiit, nec præsentium scilicet pœnarum „ enormitate, nec futurorum metu coer- „ citus. Unde ex illo esse jure dicitur qui „ à peccando se revocare negligit.

Sed ideone destruuntur tres tituli nobilissimi, propter quos appellatio Patris Deo tribuitur à Scripturis, & ab omnibus Catechismo Tridentini consentientibus Catholicis? Neminem inter homines versatum, sermonisque inter eos usitatissimi conscium latere potest, *Patris & Capitis* appellationes, pluribus ob rationes admodum varias tribui, absque destructione mutua, aut detrimento. Quàm multi inter homines Patris nomine vocantur intuitu ejusdem filii; sed diversissimâ ratione!

Primo titulus generatio est, alteri educatio, ut est in nutritiis, alteri institutio & disciplina ut in Pædagogis & præceptoribus scholarum, alteri directio animæ, unde pater spiritûs dicitur, & subinde alius qui à sacris confessionibus est: in domibus est Paterfamilias: in Parœciis ovium sibi commissarum pastor, & pater est Parochus: in Diœcesibus omnium & singulorum Episcopus: in Ecclesia Universali fidelium omnium

Pater communis Pontifex: hominum denique omnium & Angelorum creatione, gubernatione, salvatione Pater est Deus optimus maximus, Sanctorum specialiter & Electorum, quibus etiam glorificatione Pater est, impertiens hæreditatem ut suis adoptione filiis.

Sic & Diabolus titulum Patris sibi vindicat circa eos, qui cœlestis Patris jussibus rebelles malesana sua sequuntur consilia, ab eodem hæredes ideo conscripti luctuosissimæ in cruciaribus æternitatis.

3 Similis est ratio nominandi Capitis, cujus appellatio competere pariter potest plurimis intuitu eorundem. Pater *Caput* filiorum, uxoris & totius familiæ, Magister discipulorum ad suam classem pertinentium, Præfectus *Caput* Gymnasii totius, Alumnorum & Convictorum *Caput* Rector: Civium Consul & Prætor in politicis: in bellicis gubernator. In sodalitiis & Congregationibus piis, *Caput* est qui suffragiis eligitur, vel constituitur Præfectus à Directore, qui & ipse singulari titulo caput dicitur. Toti præsidens regno vel imperio, ejus caput est, Magistratus sive Senatus Reipublicæ.

Rursus in Ecclesiasticis, Parœciæ caput Parochus, Diœceseos Episcopus, totius Ecclesiæ Catholicæ Pontifex. Neque caput deest conventibus sceleratorum, latrocinantium turmis, & rebellibus conjuratis. Denique nobilissimo titulo creationis, gubernationis, salvationis quantùm in se est, caput omnium hominum & Angelorum est Deus, justorum & in justitia perseverantium caput ratione cognoscitur speciali; reproborum verò caput diabolus, quos ipsi impietatis imitatio, atque adeò subjectio voluntaria mancipavit.

Hinc facilè quivis colligit, modos seu titulos esse plurimos, ratione quorum eisdem hominibus, juxta usum loquendi usitatissimum, superiores obtingant conditione maximè varii, & subinde invicem oppositi; quibus omnibus & singulis nomen *Patris* competat & *Capitis*. Proinde liquet, quàm sit fatua adversariorum contra Apostolicam Constitutionem oppositio, & soli imperitissimæ plebi ac mulierculis circumveniendis idonea, quando sive ex sacris paginis, sive è Patribus temerè coacervatos objiciunt textus, quibus scelestorum pater vel caput dicitur Diabolus, quasi acatholica inde Quesnelli stabiliri valeat assertio: *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei & membro Christi cessat interiùs habere Deum pro Patre, & Christum pro Capite.*

4 Patet scilicet responsio facilis, quòd peccatores suis criminibus redditi filii, & membra diaboli, desinant esse filii adoptionis divinæ, hæredes Dei, cohæredes Christi, eique velut capiti sanctificante gratiâ uniti; sed non propterea cessant habere Deum pro Patre, seu Creatorem ad cujus imaginem & similitudinem conditi sunt, neque propterea cessant Dei gubernationi subjici: denique nec propterea pertinere desinunt ad illam benignissimi patris voluntatem seriam, salvandi omnes & singulos homines, etiam peccatores, modò ipsi pervicaciter non obstiterint.

Quo triplici titulo, ut Catechismus nos erudit Tridentini, remanet Deus hominibus singulis, etiam peccatoribus, quandiu in via sunt, verè *Pater*, uti & redemptione Christus singulis *Caput*. Quicumque hanc ut filii prodigi paternam contempserint bonitatem, desinunt quidem esse filii adoptione, ut dixi, seque jure spoliant hæreditatis; non tamen propterea desinit Deus illis esse Pater sensu tribus rationibus explicato, creationis scilicet, gubernationis, & benevolentiæ in Deo, verè paternæ, salvandi omnes homines, etiam peccatores, modò resipiscere, ut, auxiliante Deo possunt, seriò voluerint.

Non adeò divinæ gloriæ invidos arbitror Adversarios, ut *Patris* nomen creationis titulo, pariter & gubernationis, Deo debitum, intuitu omnium hominum, etiam graviter delinquentium ei cupiant denegatum. Sola urit eos, uti & cæteros hæreticos, appellatio *Patris*, in Christo etiam *Redemptoris*, atque hac ratione *capitis*, ob voluntatem sinceram & minimè sterilem salvandi omnes homines, etiam reprobos.

Voco benevolentiam *minimè sterilem*, utpote parantem omnibus media prorsus sufficientia, quibus justitiam consequi valeant, & retinere: atque, ubi peccaverint, pœnitentiâ recuperare salutiferâ. Voluntatem autem sterilem in nuda consistentem complacentia, qua Deo placeat salus etiam Diaboli, tanquam bonum in se absolutè possibile, neque Jansenius, neque ullus Deo hæreticus negat.

5 Ita Jansenius lib. 3. de gratia Christi Salvatoris cap. 20. *Postquam peccata jam ab hominibus inducta considerantur, antecedens voluntas* [salvandi omnes homines] *in sola præcisione mentis, adeòque nuda quadam velleitate, nihil omnino gratiæ causante consistere potest .... Nihil igitur omnino doctrina Damasceni de antecedente salutis omnium voluntate recentioribus prodest, ut quæ optimè*

cum

cum negandæ salutis, & gratiæ sufficientis voluntate consistit.

Cap. 21. *Nullo modo principiis ejus* [Augustini] *consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æterna salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse sentiatur.*

Ibid. *Quam doctrinam S. Augustinus ex Sacris literis videtur didicisse, quæ frequentissimè inculcant, Christum pro fidelibus suis, ovibus suis, populo suo salvando mortem subiisse.*

Eodem capite: *Quibusdam hominibus dare prædestinavit fidem, charitatem & in ea perseverantiam usque in finem, quos esse prædestinatos, electos & salvandos dicimus.... Pro istis in æternum vivificandis mortuus est: pro istis ab omni malo liberandis rogavit Patrem suum; non pro cæteris, qui à fide & charitate deficientes, in iniquitate moriuntur.* Quam assertionem majore emphasi confirmat addens: *Ex quo factum est, ut juxta S. Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quàm pro diaboli deprecatus fuerit.*

Hactenus Jansenius, cujus arctè premens vestigia Quesnellus cum suis, non patitur Deum concedi *Patrem* hominibus reprobis, neque Christum *Caput*. Catholicis verò Doctoribus placet ratio S. Thomæ superiùs allegata: *Contra* (inquit) *est quod dicitur 1. ad Timotheum cap. 4. Est Salvator omnium hominum: maximè fidelium, & 1. Joannis cap. 2. ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi. Salvare autem homines, & propitiationem esse pro peccatis eorum, competit Christo, secundùm quod est caput: ergo Christus est caput omnium hominum.* Similis ratio est pro appellando Deo omnium hominum *Patre*, & non solummodo justorum.

Ad Deum enim pertinet prior sententia Apostoli Timoth. cap. 4. Capite quoque secundo de Deo asseritur, *Qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: ubi mox subditur de Christo: *Unus est Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* hominibus, non solis justis, aut prædestinatis. Propterea omnium hominum & Christus rectissimè *Caput*, & Deus dicitur *Pater*.

Hic igitur lector Catholice diligenter adverte, operosam adeò disputationem nos inter & adversarios, ut hi callidè simulant, non esse de solis nominibus *Patris* & *Capitis*, Deo & Christo, etiam reproborum intuitu tribuendis; sed sub utroque nomine agi Quæstiones de fide gravissimas, ut pridem Angelicus observavit, videlicet de titulo *Capitis*, cui hîc significatione similis est appellatio *Patris*.

6 Quod verò luculentius amoris verè paterni erga omnes homines, etiam peccatores indicium desideres, quod testimonium illustrius de volita conversione peccatoris cujuslibet & salute, quàm quod in 2. Petri epistola capite 3. est, ubi Deus dicitur *Nolens aliquos perire; sed omnes ad pœnitentiam reverti*? In Paulina ad Timotheum jam citatâ *Salvator omnium hominum, maximè fidelium*: igitur & infidelium, quos peccatores esse, extra dubium est.

In ipso antiquo fœdere apud Ezechielem cap. 33. *Vivo ego dicit Dominus Deus: Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua & vivat. Convertimini, convertimini.... impietas impii non nocebit ei.* Et cap. 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis & vivat... Quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus: Revertimini, & vivite.* Isaiæ 65. & ad Romanos 10. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem & contradicentem.* Similia occurrunt plurima in utriusque Fœderis Scripturis.

Voluntatem autem istiusmodi non esse inanem & bonis effectibus vacuam; sed præparatricem mediorum ad finem sufficientium, ipsa docet ratio quodammodo naturalis, nè fallaces aliàs censeantur omnes ad pœnitentiam, justitiam, beatitudinem invitationes.

Propterea S. Thomas sapientissimè colligit lectione 3. in caput epistolæ ad Hebræos duodecimum: *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ideo gratia nulli deest; sed omnibus quantum in se est, se communicat*, ex Christi scilicet meritis præparata. Eodem sensu ait lib. 3. contra Gentes cap. 150. *Deus quantum in se est, paratus est omnibus dare gratiam; vult enim omnes homines salvos fieri*. Ratio utrobique manifesta est, & consecutio maximè legitima, à voluntate Dei erga salutem omnium, ad præparationem mediorum omnibus sufficientium.

7 Si autem tanta paternæ solicitudinis & benevolentiæ erga omnes homines argumenta, etiam juncta creationis, sustentationis, gubernationis rationibus, non satis momenti habeant penès adversarios, ut Deus omnium hominum, etiam peccatorum censeatur amantissimus *pater*, dignumque

que filiis amorem ab omnibus meritò exigat, judices illi sunt de Divina bonitate iniquissimi. De titulo *Capitis* Christo debiti intuitu omnium hominum excluso nemine seu impio, seu infideli, jam vidimus sententiam Angelici, ab eodem sapientissimè deductam ex geminis Scripturæ textibus, quibus desiderati nequeunt illustriores.

Consonat quod de Christo dicitur *Mediator Dei, & hominum, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*. 1. ad Corinthios cap. 5. *æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est: ergo pro omnibus mortuus est Christus*. Soline mortui per peccatum fuere electi, & vitam ducentes Dei filiis & Christi membris dignam, an etiam reprobi? Pro omnibus autem qui per peccatum mortui fuere, mortuus est Dei UNIGENITUS, & ut dicitur ad Hebræos cap. 2. *Videmus Jesum, propter passionem mortis, gloriâ & honore coronatum; ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*.

Pudeat itaque adversariós nomen sibi adsciscentes catholicum, consentire hæreticis in detrahenda *Patris* gloria Deo, & *capitis* Christo, postquam illam sibi Deus tot ac tantis beneficiis, quantis nullus alius parens sibi meritus est; Christus etiam effusione sanguinis & passione, qualem ab alio pro amicis, pro liberis, pro patria toleratam nulla unquam memoravit antiquitas: toleravit autem Christus pro inimicis, pro crucifixoribus, pro atheis, & si quod aliud genus mortalium est magis impium: neque pro generibus tantùm, sive aliquibus solùm ex omni genere, ut cavillantur hæretici; sed etiam pro singulis generum omnium &, ut verbo absolvam, pro omnibus hominibus.

8 Hinc telæ instar aranearum facilè dissringitur, quidquid nobis laquei texitur ex Scripturis, vel Patribus: Quod dicitur in Epistola ad Romanos cap. 8. *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*, non creatione solummodo, gubernatione, & præparatione salutis, mediorumque ad eam sufficientium, sed generatione quoque speciali per sanctificantem gratiam & adoptionem, cum jure hæreditatis, si in justitia permanserint; verumtamen quisquis juris hujus atque adoptionis non fit particeps, non propterea aliâ inferioris generis ratione, Deum agnoscere desinit genitorem, eique ut tali, amorem debere longè superioris ordinis, quàm parenti amantissimo carnali.

Quod eodem capite dicitur: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*, eodem modo intellige: non ejus amicum intimum, & adoptione filium, quâ quisquis caruerit, non propterea extra numerum est omnium, quos Deus sibi similes procreavit, semper aluit, gubernavit, voluitque beare munere hæreditatis, nisi eam filio Prodigo deteriores à Patre perpetuò profugi contempsissent. Hinc rectè è veteribus Ephrem Syrus Serm. de vita relig. atque Monastica ait: *Deus animarum nostrarum vulnera sanat, spretusque à nobis mirabiliter suffert* (ut benignissimus Pater) *omnes enim nos salvari cupit, & omnes regni sui hæredes, & possessores fieri desiderat: vult etiam voluntatem nostram, atque propositum à se laudari*; rebellionem autem æternis suppliciis, exigente justitia, puniendam, maxima à cunctis hominibus caveri solicitudine.

CAPUT IV.

Nullus è Patribus doctrinæ oppositæ suffragatur.

1 Præcipuum adversarii, ut solent, patronum sibi postulant Augustinum, ex quo *Collator* colligit non pauca labore inutili, si sensum controversiæ attenderis; non tamen ad rudium deceptionem frustraneo. Referam singula, codem quo citantur ordine.

Epist. 153. ad Maced. num. 13. „ Utique bonos docebat (Christus) orare; „ quibus præcepit ut dicerent: Pater noster, qui es in cœlis. Ex hoc enim boni, „ quo filii Dei non naturâ geniti; sed gratiâ facti, tanquam hi, quibus recipientibus eum, dedit potestatem filios DEI „ fieri.

Lib. 2. Contra Cresconium cap. 2. „ Propter malam polluramque conscientiam „ damnati à Christo, jam in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia, quoniam „ non potest Christus habere membra damnata. „

Tract. 5. in Epistolam Joannis num. 7. „ Dilectio sola discernit inter filios Dei, & „ filios diaboli. Signent se omnes signo „ crucis Christi: respondeant omnes, Amen: cantent omnes, Alleluja: baptizentur omnes: intrent Ecclesias: faciant „ parietes Ecclesiarum: non discernuntur „ filii Dei à filiis diaboli, nisi charitate. „

„ Lib. 21. de Civitate Dei cap. 25. n. 4. „ Qui per vitæ iniquitatem, ipsam vitæ ju- „ sti-

„ ftitiam, quod eis Chriftus eft, deftruunt, „ five fornicando, five alias immunditias „ perpetrando, dicendi non funt manducare corpus Chrifti, quoniam nec in membris computandi funt Chrifti. „

Denique Tract. 3. in Epift. 1. Joannis „ num.5.„ De voluntate fua quifque aut „ Antichriftus, aut in Chrifto eft. Aut in „ membris fumus, aut in humoribus malis. „ Qui fe in melius commutat, in corpore „ membrum eft: qui autem in malitia per- „ manet, humor malus eft. „

2 Prima Auguftini fententia ftatuit ad bonos præcipuè pertinere Orationem Dominicam, Deumque in illa vocari *Patrem*, non ratione creationis, & gubernationis folummodo; fed etiam adoptionis; cùm fit oratio propriè novi teftamenti, in quo, ut monet Apoftolus Rom. 8. *Accepiftis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Auguftino confentiunt Cyprianus, Gregorius, Nyffenus, Chryfoftomus, & alii: non negant tamen, etiam à peccatoribus utiliter fic orari, modò faltem in criminibus obftinati non fint: de talibus enim dicitur Proverb. 28. *Oratio ejus erit execrabilis.* Eifdem convenit illud cæci in Euangelio Joan. cap. 9. *Scimus quia Deus peccatores non exaudit.* De talibus ait Gregorius Nyffenus, Oratione 2. De Oratione Dominicâ, eos mendaciter dicere: *Pater nofter, qui es in cælis*, eùm, eo abdicato, adhærere conftituant diabolo, patrem fibi eligentes principem inferorum. Quanquam neque hos alii tres tituli deficiant, creationis, gubernationis, redemptionis, ratione quorum etiam ipfi Deum vero Patris nomine valeant compellare. Aliorum autem oratio, qui concupifcentiæ blanditiis abftracti & illecti, in crimina quidem prolabuntur; expetunt tamen à Deo potentioris gratiæ fubfidia ad converfionem, neq; mendax eft, neque à Deo repellitur: quia licèt non ducant hactenus vitam Dei filiis dignam, defiderio tamen inefficaci, ad fanctificationis formam, qua nondum præditi funt, fe faltem eminus difponunt. Tales, inquam, nec illicitè, nec inutiliter ad Deum velut Patrem Oratione Dominica confugiunt.

Ratio manifefta eft; quia in illa ex Chrifti inftitutione petimus ut *dimittantur nobis debita noftra*, Lucæ 11. quo nomine intelliguntur peccata, ut ipfe Chriftus explicat, Matth 6. *Si dimiferitis peccata eorum, dimittet vobis Pater vefter cæleftis peccata veftra.*

Significantur autem non venialia folùm; fed etiam mortalia, ficut nos dimittimus debitoribus noftris, non levia tantùm; fed etiam graviffima. Damnaretur indubiè ab omnibus velut abfurdiffimus, & minimè Catholicus interpres, qui contenderet fe juxta Orationem Dominicam levia folùm proximi contra fe delicta remittere debere non autem gravia. Non poteft igitur etiam Salvatoris fenfui effe conforme, quod adverfarii implicitè afferunt, haud poffe Oratione Dominica peccatores petere converfionis gratiam fuorumque abolitionem criminum, quafi fcilicet Patrem mendaciter appellarent, ita definiente Quefnello: *Qui non ducit vitam dignam filio Dei & membro Chrifti, ceffat interiùs habere Deum pro Patre, & Chriftum pro capite.*

3 Si novaturientium iftiusmodi Doctorum pateretur demiffio, remittere eos ad citatum à me fuperiùs Catechifmum Tridentini Concilii. Illic enim difcerent in Expofitione Orationis Dominicæ, ut aliàs memoravi ad illa verba PATER NOSTER. *Quibus rationibus Patris nomen Deo conveniat*, fcilicet rationibus *Creationis, gubernationis, ac Redemptionis*, quorum fingula fundando *patris* nomini fufficiunt, ut illic inftituimur. Nam *quod Deus* (inquit Catechifmus) *hominem creaverit ad imaginem fuam, nec illam cæteris animalibus impertiverit, ex hoc fingulari munere, quo hominem ornavit, jure omnium hominum, nec fidelium modo; fed etiam infidelium*, & proinde vitam ducentium filiis Dei minimè dignam, *pater in divinis Scripturis apellatur.*

Inde progreditur Catechifmus ad duos alios titulos *Gubernationis* ac *Redemptionis*, quibus debitam effe Patris appellationem Chriftianus populus à Parochis edocendus eft. Et quidem inquit: *Illud opus redimendi hominem fic eminet inter duo fuperiora, ut beneficentiffimus Deus, parenfque nofter fummam in nos benignitatem in tertio hoc beneficio cumulatam illuftrarit. Quare tradet fpiritualibus filiis Parochus, & affiduè eorum auribus inculcabit, hanc præftantiffimam Dei erga nos charitatem, ut intelligant fe, quia redempti fint, admirabilem in modum Dei filios evafiffe.*

Si omnibus ad quos redemptio pertinet, Deum illa reddiderit Genitorem, quandoquidem peccatoribus quoque & reprobis redemptio obtigerit, eadem Deo titulum *Patris*, illorum quoque intuitu afferuiffe dicenda eft. Attamen fateri pariter oportet ratione longè nobiliore, atque ufu communiffimo Dei filios nominari, qui funt etiam regenerationis gratiâ & adoptione: demum perfectiffimè, qui poft obitum, velut iterum geniti ad vitam refufcitan-

tantur perpetuam, hæreditate donandi bonis omnibus affluente.

4 Ut autem adversariis fiat certius, non à solis justis; sed etiam à peccatoribus ad Dei veluti patris optimi clementiam confugiendum esse Oratione Dominicâ, prosequi juverit documenta præstantissima, quæ suggerit Catechismus ille, nulli partium suspectus, à nemine unquam in dogmatibus reprehensus, irrefragabili prætereà Sedis Apostolicæ ac plurimorum ubique Antistitum stabilitus authoritate; proinde Scripturarum atque Ecclesiasticę Traditionis securissimus Interpres.

Ad illud igitur Orationis Dominicæ *Dimitte nobis debita nostra. Hac*, inquit, *petitione postulamus, ut peccata nostra remittantur. Quo loco non id modò pro levibus erratis & facillimis ad impetrandam veniam; sed pro gravibus & mortiferis peccatis deprecamur*: adeóque non à solis vitam ducentibus dignam Dei filiis & membris Christi ea adhibenda oratio est, Deusque Patris nomine interpellandus; sed etiam à peccatoribus.

Ibid. *Ne verò peccatorum gravitate deterritus, se populus veniam impetrare posse desperet, ipsum ad spem vocare Parochi debebunt his rationibus: quod & Ecclesia Christus Dominus potestatem dedit remittendi peccata, quemadmodum Sacrosancti Symboli Articulo declaratur, & hac petitione docuit, quanta esset Dei bonitas, ac liberalitas in genus humanum. Nisi enim promptus esset ac paratus Deus ad condonandum peccata pœnitentibus, nunquam nobis hanc precandi formulam præscripsisset: dimitte nobis debita nostra. Quamobrem illud fixum in animis tenere debemus, fore ut is paternam misericordiam nobis impertiat, qui ipsam bis precibus jussit exposcere... Est enim Deus, in quem abjectâ obedientiâ peccamus: cujus ordinem sapientiæ perturbamus, quantum est situm in nobis: quem offendimus, quem factis dictisque violamus. Verùm idem est ille beneficentissimus parens, qui cùm possit omnia condonare, non modo se id velle declaravit; sed etiam impulit homines, ut à se veniam peterent, & quibus id facerent verbis, docuit: videlicet, Pater noster, qui es in Cœlis... dimitte nobis debita nostra.*

5 Conspicimus hîc Deum etiam ergà peccatores veniam deprecantes beneficentissimum parentem, ejusque paternam in illos misericordiam. Conspicimus eundem hanc eis precandi formulam non permittere solummodo; sed etiam præscribere. Novimus præterea Christum Marci 11. præcipere: *Cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversùs alterum, ut Pater vester dimittat vobis peccata vestra*. Denique Lucæ 15. legimus Servatorem in Parabola de Filio Prodigo ita describere ejus reditum, ut exhibeat dicentem, *Pater peccavi in Cœlum & coram te*. Ubi non dubitat *Patris* nomine compellare, quem offendit graviter, & à quo nondum reconciliationis beneficium consecutus est.

Sic igitur Christus peccatores orare docuit, sic voluit Pater æternus Ecclesiam suam institui, ut sciamus misericordiam esse super omnia opera ejus, nullumque, in novo potissimum fœdere nomen ei accidere gratius, etiam à peccatoribus redire in gratiam cupientibus prolatum, quàm parentis, utpotè quo nullum amabilius, nullum ad excitandam in hominibus fiduciam dilectionemque magis idoneum. Non itaque periculum est, ne sic orantes, etiam peccatores, mendacium proferant: verissimè proinde Deus illis Pater est; falsus autem Quesnelli Articulus, asserens quod *esset habere Deum pro Patre, qui vitam non ducit dignam Dei filio*.

Hinc patet convenientissima, & necessaria Augustiniani textûs præ cæteris objecti expositio. *Utique bonos* (sed non solos) *docebat* Christus *orare, quibus praecepit ut dicerent: Pater noster, qui es in cœlis*. Ratio etiam, quæ sequitur, verissima est; sed novo dogmati minimè suffragatur: *Ex hoc enim boni, quo filii Dei non naturâ geniti; sed gratiâ facti, tanquam hi, quibus recipientibus eum, dedit potestatem filios Dei fieri*. Ubi totus sermo de filiis adoptionis, non destruit titulos complures, propter quos omnium hominum, etiam malorum dicitur Deus *Pater*, ut jam vidimus, non solùm testimonio Catechismi, in tota passim Ecclesia præ cæteris recepti; sed divinarum etiam Scripturarum Oraculis invictissimè confirmatum.

6 Circa secundam Augustini sententiam notandum est, quod eodem capite Augustinus neget malos *esse in Ecclesia*, prout ea corpus Christi sanctum dicitur; asserat autem eosdem in Ecclesia esse, prout hæc Areæ in divinis literis comparatur; quia in Area præter triticum reperitur & palea, ventilabro Patrisfamilias postmodum ab Area simul, & tritico separanda. Donatistas autem Augustinus redarguit, quod propter persecutiones, ut ajebant, injustas, quas se in Ecclesia passos Catholica comminiscebantur, ab ea recesserint; quia, ut rectè Sanctus commonet, quidquid injusti-

tiæ

tiæ ipsis forsitan illatum fuerit, imputandum paleæ, quæ in Area seu Ecclesia est; sed ptopter paleam non debuisse deseri Aream.

Prior accipiendi Ecclesiam ratio magis restricta, quatenus sanctam, opportunior videbatur convincendis, quos impeteret Donatistis rebaptizantibus omnes, quos à se condemnati velut hæretici, baptizassent. Duplici autem eos Augustinus convellit ariete: primo, quòd neque justitia Ministri eum, qui abluitur, sanctificet, neque ejusdem inficiat malitia; sed aquam affundente sive bono, sive impio ministro, Christus conferat sanctitatem. Servator enim est præcipuus utrobique baptizans, cujus quemadmodum sanctitas à malo ministro non destruitur, neque minuitur, ita neque infringitur operatio aut effectus.

Alter Augustini contra Donatistas aries fortissimus est, quod scilicet Donatistæ ipsi non dubitant, quin legitimus sit Baptismus collocatus ab iis, qui conscientiâ & famâ publicâ, sæpe mendacissimâ, boni reputantur. Conscientia & fama, inquit Augustinus, sicut non confert sanctimoniam Ministro, qui in tribunali Numinis pravus est, ita neque præstare potest ei qui abluitur. Ridet hæreticos S. Doctor quod divino judicio falli nescio præferrent suum, errori maximè obnoxium. A vobis scilicet damnati, inquit, velut hæretici baptizare nequeunt, possunt autem occulti nefarii, damnati à Christo, & ab ejus corpore, quod est Ecclesia, quatenus sancta est, interiùs resciffi. Tales ineptissimè putatis baptizare magis posse legitimè, quàm priores, judicio, etiam ut sæpe inter homines accidit, injusto condemnatos.

Secunda autem acceptio Ecclesiæ latior, adhibita etiam ab Augustino, capite eodem per metaphoram Areæ, fundatur in Scripturis, & communi authoritate Interpretum, Patrum, totiusque Ecclesiæ usu communissimo, prout ad fideles etiam dyscolos extenditur. Hæc post exortas præcipuè Joannis Huss, Calvini & similium hæreses, quia contra illas cautiùs loquendum est, non solùm frequentior apud Catholicos; sed velut quodammodo unica invaluit. Quemadmodum autem parum utiles videntur de nominibus rixæ, ubi de rebus constiterit, ita facile condonandus esset adversariis qualiscumque hic recessus à vulgari Ecclesiæ loquendi ratione, si securitas præstaretur de dogmate; at deprehensis erroribus acatholicis enuntiatione subdola significatis, non potuere Ecclesiæ Judices tantam dissimulare taciti perniciem, neque nos religionem relinquere contra impugnatores perfidos indefensam.

7 Neque interim silentio prætereundum est, quòd secunda hæc Augustini sententia neget non solùm peccatores esse Ecclesiæ membra, sed etiam simpliciter in Ecclesia esse: quod si in sensu obvio intelligitur, quemadmodum crudè & absque interpretatione congrua allegatur, repugnabit clarissimis Scripturarum oraculis, innumeris Patrum, etiam Augustini testimoniis, obnoxia horridis adeò consectariis, ut ipsi nunc adversarii, velut impactam sibi calumniam pernegent à se assertum *malos non esse in Ecclesia*.

Si protestatio seria est, cur talem Augustini textum proferunt, nullo illustratum convenienti Commentario? In eadem Augustini sententia dicuntur mali non posse esse membra Ecclesiæ, sive ut verba S. Doctoris exprimunt: *Mali in Corpore Christi non sunt quod est Ecclesia; quoniam non potest Christus habere membra damnata*, sive damnationem promerita, ut illic se Augustinus explicat. Cur igitur Adversarii pro vindicando Articulo 72. & sequentibus congerunt ex Quesnello textus varios, quibus videtur asserere malos esse in Ecclesia? Cur memorant eum affirmare in epist. 1. Joannis cap. 11. *Ecclesia visibilis habet etiam membra putrida*? Sed vel inde liquet, quod infinitis ubique exemplis perspicimus confirmatum, adversarios in suis vindiciis non nisi tenebras, & fallacias sectari, candoris non minùs, quàm veritatis agnitæ inimicos. De his plura in fine disputationis contra Articulum 78.

In tertia Augustini sententia *Dilectio sola discernit inter filios Dei & filios Diaboli*, quod sicut de filiis per adoptionem intelligitur, & jus habentibus ad hæreditatem, non destruit cæteros, Creationis videlicet, gubernationis, Redemptionis titulos, quibus Deus omni homini, etiam reprobo, & dilectione vacuo Pater est, ut allegatis pluribus Scripturarum testimoniis, totius sensu Ecclesiæ, ac luculentis Catechismi Tridentini textibus declaratur, nullo hactenus catholico refragante.

8 Quarta ex Augustino allegatio, si juxta verborum corticem accipiatur, Adversarios ad Calvinistas accedere propius, neque ab unione admodum remotos esse, pluribus persuadebit. Sensu quidem Catholico Augustinus asserit fornicatios & similes *dicendos non esse manducare Corpus Christi*, salutiferè scilicet, secundùm quòd Christus dixerat Joannis 6. *Qui manducat meam car-*

carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die ... Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet & ego in illo .... Qui manducat me, & ipse vivet propter me ..... Qui manducat hunc panem, vivet in æternum, & paulò superiùs: *Hic est panis de cælo descendens; ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.*

Quibus omnibus licèt ad vivendum, solam Christus requirere videatur sui corporis manducationem, nemo tamen interpretum dubitat, quin intelligatur digna, seu sancta, sinè reatus mortiferi conscientia. Sic etiam in ratione, quæ ab Augustino de sceleratis additur *Quoniam nec in membris computandi sunt Christi*, subintellige sanctis & dignis tali corpore. Aliàs quod Augustini verbis, absque commentario crudè proponitur, ut similia complura ejusdem Sancti, ad suam Calvini asseclæ convertunt hæresim. Sic Beza in summa doctr. de re Sacrament. Quæst. 13. *Sicut symbola accipiuntur solo ore corporis, ita Corpus Christi solo ore fidei: cum ergo non habeant impii os fidei, non percipiunt nisi symbola corporis Christi.*

Visus id sibi fuerit hæreticus colligere ex Augustini sententia; qua Sanctus ait criminibus inquinatos dicendos non esse manducare Corpus Christi. Neque obesse videbitur quod Beza de impiis enuntiat, eos non *habere os fidei*, quo manducare corpus valeant; nam neque iidem *os fidei habent*, Arnaldi & Quesnelli judicio in *difficultatibus Steyaertio propositis* parte 9. pag. 206. ubi contra inflictum ab Alexandro VIII. anathema sustinent Propositionem hanc 12. inter 31. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides: & etiamsi videantur credere, non est fides divina; sed humana.*

9 Quinta denique Augustini sententia significat peccatores nolentes se ad bonam frugem convertere, non membris Christi; sed malis humoribus similes futuros. Verùm rectè monet S. Thomas Parte 3. Quæst. 8. art. 1. ad 2. *in metaphoricis locutionibus non oportet attendi similitudinem quantum ad omnia*: peccatores nempè istiusmodi sunt in Christi corpore velut membra non viventia per charitatem; sed mortua & putrida per peccatum. Ita Quesnellius ipse explicat loco superiùs citato in primam scilicet Joannis Epistolam cap. 11. *Omnes qui sunt in Ecclesia, de Ecclesia sunt visibili, quamvis non sint de numero Sanctorum & Electorum. Habet illa etiam membra corrupta, & humores pravos.*

Cur igitur, inquies, opponuntur nobis ab adversariis sententiæ quoad verborum speciem contrariæ? Breviter respondeo, quia sunt non solùm pertinaces hæretici; sed inter maximè fraudulentos, quibus dum statutum fixumque est doctrinam Ecclesiæ & fidem subvertere Catholicam, locutionibus hæreticis subinde interserunt orthodoxas; at sensu intellectas extraneo & minimè incommodo novitati. Membra putrida & mortua etiam nos dicimus perversos in Ecclesia Catholicos, & pravis in corpore humoribus similes.

Sed in eo sita est Novatorum fallacia, quod ita mortuos, ita putridos intelligant peccatores, ut nullum valeant elicere bonum motum sive naturæ viribus, sive quolibet cooperante cœlesti auxilio, nisi quo à peccati statu ad justitiam transferantur; ac proinde reprobis omnibus & singulis salus penitùs impossibilis sit, atque ita Deus nullius beatitudinem extra prædestinatorum numerum voluerit, nullius salutem Christus à Patre petierit, nullius sua intenderit passione aut morte: qui sensus quinta est hæresis Janseniana, & plurium contra fidem errorum seminarium, ut in Dialogo post Articulum proximum luci exponetur meridianæ.

10 Prolixa nobis hic præterea intorquetur sententia ex Gregorii Nysseni de Oratione Dominica oratione 2. „ Improbæ voluntatis atque propositi pater esse is, qui „ suâ naturâ bonus est, naturaliter non „ potest, neque vitâ contaminati sanctus: „ neque mortificati per peccatum, pater „ vitæ: neque eorum, qui vitiis probrosis „ & ignominiosis impulsi turpia committunt, is qui purus & integer est: neque „ avari & raptoris benefactor: nec eorum „ denique qui in aliquo malo deprehenduntur, is qui in omni bono cernitur at- „ que consideratur parens esse potest... „ Nam si quis expiatione etiam nunc „ opus habens, seipsum inspiciens, & vi- „ tiosam suam conscientiam agnoscens, „ plenam maculis & scelerum notis inustis, „ priusquam à tot tantisque malis expurgatus sit, se Dei cognationi inserat, ac „ dicat *Pater* justo injustus, puro impurus, „ contumelia atque convicium planè ea „ verba fuerint: Si quidem suæ nequitiæ „ patrem Deum nominat... Si conscien- „ tiâ vitiosâ quis præditus, patrem suum „ Deum

„ Deum dicat, nihil aliud, quàm suorum „ malorum quasi principem & authorem „ cum insimulabit... Si quis igitur gravi „ tardoque corde, ut inquit Scriptura, at- „ que mendacium quærens, audet oratio- „ nis verba usurpare, sciat quod non cœ- „ lestem patrem invocat; sed infernum, „ qui & ipse mendax est, & ejus quod in „ unoquoque constatur, mendacii pater „ existit, ille peccatum & peccati pater est.

Objectioni huic occasio accepta est ex Bellarmino lib. 1. de bonis operibus in particulari cap. 6. ubi exponitur Oratio Dominica. Illic eruditissimus Cardinalis ait juxta S. Gregorium Nyssenum loco ab adversariis citato. „ Eos qui filii Dei nec sunt, nec es- „ se volunt, quippe qui in peccato morta- „ li voluntariè persistunt, mendaciter di- „ cere: Pater noster, qui es in cœlis; nam „ qui Patrem invocant ut ipse ait (S. Gre- „ gorius) non Deum; sed Diabolum invo- „ cant; si quidem ex patre Diabolo sunt. „ Diabolus autem non est in cœlis; sed in „ inferis: ac de tali oratione rectè intelli- „ gitur illud Proverb. 28. *Oratio ejus erit* „ *execrabilis*: & illud cæci nati Joannis 9. „ *Scimus quia Deus peccatores non exaudit*.

„ Tamen, si peccator pœnitentiam age- „ re incipiat, & jam spe ac desiderio filius „ Dei sit, non absurdè dicere poterit, *Pa-* „ *ter noster*, ut S. Hieronymus docet in „ epistola ad Damasum de Filio Prodigo: „ & probat ex eo quòd Filius Prodigus Lu- „ cæ 15. nondum reconciliatus, dicit se „ indignum esse qui vocetur filius, & ta- „ men *Patrem* appellat, cùm ait: *Pater* „ *peccavi in cœlum & coram te*: Quomodo „ etiam Isaias in persona pœnitentium orat „ cap. 63. *Tu Domine Pater noster es* &c. Hactenus Bellarminus: cui, ut responsio magis adæquata sit, adde quod superiùs notaveram ex catechismo Romano Tridentini Concilii, superesse peccatoribus, etiam obduratis appellationis paternæ tres titulos, creationem, gubernationem, redemptionem, quos nulla mortalium iniquitas valeat abolere.

11 Minùs etiam difficultatis parit sententia Cypriani de Oratione Dominica ad illa verba *Pater noster*: „ In quorum [ait „ Judæorum] exprobrationem Christiani „ quando oramus, Pater noster dicimus; „ quia noster esse cœpit, & Judæorum, qui „ illum reliquerant, esse desiit: nec pec- „ cator populus potest esse filius; sed qui- „ bus remissio peccatorum datur, iis filio- „ rum nomen adscribitur. „

„ Peccator populus nequit esse filius, ad quem pertineat hæreditas, quæ solis promittitur à Deo per sanctificantem gratiam adoptatis: atque hi ferè soli filiorum nomine communiter appellantur. Verùm decipere Quesnellistæ cupiunt Ecclesiam, talium coacervatione textuum ex Patribus. Remotissimi enim fuere veteres, ut sunt hodie catholici à negando Judæis, etiam peccatoribus Salvatore Deo & Redemptore Jesu Christo, quasi eos sine omni sufficienti auxilio destituat, ut proinde impossibilis illis fiat vera pœnitentia, conversio, justitia, & salus.

Trucem adeò Salvatori Deo, ejusque filio humani generis Redemptori iniquissimam impingunt novi Theologi contumeliam, in præsenti quidem Articulo dolosiùs, apertiùs autem in Quinto inter triginta unum, quos Alexandri VIII. anathema profligavit; sed Arnaldi, & Quesnelli temeritas contra Petri Cathedram & universam ei obedientem Ecclesiam, defendere, & quidem petulantissimè ausa est. Ita ferebat damnata illic enuntiatio: „ Judæi, Pagani, „ Hæretici, aliique hujus generis, nullum „ omnino accipiunt à Jesu Christo influ- „ xum, adeòque hinc rectè inferes, in il- „ lis esse voluntatem nudam & inermem, „ absque omni gratia sufficienti.

Cujus catholici animus non horret audiens indignam adeò Dei optimi misericordiâ, & Redemptoris erga omnes homines affectu tenerrimo, ac propensissimo opinionem; Veriùs dixerimus blasphemiam, innumeris Scripturarum testimoniis facilè convincendam, atque à me in superioribus expugnatam sæpius, obtritamque! Resuscitata nihilominus ac defensa impudentius fuit à memoratis geminis Janseniani exercitûs ducibus in famosis difficultatibus Steyaertio propositis parte 9. pag. 212. & sequentibus.

Errori huic si junxeris quadragesimum Bullâ UNIGENITUS proscriptum: *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*; sequitur quoque octavus inter 31. Alexandri VIII. diplomate confixos: *Necesse est infidelem in omni opere peccare*.

Verùm non minùs etiam hic ferociter insurgit, & contra definitionem invehitur cum Arnaldo Quesnellus in iisdem *Difficultatibus* parte 9. pag. 159. ex suo quærens adversario, num & Articulum istum vocare audeat *justissimè condemnatum*? Audaciam prosequitur paginis pluribus.

12 Nos itaque cum Cypriano profitebimur, *Quibus remissio peccatorum datur, eis filio-*

filiorum [adoptionis & hætedum] *nomen adscribitur*; non tamen aliis desinit Deus Pater esse multiplici titulo sæpius indicato; quia scilicet omnes ad sui similitudinem condidit, omnes conservat, gubernat, dirigit, omnes alit, omnibus prospicit de mediis sufficientibus quibus recuperare valeant vitam animo, hæreditatem, & beatitudinem consequi sempiternam. Similis responsio convenit ei quod producitur ex S. Avito Viennensi Episcopo in quinto fragmentorum à Sirmondo editorum ubi: „ Dicit Euangelista quod *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*, ut aut permaneat filius bene „ vivendo, aut certè per carnalem conversationem rejiciat paternitatem „. Permaneat, inquam, filius adoptionis si voluerit, prosequendo justitiam, aut, si turpitudinem sectari maluerit, patrem à se abdicet, adoptione atque hæreditatis jure in perpetuum spoliandus.

13 Ultima objectio, quæ apud Collatorem ordine prima est, responsionem ipsa facilem reddit, suggerens Sermonis circumstantiam, scilicet quod sit Athanasii contra Arianos, divinitatem Filio detrahentes: *In quorum cordibus*, inquit, *Filius non est, nec etiam Deus eorum Pater* dici potest. Patet enim neminem patrem dici, nisi ratione Filii; quisquis igitur in divinis negaverit Filium, Patrem non potest, qualem oporteat, agnoscere; cùm hâc perfidiâ & Patri & Filio se statuat inimicum, quomodo ipse censeri filius, aut Deus diei pater ejus poterit adoptione?

Nullum tamen vitium, nulla hæretica impietas impedire potest; quin ad Deum homo pertineat creatione, gubernatione, & voluntate erga ejus salutem verè paternâ, redemptione etiam per Filium suum unigenitum; atque adeò affectu multis gradibus superiore, quàm in ullis erga filios sit, parentibus carnalibus: & sicuti natorum contra eos rebellio efficere nequit, quin ab eis geniti revera filii sint, licèt eis auferat cum filiorum jure hæreditatem, & quamlibet aliam istius generis prærogativam, sic neque ulla crimina, quantumvis enormia, ipsamque impugnantia Divinitatem, unquam impedient, quin homo quilibet procreatus fuerit à Deo secundùm ejus imaginem, paternoque conservatus, & redemptus affectu, quæ Deo Patris titulum semper vindicant; ipsum quoque peccatorem quemlibet, quoties Deum hoc sensu Patrem vocaverit, liberant à mendacio. Sic à Tridentini Catechismo instituimur, neque ullus istud in dubium vocare potest sanæ mentis Theologus.

Evidens proinde est Gregorium Nyssenum superiùs, & quemlibet alium ex Patribus negantem Patris appellationem Deo intuitu impiorum, accipere illam in strictiore significatione; videlicet adoptionis, qua ratione etiam nos Patris titulum Deo intuitu eorumdem, minimè tribuimus. Frustrà itaque adversarii in Sanctis Patribus sensûs sui & dogmatis perversissimi præsidium quærunt; in solis hæreticis, & improvido eorum Sectatore Jansenio reperturi.

Propositio damnata septuagesima octava.

Separatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundùm Euangelium, quàm non credendo Euangelio. *Observ. Mor. Act.* 3. *v.* 23.

CAPUT I.

Propositio gravibus censuris digna convellitur.

1 NOmine populi electi non solos in Propositione intelligi prædestinatos, perspicuum est ex eo, quòd nemo fidelium, nemo etiam adversantium hic nobis Quesnellistarum dubitet, quin prædestinatio sit certa, falli ac mutari nescia, adeò ut nullus unquam prædestinatione excidat, ut populo electo excidere hic aliquos, ipsa pandit enuntiatio: *Separatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundùm Euangelium, quàm non credendo Euangelio*. Populus autem Judaicus figura fuit Ecclesiæ Christi: ab hac separantur plurimi, qui baptismate ingressi fuerant, & annis in ea vixerant non paucis. Separatio illa fit excommunicatione, schismate, aut alienæ professione fidei: Propositio autem damnata omnes ab electo illo po-

populo, seu Ecclesiâ separat etiam peccatores; non enim ducunt vitam Euangelio congruentem.

Homines à populo Dei non quolibet sejungi delicto, etiam gravi & mortifero, discimus ex ipsa lege veteri apud Isaiam cap. 64. *Iniquitates nostra quasi ventus abstulerunt nos, non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te: abscondisti faciem tuam à nobis, & allisisti nos in manus iniquitatis nostra. Et nunc Domine Pater noster es tu.... Ne irascaris Domine satis, & ne ultra memineris iniquitatis* nostræ. *Ecce respice, populus tuus omnes nos.* Imò capite præcedenti ubi de sua queritur obdurationc, nihilominus & Deum prædicat patrem suum, & se *populum Sanctum*, nempe ut Tridentini Catechismus in Expositione Symboli explicat, *Consecratum Deo*; etsi multis & magnis peccatoribus non carentem.

Sic igitur populus Israel, apud Isaiam cap. 63. *Tu Domine Pater noster, redemptor noster, à seculo nomen tuum: Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis; indurasti cor nostrum, ne timeremus te? Convertere propter servos tuos, Tribus hereditatis tua. Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum.* Deus ipse vocat populum suum, quantumlibet peccatorem. Michææ cap. 6. *Audiant montes judicium Domini, & fortia fundamenta terra; quia judicium Domini cum populo suo & cum Israel dijudicabitur: Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui? Responde mihi.* Remittimur hinc ad Jeremiæ cap. 2. Ubi Deus de populo suo gravissimè conqueritur: *Obstupescite cœli super hoc, & porta ejus desolamini vehementer, dicit Dominus: Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aqua viva, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, qua continere non valent aquas.*

Ibid. *Quid vultis mecum judicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus. Frustrà percussi filios vestros: Quasi leo vastatur generatio vestra. Videte verbum Domini: Nunquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? Quare ergò dixit populus meus: Recessimus, non veniemus ultra ad te? Nunquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fascia pectoralis sua? Populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris.* Et tamen non cessavit Dominus agnoscere & vocare populum suum.

2 In Christi quoque Ecclesia, cujus figura fuit populus Judaicus, & cujus caput Christus est, non omnes ducunt vitam consonam Euangelio, qui non propterea tamen ab Ecclesiæ gremio ante excommunicationis sententiam separantur. Ita nos Christus docuit. Matth. 18. „ Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum, „ inter te & ipsum solum. Si te audierit, „ lucratus eris fratrem tuum; si autem te „ non audierit, adhibe tecum adhuc unum, „ vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum... Quod si non „ audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. „ Ubi delictum antea commissum perspicimus, & delinquentem nondum ab Ecclesia divulsum, donec pertinacia, & contra Ecclesiæ gubernatores rebellio, eos impulerit, ad excommunicandum.

Sic & Apostolus scribens Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi epist. 1. cap. 1. *Significatum est mihi*, inquit, *quod contentiones sunt inter vos*: & cap. 5. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem Patris sui aliquis habeat.* In quem locum ita breviter notat à Lapide. *Erat ergo hic incestus simul & adulterium, in quo contumaciter hic homo permanebat; sine contumacia enim non potuisset excommunicari.*

Habemus hìc hominem in Ecclesia viventem minimè juxta Euangelium, neque suis ab ea statim criminibus separatum, sed accedente demum judicis sententiâ. Sequitur enim in textu Apostoli: *Et vos inflati estis, & non magìs luctum habuistis ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem Spiritu, jam judicavi ut præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis, & meo Spiritu cum virtute Domini nostri Jesu, tradere hujusmodi Satana in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die judicii.*

Chrysostomus in hunc locum & Theodoretus in Præfatione Epistolæ, fornicarium hunc censuit hominem potentem, ducem factionis & schismatis. Non videtur etiam levis culpa in cæteris saltem omnibus quos Apostolus hìc adeò graviter reprehendit. *Et vos inflati estis &c.* In quem locum sic Angelicus. „ Ponit (Apostolus) „ culpam eorum, qui hoc peccatum tolerabant: & primò reprehendit eorum tolerantiam; secundò supplet quod illi negligebant. Circa primum notat in eis „ tria vitia: primò superbiam, cùm dicit, „ Et vos inflati estis, scilicet vento superbiæ, reputantes vos innocentes ex comparatione peccatoris, sicut Lucæ 18. „ Pharisæus dicebat, *Non sum sicut cæteri* „ *ho-*

„ *hominum, velut etiam hic Publicanus*. Sapientiæ cap. 4. *Disrumpet illos inflatos sinè* „ *voce* „. ubi non supponitur inflatio & superbia levis.

3 Pergit Angelicus interpres: „ secundò „ tangit (Apostolus) eorum injustitiam, „ cùm dicit, Et non magis luctum habuistis, „ scilicet patiendo causam peccatoris. „ Tertiò tangit eorum judicii negligen- „ tiam „. Quæ tria peccata prorsus aliena sunt à doctrina & vita Euangelica: non tamen ullus eorum præter infamem & incestuosum fornicarium fuisse legitur ab Ecclesia separatus.

Matthæi cap. 25. ab ipso nobis Salvatore proponitur Parabola decem Virginum, quarum quinque erant fatuæ, & quinque prudentes. Parabolam sic illustrat S. Gregorius, ut novimus ex Breviario: „ Quærendum nobis est, quid sit Regnum Cœ- „ lorum, aut cur decem Virginibus com- „ paretur, quæ etiam Virgines prudentes „ ac fatuæ dicantur; dum enim Cœlorum „ Regnum constat, quia reproborum nul- „ lus ingreditur, etiam fatuis Virginibus „ cur simile esse perhibetur?

„ Sed sciendum nobis est, quòd sæpe „ in sacro eloquio Regnum Cœlorum præ- „ sentis temporis Ecclesia dicitur. De quo „ alio in loco Dominus dicit: Mittet Fi- „ lius hominis Angelos suos & colligent „ de regno ejus omnia scandala. Neque „ enim in illo Regno Beatitudinis, in quo „ pax summa est, inveniri scandala pote- „ runt, quæ colligantur... Et quia ex „ utroque sexu Fidelium multitudo colli- „ gitur, Sancta Ecclesia decem Virginibus „ similis esse denuntiatur: in qua quia „ mali cum bonis, & reprobi cum electis „ admixti sunt, rectè similis Virginibus „ prudentibus & fatuis esse perhibetur. „

Hactenus Gregorius Magnus Homil. 12. in Euangelia ubi, & hoc ab eodem additur: „ Qui rectè credunt, & justè vivunt, assi- „ milantur quinque prudentibus; qui au- „ tem profitentur quidem fidem Jesu; non „ autem se præparant bonis operibus ad „ salutem, reliquis quinque Virginibus „ fatuis „ S. Hieronymus ait „ similitudinem „ decem Virginum fatuarum atque pru- „ dentium, quidam simpliciter interpre- „ tantur in Virginibus... Sed mihi vide- „ tur ex superioribus esse alius sensus qui „ dicitur, & non ad virginalia corpora; sed „ ad omne hominum genus hæc compara- „ tio pertinere. „ Ut nempe fatui & prudentes, boni & mali, Electi & reprobi in Ecclesia sint.

4 Altera Ecclesiæ similitudo à Christo traditur Matth. cap. 13. ut sequitur: *Iterum simile est Regnum Cœlorum Sagenæ missæ in mare & ex omni genere piscium congreganti: quam cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa; malos autem forás miserunt. Sic erit in consummatione seculi. Exibunt Angeli & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis &c.*

Quem locum Sanctus Gregorius homilia 11. in Euangelia sic explicat: „ Sancta „ Ecclesia Sagenæ comparatur; quia & „ piscatoribus est commissa, & per eam „ quisque ad æternum Regnum à præsentis „ seculi fluctibus trahitur, ne æternæ mor- „ tis profundo mergatur: quæ ex omni „ genere piscium congregat; quia ad pec- „ catorum veniam sapientes & fatuos, li- „ beros & servos, divites & pauperes, „ fortes & infirmos vocat. Quæ Sagena „ [scilicet Sancta Ecclesia] tunc perfectè „ impletur, cùm in fine suo humani gene- „ ris summa concluditur... Nunc enim „ malos bonosque communiter [quasi per- „ mixtos pisces] fidei Sagena continet; „ sed littus indicat, Sagena Ecclesiæ quid „ trahebat. „ Separationem igitur ab Ecclesia non statim facit noxa qualibet lethifera, ubi nulla fertur à superioribus excommunicatio.

5 Plures sunt in Scripturis Parabolæ & similitudines, quæ communem contra adversarios sententiam invictissimè stabiliunt, quales sunt de zizaniis in agro ab inimico homine superseminatis tritico, quæ crescere sinuntur usque ad messem: de Area, in qua cum frumento palea est, usque dum hæc ventilabro excutitur. Convivium Nuptiale ingressus, & in eo discumbens deprehenditur homo non indutus veste Nuptiali. Arca etiam Noë typus Ecclesiæ fuit continens animalia omnis generis munda & immunda: in domo vasa aurea sunt & argentea, lignea & fictilia &c. quæ Sanctorum Patrum interpretationibus declarata Catholicam contra adversarios confirmant irrefragabili testimonio veritatem.

Sic nempe S. Cyprianus Lib. 3. Epist. 3. ad Maximum, *Impediri*, inquit, *non debet aut Fides aut Charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus*. Sanctus Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos ultra medium: *Arca Noe Ecclesiæ typus fuit, ut in illa omnium animalium genera, ita & in hac universarum gentium, & morum homines sunt:*

sunt: ut ibi pardus, hœdi, lupus, & agni, ita & hic justi & peccatores, idest, vasa aurea & argentea, cum ligneis & fictilibus commorantur. S. Fulgentius Libr. de Fide ad Petrum cap. 43. *Firmissimè tene & nullatenus dubites Aream Dei esse Catholicam Ecclesiam, & intrà eam usque in finem sæculi frumento mixtas paleas contineri, idest bonis malos Sacramentorum communione misceri*.

6 Ipse Augustinus Tractatu 6. in Joannem *Nos*, inquit, *fatemur*, *in Ecclesia Catholica & bonos & malos esse; sed tanquam grana & paleas*. Similia habet lib. 2. Retractationum cap. 18. lib. de Unitate Ecclesiæ cap. 13. In Breviculo quoque Collationum est collatio celebris Catholicorum Antistitum 306. & Donatistarum 296. habita Carthagine, cui ipse interfuit Augustinus. Calumniantibus autem hæreticis quasi duas statueremus Ecclesias, quarum una in terris bonos comprehenderet & malos, in Cœlis altera solos Sanctos, responderunt Catholici non duas Ecclesias, sed unius & ejusdem se distinguere duo tempora, teste Augustino: *Eandem ipsam unam & sanctam Ecclesiam dixerunt nunc esse aliter, tunc aliter futuram: nunc habere malos mixtos, tunc non habituram; sicut non ideo duo Christi sunt, quia aliquando mortalis, aliquando immortalis fuerit Christus*.

Joannes in Apocalypsi cap. 1. & 3. scribens septem Ecclesiis Asiæ, plerasque reprehendit de culpis non levibus; observat autem Augustinus lib. 2. contra Parmenianum quod Sardicensis Ecclesiæ Episcopo, qui Sardicensis *Angelus* appellatur, Joannes exprobret: *Nomen habes quod vivas, & mortuus es*. Non igitur vitam ducebat dignam Filio Dei & membro Christi: neque tamen separabatur ab Ecclesia. Prætereo quod habet Augustinus libr. 18. de Civitate Dei cap. 49. &c.

Sanctus Chrysostomus dilucidè affirmat, non solummodo cum bonis malos in Ecclesia esse; sed iis etiam partim Ecclesiam constare in Psalmum 39. ad illud *Multiplicata sunt super capillos capitis mei*. Sic nempe Sanctus Doctor: *Nec ex perfectis quidem universa constat Ecclesia; sed habet eos etiam qui otio & socordiæ se dedunt, mollemque & dissolutam vitam amplectuntur, & libenter serviunt voluptatibus: & quoniam est unum corpus, tanquam ex una persona hac & illa pronuntiat*.

7 Adversantium errorem multiplex etiam ratio debellat. Cùm scilicet omnibus sit præceptum ad salutem necessarium, Ecclesiam ingrediendi, audiendi, ejusque nos submittendi judiciis & mandatis, necesse est eam fieri omnibus visibilem. Sanctitas autem in animis hominum latens, etsi quibusdam indiciis admodum probabilibus subinde prosiliat foràs, non tamen ab omni solet libera esse deceptionis periculo; cùm nihil magis subdolum sit hypocritis. Juxta doctrinam Articuli minimè facile esset veros Ecclesiæ Præpositos ab illegitimis discernere: neque Prælatis facile oves suas ab extraneis. Unde in subditis luxabitur reverentia atque obedientia erga superiores Ecclesiæ, in his dilectio & cura erga subditos veluti neque ad suum Ovile, neque ad universalem Ecclesiam pertinentes. In eadem hypothesi nullus in Ecclesia egeret Pœnitentiæ Sacramento, solis expiandis peccatis mortalibus necessario.

Argumentis pluribus errorem Quesnelliani Articuli expugnat Gregorius Magnus Homilia 18. in Evangelia. Locus præclarissimus; sed prolixior est; cùm tamen solus vindicandæ contra adversarios veritati abundè sufficere videatur, meretur referri integer.

CAPUT II.

Communis Sententia contra damnatum Articulum confirmatur à S. Gregorio homilia 18.

1 Et egressi Servi ejus in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos & bonos, & impleta sunt nuptiæ discumbentium. Ecce jam ipsa qualitate convivantium apertè ostenditur; quia per has regis nuptias præsens Ecclesia designatur, in qua cum bonis & mali conveniunt. Permixta quippe ex diversitate filiorum; quia sic omnes ad fidem generat, ut tamen omnes per immutationem vitæ ad libertatem spiritalis gratiæ, culpis exigentibus, non perducat. Quousque namque hic vivimus, necesse est ut vitam præsentis Seculi permixti peragamus: Tunc autem discernimur, cùm pervenimus.

„ Boni enim soli nusquam sunt, nisi in cœlo: & mali soli nusquam sunt, nisi in inferno. Hæc autem vita, quæ inter cœlum, & infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita utramque partium cives communiter recipit: quos tamen Sancta Ecclesia & nunc indiscretè suscipit, & postmodum in egressione discernit. Si ergo boni estis, quamdiu in hac vita subsistitis, æquanimiter tolerare malos de-

„ charissimi, quod hunc & amicum vocat, „ & reprobat, ac si ei apertiùs dicat, Amice, & non Amice. Amice per fidem; „ sed non Amice per operationem. „ Hæc omnia Gregorius Magnus. Non igitur *separatur quis* [*ab Ecclesia*) *tam non vivendo secundùm Euangelium; quàm non credendo Euangelio.*

CAPUT III.

Malæ causæ patrocinium nullum est in Scriptura, Patribus, aut Bellarmino.

1 Author *Observationum in Propositiones* 101., qui vel Quesnellus ipse est, vel acerbitate & audaciâ ei persimilis, *Quidquid*, inquit, *ad superioris Articuli defensionem adductum est, ad præsentis quoque pertinet apologiam. Tam autem sensus ejus perspicuus est, ut non magis quàm superior, nec nisi putidè cavillando, potuerit condemnari.*

Initium Apologiæ ducit ab Apostolo 1. Corinth. 16. dicente: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit.* Unde Defensor illicò concludit: *Hoc itaque terrificum anathema à tanto Apostolo vibratum incurritur non amando Jesum Christum, & non vivendo juxta Euangelium. Istud autem quid est aliud, quàm à populo electo, qui Christo servit in spiritu veritatis miserè separari, qualicumque retento exterioris vinculo unionis?* Dein accedens ad citandum contra Sedis Apostolicæ sententiam Augustinum, præfatur, *Hunc Sanctum indubiè & saltem non minore quàm Censores Romanos fuisse scientiâ præditum.*

Nos Augustinum dedimus capite primo novitati apertissimè contrarium, non uno loco; hic autem ex Quesnelliano vindice vicissim quærere nobis liceat, an ipse majore se pollere scientiâ existimet, non dico quàm omnes Romanos Censores, quos veluti fungos aut stipites despicit; sed quàm centum & plures eis consentientes Galliæ Episcopos, atque extra eam Christiani orbis Antistites universos? Ducem se nobis præstitit Aquinas Augustini & Apostoli interpres fidelissimus, qui in locum Pauli ab Adversario allegatum ait: „ Si „ quis non amat Dominum nostrum Jesum „ Christum, anathema sit, id est separatus, „ vel excommunicatus: maranatha, id est „ Dominus veniet, quasi dicat: Qui non „ amat Dominum nostrum Jesum Christum „ sit anathema in adventu Domini. Sed „ nunquid sunt excommunicandi omnes „ qui non sunt in charitate? Respondeo „ dicendum, quòd hoc intelligitur, si quis „ non amat Dominum Jesum Christum, id „ est, fidem Christi & isti sunt hæretici, „ & sunt excommunicati. Vel si quis usque „ ad finem mortis non perseverat in amore „ Domini nostri, in adventu erit separatus „ à bonis. „

2 Hic videt damnati dogmatis temerarius Propugnator juxta tutissimam & inconcussam Angelici interpretationem, anathema non infligi ab Apostolo *omnibus, qui non sunt in charitate*; sed *hæreticis qui non amant fidem Christi, & hi sunt excommunicati*: vel *si quis usque ad finem mortis non perseverat in charitate, in adventu* Christi ad judicium *erit separatus* (sive separabitur) *à bonis*. Nihil in universa hac Angelici sententia, adeóque nec in Apostoli est, quod non omnes verissimum agnoscant Catholici; nihil quod patrocinetur Articulo damnato, de anathemate seu separatione ab Ecclesia ob quodlibet delictum lethiferum ipso statim crimine incurrenda.

Non magis errori favet interpretatio Anselmi dicentis: *Si quis non diligit Dominum Jesum, sicut ei non est utilis adventus ejus, qui jam completus est, sic ad damnationem sit ei secundus.* Ubi nihil est de separatione ab Ecclesia propter peccatum simul atque committitur. Sed nec quidquam est in Commentario Cornelii à Lapide. „ Anathema (inquit) est res quæ cum exe„ eratione separatur, abjicitur, & destina„ tur ad extremum exitium; quod in homi„ nibus est æterna damnatio. Non sunt er„ go verba excommunicantis; sed execran„ tis & denuntiantis æternam damnatio„ nem iis, qui Christum non amant, & in„ fidelibus. „ Quibus annumerandi hic veniunt etiam Judæi.

3 Christiani autem peccatores, etsi Christum non eo quo ad salutem aut justitiam opus est, amore diligant, tamen & affectum aliquem dilectionis passim erga benignissimum Salvatorem retinent, neque absque salutifera ejus charitate vellent è vivis discedere: proinde, ait S. Thomas, non hos ferit Apostoli anathema.

Venio ad Augustinum, quem adversarius Sedi Apostolicæ opponens, ait *Saltem non minore, quàm Censores Romanos scientia præditum*. Quidquid sit de eximia Doctoris Maximi eruditione, nihil ei debitæ existimationis detraxero, si dicam cum S. Thoma 2. 2. Quæst. 11. art. 2. ad 3. „ Hæreti„ cus censetur, qui pertinaciter repugnat „ determinatis authoritate universalis Ec„ clesiæ;

„ clesiæ; Quæ quidem authoritas principa- „ liter residet in Summo Pontifice... Con- „ tra cujus authoritatem nec Hieronymus, „ nec Augustinus, nec aliquis Sacrorum „ Doctorum suam sententiam defendit: „ defendere autem præsumit Quesnellus, quasi Hieronymo, Augustino, Aquinate, & quibuslibet Sacris Doctoribus præcelleret scientiâ, quibus cedit plurimum modestiâ, demissione & sanctitate: cum Lutheranis verò & Calvinianis pro audaciæ & temeritatis palmâ decertat minimè segniter.

Romanis supremæ authoritatis definitionibus Catholici obsequimur non adeò ob Consultorum, quantumvis excellentium, peritiam, quàm ob promissum Petro à Christo subsidium, adversùs quod nec portas inferi prævalituras prorsus confidimus, firmiterque credimus. *Romanos esse* [scimus] *quorum fides Apostolo prædicante laudata est*, teste S. Cypriano de adulatione erga Romanos Pontifices minimè suspecto epist. 55. Quapropter meritò ab Alexandro VIII. proscriptus est hic articulus inter 31. penultimus: *Ubi Quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam*.

Hæc à me velim habeat Lector ad castigandam solummodo adversarii temeritatem, non quasi in Augustino aliquid sit Pontificiæ contrarium definitioni. Locus nobis objectus est ex lib. 1. de Baptismo cap. apud Adversarium nono, apud me decimo: *Neque enim ii soli ad eam* [Ecclesiam] *non pertinent, qui separationis aperto sacrilegio manifesti sunt; sed etiam illi, qui in ejus communitate corporaliter mixti per vitam pessimam separantur*.

Respondeo cum eruditissimo Bellarmino lib. 3. de Ecclesia militante cap. 9., qui postquam ex pluribus Augustini locis probavit etiam *malos ad Ecclesiam pertinere* sic concludit: *Ex his respondetur, quando Augustinus dicit malos non esse in Ecclesia, debere intelligi, non esse eo modo quo sunt boni, id est non esse ut membra corporis viva*; non esse utiliter & ad salutem.

4 Hunc loci allegati sensum indicant ipsæ circumstantiæ, ubi Augustinus Donatistas de Baptismi sui bonitate gloriantes reprimit, dicendo neque ipsos Baptismum habere à suo schismate; sed ab Ecclesia Catholica: neque hunc eis profuturum quamdiu in schismate permanserint: addens, ne eos quidem ad Ecclesiam, modo scilicet sibi utili & salutifero pertinere, qui in ejus unitate corporaliter mixti *per vitam pessimam separantur*: non separationis aperto sacrilegio; sed occulto, vel per judicis sententiam.

Colligitur istud tum ex eo quod non dicat per vitam malâ; sed *pessimam separantur* tum ex utroque exemplo quod ab Augustino adducitur, de Simone mago, qui occultè schismaticus erat, imò hæreticus, volens discipulos abstrahere ab Apostolis, & existimans Spiritum Sanctum pecuniâ comparari, qui propterea à Petro, ut ait Augustinus, audire meruit, *quod non haberet partem in hæreditate Christi*, atque ita sententiâ judicis ab Ecclesia segregatus est. Alterum exemplum est de Corinthiis schismatico spiritu inter se tumultuantibus, de quibus ita Paulus apud Augustinum: *Nuntiatum est mihi de vobis, Fratres mei, ab iis, qui sunt Chloes, quia contentiones sunt in vobis. Hoc itaque dico, quia unusquisque vestrum dicit, ego quidem sum Pauli; Ego autem Apollo; ego verò Cephæ; ego autem Christi. Divisus est Christus. Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Tum sententiam suam de his Corinthiis profert Augustinus: *Isti ergo si in hac obstinatione, & perversitate remanent, certè quidem nati erant; nec tamen ad ipsam Ecclesiam, de qua nati erant, per pacis atque unitatis vinculum pertinerent*.

Vel igitur Corinthiorum delictum, de quo reprehendebantur ab Apostolo, lethiferum in Augustini sententia fuit, vel non. Posteriùs dici nequit; non enim peccatum leve perversitas vocari potest, ob quam desinerent Corinthii *ad Ecclesiam pertinere*. Si lethiferum fuerit, quod in Sanctissimi Doctoris Sententia, ut patet, dicendum est, non igitur quodlibet peccatum mortale fidelem statim ab Ecclesia separat; ineptè enim alioqui Doctorum Aquila docuisset, separationem ab hac conditione pendere, *si in hac obstinatione & perversitate remanerent*.

Quapropter apparet evidens, Augustinum illic agere de separatione æterna, quæ ab *obstinatione & perversitate* non qualibet; sed in finem *remanente* procedit. Idem indicant verba hæc Augustini immediatè præcedentia: *Hæc itaque*, Ecclesia, *in omnibus generat cujus Sacramenta retinentur, unde possit tale aliquid ubicumque generari; quamvis non omnes quos generat, ad ejus pertineant unitatem, quæ usque in finem perseverantes salvat*. Tum sequuntur verba ab adversario objecta. Proinde non videtur illic Augustinus de unitate agere temporanea; sed æterna, sive ut ait, *quæ usque in finem perseverantes salvat*.

5 Gemi-

5 Gemina itaque eft, & abundè fufficiens intortæ cavillationis depulfio: prima Bellarmini, Auguftinum intelligendum effe ita ut mali non fint de Ecclefia quemadmodum funt boni, ut membra corporis viva: cui conformis altera Auguftini explicatio eft malos vitæ peffimæ, & in perverfitate remanentes non pertinere ad Ecclefiam falubriter, five ut S. Doctor loquitur ad Ecclefiæ unitatem, *quæ ufque in finem perfeverantes falvat*; fed vel prius ob *vitam peffimam* fententiâ judicis Ecclefiaftici, vel faltem in fecundo Chrifti adventu excommunicatione perpetua, à Sancta Dei Ecclefia feparari.

Ultimum adverfarii perfugium, eft ad ipfum Bellarminum lib. 3. de Ecclefia militante cap. 7. dicentem. „ Altera diftinctio „ eft, poffe aliquem dici verè filium Dei, „ aut membrum corporis Chrifti duobus „ modis: uno modo veritate effentiæ, five „ formæ, altero modo veritate finis, vel „ ut alii dicunt, veritate permanentiæ: veritate effentiæ eft filius Dei, qui habet „ charitatem 1. Joannis 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus eft*: & fimiliter veritate „ effentiæ eft membrum Chrifti, qui de eodem fpiritu vivit 1. Corinth. 12. *In uno* „ *fpiritu omnes nos in unum corpus baptizati fumus*. At veritate finis dicitur filius „ Dei, qui affequitur hæreditatem, & qui „ non affequitur, videtur filius, fed non eft; „ finis enim filiationis eft hæreditas: *Quod* „ *fi filius & hæres per Deum* Gal. 4.

„ Sic etiam veritate finis eft membrum, „ qui falvabitur; nam ad hoc univit fibi „ Chriftus Ecclefiam, tanquam corpus capiti, ut eam falvaret, ut dicitur Ephef. 4. „ Itaque qui eft in gratia, & tamen non „ eft prædeftinatus, eft verè filius, & membrum veritate effentiæ: & non eft verè „ filius nec membrum veritate finis. Et „ contra qui non eft in gratia, & tamen eft „ prædeftinatus, non eft verè filius nec „ membrum veritate effentiæ, & tamen eft „ verè utrumque veritate finis. „ Huc ufque Bellarminus: unde mirificè fibi plaudit Adverfarius, quafi nihil amplius difficultatis moveri valeat Propofitionibus de Ecclefia condemnatis; atque adeò omnis ab eis cenfurarum fuligo, ipfo Bellarmino judice, abftergatur. Verùm præpofterus hic triumphus fubvertitur mox, ubi Bellarmini fententia non mutila, veritatis luci expofita confideratur.

Citatum caput eft de Prædeftinatis, quos neque omnes, neque folos de Ecclefia effe contra Wicleffum, Hufs, Calvinum meritò contendit; non effe, inquam, veritate effentiæ, ut Cardinalis loquitur. Quis enim dicat Ethnicos, Turcas, Judæos, Hæreticos modò effe de Ecclefia, etfi fupponeres convertendos poftea, & cœlitibus adfcribendos? Sed & baptizatos fideles, juftos plurimos fuiffe conftat, qui vitam multo tempore optimam exitu infeliciffimo terminarint, membra quidem Ecclefiæ temporanea; fed tandem expertia prædeftinationis, atque ita à Chrifti corpore, quod eft Ecclefia, perpetuò poftmodum feparanda. Aliâ tamen ratione, nempe veritate finis ait quofdam appellari fubinde membra Ecclefiæ, vel negari. Verùm pofterior appellatio eft minus propria, neque patrocinatur adverfario; fed infefta eft.

Nam juxta damnatum Articulum *feparatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus & caput eft Jefus Chriftus, tam non vivendo fecundùm Euangelium, quàm non credendo Euangelio*. Igitur quifquis modo impiè vivit & minimè fecundùm Euangelium, feparatur modò à populo Dei, five non eft nunc membrum Ecclefiæ: & tamen fieri poteft ut qui nunc à pietate, & omni juftitia averfus eft, è numero prædeftinatorum fit, ante vitæ terminum convertendus. Quo fuppofito is quando fceleribus immerfus vixit, fpectavit ad Ecclefiam ratione finis qui eft hæreditas filiorum, etfi non fpectavetir ratione, feu veritate effentiæ. Verùm non iftud eft quod in damnata Propofitione redarguo, aut damnare cenfenda eft Apoftolica Sedes, quæ proprios & obvios loquendi modos in Propofitionibus attendit, & in fuis definitionibus fectatur.

6 Exultat potiffimùm adverfarius priore diftinctionis parte à Bellarmino propofitâ atque affertâ, malos non effe corporis Chrifti, five Ecclefiæ membra *veritate effentiæ*. Verùm exultatio ceffabit; fi bona fide attendere adverfarius voluerit, quam effentiam Bellarminus intelligat: non Ecclefiæ feu corporis myftici fimpliciter, & abfolutè; fed prout Ecclefia fancta, & myfticum corpus vivum eft, videlicet per fanctificantem gratiam qua peccator caret, ac proinde mortuus non habet quod conftituit effentiam Ecclefiæ Sanctæ ut fancta eft, neque corporis vivi ut vivum eft.

Ut autem aliquid fit pars corporis fancti, feu vivi non neceffarium eft, illud vel vitam, vel fanctimoniam continere, quemadmodum manus & pes partes funt hominis, qui naturâ fuâ animal rationale eft, feu potens ratiocinari; non tamen propterea ad

ad pedem vel ad manum pertinet ratiocinatio aut ejus facultas; sed sufficit animam ratiocinari posse in capite, quod propria ratiocinationis sedes est. Neque pes & manus desinunt esse partes animalis præditi potentiâ videndi & audiendi; licèt nec videre valeant ipsæ, nec audire.

Sic pariter denominatio corporis vivi & sancti non requirit vitam & sanctitatem in singulis partibus; sed sufficit corpus illud sanctum esse in Legibus, doctrina, & membris præcipuis Christo, Deipara, Patriarchis, Prophetis, tot SS. Doctoribus, Episcopis, Sacerdotibus, Anachoretis, Virginibus, Martyribus, Confessoribus, Angelis: qua ratione longè plures in Ecclesia Sanctos reperies, quàm impios. Damnati enim sive homines, sive dæmones ab Ecclesia exulant perpetuo anathemate rescissi; Sanctorum autem Spirituum numerus passim creditur quodammodo innumerabilis: & solorum infantium, qui aquis lustralibus tinguntur, haud pauciores forsitan ante usum rationis extinguuntur, antequam peccati lethiferi fuerint capaces, quàm ad ætatem perveniant provectiorem.

7 Denique Bellarmini, & cujuscumque Authoris, de quodam dogmate sententia nullibi certiùs perspicitur, quàm ubi illud discutit definitque ex instituto. Non igitur ad intelligendam Eminentissimi Scriptoris mentem de peccatoribus, utrum Ecclesiæ membra sint, recurrendum nobis est ad caput 7. de Prædestinatis, sed ad nonum *de Peccatoribus*. Præterea natura, seu essentia alicujus necessariò discenda est ex ejus definitione. Ecclesiæ autem definitio totum Eminentissimi caput 2. occupat. Ex utroque capite adversarium suscipio convincendum.

Sic igitur Cardinalis cap. 9. *de magnis peccatoribus*. „ Jam verò in una, vera, & „ Catholica Dei Ecclesia non solùm im„ perfectos; sed etiam graves peccatores „ esse, & non solùm occultos; sed etiam „ manifestos, contra errorem Novariano„ rum, Donatistarum, & Confessionistarum „ probatur primò ex Parabolis Evange„ liorum de Area, de Reti, de Convivio „ Nuptiali, de decem Virginibus, & de „ Ovili supra citatis: quibus Catholici ita „ confutarunt olim Donatistas, ut planè „ non invenerint ullo modo, quo exirent, „ ut Augustinus refert in Breviculo col„ lationis, explicans collationem tertiæ „ dici....

„ Responderunt Catholici [Donatistis „ apud Augustinum loco citato] se non „ duas Ecclesias facere; sed distinguere „ duo tempora Ecclesiæ. Eandem, inquit „ Augustinus, ipsam unam & sanctam Ec„ clesiam dixerunt nunc esse aliter, tunc „ (in Cœlo) aliter futuram: nunc habere „ malos mixtos, tunc non habituram, sic„ ut non duo Christi sunt, quia aliquan„ do mortalis, aliquando immortalis fue„ rit Christus.

„ Dico igitur Episcopum malum, Pre„ sbyterum malum, Doctorem malum esse „ membra mortua, & proinde non vera „ Corporis Christi quatenus attinet ad ra„ tionem membri, ut est pars quædam „ vivi corporis: tamen esse verissima mem„ bra in ratione instrumenti, idest Papam, „ & Episcopos esse vera capita, Doctores „ esse veros oculos, seu veram linguam „ hujus corporis &c. Ratio est, quia mem„ bra constituuntur viva per charitatem, „ qua impii carent: at instrumenta opera„ tiva constituuntur per potestatem sive „ Ordinis, sive Jurisdictionis, quæ etiam „ sinè gratia esse potest. Nam etsi in cor„ pore naturali non possit membrum mor„ tuum esse verum instrumentum opera„ tionis; tamen in corpore mystico potest. „ In corpore enim naturali opera pendent „ ex bonitate instrumenti; quia anima „ non potest bene operari, nisi per bona „ instrumenta, nec opera vitæ exercere, „ nisi per instrumenta viva; at in corpore „ mystico opera non pendent ex bonitate, „ aut vita instrumenti. Anima enim hujus „ corporis, id est, Spiritus Sanctus æquè „ bene operatur per instrumenta bona & „ mala, viva & mortua. „ Eò usque Bellarminus.

8 Atqui omnibus ratione utentibus evidens est, nullo modo fieri posse, ut sit *verissimum membrum* corporis nisi habeat totum id quod necessario *& veritate essentiæ* ad membrum illius requiritur. Habent itaque peccatores *veritatem essentiæ* membrorum Ecclesiæ: &, licèt sint mortua, non obest quin sint membra corporis vivi, quemadmodum, ut dixi, pes, etsi non videat, non desinit esse membrum corporis videntis, & quamvis manus non audiat, est tamen pars corporis audientis: denominatio nempe toti tribuitur, etsi forma denominans non sit in singulis partibus. Dum ergo Bellarminus dicit, improbos non esse membra Corporis Christi *veritate essentiæ*, ipse se explicat quòd non sint membra corporis vivi ut vivi; cùm sint membra mortua. Sed hoc non impedit quin *veritate essentiæ* sint membra simpliciter corporis vivi.

CA-

Alia quoque ratione peccatores non sunt membra Ecclesiæ *veritate essentiæ*, quasi ad Constitutionem Ecclesiæ peccatores necessariò requirerentur; cùm constet, Ecclesiam in cœlis absque improbis futuram, neque hic ullo modo ad ejus exigi perfectionem; sed adesse eos posse, vel abesse, manente integerrimâ Ecclesiæ constitutione & naturâ.

At nihil accuratiùs veritatem essentiæ explicare debet, quàm definitio. Adeamus igitur caput II. Bellarmini, quod totum, ut præfert titulus, est *de definitione Ecclesiæ*. Refutatis circa eam variis hæreticorum erroribus *Nostra autem*, inquit, *sententia est, Ecclesiam unam tantùm esse, non duas: & illam unam & veram esse cœtum hominum ejusdem Christianæ fidei professione, & eorumdem Sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè unius Christi in terris Vicarii*.

Ex qua definitione facilè colligi potest, qui homines ad Ecclesiam pertineant; qui verò ad eam non pertineant. Tres enim sunt partes hujus definitionis: Professio fidei, Sacramentorum communio, & subjectio ad legitimum Pastorem Romanum Pontificem. Ratione primæ partis excluduntur omnes infideles, tam qui nunquam fuerunt in Ecclesia, ut Judæi, Turcæ, Pagani, quam qui fuerunt & recesserunt, ut hæretici, & Apostatæ. Ratione secundæ excluduntur Catechumeni, & excommunicati, quoniam illi non sunt admissi ad Sacramentorum communionem; isti sunt dimissi. Ratione tertiæ excluduntur Schismatici, qui habent fidem, & Sacramenta; sed non subduntur legitimo Pastori, & ideò foris profitentur fidem & Sacramenta percipiunt. Includuntur autem omnes alii etiamsi reprobi, scelesti, & impii sint.

Quæ definitio exhibet totam Ecclesiæ essentiam; aliàs definitio non esset. Atqui omnes ejus partes conveniunt, etiam iis, qui à Propositione damnata excluduntur, qui nempe credunt Euangelio, subditi Pontifici, nec excommunicati, etsi non vivant secundùm Euangelium; sed peccatis etiam non levibus inquinentur. Pertinent igitur hi ad Ecclesiam, & verissimè ejus membra sunt secundùm veritatem essentiæ, quæ tum peccatoribus convenit, tum justis, singulas definitionis partes expendenti perspicuum est.

9 Proinde ex integra Bellarmini responsione, cui nullus Catholicus refragabitur, profluunt consectaria, quæ probabiles Orthodoxorum sententias, etsi verbotenus inter se quodammodo dissidentes, reipsâ concilient. Ex ea enim colligitur primò Doctores, Episcopos, & Ministros quoslibet in crimine constitutos, esse membra mortua, ideoque nec præcipua, nec vera membra corporis Christi, *quantum attinet ad rationem membri, ut est pars quædam corporis vivi*; esse tamen verissima, & præcipua membra *in ratione instrumenti*. Secundò, Quòd licèt in Episcopis ad rationem veri Capitis, Prælati, ac Pastoris, non sit necessarium esse propriè membra, quasi partes vivas corporis vivi; debeant tamen ejusdem corporis vivi esse verè membra in ratione partium simpliciter, & instrumentorum. Tertiò, Quod, etsi statueris hæreticos occultos non esse propriè Ecclesiæ membra, ut multi autumant Catholici; sint nihilominus Episcopi illi, & Ministri verissima Ecclesiæ membra modo jam exposito; quia, licèt vitam in se non habeant, quam in alios virtute sibi propriâ diffundant; veri tamen Ministri sunt, & vera instrumenta sanctificantis gratiæ in alios profluentis a Christo capite Ecclesiæ invisibili, & præcipua. Quartò, Quòd nulla probabilis Catholicorum sententia faveat erroribus Quesnelli, qui non solùm hæreticos occultos; sed & peccatores quoslibet, etiam corde credentes, & ore confitentes veram fidem, excludit ac separat ab Ecclesia, ut inspicienti ejus dogmata perspicuum est.

Quamvis enim aliqui, ut dixi, Doctores catholici contendant, peccatores, etiam fideles, non esse propriè membra Ecclesiæ, attamen non negant ita esse membra, quin nihilominus fateantur esse actu verè & propriè partes. Unde etiam in eorum Sententia damnati articuli destruuntur: juxta memoratos scilicet Orthodoxos Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit catholica, comprehendens omnes, non solùm Angelos cœli, & omnes justos terræ, sed etiam universos ejusmodi peccatores. Rursus Ecclesia est cœtus non justorum tantùm; sed etiam istiusmodi peccatorum: neque continet tantum omnes Sanctos, ut membra; sed tales etiam peccatores, ut veras & proprias partes, membra autem etiam sensu superiùs explicato. Neque est unus solus homo compositus solummodo ex pluribus strictissimâ significatione membris; sed ex omnibus quoque partibus: quo pacto est spatiosior, quàm si soli electi & justi omnium seculorum illam componerent.

Non separantur itaque hujusmodi peccatores a populo electo; sed ei uniuntur non tantùm exteriùs, eandem fidem confitendo cum eorumdem Sacramentorum com-

communione, & sub Romani Pontificis regimine; sed etiam interiùs eadem dogmata fide vera & catholica credentes. Unde & interiùs habent pluribus titulis Deum pro Patre, & Christum pro capite: Saltem ex eo quòd non solùm sint ab ipso redempti, à quo & auxilia recipiunt; sed etiam quia aliquâ vitâ supernaturali; saltem imperfectâ vivunt; scilicet credendo, seu actus vitales liberos veræ fidei eliciendo, & quia quod perfectâ non vivant, non est ex defectu Christi, in omnibus, quantum ex se est, illam producere volentis, maximè in Fidelibus; sed quia peccatores liberè obluctantur.

DIALOGUS

Quesnellistam inter & Catholicum circa Propositiones septem de Ecclesiâ.

1 QUESNELLISTA: Legistin'quæ de Propositionibus Patris Quesnelli ad Ecclesiam spectantibus vltro citroque edita sunt?

Catholicus: Legi equidem; sed neque de his, neque de aliis ad Religionem pertinentibus disceptare tecum inposterum mihi animus est.

Quesnellista: Cur hîc subterfugias, vel te silente, satis assequor; adeò scilicet Theologi istius *Protestatio*, &, cujuscumque sit, adoptata ab ipso *observatio in Propositiones*, dein *Hexapla*, ac præter complures alias vindicias, recentior *Collatio*, convicerunt injustitiam Romanorum, vel imperitiam adeò perspicuè, ut cum omni tua, quâ vales, arte sophisticâ, defendere eos ulla veri specie nequeas.

Catholicus: Falleris: alia prorsus à disputationibus istiusmodi me avertit ratio; Quòd nempe fixum vobis sit, radiis etiam solaribus oculos claudere, ubicumque novitatis vestræ turpitudinem detegunt; proinde fructus alius controversiæ non superfit, quàm major vestra, & majori obnoxia supplicio durities: animi quoque tui adversùs me commotio; si quod verbum, ut in similibus fieri natum est, exciderit liberius.

Quesnellista: Augustino judice, minus malum est indoctum esse, quàm indocilem. Veritati proinde, si pro te eam militare ostenderis, manus facilis dabo: Neque à te postulo, ut verba singula, antequam proferas, expendas scrupulosiùs: utere, ut libet, innato tibi candore Belgico; nam & ego Gallus, seu Francus sum, utque Gallicanis gaudens libertatibus, amo liberam in familiaribus, etiam de religione, colloquiis, orationem: *Hanc veniam faciles, petimusque, damusque vicissim*. Agedum itaque; si quid tibi in proscriptis de Ecclesiâ articulis displicet, confidenter prome: mihi eorumdem incumbet defensio.

Catholicus: Quoniam ita jubes: ordior à septuagesimo secundò, qui de præsenti materia primus est: *Nota Ecclesiæ Christianæ est quòd sit catholica, comprehendens & omnes Angelos cœli, & omnes electos & justos terræ, & omnium seculorum*. Hic ab Ecclesia excluditur omnis peccator, quod quàm horridis viam præbeat consectariis, sæpiùs ostensum est. Sic nempe Ecclesia catholica ad solos restringitur justos, ut placuit Calvino.

Quesnellista: Falleris: Calviniana solos complectitur prædestinatos.

2 *Catholicus* quasi nescias, omnem Calvino & ejus asseclis justum esse electum, utpote penès quos obtenta semel justitia nunquam amittitur. Porrò si ab Ecclesia omnis exulat peccator, quid fiet Pastoribus, Episcopis, & summo Christi Vicario, ubi quid eis humanitùs acciderit noxæ lethiferæ? Pastor, & caput gregis sui quilibet esse desinet, Pontifex universi. Membrum enim præcipuum corporis est *Caput*, quomodo autem *Caput* Ecclesiæ dixeris, quem ne membris quidem pateris accenseri? Inter Joannis Huss Articulos à Constantiensi Concilio damnatus erat hic vigesimus secundus: *Papa, vel Prælatus malus præscitus est æquivocè Pastor*. In Apologiis quoque vestris, etiam Quesnelli contra centum Episcopos *Protestatione*, advertitur, quòd objectum istud vobis anathema subdolo prætereatis silentio, neque amoliri à vobis curetis Hussiano dogmati illatum.

Quesnellista: Huss prætereà dixerat Art. 30. *Nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali*: nos verò Episcopos & Prælatos agnoscimus peccatores & in Ecclesia; sed velut humores malos in humano corpore. Hac similitudine desumpta è Patribus nihil in nostris vindiciis occurrit frequentiùs.

Catholicus: Sed neque minùs consentaneum rationi, quàm simile confundere cum æquali, & assertam in aliquo congrultatem extendere ad cætera. Humores mali corporibus noxii sunt; ita solent peccatores reliquis esse fidelibus; & passim in qualibet

libet congregatione hominum, five regno, five republica, five exercitu, civitate, Senatu, Diœcesi, Canonicorum capitulo, religiosâ, vel seculari familiâ, quisquis pravus fuerit, meritò comparabitur humoribus malis, corpori nocumentum creantibus, & molestiam; non tamen propterea cessat reverà membrum esse Regni, Reipublicæ, & cujuscumque multitudinis; subinde etiam caput.

Quesnellista: Etiam Author noster in primam Joannis epistolam cap. 2. v. 19. fatetur, *Ecclesiam habere membra sua viva; habere & membra putrida & humores noxios*.

Catholicus: Luthero & aliis hæreticis, etiam in hoc Quesnellus similis est, quod assertionibus scateat, invicem, saltem verbotenus, oppositis. Contra hanc hæreticorum versutiam monuit nos Basilius Epist. 73. *Habent illi astutum quoddam dogma, ad ejusmodi mutationes paratum. Nam verbis fidei, more Medicorum utuntur pro commoditate, aliter, atque aliter sese ad affectionum rationem, ac varietatem attemperantes*.

Quesnellista: Quid autem hic suspicabimur fallaciæ?

Catholicus: Meministi relatos à me geminos Hussii Articulos? Priore ajebat nullum esse Prælatum, dum est in peccato mortali. Posteriore Prælatum malum esse æquivocè Pastorem, proinde esse æquivocè Prælatum. Quid igitur Quesnellum detineat, quin aliàs negans, alias concedens, malos esse membra Ecclesiæ, utrumque conciliet distinctione Hussii, dicens malos esse Ecclesiæ membra non verè & propriè; sed æquivocè?

Quesnellista: Cur ea distinctio tantopere displiceat, quam etsi Bellarminus vellicet, tribuit tamen Aquinati & quibusdam aliis magni nominis Scholasticis?

Catholicus: Agnoscimus rationem Bellarmini solidam esse, & à nullo facilè dissolvendam; si nempe lapsus in peccatum Episcopus, vel Pontifex, non definat ille Pastor & Caput esse Ecclesiæ suæ, Pontifex universæ, evidens est neutrum posse à membrorum numero excludi; neque posse pravum caput noxiis humoribus penès omnia comparari; cùm inter partes corporis locum præcipuum, qualecumque caput obtineat; cui membri denominatio præ cæteris debeatur.

Quesnellista: Sed quid ad authoritatem Angelici & aliorum? Ab his Bellarminus, licèt diffideat eloquio; sensu tamen non recedere deprehenditur: Unde jure concludimus totum nobis cum Pontificiis contentionem esse de vocibus: proinde septem de Ecclesia Articulos atrocium censurarum scuticâ immeritò flagellari.

3 *Catholicus*: Fateor Angelicum & quosdam alios à Bellarmino citatos velut adversarios, vocibus ab ipso dissentire potiùs, quàm dogmate. Angelicus enim & plures cum eo loquentes Scholastici Ecclesiam considerant secundùm prædicata ei propria; quòd sit Una, Sancta, Catholica, & Apostolica: similiter membra Ecclesiæ Sanctæ, ut Sancta est, qua ratione, quibus Sanctitas deest, videtur etiam neganda denominatio membri quatenus corporis Sancti est. Bellarminus autem asserens peccatores membra Ecclesiæ, hanc accipit absolutè & simpliciter juxta definitionem traditam lib. 3. de Ecclesia militante cap. 2. ut sit *cœtus hominum ejusdem Christianæ fidei professione, & eorumdem Sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis*. Definitionis partes expendantur singulæ, nulla est à peccatoribus aliena. *Sanctitatis* etiam nomine in latiore sensu Catechismus utitur Romanus in Expositione Symboli, ut conveniat omnibus, qui Deo Baptismate consecrati sunt, sive fœdifragi, dein fuerint à justitia deficientes, sive in ea duraverint constantissimi. *Sancti enim*, inquit, *vocantur fideles, qui populus Dei effecti sunt, quive se fide & baptismate suscepto Christo consecrarunt, quanquam in multis offendunt, & quæ polliciti sunt, non præstant; quemadmodum etiam qui artem aliquam profitentur, etsi artis præcepta non servent, nomen tamen artificum retinent*: ideo ante dixerat: *Nec mirum cuiquam videri debet, Ecclesiam dici Sanctam, tametsi multos peccatores contineat*. Ita Catechismus a delectis Concilii Tridentini Patribus, ut testatur sess. 25. compositus, & approbante S. Pio V. Pontifice editus. Verùm novæ vobis placet Ecclesiæ institutio, quâ dum omnis excluditur peccator, fingitur Sanctior, quàm Catholica.

Quesnellista: Imò nostra optimè, utpote Sancta, Catholica est. Sic enim à magistro nostro traditur Articulo, ut ipse jam referebas, septuagesimo secundo: *Nota Ecclesiæ Christianæ est, quòd sit Catholica comprehendens & omnes Angelos cœli, & omnes electos & justos terræ & omnium Seculorum*. Nonne & apud vos janua per quam ingredimur Ecclesiam, est Baptismus?

Catholicus: Est utique.

Quesnellista: Nonne Baptismus sanctificat?

ficat? Semel autem Baptismate sanctificatos, seu consecratos Deo, manere semper, ipse nos vester edocet Catechismus; etiam addens: *Si Christiani omnes & fideles in Christo baptizati, ipsum induerunt, sicut Apostolus dixit, quotquot in Christo baptizati estis Christum induistis; si membra facta sunt corporis ejus, & dicunt se sanctos non esse, capiti ipsi faciunt injuriam, cujus membra sancta sunt*. Cur igitur nobis dica impingitur propterea, quod ex omnibus & solis Sanctis Ecclesiam componimus?

4 *Catholicus*: Hic mihi reducis in memoriam quod pridem legeram in S. Anselmi libro de Sacramento Altaris cap. 13. *Qui errare vult, aut errorem docere, nihil est tam bene dictum, quod non possit pravo intellectu depravare*. Ibid. *Plurima* (Doctores Sancti) *in scriptis suis reliquerunt, quæ loco suo, suo sensu benè dicta, ab his, qui contendere, vel errare amant, eruta de locis, per se videntur aliud sonare, quàm sonent unde assumpta sunt, & quàm senserunt, qui scripserunt*. Probè conscius es, appellationem *Sancti*, sensu longè alio adhibitam in Catechismo, alio in damnato vestro dogmate. Priore sensu convenit baptizatis omnibus, etiam à justitia delapsis; posteriore solis in sanctificante gratiâ persistentibus: atque hæc significatio ubi de hominibus agitur, magis propria, & prorsus obvia est, & à Quesnello unicè intenta. Inficiari non poteris in præsenti controversia, neque voles: &, si velles, convinceret te ipse Articulus 73. *Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri seculi?*

Quesnellista: Errâs, si existimes, voluisse Quesnellum accuratam juxta dialecticæ regulas tradere Ecclesiæ definitionem.

Catholicus: Non mihi hìc cura est de legibus dialecticæ; sed dico neminem, cui communis loquendi, & interpretandi ratio nota est, intellecturum aliter Quesnelli Articulum, quàm nos accipimus, videlicet ita, ut Ecclesia constet solis Dei filiis manentibus in ejus sinu, adoptatis in Christo, subsistentibus in ejus persona, redemptis ejus sanguine, viventibus ejus spiritu, agentibus per ejus gratiam, & expectantibus gratiam futuri seculi. Quemadmodum si quæsiveris Quid est Deus, nisi ens à se? Necesse est intelligam convenire nulli entium Divinitatem, nisi cui convenerit esse a se; sive interim *ens à se* legitima juxta logicos definitio Dei sit, sive non. Talis interpretatio necessaria est locutionis cujuscumque similis. Quomodo enim aliàs clariùs exprimi poterit, peccatores non esse de Ecclesia, quàm enuntiando *Ecclesiam non esse nisi justorum*? Enuntiationi huic apud omnes æquivalet interrogatio, *Quid est Ecclesia nisi cœtus justorum*? Imò vis inest quædam singularis, & emphatica interrogationi, nervosior quodammodo simplici affirmatione.

Quesnellista: Attendenda est authoris *Protestatio*, fidem faciens eum *non solere observationes de religione dogmaticas verbis Scripturarum addere, nisi quo usque Sacri Textus proprietas deducit atque determinat*.

5 *Catholicus*: Protestationis memini, quam legi sæpius, semper admirans Protestantis impudentiam: ostendi enim aliàs, eum frequentissimè ex facto vel asserto particulari elicere observationes dogmaticas, universalibus æquivalentes; quâ fraude, corrumpendis Divinis oraculis, invehendis erroribus quibuscumque hæreticis, circumveniendis simplicibus nulla magis idonea est; sed nulla pariter minùs digna interprete, aut *Observatore* Catholico. Ex centum & una Propositionibus ne una quidem est ad quam eum *ducere* vel *determinare* textus potuerit.

Quesnellista Ne una quidem? Audax assumptio; sed cui eam te persuasurum speras?

Catholicus: Cuicumque lubuerit experiri, provocando ad Propositiones singulas. Interim non jactari istud à me temerè, sed præstari fideliter, & copiosè, quivis fatebitur, qui animo novitatibus non præoccupato legerit, quæ contra Propositiones singulas tribus à me voluminibus disputantur. Quascumque scilicet demonstro non esse consentaneas veritati, quod ostensum à me luculenter contra singulas confido, evidens fit, Spiritum Sanctum, qui per Scripturas loquitur, non potuisse Observationes istas suggerere, neque Quesnellum ad eas *inducere seu determinare*.

Quesnellista: Ut te convincam de opposito, non longa opus est disquisitione, in promptu est, quam tantopere exagitas, Propositio 73. *Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei* &c.? Est ea observatio in 1. Thessalon. cap. 1. v. 1. *Paulus & Sylvanus, & Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium in Deo Patre Nostro, & Domino Jesu Christo*. Nonne hic Apostolus affirmat totam Thessalonicensium Ecclesiam in Deo & Christo esse per charitatem & justitiam?

6 Catho-

6 *Catholicus*. Nihil istiusmodi assertionis continet textus sacer, qui ut patet, aliud non est, quàm solita Apostoli salutatio; qualem adhibet etiam aliis scribens Ecclesiis, ut Corinthi & Galatiæ, quas non veluti in omnibus sanctas prædicat; sed quorumdam in illis delicta gravia reprehendit: *O insensati Galatæ!* &c. de Corinthiorum contentionibus, & fornicario inter illos incestuoso ac publico notissima historia est. Præsens autem salutatio brevissimè, & quãtum sufficit, sic exponitur à S. Thoma. *Salutat* Paulus Thessalonicensem *Ecclesiam, quæ est congregatio fidelium: Et hoc in Deo Patre & Domino Jesu Christo, id est, in fide Trinitatis & humanitatis Christi*, quæ manet etiam in peccatoribus; neque hi omnes numero *fidelium*, quibus constare dicitur Ecclesia, excluduntur. Peccatores enim aliqui, juxta Angelicum, etsi non charitate, attamen *fide uniuntur Christo*, ut ait, *actualiter*.

Parte 3. Quæst. 8. art. 3. *Quædam* [corporis mystici membra] *sunt quæ quandoque reducuntur ad actum: & hoc secundùm triplicem gradum, quorum primus est per fidem: secundus per charitatem viæ, tertius per fruitionem patriæ. Sic ergo dicendum est, quod accipiendo generaliter secundùm totum tempus mundi, Christus est caput omnium hominum; sed secundùm diversos gradus. Primò enim & principaliter est caput eorum qui actu uniuntur ei per gloriam: Secundò eorum qui actu uniuntur ei per charitatem: tertio eorum qui actu uniuntur ei per fidem*, quod ut paret convenit fidelibus à justitia delapsis. Quartus & quintus gradus ad præsens non pertinent institutum.

Quis autem Catholicus dicet, eos, qui in tertio unionis gradu sunt, in quo non quidem per charitatem, utpote peccatores, per fidem tamen veluti fideles actu uniuntur Christo, & nullâ rescissi sunt censurâ Ecclesiasticâ, partibus Ecclesiæ non annumerari? Annumerari profectò minimè poterunt, si *Ecclesia non est aliud, quàm cœtus filiorum Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum à Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus Spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri seculi*.

Quesnellista: Num igitur in Ecclesiæ seu definitione, seu descriptione recenseri oportuit peccatores? Hanc fore Novitatem hactenus inauditam rectè monet Quesnelli *Protestatio*: ita cæcos & claudos nullus in definitione hominis duxerit exprimendos.

Catholicus: Sed neque ullus sapiens duxerit excludendos. Quæ definito alicui accidunt, abesse ab eo possunt, & adesse. Peccatores abesse ab Ecclesia posse patet in Beatitudine; adesse videmus in hoc seculo. Sicut igitur ridicula foret hominis definitio, si diceretur animal rationale claudum & cæcum, ita non minùs falsa & inepta haberetur *Homo est animal rationale rectè incedens & videns*. Simile est in definitione Ecclesiæ, in qua sicut non exprimi oportuit peccatores, ita neque excludi.

Quesnellista: Distinctio Ecclesiæ secundùm id, quod interiùs est, ab eo quod est exteriùs, dissolvit facilè altercationem, quæ de Ecclesia ejusque prætensa definitione est. Nota Ecclesiæ, prout hæc describitur Articulo 72., & prætensa definitio, quæ est Articulo 73., sicut & quidquid in quinque ibi sequentibus Articulis de Ecclesia enuntiatur, auribus vestris duriusculè sonans, solùm respicit quod interius est, gratiam videlicet & charitatem; non quod exteriùs: Asserimus igitur peccatores in Ecclesia esse corpore, non spiritu, quod satis intelligitur ex Articulo 77. *Qui non ducit vitam dignam filio Dei & membro Christi, cessat interiùs habere Deum pro Patre, & Christum pro capite*, atque adeò cessat interiùs esse in Ecclesia; etsi in ea corpore maneat, veris Ecclesiæ membris exterius conjunctus. Quid in hac tota nostra sententia est Pontificio dignum anathemate? Quid non consonum Scripturæ & traditioni. Finis itaque Antistitum contra nos clamoribus sit, finis suspicionibus de sensu nostro quasi Orthodoxæ fidei, & sanioris Theologiæ placitis non congruente.

7 *Catholicus*: Quesnelli cavillationibus apprimè te imbutum video; sed an earum fallaciam & iniquitatem habeas perspectam est cur dubitem; imò te malo hìc minùs perspicacem credere, quàm hæreticum, Libertinum, Atheum, qui Quesnelliani systematis, etiam prout hìc traditur, finis evidens, & complementum est.

Quesnellista: Quo te zelus abripit, qui certè nequit esse secundùm scientiam?

Catholicus: Nihil exaggero; sed quoniam compendio retulisti, quidquid Quesnellus pro se, quidquid vaferrimi ejus vindices commenti sunt, æquum est pariter, mihi venenum & nequitiam detegenti, aures placidus accommodes. In novo itaque Systemate, *Qui non ducit vitam dignam filio Dei & membro Christi, cessat interiùs habere Deum pro patre & Christum pro capite*. Cessat proinde, Quesnello interprete, esse interiùs in Ecclesia; non autem exteriùs, seu cor-

corpore: neque propterea desinit à Deo conditus fuisse, atque adeò hac ratione Deum agnoscere patentem, etsi crimine Deum interiùs amiserit & ejus gratiam. Quid autem istud sit in Quesnelliana hypothesi, discimus ex primo ejus Articulo: *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?* Art.29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*. Art.8. *Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit*. Art.63. *Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore*. Percipere indubiè incipis, quales ex tali arbore fructus, qualia ex tali Systemate consectaria expectanda sint.

Quesnellista: Percipio, quo erga Augustini doctrinam animo sis: sed perge bilis reliquum exonerate.

Catholicus: Nihil profero contentiosius; quidquid apparet horridi, in ipsis Quesnelli verbis est & dogmatibus, quæ nudè recito.

Quesnellista: Prosequere ut lubet.

Catholicus: Quid autem Quesnello est, *sub lege esse sicut Judæum*? Definit perspicuè & absque ambagibus Documento 5. pag. 253. *Esse sub lege est esse sub dominatione peccati; quia illic homo existens sinè gratia, sinè amore, sinè charitate, nihil habet in anima nisi formidinem servilem*, quâ nihil magis pestiferum, teste Articulo inter damnatos sexagesimo septimo. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*. Quapropter timor ille & in se impius est ac blasphemus, neque nisi inducendo Dei odio, & desperationi idoneus. Sed neque aliunde peccatori quidquam virium est, quo desperationem reptimere valeat, aut dolere de peccatis salubriter, aut petere à Deo auxilium; nam *esse sub lege*, sicut Judæum, quod omni accidit baptizato, *qui legem non adimplet, aut adimplet ex solo timore, est esse*, ut jam vidimus, *sub dominatione peccati sinè gratia, sinè amore, sinè charitate, cum sola formidine servili* tam nefariâ, &, ut pietati, ita & Numini inimicâ. Quid agat igitur, quò se vertat miser ponderе peccati pressus, omni destitutus auxilio, & in novos semper lapsus propellente Diabolo simul & concupiscentia?

8 *Quesnellista*: Spiritum pœnitentiæ à Deo precibus & gemitibus expetat.

Catholicus: Poteстne sinè ulla gratia? Affirmare, Pelagianum est & hæreticum: Si gratia adesset sufficiens ut orare posset, oraret utique juxta Art.11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet*. Quin & impossibile foret ipsi Orationem omittere; quia Art.10. *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*. Per Articulum autem 38. *Peccator non est liber nisi ad malum sinè gratia liberatoris* 40. *Sinè gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem*. Ne verò suspicio incidat quasi prædicetur impotentia solùm impropriè dicta; & minùs rigida, solam indicans difficultatem, occurrit Articulus 39. *Voluntas quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum; ardoris nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*.

Quesnellista: Quid omnis ea Articulorum coacervatio facit contra illos, quos hîc discutiendos suscepimus circa Ecclesiam?

Catholicus: Plurimum profectò; hinc enim non fineris ignorare, in quàm horrida vos dogmata, in quam desperationis abyssum peccatores miseros hypothesis vestra agat præcipites. Mirabar aliàs Arnaldi & Quesnelli pertinaciam in defendendo contra Alexandri VIII. anathema, Articulo 5. inter triginta unum: *Pagani, Judæi, hæretici aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à JesuChristo influxum, adeòque tunc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam & inermem sinè omni gratia sufficiente*. Ibidem Artic. 7. *Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, Charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est*. 8. iterum ibid. *Necesse est infidelem in omni opere peccare*. 11. *Omne quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est*. Denique Artic. ibid. 12. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina; sed humana*. Aliàs, inquam, mirabar tantam in duobus Ecclesiæ vestræ capitibus obfirmationem ad defendẽdos illos contra anathema Articulos; Verùm considerans eorum modò cum præsentibus de Ecclesia connexionem, mirari desino.

Quesnellista: Næ tu mirabilis monstrorum faber es: connexionem illam intelligere avidus expecto; ampliùs autem stratam

tam inde, quam commentus fueras semitam peccatoribus ad desperationem, salutis incuriam, denique & ad Atheismum. Certus sum te promissa minimè præstiturum.

9 *Catholicus*: Periculum faciamos: Tu modò allegatos Articulos memori mente retine, ne referre iotegros, tuo meoque tædio iterum cogar. Ecclesia per Attic. 73. nihil est aliud, quàm Congregatio justorum, exulare ab ea jussis peccatoribus, nisi quod ei adhæreant exteriùs corpore, interiùs animo separati: Artic. 77. Neque Deus illis iuteriùs Pater est, neque Christus caput, à quo proinde oullum interiùs influxum gratiæ recipiunt, nisi quando reconciliari contigerit, quia per Articul. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*.

Quesnellista: Ita quidem sonat Articulus; sed nescio an anthoris meos verbis respondeat.

Catholicus: Supponitur author scripsisse vigilans, neque voluisse pernicioso mendacio decipere Lectores, præsertim simplices & fœminas, quibus Liber vernaculè, nullo omisso sermonis lenocinio, conscriptus in deliciis est. Sensus quoque ille toti Quesnellianæ, & Arnaldinæ hypothesi erat necessarius; nam omois juxta vos gratia effectum suum obtinet, ut vidimus Articulo 10. & 11. quibus, si requireres, jungere possim plurimos. Poteftne gratia actum producere illicitum, sive turpi vitio laborantem?

Quesnellista: Compertum omnibus est, non posse.

Catholicus: Juxta vos *omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi. Si Dei, charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est*. De hoc Articulo, qui inter damnatos ab Alexandro VIII. erat septimus, sic enuntiant Difficultates Quesnello-Arnaldicæ propositæ Domino Steyaert parte 9. pag. 125. *Plures sunt in hoc Decreto Propositiones, quarum Censuram non alio fine postularunt earum delatores, quàm ut præcipua Moralis Christianæ fundamenta subruerent. Exemplo esse possunt Propositiones septima & octava*.

10 *Quesnellista*: Sed fide non bona subtices quod ibi pag. 128. additur, vocem *Charitas* in illa Propositione accipi debere *pro quolibet Dei amore, sive perfecto, sive imperfecto*.

Catholicus: Imò hìc panditur nova Magistrorum vestrorum nequitia: qois enim Stropharum ignarus, nomine amoris imperfecti non existimet talem, qui introducendæ gratiæ justificanti non sufficiat? Talem nova non patitur Theologia; vel enim fotet ille amor solis naturæ viribus elicitus, qui vel impossibilis in vestra sententia est vel vitiosus, quia *peccator non est liber nisi ad peccandum sinè gratia liberatoris: sinè gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem: nihil habemus virium nisi ad nos vulnerandum, capaces omnis mali, & incapaces ad omne bonum*, ut citati superiùs vestri Articuli enuntiant: vel imperfectus amor est ex auxilio gratiæ, & tunc necessariò est ex fide; siquidem per Art. 26. *Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem* Artic. 27. *Fides est prima gratia & fons omnium aliarum*. Porrò omnis amor Dei ex fide progenitus, oecessariò justificat, vel justificationem præsupponit profluentem ex fide juxta Artic. 51. illimitatè & dogmaticè definientem: *Fides justificat quando operatur, sed non operatur nisi per charitatem*.

Confirmat istud *Observatio* non minùs absoluta & dogmatica in primam Joannis Epistolam cap. 3. v. 9. *Charitas nullum patitur secum peccatum mortale*. Nova qooque confirmatio traditur Artic. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei qui, omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendam est non refert, & propter hoc ipsam fit malus*. Necessariò itaque Dei amor, quem ad fallendum Ecclesiam, imperfectum dicitis, peccatorem Deo reconciliat, vel fide, ex qua nascitur, reconciliatum supponit: dici proinde non debuit imperfectus; sed minùs intensus, minùs ardens, atque ita minùs perfectus, quàm fuerit in Magdalena, Petro, & istiusmodi Sanctis. Dolus igitur Novatoribus dignus est, quoties ad mitigandum dogmatis horrorem dicitis, non requirere vos in omoibus actibos charitatem perfectam; sed inferiorem sufficere.

11 *Quesnellista*: Nimiùm diuturna me cruciat suspensio. Aveo intelligere desperationem, & atheismum, ex nostris de Ecclesia dogmatibus, ut confidenter pollicitus es, perspicuè deductum.

Catholicus: Amplius te non morabor: & quidem ad desperationem quod attinet, eam abundè ex allegatis percipere potoisti. Omnis scilicet io vestra hypothesi peccator, etiam baptizatus est *interiùs* extra Ecclesiam, neque Deus ipsi *interiùs* Pater est, neque Christus caput; sed sub lege est quemadmodum Judæus, sinè gratia, sinè amore, nihil habens in anima nisi formidinem

nem servilem, quâ non aliter sibi repræsentat Deum, nisi veluti Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem: nihil amare potest nisi ad suam condemnationem: nihil habet luminis nisi ad aberrandum; nihil ardoris, nisi ad se præcipitandum; nihil virium, nisi ad se vulnerandum, capax omnis mali & incapax ad omne bonum. His suppositis, quorum nihil est, quod vobis immeritò imputatum, vel non ex adductis Propositionibus fidelissimè excerptum sit, æquitatem tuam & sapientiam judicem postulo, an ex talibus principiis non sponte profluat peccatoris desperatio? Quid enim gratiæ, quid clementiæ speret à tali Domino, quem non sibi repræsentat, nisi ut barbarum & tyrannum, sive, ut vestris utar nominibus, *durum, imperiosum, injustum, intractabilem*? Quid verò divinitatis in tali Domino agnoscet aut agnoscere potest, quem non melioribus sibi exhibet præditum attributis? Insanissimus profectò foret; atque ipsam superans Idololatrarum atheorumque stultitiam, qui ex non aliis conflatum prædicatis Numen sibi fingeret, *nisi Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*.

Fertur Jansenius Testamentum vetus comparasse Comœdiæ: Quesnellus autem Deum non in solo antiquo fœdere; sed in novo etiam, veluti comœdum maximum facit. Mimorum scilicet theatralium est, quamlibet partem agere ad ostentationem, absque eo quod vocibus animus respondeat. Omnibus antiqui, & novi fœderis peccatoribus denuntiat Deus per Isaiam cap. 1. *Lavamini: mundi estote; auferte malum cogitationum vestrarum.... Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur*. Per Ezechielem cap. 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis & vivat? ... Quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus: revertimini & vivite*.

Per eundem Prophetam cap. 33. *Sic locuti estis dicentes: iniquitates nostræ & peccata nostra super nos sunt... Dic ad eos: vivo ego dicit Dominus Deus: nolo mortem impii; sed ut convertatur impius à via sua & vivat. Convertimini: convertimini... Impietas impii non nocebit ei*. Iterum Deus per Isaiam cap. 65. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem & contradicentem*. Idem clamat Deus in novo fœdere per Gentium Apostolum ad Romanos capit. 10. Inspiravit quoque Petro, ut de Deo velut peccatoribus misericordissimo, declararet Epist. 2. cap. 3. Quod *non velit aliquos perire; sed omnes ad pœnitentiam reverti*. Ipse denique Dei Filius Matth. cap. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*. Quid autem hæc omnia sermonis veri & serii habent, quid non plenum fallacia; si Deus peccatoribus desinat interiùs Pater esse, & Christus caput, nemine ex illis (præter paucos, qui singulari beneficio convertuntur; & quando convertuntur) vel minimum gratiæ sibi paratum vel oblatum habente, quo pœnitentiam agere salutarem, atque ad justitiam valeat pervenire?

12 *Quesnellista*: Imputent sibi peccatores calamitatem suam, & qualemcumque conversionis impotentiam, in quam suâ se voluntate conjecerint.

Catholicus: Voluntate ais; sed num liberâ, an necessariâ? Quid enim libertatis reperies, ubi nulla emergendi è peccato originis est potestas? Istud autem non propriâ nostrâ; sed primi parentis voluntate contraximus.

Quesnellista: Nulli mortalium Deus injuriam faceret, si omnes in primo illo relinqueret delicto, lapsorum erigeret neminem, nemini ad surgendum quidpiam virium largiretur, vel auxilii, quemadmodum nulli dæmonum pœnitentiæ tempus tribuit, aut facultatem.

Catholicus: Immenso discrimine peccatum originis ab Adæ posteris contractum differt à peccato dæmonum; quod hi non alienâ in se miserè derivatum, ut homines ab Adamo progeniti; sed propriâ, liberrimâque commiserint voluntate. Attamen neque priores culpâ eximo, neque in Deum conjicerem injustitiæ, aut crudelitatis contumeliam si neminem ex massa damnationis erueret, nemini impertiret subsidium ad justificationem necessarium vel sufficiens. De istiusmodi hypotheseos æquitate non disputo; verùm postquam tot Oraculis Scripturarum Deus manifestum reddidit, se nolle eorum in delictis pertinaciam & interitum; sed conversionem omnium & salutem, quomodo perfidiam & mendacium à Numine, aliàs Sanctissimo, amolieris; si pereuntium nulli, postquam in Adamo à justitia declinaverint, sufficiens præparaverit auxilium, quo ad eam redire, Deoque valuerint reconciliari?

13 *Quesnellista*: Nonne Deus Baptismum, & reliqua instituit Sacramenta justificandis peccatoribus perquam idonea? Nonne Divinum sanguinem obtulit redimendis & salvandis omnibus abundantissimè sufficientem?

Ca-

Catholicus: Vicissim interrogo: Quid inde miseris reprobis solatii, si nemini ex omnibus, reconciliationis gratiâ carentibus, potestas fuerit eam consequendi? Sacramenta etsi vasa gratiæ plenissima, ut Diabolos ad salutem perducere nunquam poterunt, ita neque homines reprobos, quibus Deus per illa nequaquam subveniri voluerit. Sint Christi merita, ut sunt verissimè, redimendis salvandisque mille mundis sufficientia: si tamen pro unius solùm hominis reconciliatione & beatitudine oblata fuerint, perspicuum est non liberandum Deum à mendacio & perfidia, postquam se velle peccatores omnes reverti ad pœnitentiam & justitiam, ac dein fieri salutis participes declaravit. Similis modò à Deo perfidia committitur intuitu eorum quibus non vult, promissum à se toties, & verbis adeò emphaticis, suæ affectum misericordiæ obvenire, ut juxta Quesnellum, obtingere vult nemini, præterquam ei, cui illam certissimè elargitur; reconciliationem scilicet & salutem.

Sic docemur Articulo 12. *Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei*. Art. 13. *Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratia sua manu, nulla voluntas humana ei resistit* 30. *Omnes quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter*. 31. *Desideria Christi semper habent suum effectum: pacem intimo cordium infert, quando eam illis optat*. Duo qui mox sequuntur Articuli non minùs Jansenismum sapiunt. 32. *Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est Electos de manu Angeli exterminatoris*. 33. *Proh! Quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat, sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem & mysteria, ut facit Sanctus Paulus dicens: qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*.

Quesnellista: Nonne verissimum est quod Christus mortuus sit pro liberandis à damnatione omnibus electis? Si enim, ut vos contenditis, sanguinem fuderit pro salute omnium prorsus hominum, multitudine universorum indubiè comprehenduntur etiam electi.

Catholicus: Comprehendi eos evidens est, sicut in binario & ternario numero includitur unitas. Sed nonne hæreticus, aut saltem de hæresi suspectus haberetur, qui diceret in Christo unam esse naturam, in Deo esse unam personam: uni personæ in Trinitate competere divinitatem? Quando in Scripturis Deus dicitur Salvator fidelium, omnis suspicio mali præcluditur præmonendo, Salvatorem etiam esse cæterorum: *Salvator* (est) *omnium hominum maximè fidelium*. In Quesnello autem nusquam istiusmodi ad omnes homines extensio est: omnes concurrunt circumstantiæ ut persuadeant Deum nullius extra Electorũ numerũ, voluisse in justitia perseverantiã & salutem.

Quesnellista: Aliàs audiveram Quesnelli vitium hic fuisse imprudentiam, quod grassante Lutherana & Calviniana hæresi non cautiùs locutus fuerit.

Catholicus: In omni hæresi imprudentia & temeritas est, sed & graviore hic deliquisse crimine Quesnellus deprehenditur, quod nempe & senserit hæreticè, & heterodoxo sensui junxerit pertinaciam.

Quesnellista: Temerarium est de animo judicare.

Catholicus: Nunquam temeritas visa est Conciliis Oecumenicis, atque Ecclesiæ universæ publicam hæreticorum contumaciam ferire anathemate. Occurrunt scilicet indicia pravi animi tam evidentia, ut nullum relinquant errandi periculum. Quisquam ne irreligiosum duxerit aut temerarium, si Presbyterum à se in adulterio deprehensum, vel hominem mentis compotem, blasphemias in Deum maximè horridas longa serie jacientem, perverso agere animo judicavit?

Quesnellista: Benignius ego de re censeo, quando te ajo defectu luminis potiùs, quàm malitiâ voluntatis, nostro imponere systemati atheismum.

Catholicus: Age igitur; lumine quo te amplius instructum autumas, strenuè utere ut recensitam à me hypothesim vestram ab Atheismo expedias.

13 *Quesnellista*: Tuum est priùs ad tantam nostra dogmata deducere impietatem.

Catholicus: Sacri Codices, ut superiùs monueram, Legis tum novæ, tum veteris, passim exhibent nobis Deum velut invitantem omnes etiam peccatores ad beatitudinem sempiternam. Talis Dei per Hagiographos oratio ad omnes dirigitur peccatores: *Nolo mortem morientis: Convertimini, convertimini: impietas impii non nocebit ei. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem. Nolo mortem peccatoris; sed omnes ad pœnitentiam reverti*. Ipse Dei Filius *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos: Tollite jugum meum super vos:* jugum

jugum enim meum suave est, & onus meum leve.

Penès vos quisquis, etiam baptizatus, non ducit vitam dignam filio Dei, cessat interiùs habere Deum pro Patre & Christum pro Capite, ac, nisi singulari Dei beneficio convertatur, nullam in posterum interiùs consequitur à Deo gratiam, impotens remanet ad omne opus bonum; nihil habet virium nisi ad se vulnerandum: nihil amare potest nisi ad suam condemnationem: nihil habet in animo nisi formidinem servilem, qua sibi non aliter repræsentat Deum nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem: unde desperatio & interitus reddatur inevitabilis; nec minus necessarius Atheismus; injustitia enim Numinis, nullitas Numinis est, suffragantibus, quotquot in orbe non prorsus desipiunt.

Quesnellista: Jam dixi: Consectaria quæcumque luctuosissima sibi imputet peccator, quem sua perversitas in hoc præcipitem egit exitium.

Catholicus: Imò vestra agit imperitia; nequitia autem magistrorum, quorum ingenio, ad lapsorum omnium perniciem detestabilis adeò hypothesis excogitata est.

Quesnellista: Si non peccatoribus, at saltem justis salutifera est, quibus horrorem incutit peccati, à quo in tale barathrum impulsus & lapsus prospicitur indeclinabilis, nisi Deus omnipotenti conversionis gratia statim subvenerit.

Catholicus: Talis impietas à nemine extra vestram Ecclesiam, peccatoribus adscribitur, ipsorumque peccantium sensu atque experientia de compertissima convincitur falsitate.

Quesnellista: Dudum expecto ut aliquo sophismate ex nostra hypothesi elicere coneris peccatores nullo suo demerito in tantam decidisse calamitatem.

Catholicus: Nihil ostensu facilius: neque ullo ad istud sophismate opus est: ipsa sufficit nuda & simplicissima hypotheseos vestræ exhibitio. Nam juxta Art. 47. *Obedientia Legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius: alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia.* Art. 40. Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem, adeòque nulla nostra Legis obedientia profluere sinè gratia potest ex fonte debito, qui est charitas. Igitur sinè gratia impossibilis obedientia est præcepto debita, qualem constat non posse esse hypocrisim. Quænam in tam liquido & evidenti consectatio species sophismatis?

Quesnellista: Hactenus quidem nulla; sed procul adhuc distas à termino.

Catholicus: Finio tamen cum definitione gratiæ quæ est Art. 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei jubentis & facientis quod jubet*, & Art. 10. *Gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*. Si nempe gratia semper faciat quod jubetur, & quidem efficiat necessariò, sive impediri ejus aut retardari nequeat operatio, quæ est ipsa Legis obedientia, perspicuum est defuisse juxta vos gratiam, quoties defuit obedientia distincta ab hypocrisi. Quando itaque defectu obedientiæ quis excidit statu gratiæ, caruit gratiâ, sinè qua nihil amare seu velle poterat nisi ad sui condemnationem; proinde minimè servare Legem sicut oportuit, ut in justitia perseveraret. Necessitatem autem peccandi in justis cadentibus consistere cum demerito, hæreticum indubiè est, & ut tale in Propositione Jansenii tertia, universæ consensu Ecclesiæ condemnatum. Quæcumque igitur peccatum consequitur calamitas, & quidem in vestra hypothesi desperatio & atheismus, hominibus justitiâ excidentibus inevitabilis est, ut ipsum indeclinabile peccatum, sive impossibilis obedientia præcepti.

Quesnellista: Non debuit justus suæ nimiùm confidere sanctitati; sed gratiam à Deo necessariam humilibus precibus postulare.

Catholicus: Ipsa Oratio necessariò ex gratia est: opposita sententia, vobis etiam fatentibus Pelagiana. Gratia autem ad precandum si adfuisset, non defuisset oratio, imò impediri aut retardari minimè potuisset juxta vestram gratiæ definitionem jam allegatam. Manet proinde hypothesis Quesnelli rea desperationis & atheismi in peccatoribus: eosdem simul liberat ab omni demerito, redditâ fugâ delictorum, etiam in justis cadentibus impossibili. In omnibus denique, præsertim ex definitione gratiæ, oritur salutis & cujuslibet ad eam conducentis operis incuria, atque adeò cum vita libertinis propriâ, verus inducitur atheismus siquidem *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*: Prop. 58. vel potius quomodo intellectus ratione præditus veram agnoscere poterit Divinitatem in eo, qui à justis plurimis exigit impossibilia, defectumque impossibilis obedientiæ cruciatibus ulciscitur tam horrificis & sempiternis? Accedit perfidia in deferendo filios

lios absque omni præsidio necessario & sufficiente, quos se non desertutum promiserat, nisi ab illis priùs se conspiceret derelictum; neque passurum eos tentari ultra quàm valeant sustinere.

Quesnellista: Tu verò nonne dimissis istiusmodi de Deo judiciis melius cum Apostolo exclamares: *O altitudo divitiarum Sapientiæ & scientiæ Dei! Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Divina scilicet humanis rationibus metiri malesanum est.

Catholicus: Apostoli exclamatio necessaria est, ubi prædestinationis inquiritur ratio, cur unus singulari Numinis & gratuità benevolentiâ, præ alio eligatur. Imperitissimè autem ad exclamationem Apostoli remittimur, ut manifesta injustitia, barbara crudelitas, & perfidia cum Divinis judiciis concilietur.

Quesnellista: Istud sententijs vestris detrahi non potest, quod res abstrusissimas luci exponere videantur meridianæ; sed vel ideo redduntur suspectæ.

Catholicus: Dicimus cum Davide *lucerna pedibus meis verbum tuum*: & licèt aliqua intellectum superantia humanum, cum Ecclesia Catholica credere teneamur, non tamen notissimæ contraria rationi, non Ecclesiæ opposita definitionibus, præcipuisque Dei adversantia prædicatis. Talis non prudens vestra, non Christiana fides est, sed fatua & inexcusabilis pertinacia. Quapropter promissam initio, præsta modò docilitatem, & veritati tam dilucidæ assensum.

Quesnellista: Haud quidem recuso; scrupuli tamen superest quidpiam congressui proximo reservandum. Interim pro certo habe, operam te hactenus non perdidisse.

Propositio damnata septuagesima nona.

Utile & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarũ generi studere, & cognoscere Spiritum, pietatem, & Mysteria S.Scripturæ. *Observ. Mor. 1. Cor.* 14. *v.* 5.

CAPUT I.

Error subvertitur ratione multiplici, & Patrum Authoritate.

1 ABsque Sacris Divini verbi codicibus, atque adeò sinè eorum studio Mundus in Dei obsequio & cultu perstitit duobus annorum millibus, ab Adam usque ad Moysem, quem primum fuisse hagiographum constat. Coluerunt tamen illo tempore homines Deum fide, spe, charitate, & externis quibusdam riribus: neque defuere prorsus justi, ut Adam ante peccatum, & post illud pœnitens, Abel, Seth, Enoch, Noë, Abraham, Melchisedech &c. Augustinus etiam de Civitate Dei libro 11. & sequentibus deducit Civitatem Dei ab Adam usque ad finem mundi.

A Moyse usque ad Christum fuere quidem Scripturæ Sacræ; sed penès solos Judæos, si eas excipias, quas LXX. Seniores annis ante Christi Natalem fermè trecentis, Græco sermone donatunt, & Ptolomæi Philadelphi Ægypti Regis Bibliothecę fuerunt ornamento. Carebant illis gentes cæteræ, apud quas etiam fuit vera Religio, ut patet ex Job & ejus amicis: ac traditur constanter ab Augustino lib.2. de peccato Origin. cap.24., lib.1. de prædestinatione Sanctorum cap.9. & lib.18. de Civitate Dei cap.47. Tempore etiam captivitatis Babylonicæ traditione magis, quàm Scripturis utebantur Judæi, quæ tunc facilè haberi non poterant, utpotè dispersæ in variis annalibus & chartis, quæque posteà studiosè ab Esdra collectæ, & restitutæ sunt. Videri de his potest Theodoretus præfatione in Psalmos, Beda in caput 9. libri 1. Esdrę, & ex his recentiores.

2 Quot verò Scripturarum partes penitùs interierunt! Chrysostomus hom.9. in Matthæum: *Multa*, inquit, *ex Prophetieis periere monumentis, quod de Historia Paralipomenon probare possibile est. Desides enim cùm essent Judæi; nec desides modò, sed etiam impii, alia quidem perdiderunt negligenter, alia verò incenderunt, tum conciderunt*. Et quidem lib.1. Paralipomenon cap. ultimo dicitur: *Gesta autem David priora & novissima scripta sunt in Libro Samuel videntis, & in Libro Nathan Prophetæ atque in volumine Gad videntis*. Lib.2. Paralipomenon cap.9. *Reliqua autem Opera Salomonis scripta sunt in Libris Nathan Prophetæ, & in Libris Abiæ Si-*

Silonitis in visione quoque Addo videntis. Lib.3. Regum cap.4. *locutus est Salomon tria millia Parabolarum, & fuerunt carmina ejus quinque millia*. Horum itaque librorum, qui intercidêre, mysteria nos latent, certè ex ipsis discere nullo studio possumus: atque ita eorum studium, & notitiam non esse nobis necessaria manifestum est.

Ex ipso Testamento Novo deperdita est epistola Pauli ad Laodicenses, cujus in epistola ad Colossenses cap. ultimo mentio fit. Fortè & intercidit alia ad Corinthios, de qua dicitur 1. Cor. cap.5. *Scripsi vobis in epistola*. Bellarminus lib.4. de Verbo Dei non scripto cap.4. ait *Fuisse Ecclesiam à Christi adventu annos multos sinè Scripturis*. Nam Judæorum Sacerdotes eas penès se retinebant, & Euangelium suum scripsere Euangelistæ satis tardè. De Joanne testatur Eusebius lib.3. Hist. cap.24. vel juxta aliam editionem 18. eum in ultimam usque senectutem sinè ulla scriptura Euangelium prædicasse. Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis ait eum compulsum tandem fuisse ab Asiæ Episcopis contra Ebionitarum hæresim Euangelium scribere.

3 Denique S. Irenæus lib.3. cap.4. testatur, adhuc suo tempore fuisse gentes, aliquas Christi fide imbutas, quæ absque ullis scripturis Christianè & piè viverent. Verba ejus audiamus: *Quid autem si neque Apostoli scripturas quidem reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderant iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt sinè charactere vel atramento scriptâ habentes in cordibus suis per Spiritum salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes*.

Non igitur *necessarium est omni tempore, omni loco, omni personarum generi studium Scripturarum*. Quod de contentis ibi *mysteriis* præcipuè asserendum est; nam & S. Basilius, licèt in Regulis brevioribus Quæst.95. Monachis suis etiam Noviriis præscribat lectionem Sacrorum Codicum; restringit tamen ad ea quæ ad usum pertinent, relictis abstrusioribus, & mysteriis vulgi captum superantibus. *Neque enim*, ut ait idem Sanctus lib. de Spiritu Sancto cap.27. *omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur*. Elegans ejusdem Sancti locus de non scrutandis à vulgo mysteriis referri meretur integer: „ Patres nostri in silentio, quòd curiosos „ & otiosos submovet, quædam servarunt. „ Pulchre quidem isti, nimirum docti, ar„ canorum venerationem silentio conser„ vari.

„ Nam quæ nec intueri fas est non ini„ tiatis, qui conveniebat horum doctrinam „ publicitùs circumferri scripto? Aut quid „ tandem sibi voluit magnus ille Moyses, „ qui non omnia, quæ erant in templo „ passus fit omnibus esse pervia; sed pro„ fanos extra sacros cancellos statuit? sed „ priora atria purioribus permittens, Le„ vitas solos dignos censuit Numinis mi„ nisterio. Mactationes autem & holocau„ stomatum oblationes, reliquumque mi„ nisterium Sacerdotibus assignavit, atque „ unum ex omnibus selectum in adyta re„ cepit: ac ne id quidem semper; sed uno „ tantùm die quotannis.

„ Rursus & hujus diei certam horam, „ qua fas esset ingredi, præstituit, quo „ propter novitatem & insuetudinem cum „ stupore intuerentur Sancta Sanctorum, „ probè sciens pro sua sapientia, res usu „ tritas, & undecumque parabiles, ex„ positas esse contemptui. Cæterùm ei „ quod sepositum est, quodque rarum est, „ huic naturâ conjunctam esse summam ad„ mirationem ac studium. Ad eundem pro„ fectò modum & qui in primordiis Eccle„ siæ certos ritus præscripserunt Apostoli „ & Patres in occulto silentioque Myste„ riis suam servavere dignitatem. Neque „ enim omnino mysterium est, quod ad „ populares ac vulgares aures effertur. „ Hactenus S.Basilius cujus sententiam sequitur Ecclesia.

4 S. Hieronymus lib. 2. epist.15. ad Lætam in selectis de Paulæ ejus filiæ institutione: „ Ad ultimam sinè periculo discat „ Canticum Canticorum, ne si in exordio „ legerit, sub carnalibus verbis spiritua„ lium nuptiarum epitalamium non intel„ ligens, vulneretur „. Sic & in antiquo fœdere sapientes Hebræorum, teste Gregorio Nazianzeno Orat.1.Apolog.„ le„ gem tulerant rectam & laude dignam, „ qua non cuivis ætati, quivis scripturæ „ liber concedebatur; nam ne quidem uti„ lius esset, quandoquidem nec tota sta„ tim à quolibet percipi possit.

Ibidem de hominibus utriusque Fœderis Sanctus annotat „ Quidam lactis alimo„ niâ opus habent, hoc est simplicioribus „ & elementaribus doctrinis, nimitum qui „ puerili animi habitudine sunt, recens„ que, ut sic dicam, compacti, nec viri„ lem sermonis cibum ferunt, quem si quis „ ipsis præter vires admoverit, ejus pon„ dere oppressi atque obruti... pristinas „ etiam

„ etiam eorum vires labefactabit „. Ipse Apostolus Corinthiis scribens Epist. 1. cap. 3 *Et ego*, inquit, *Fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus; sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis in potum dedi, non escam; nondum enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis*. In quem locum sic Anselmus: *Non enim audientium animi sunt ultra vires tentandi: sed alta quaecumque & eminentia debent multis auditoribus contegi, & vix paucis aperiri: & incboantibus quidem, vel infirmis non alta & mystica; sed quadam quae capere possunt, prædicanda sunt: perfectis vero profunda, & mystica sunt dicenda*. Chrysostomus hom. 51. super Matthæum: *Sicut infantibus esca mutatur secundùm ætatem, sic in populo secundùm virtutem doctrina temperatur*.

5 Origenes hom. 25. in lib. Numerorum: „ Sicut in nutrimentis corporis multas „ paulò antè dedimus differentias, ita & „ natura rationabilis, quæ ratione & ver- „ bo Dei, ut diximus, pascitur, non om- „ nis uno atque eodem nutritur alimento. „ Unde ad similitudinem corporalis exem- „ pli, est aliquibus in verbo Dei cibus „ lactis.

Ita interpretes & Patres reliqui: Solus contra Sanctorum ac sapientum omnium judicium, Quesnellus jubet, omne genus hominum incumbere studio scripturarum, & quæcumque abstrusissima scrutari *Mysteria*, absque ullo distinctionis limite definiens, *Esse utile & necessarium omni tempore, omni loco, & omni personarum generi, studere & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria S. Scripturæ*. Atque hunc sensum mirificus interpres elicere novit, aut potius sibi fingere ex epistolæ 1. ad Corinthios cap. 14. v. 5. cujus nulla est cum memorata novitate connexio, ut capite 9. videbimus. Interea Quesnellum minimè moratur quod monet Apostolorum princeps & primus Christi Vicarius epist. 2. cap. 3. esse in Pauli „ epistolis quædam difficilia „ intellectu, quæ indocti & instabiles de- „ pravant sicut & cæteras scripturas, ad „ suam ipsorum perditionem.

Pridem didicimus à Rege sapientissimo Proverb. cap. 20. „ Quomodo si spina nasca- „ tur in manu temulenti, sic parabola in „ ore Stultorum, „ etiam parabola maximè sacra dum eam interpretari spiritu proprio præsumunt. Propterea quoque monet Petrus epist. 2. cap. 1. *quod omnis prophetia Scripturæ, propria interpretatione non fit*. Alioquin frustranea foret Pauli Apostoli exclamatio 1. Cor. 12. *Nunquid omnes Doctores? Nunquid omnes interpretantur?* Quapropter Paulinum instituens Hieronymus epistola ad eum data de SS. Scripturis ita salubriter concludit. „ Hæc à me perscri- „ pta sunt breviter [neque enim epistola- „ ris angustia evagari longiùs patiebatur] „ ut intelligeres te in Scripturis Sacris sine „ prævio & monstrante semitam non posse „ ingredi.

6 Ratio redditur à Bellarmino lib. 2. de verbo Dei cap. 15. videlicet „ Ortos es- „ se errores crassissimos Thaboritarum, „ Orebitarum & aliorum qui Scripturas „ maternâ linguâ legebant, & non intel- „ ligebant. Idem accidit Davidi Georgio „ omnium hæreticorum pestilentissimo, qui „ nullam noverat linguam, nisi maternam, „ id est Batavorum: & tamen ex Scriptu- „ ris collegerat, se esse Dei filium & Mes- „ siam, ut patet ex libro sive epistola, quam „ de illius erroribus ediderunt Basileen- „ ses „.

„ Præterea si populus rudis audiret lin- „ gua sua vulgari legi, ex Canticis Canti- „ corum: *Osculetur me osculo oris sui: & lava ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*: Et illud Oseæ: *Vade & fac tibi filios fornicationum*: nec non adul- „ terium Davidis, incestum Thamar, men- „ dacia Judith, & quemadmodum Joseph „ fratres suos inebriavit; Sara, Lia, & „ Rachel dederunt ancillas viris suis in „ Concubinas, & multa alia eorum, quæ „ in Scripturis [etiam subinde ut apparet] „ cum laude commemorantur, vel provo- „ caretur ad hujusmodi imitanda, vel con- „ temneret Sanctos Patriarchas ut olim „ Manichæi, vel putaret mendacia esse in „ Scripturis. Et eùm tam multas apparen- „ tes contradictiones in Scripturis esse vi- „ deret, & solvere non posset, periculum „ esset, ne tandem nihil crederet.

„ Audivi ab homine fide digno, cum „ in Anglia à ministro Calvinista in templo „ legeretur lingua vulgari capitulum 25. „ Ecclesiastici, ubi multa dicuntur de ma- „ litia mulierum; surrexisse fœminam „ quamdam, atque dixisse: *Istudne est verbum Dei? Imò potiùs verbum Diaboli est*. „

7 Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 29. providè monet, ad rectam Scripturarum intelligentiam opus esse cognitione troporum & metaphorarum, quæ à Rhetoricis petenda est, cujus aliàs defectu, quo laborare solet imperitum vulgus, proximus lapsus est in errores & hæreses turpissimas. Hinc orta Antropophitarum, Deo

Deo corpus affigentium, quia membra Deo sæpe Scriptura tribuit. Simili ratione Cerinthi & aliorum hæresis, carnales in cœlo delicias statuit, ex eo quod in Lucæ Evangelio Christus ait: *Ego dispono vobis regnum sicut disposuit mihi Pater, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*. Similia innumera sunt, quæ si juxta verborum corticem accipiantur, sensum facient absurdissimum. De his videri potest venerabilis Bedæ libellus integer hoc titulo: *De schematibus & Tropis S. Scripturæ*. Ideo dixit Paulus 2. Cor. cap. 3. *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti: non literâ; sed Spiritu; litera enim occidit; Spiritus autem vivificat*. Propterea litera, ne lectorem interimat, requirit animum multâ præditum sapientiâ.

8 Alphonsus à Castro qui floruit ab annis 170. scribens de justa hæreticorum punitione cap. 6. *Quintam ponit hæresum causam translationem Scripturæ sacræ in linguam vulgarem*. Quia hinc vulgus indoctum, in Scripturas irruit legens quod minimè intelligere potest. Quod pluribus probans, inter cætera „ Certum est, inquit, plebem „ indoctam nescire discernere figuratas lo- „ cutiones à non figuratis, & inde necesse „ est, ut in plurimos labatur errores, si „ illas sinè ulla figura, & sinè ullo tropo „ intelligere velit. Multa sunt in Evange- „ liis à Christo Salvatore nostro, & dein- „ de ab Apostolis in epistolis suis per hy- „ perbolen dicta. Sæpe utuntur Apostoli „ & Evangelistæ, Synecdochæ figurâ, quam „ qui non intellexerit, necesse est ut erret. „ Nam qui hanc ignoraverit necesse est ut „ in tempore mortis & resurrectionis Chri- „ sti erret, putans Christum non verè di- „ xisse, se futurum in corde terræ tribus „ diebus & tribus noctibus.

„ Eadem ratione deridebit literam Exo- „ di, ubi dicitur Virgam Moysi devorasse „ virgas Magorum. Dicet enim apud se, „ qui fit ut virga, quæ nec os, nec dentes, „ nec gulam, nec ventrem, nec denique „ sensum habet, aliquid devorare possit. „ Paulum etiam necessariò dicet menda- „ cem, qui ait Spiritum Sanctum postulare „ pro nobis gemitibus inenarrabilibus; si „ Spiritus Sanctus gemere nequit, quo- „ modo poterit gemitibus inenarrabilibus „ postulare? Vulgaris itaque homo illud „ legens, & minimè intelligens, aut Pau- „ lum errasse dicet, aut malè de Spiritu „ Sancto censebit, putans illum gemere, „ aut quomodolibet tristari. Sunt aliæ „ multæ & frequentissimæ figuræ in Scrip- „ turis Sacris „. Ita doctissimus ille ex Minorum Ordine Franciscanus.

Imò teste Augustino lib. 2. de doctrina Christiana cap. 40. Omnes quodammodo scientiæ naturales ad veram & accuratam Scripturæ intelligentiam sunt necessariæ. Nam, inquit, sicut olim Tabernaculum Dei constructum est, Deo præcipiente, ex auro & argento, quod filii Israel ab Ægyptiis acceperunt, sic modò Theologiæ structura ex gentilium scientiis, quæ velut quoddam illorum argentum & aurum sunt, consurgit. Historiarum cognitionem non exiguam ad assequendum Divini codicis sensum exigit eodem lib. S. Doctor, atque illius defectu aliquos subinde in errores ait proruisse minimè leves.

Quot parabolæ sunt in Scripturis! Quædam etiam hyperbolæ. Plurima referuntur prophetice de Christo, quæ veluti de ipsis dicta sacris Vatibus rudis lector acciperet: inter quæ est Psalmus 21., & vaticinii Isaiæ pars non minima. Denique innumera sunt, quæ absque hæresi maximè execranda accipi nequeunt juxta superficiem verborum. Quæ omnia quomodo plebeii, hebetes rustici, & malesanæ mulierculæ discernent? Quomodo non hallucinabuntur & errabunt turpiter?

9 Nihilominus pergit nobis occinere illud suum Quesnellius *utile & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi, studere & cognoscere Spiritum, pietatem & mysteria S. Scripturæ*. Quin potiùs illo sublimium mysteriorum studio, excellentioribus relicto ingeniis, imperiti retineant illud Christi Capite 1. penès Marc. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, supposito videlicet quòd credat, sicut oportet, fidem operibus comprobans.

Et quidem in credendo, non propriæ quisque fidat industriæ; sed magis illud Angelici sequatur 2. 2. Quæst. 2. art. 6. argumento sed contra, quod desumitur ex S. Gregorio „ *Boves arabant, & asinæ pa-* „ *scebantur juxta eos*; quia videlicet mino- „ res, qui significantur per asinos, debent „ in credendis adhærere majoribus, qui „ per boves significantur, „ adhærere potissimum ei, cui universi gregis dirigendi potestas à Domino commissa est.

Quesnellianus verò error detestabilis, aut certè horridus apparuit ipsi Archiepiscopo Sebasteno Missionis Hollandicæ nuper Vicario, qui, etsi Quesnello ac novæ ejus Ecclesiæ *Pater Bonifacius* fuerit, eo nomine in arcana factionis cifra, & literis celebratus; tamen Romæ legitimo subjectus exa-

examini, de hoc articulo & affinibus re-fpondit: *Hæreo & horreo sanè, dum hæc lego; etenim persuasissimum mihi habeo, neminem esse in tota Missione nostra Sacerdotem, qui adeò falsas, adeò scandalosas Propositiones, non pleno corde & animo aversetur.* Verùm non alienis solùm testimoniis; sed enuntiationibus suorum nimiùm perspicuis & publicis proditus fuit. Proinde infelici huic Antistiti ejusque sensuum & itineris sociis applicari potuit illud S. Cypriani epist. 55. de Felicissimo & legationis ejus fraudulentæ comitibus, revera schismaticis: *Romam cum mendaciorum suorum mercibus navigaverunt; quasi veritas post eos navigare non posset, quæ mendaces linguas rei certæ comprobatione convinceret.*

Sed non unicum hoc Archiepiscopi illius delictum fuit, gravior ejus in retinenda mordicus Jansenii hæresi, recusandoque adversùs eam juramento pertinacia, declarata sæpius contra Sedem Apostolicam rebellio, schisma publicum, & scandalosa cum excommunicatis ad finem usque communio, sepulturâ illum Ecclesiasticâ, & fidelium suffragiis reddidit indignum. De hoc recurret occasio ampliùs differendi Prop. 96. ubi dicitur Deus permittere ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatis; Jansenianæ scilicet & Calvinianæ. Sed prosequenda hic nobis est adversùs Articulum 79. disputatio.

CAPUT II.

Damnata Propositio contraria Statutis Romanorum Pontificum, Conciliorum, & Antistitum, præcipuè Gallorum.

1 INnocentius Tertius epistolâ datâ Universis Christi fidelibus tam in Urbe Metensi, quàm in ejus Diœcesi constitutis, qui Scripturam Sacram in Gallicum Sermonem sibi verti curaverant, & penès quos in clandestinis cœtibus privati homines eam interpretabantur, conventicula illa graviter reprehendit, & postquam importuno eorum desiderio aliquas Scripturæ partes minùs difficiles permisit „ Arcana verò [inquit] fidei Sacramenta, „ non sunt passim omnibus exponenda, „ cùm non passim ab omnibus possint intelligi; sed eis tantùm qui ea fideli possunt „ concipere intellectu. Propter quod simplicioribus (inquit Apostolus) quasi parvulis in Christo lac potum dedi vobis, „ non escam. Majorum enim est solidus cibus, sicut aliis ipse dicebat. Sapientiam „ loquimur inter perfectos; inter vos autem nihil judicavi me scire, nisi Jesum „ Christum, & hunc Crucifixum. Tanta est „ enim Divinæ Scripturæ profunditas, ut „ non solùm simplices & illiterati, sed etiam „ prudentes & docti, non plenè sufficiant „ ad illius intelligentiam indagandam. „ Propter quod dicit Scriptura: Quia multi defecerunt scrutantes Scrutinio. Unde rectè fuit olim in lege Divina statutum, ut bestia, quæ montem tetigisset, „ lapidaretur, nè videlicet simplex aliquis „ & indoctus præsumat ad sublimitatem „ Sacræ Scripturæ pertingere, vel eam „ aliis prædicare. Scriptum est enim: Altiora te ne quæsieris. Propter quod dicit Apostolus: Non plus sapere, quàm „ oportet sapere: sed sapere ad sobrietatem. „

Hactenus Innocentius Pontifex, qui, ut priùs monui, aliquas quidem Scripturæ partes minùs difficiles tunc Metensibus permisit, forsan propter eorum duritiem, & ut obedientiam circa partes cæteras faciliùs obtineret. Quesnellus autem nullo librorum magis minusve difficilium discrimine, sacri Codicis studium, non solummodo commendat omnibus velut *utile*; sed etiam ut *necessarium*.

2 Non posse Scripturarum studium omni hominum generi familiare esse, nisi in vulgaria illæ universorum idiomata transferantur, perspicuum est; non enim omnes Latinum callent, Græcum, aut Hebraicum: promiscuas autem istiusmodi versiones vernaculas & lectiones pridem displicuisse Romanis Pontificibus, ex pluribus eorum declarationibus habemus compertum. Gregorius septimus epistolâ ad Ducem Bohemiæ rationem reddens cur nollet, Sclavonicè Divina officia celebrari „ Ex hoc, (inquit) sæpè volventibus liquet, non immerito Sacram Scripturam Omnipotenti „ Deo placuisse, quibusdam locis esse occultam: ne, si ad liquidum cunctis pateret, fortè vilesceret, & pateret despectui, aut pravè intellecta à mediocribus, „ in errorem induceret.

Longè itaque abfuit Gregorius Pontifex à Novatorientium sententia, asserentem omni hominum generi Divinorum quorumlibet mysteriorum in sacris paginis latentium studium velut necessarium adeò, ut nullo loco, aut tempore intermittatur. „ Utile & necessarium est omni tempore, „ omni loco, & omni personarum generi „ studere & cognoscere spiritum, pieta-

„ tem, mysteria Sacræ Scripturæ. „ Ne sublimia quævis & arcana, quæ Dei providentia occultare Sacrorum Codicum obscuritate voluit, quodlibet genus hominum se posse intelligere & interpretari temerè præsumeret, noluit sapientissimus Pontifex, ut Divina officia, quæ magna sui parte Divinis Scripturarum vocibus constant idiomate celebrarentur vulgari. Quesnelli autem & sociorum ejus præcipua semper cura fuit, Christianum orbem vernaculis implere versionibus, ut fœminæ quælibet, rustici, &, si quæ alia turba magis imperita est, & tali magis inepta studio, in illud ingerere se æquè ac doctissimi præsumerent.

3 Nota est quarta Regula *Indicis*, Tridentinæ Synodi jussu, Pii IV. Pontificis approbatione editi, & à pluribus dein Christi Vicariis confirmati. Illic promiscua Scripturæ in vulgari idiomate lectio severè interdicitur. Sic habet Regula: „ Cùm experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sinè discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem, detrimenti, quàm utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi vel Confessarii, Bibliorum à Catholicis authoribus versorum, lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum; sed fidei & pietatis augmentum capere posse: quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere, seu habere præsumpserit, nisi priùs Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit. „ Quantum igitur Quesnelli ejusque sodalium crimen fuit, qui ex Francia in Belgium profugi, venenatos illuc intulerunt & obtruserunt omnibus corruptarum Scripturarum Codices, non solùm perfida versione Gallica detestabiles; sed vel maximè exitiales *observationibus* suis impiis & hæreticis, ut non solùm Constitutio *Unigenitus* declaravit; sed etiam à me tomis tribus copiosè, atque, ut confido, dilucidè demonstratum est.

Clemens VIII. monitus de quibusdam Episcopis, Inquisitoribus, & Superioribus Ordinum Religiosorum, eos indulgere nimiùm pruritui noxio imperitorum volentium legere Sacra Volumina, quibus intelligendis non essent idonei, hanc addi jussit Regulæ 4. Indicis observationem: *Animadvertendum est circa supradictam Regulam quartam Indicis felicis record. Pii Pæ IV., nullam per hanc impressionem, & editionem de novo tribui facultatem Episcopis, vel Inquisitoribus, aut Regularium Superioribus concedi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari linguâ edita; cùm hactenus mandato & usu Sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentias, legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias Sacræ Scripturæ tam novi, quàm veteris Testamenti partes, quavis vulgari linguâ edita: ac insuper summaria & compendia, etiam historica eorumdem Bibliorum, seu librorum S. Scripturæ, quocumque vulgari idiomate conscripta: quod quidem inviolatè servandum est.*

4 Sicubi S. Carolus quidpiam rigorem sapiens præscribere visus fuerit, quantis extollitur elogiis à nova secta; at ubi cum Mediolanensi Concilio primo anni 1565. decernit ut *Episcopi Regulas Indicis de libris vetitis ab iis, qui illi negotio à Sacrosancta Tridentina Synodo præfecti fuerunt, ex authoritate Sanctissimi Domini Nostri Pii Quarti editas ab omnibus librorum Impressoribus, ac Bibliopolis, cæterisque omnibus Laicis & Ecclesiasticis personis servari jubeant*; tunc altum novatoribus de S. Carolo silentium est, ejusque authoritas facilè contemnitur.

Verùm quid agant tot aliis Conciliis etiam Gallicanis, quæ in eandem de non permittenda omnibus Scripturarum, in linguis præsertim vulgaribus lectione, pridem ivere sententiam? Concilium Tolosanum anno 1228. contra Albigenses habitum Canone XI. sic statuit: *Prohibemus etiam, ne libros novi & veteris Testamenti Laicis permittatur habere, nisi fortè Psalterium, sive Breviarium pro Divinis Officiis; sed ne præmissos libros habeant in vulgari translatos, arctissimè prohibemus.* Concilium Narbonense anni 1609. c. 3. de libris vetitis: *Biblia verò Sacra idiomate Gallico conscripta legere, aut domi retinere nemini liceat; nisi ab Episcopo, aut ejus Vicario generali expressâ in scriptis obtentâ licentiâ.* Et ut alia Gallica omittam: Idem decrevere Concilia in Belgio Cameracense, Mechliniense cum Synodis Diœcesanis Brugensi, Iprensi, Gandavensi, Namurcensi, & Leodiensi.

Epistola totius cœtus Cleri Gallicani, in Comitiis generalibus Lutetiæ Parisiorum anno 1661. congregati nomine, data ad Alexandrum VII. contra versionem Gallicam Missalis Romani, & acceptâ inde occasione contra editiones Gallicas Scripturarum, sic inter cætera enuntiat.

Indu-

5 „ Inducti autem fuimus, BEATISSIME PATER, hoc est, universus iste Patrum & Comitiorum generalium cœtus, multis, iisque gravissimis rationibus, quæ Beatitudinem tuam rerum omnium encyclopædiâ & cognitione pollentem non latent: ac potissimùm quod præter antiquitatis reverentiam, postulet ipsa Christianorum rituum ac mysteriorum dignitas atque majestas, ut ea vulgò, & quibusvis obviis non exponantur, ne ipsâ suâ frequentiâ & assiduitate vilescant, sintque eò magis miranda & veneranda, quo rariora: Neve apicum, syllabarum, aut verborum immutatio, quæ ex singulorum idiomatum dialecto & proprietate oritur, scandalum aliquod vel offendiculum in rebus fidei ac doctrinæ ponat, fiatque hinc, quod est in libris Regum, ut unaquæque gens atque Provincia fabricata sit sibi Deum suum, dum peculiarem religionem à proprio cerebro sibi fingit ex depravatis, aut malè intellectis Sacris Codicibus, uti fecere olim Vualdenses, aliàs Pauperes de Lugduno, aliæque ejusmodi hominum fæces ac pestes; & Patrum nostrorũ memoriâ in septemtrionalibns maximè plagis, atque in ipsa nostra Gallia, ubi orrhodoxa Fides ac Religio (proh dolor!) plures in sectas miserè scissa est arque lacerata, Lutherus, Calvinus, Beza, eorumque sequaces, qui virus suum ex adulterata præsertim Sacræ Scripturæ ac Divinorum Officiorum in familiarem lingnam versione per infimæ sortis homines, & imperitam plebem disseminarunt.

„ Unde celeberrima toto orbe Parisiensis Academia, & quæ mirum ei decus peperit florentissima Sorbonæ Schola ... dum novam istam doctrinam ante plures annos adversùs Erasmum virgulâ notavit censoriâ, eam inter alia Bohemorum errori viam stetnere pronunciavir.

6 „ Enim verò BEATISSIME PATER, verbo Dei scripto nihil melius, aut utilius, nil alio sensu pejus, aut periculosius; cùm sit optimi succi corruptio pessima; & à Vincentio Lerinensi adversùs profanas hæresum novitates calamo pugnante cap. 35. & 37. Scriptura Divina liber hæreticorum dicatur: nec ullus nnquam contra fidem error exortus est, qui non se aliquo sacrarum literarum corrupto textu tanquam clypeo objecto tutatus sit. Et ideo quemadmodum illius explanatio à Sacro Tridentino Concilio mirè commendatur Parochis, & animarum Rectoribus, ut inter ipsa Missarum solemnia, aut divinorum celebrationem sacra eloquia singulis diebus vernaculâ linguâ exponant; cùm ipsa Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem; ita & ipsi de verbo ad verbum redditio damnatur atque prohibetur, eo quod hæc plurium errorum causa fuerit ac Seminarium.

„ Testatur id B. Petrus Apostolus, qui de B. Pauli Epistolis ait: *Sicut & charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis per Epistolas, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant ad suam ipsorum perditionem*; indoctam plebeculam, ac præsertim fœminas haud dubie significans, quarum nonnullæ tanquam infelicis Evæ filiæ, serpenti antiquo credulam nimis aurem præbenres, & insitâ levitate, cæcaque cupiditate ductæ sciendi bonum & malum, altiùs quàm par est volantes, in præceps, facilè ruunt, & scrutatrices factæ Majestaris opprimuntur à gloria, ut non immeritò conqueratur D. Hieronymus, *cùm tractent fabrilia fabri, solam Scripturarum artem esse quam sibi passim omnes vendicant, quam garrula anus, quam delirus senex, quam sophista verbosus* pro libito interpretantur, *lacerant, docent, antequam discant: alii adducto supercilio grandia verba tonantes inter mulierculas de Sacris literis philosophantur*.

7 Eandem continebat sententiam alia ejusdem Cleri Parisiis congregati ad cæteros Galliæ Antistites epistola data 11. Januarii 1661. ut uniformis esset praxis omnium. Præcesserat anno 1650. 2. Septembris Mandatum Illustrissimi D. Jo: Francisci de Gondy Archiepiscopi Parisiensis, quo se certiorem redditum testatur de gravissimis abusibus & scandalis, quæ in perniciem animarum oriebantur ex eo, quòd complures privatâ suâ authoritate se ingererent in lectionem scripturarum novi & veteris Testamenti vulgari idiomate. Ideo lectionem versionis cujuslibet vulgaris prohibet Laicis omnibus, absque sua, Vicarii, Pœnitentiarii, aut saltem Parochi facultate. Alienissimus igitur fuit hic Archiepiscopus, uti & cæteri, quos memoravi Antistites Concilia, Pontifices à novo isto Quesnelli dogmate: *Utile & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi, studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria Sacræ Scripturæ*.

CAPUT III.

Joannes Gerson Academiæ Parisiensis olim Cancellarius, dein etiam facultas Theologica universa cum Supremo Galliæ Senatu damnatæ novitati opponuntur.

1 Quandoquidem Linguas Sacras, Hebraicam videlicet, Græcam, & Latinam ignorent plurimi, si *utile & necessarium sit omni tempore, omni loco, & omnium personarum generi studere & cognoscere spiritum, pietatem & mysteria Sacræ Scripturæ*, necesse pariter erit divina quævis Scripturarum oracula in omnes linguas convertere, quantumcumque barbaras, quin & absurdissimas subinde eorumdem idiomatum dialectos; quod & divinis eloquiis indignum est, & Ecclesiæ sensui repugnat. Ut autem cum solis ferè Gallis aliquot hic nobis contentio est, Gallicanam potissimùm volui novatoribus istis opponere authoritatem: & quamvis superiore capite allegata prosternendis adversariis abundè sufficeret; quia tamen insolentissima eorum nota pertinacia est, majoribus adhuc copiis rum Ecclesiasticis, tum etiam Secularibus frangendi penitùs sunt, atque conterendi.

2 Eximia in Galliis authoritas est Joannis Gersonii, qui Academiæ Parisiensis Cancellarius, postquam interfuerat Constantiensi Concilio, obiit Lugduni anno 1429. Ex variis ejus lucubrationibus Sorbona anno 1661. 4. Januarii decerpsit lacinias quasdam ad præsentem controversiam pertinentes, communique calculo approbatas, typis iterum edendas censuit contra promiscuam Divini Codicis in lingua vernacula lectionem. Sic habet 1. parte Tractatu *contra hæresim de communione laicorum sub utraque specie*: Regulâ „ Ex „ hac prætereà radice pestifera sunt, & „ quotidie crescunt errores Begardorum, „ & pauperum de Lugduno, & omnium „ similium, quorum multi sunt Laici, ha„ bentes in suo vulgari translationem Bi„ bliæ in grande præjudicium, & scanda„ lum Catholicæ veritatis, quale proposi„ tum est in reformatorio esse tollendum.

Quarta parte lect. 2. quæ incipit *Pœnitemini*, Consideratione 9. „ Rursus sequitur ex „ præmissis prohibendam esse vulgarem „ translationem librorum sacrorum nostræ „ Bibliæ, præsertim extra moralitates „ & historias. „

Serm. 1. de Nativitate „ Hæreticus iste „ [Helvidius.] per malam Scripturæ intel„ ligentiam deceptus est, quemadmodum „ multi sunt, qui scripturam intelligunt „ secundùm capitum suorum opinionem, „ & non secundùm Sanctorum Doctorum „ expositionem, quam aut nesciunt, aut in„ telligere & considerare nolunt: & prop„ tereà hic sumo unum documentum: quia „ periculosissima res est dare hominibus „ simplicibus, qui non sunt idonei, libros „ S. Scripturæ in Gallicum translatos: quia „ per malam intelligentiam continuò ca„ dere possunt in errores. Debent audire „ per prædicatores, qui aliàs frustrà es„ sent. „

3 Tractatu qui inscribitur: *Decem Considerationes contra adulatores Principum*. Quarta Consideratio. „ Non sufficit in„ telligere S. Scripturam sic ut duntaxat „ grammaticalis & vulgaris dictionum „ sciatur significatio; verùm etiam requi„ ritur ingens, & longum studium tam in „ aliis scientiis Philosophiæ & Logicæ, „ quàm in Sanctis Doctoribus, qui inspi„ ratione divina, & unum alteri compa„ rando, Sanctam exposuere Scripturam. „ Alioquin simplex Grammaticus mox bo„ nus esset Theologus; imò per se ipsum „ sciret omnem latinè conscriptam scien„ tiam: quod verum est minimè; sed est „ occasio maxima in hæreses labendi; sicut „ Julianus Apostata, Helvidius, Jovinia„ nus & Turelupini fecerunt: & novissimè „ quidam juxta Cameracum, qui Vesper„ tilio nominabatur: & omnes fermè hæ„ reses ex ista præsumptione prodierunt; „ quia sæpenumero dictiones sunt æquivo„ cæ, & aliter sumuntur in uno, quàm in „ alio loco, aut quàm in communi sumun„ tur Grammatica: & est necesse concor„ dare unum Scripturæ locum per alterum: „ aliàs inveniretur contradictio. „

Quinta Consideratio. „ Quemadmo„ dum de Biblia benè & verè in Gallicum „ translata bonum aliquod, si sobriè intel„ ligatur, potest emanare, sic per opposi„ tum innumeri errores, & mala obvenire „ possunt; si malè fuerit traducta, aut præ„ sumptuosè intellecta, refutando sensus „ & Sanctorum Doctorum expositiones. „ Satiùs esset hujusmodi rem ignorare, „ quemadmodum in Medicinis, & in aliis „ scientiis, quas melius esset prorsùs igno„ rare, quàm parum aut malè scire, & se „ magistrum reputando in eis. „ Ita Gerso-

fonius; qui quantus adverfariis Doctor eft, quoties aliquid authoritati Pontificiæ minùs tribuere vifus fuerit, quàm reliqui Doctores foleant Catholici, atque ita favere Novaturientium intento, quod eft veterem Ecclefiæ fidem ac religionem peffumdare, ita ut ante Concilium Oecumenicum à nemine valeant impediri! Audiant proinde etiam hìc fuum tanti nominis Doctorem, quòd in grande fit præjudicium & fcandalum Catholicæ veritatis, à laicis haberi translata Biblia in linguam vulgarem. Latina plerique Laici maximè plebeji & mulieres non intelligunt: Supereft, eis neque neceffarium, neque utile cenferi facrarum ftudium literarum, maximè circa myfteria, vulgarem fuperantia intellectum, ad quæ etiam Quefnelli fe enuntiatio extendit, utpote dogmatica & finè ullo limite aut exceptione: *Utile & neceffarium eft, omni tempore, omni loco, & omni perfonarum generi ftudere, & cognofcere fpiritum, pietatem, & myfteria Sacra Scripturæ.*

4 Abufum iftum minimè tolerandum autumat Gerfonius; fed reformatione celeri abolendum. Verùm Janfeniana Ecclefiæ Catholicæ reformatio, non ædificationi intenta eft, fed deftructioni. Quapropter adeò non prohibenda Quefnelli judicio eft vulgaris translatio Bibliorum, neque ad folas reftringenda moralitates & hiftorias, ut integra cum myfteriis maximè fublimibus ingerenda fit cuilibet hominum generi, velut utilis maximè & neceffaria. Quod per malam intelligentiam rudes cadere poffent in errores, ideoque eis communis effe non debeat iftiufmodi lectio, error Quefnello certiffimus eft juxta Propofitionem 83. *Eft illufio fibi perfuadere, quod notitia myfteriorum religionis non debeat communicari fœminis lectione facrorum librorum. Non ex fœminarum fimplicitate; fed ex fuperba virorum fcientia ortus eft Scripturarum abufus, & natæ funt hærefes.*

Quod pro mulierum fimplicitate dicitur, non minùs obtinere locum videbitur in rudibus & fimplicibus viris. Neque incommodum Novatoribus eft, quod apprehendit Gerfonius, aliàs opus non fore prædicatoribus; novæ enim Ecclefiæ fpiritus fupplebit facilè locum prædicantium; & quis Janfenianis, aliifve hæreticis initiatus facris, five perfidiâ potiùs facrilegâ, non fubitò evadit Doctor, atque ipfo fapientior Chrifti Vicario? Moniales & fœminæ quælibet mox Apoftolæ fiunt ut docebimur Art. 83. Non minùs cætera, quæ *Quarta* continet Gerfonii *Confideratio*, novitatem perimunt; nifi hæc fuerit diabolicâ pertinacior, Gerfoniique non minùs, quàm Sedis Apoftolicæ contemptrix. Novo dogmati æquè infefta eft Confideratio Gerfonii Quinta; fed hæc ejus doctrina pridem à Novatoribus obliterata eft.

5 Pro ufu nihilominus & fcientiâ Catholicâ pugnat etiam Sorbona recentior. Hæc anno 1527. die 17. Decembris adverfùs aliquos Erafmi Roterodamenfis Articulos cenfuram tulit triginta duobus titulis conftantem. Inter illos eft duodecimus *De traductione Sanctarum Scripturarum in linguam vulgarem*. Propofitio Erafmi 1. excerpta ex ejus Præfatione in Matthæum: *Sacras literas cupiam in omnes verti linguas.*

Cenfura Sorbonica: „ Quamvis in quamcumque linguam vertantur facræ literæ, fuapte naturâ fanctæ fint & bonæ; quanti tamen fit periculi permittere paffim lectionem earum, in linguam vulgarem traductarum abfque ulla explicatione idiotis & fimplicibus eis abutentibus, nec eas piè & humiliter legentibus, quales plurimi nunc reperiuntur, fatis indicarunt Waldenfes, Albigenfes & Turelupini, qui inde occafione fumptâ, multos errores diffeminarunt.

„ Quare hac tempeftate, perfpectâ hominum malitiâ, periculofa ac perniciofa exiftit hujufmodi traductio, loquendo de omnibus Scripturæ libris indifferenter. Nec ficubi paucis effet utilis, propterea temerè effet omnibus permittenda. In re namque ad falutem non neceffariâ potiùs confulendum eft multorum profectui, illam interdicendo, quàm paucorum utilitati eam permittendo cum gravi multitudinis incommodo. Unde & jure damnata eft hujufmodi translatio. „

6 Propofitio Erafmi 2. ex Præfatione in Matthæum: *Exclamant indignum facinus, fi mulier, vel coriarius loquatur de facris literis.*

Cenfura Sorbonica. „ Rectè perpensâ multorum hujus temporis impudenti temeritate, indignum facinus exiftimandum eft, quòd idiotæ & fimplices fuo judicio facras literas legant in fuam linguam converfas, & de illis differant, aut difceptantes de earum difficultatibus tractent. Nec tamen prohibetur per hoc eis conferre inter fe de iis, quæ in Concionibus audierunt ad morum correctionem, & ad compunctionis & devotionis excitationem, ut magis ac magis charitas accrefcat, humilitas folidetur, atque „ opera

„ opera carnis mortificentur.

Propositio Erasmi 3. ex Præfatione in Matthæum: *Me authore sacros libros leget Agricola, leget Faber, leget Latomus.*

Censura Sorbonica: „ Testantur sacra „ eloquia, simplices esse tanquam parvu- „ los, quibus authore Paulo, lacte opus „ sit. Non enim solidam adhuc escam fer- „ re ac digerere possunt. Perfectorum si „ quidem solidus est cibus, eorum qui pro „ ipsa consuetudine exercitatos habent „ sensus ad discretionem boni & mali. „ Quapropter non est medium aptum hu- „ jusmodi simplicibus, quod indiscrimina- „ tim quosvis sacros libros legant in lin- „ guam vernaculam translatos; sed con- „ venientissimum eis medium Ecclesia con- „ stituit auditionem verbi Dei, & frequen- „ tationem prædicationum ejus. Neque „ eis obitet interdicit usum quorumdam „ sacrorum librorum, qui cum explicatio- „ ne convenienti, ædificationi morum sint „ accommodi; si sic tamen tales libri ab „ ipsis legantur piè ac sobriè citra superci- „ lium & arrogantiam, ut non inde con- „ temnant prædicationes, nec à crebra „ verbi Dei auditione retrahantur. Proin- „ de hæc propositio absque præscripto mo- „ deramine posita sui assertorem sanæ do- „ ctrinæ non satis consentire demonstrat.

7 Propositio Erasmi 4. ex Præfatione in Matthæum: *Neque Ezechielis Prophetæ, neque Cantici Canticorum, aut cujusquam librorum Veteris Testamenti lectionem ulli homini interdico.*

Censura Sorbonica: „ Cùm Sedis Apo- „ stolicæ Decreto multorum talium libro- „ rum lectio laicis jampridem interdicta „ sit, & eruditis in lege Domini apud He- „ bræos graviorum authorum sententiâ, „ prohibita fuerit lectio dictorum libros „ rum, atque primi capitis Geneseos ante „ annum ætatis trigesimum, prædicta Pro- „ positio temerariè & impudenter asseri- „ tur; quandoquidem eadem subest causa „ inhibendi talium librorum lectionem, „ quæ suberat, quando Decretum Inno- „ centii III. super his constitutum est, cujus „ fragmentum refertur de hæreticis Au- „ thenticâ, *Cùm ex injuncto.*

Propositio Erasmi 5. ex eadem Præfatione: *Indecorum vel potiùs ridiculum videtur, quòd idiotæ & mulierculæ psittaci exemplo Psalmos suos & Precationem Dominicam immurmurant, cùm ipsi quod sonant, non intelligant.*

Censura Sorbonica: „ Hæc Propositio „ simplices, idiotas & mulierculas ab ora- „ tione vocali juxta ritum & consuetudi- „ nem Ecclesiæ perperam retrahens, ac si „ inutilis sit, nisi ab eis intelligatur, impia „ est, & erronea, viam præbens errori Bo- „ hemorum, qui Officium Ecclesiasticum in „ idiomate vulgari celebrare conati sunt. „ Alioqui in Lege veteri indecorum fuis- „ set & ridiculum, simplicem populum ex „ Dei instituto cæremonias Legis observa- „ re, quas non intelligebat; quod asserere, „ est in Legem, & ejus latorem Deum, „ blasphemum & hæreticum. Neque enim „ per verba orationis solùm prætendit Ec- „ clesia, ut serie verborum illorum erudia- „ mur; sed ut ejus fiui nos conformando, „ veluti ipsius membra divinas laudes pro- „ nuntiemus, debitas gratiarum actiones „ persolvamus, & nobis necessaria implo- „ remus; unde propter talem orantium „ intentionem, Dei munere affectus in- „ flammetur, intellectus illuminetur, hu- „ mana inopia sublevetur, atque gratiæ & „ gloriæ fructus comparetur. Quæ certum „ est, orantes per tales orationes vocales, „ quamvis verba non intelligant, præten- „ dere, quemadmodum legatus, etsi verba „ Domini sui non capit, illa tamen juxta „ mandatum Domini sui referens, gratum „ impendit obsequium & Domino, & ei ad „ quem mittitur.

„ Multæ similiter Prophetiæ in Ecclesia „ cantantur, quæ quamvis à multis can- „ tantibus non intelligantur, plurimum „ tamen utilis est & meritoria earum pro- „ nuntiatio & cantus. Divinæ siquidem „ veritati, quæ illas docuit ac revelavit, „ eas cantando gratum obsequium exhi- „ betur. Per quæ sanè constat, non in so- „ la verborum intellectione fructum ora- „ tionis consistere: perniciosum quoque „ esse errorem existimantium solùm ad „ erudiendum intellectum fieri Orationem „ Vocalem, cùm præcipuè fiat talis Oratio „ ad inflammandum voluntatem, ut pio ac „ devoto animo in Deum modis prædictis „ se erigendo, mens reficiatur, & obti- „ nendo quæ petit, suâ intentione non „ frustretur: mereatur etiam intellectûs „ illuminationem, quemadmodum alia „ utilia aut necessaria: qui nimirum fru- „ ctus longè uberiores sunt, quàm sola ver- „ borum intellectio, quæ absque excita- „ tione affectus in Deum, parum affert uti- „ litatis. Quod si contingeret Psalmos in „ linguam vulgarem traduci, non pro- „ pterea eorum sensum simplices & idiotæ „ plenè perciperent.

8 Nihil in totis quatuor primis Erasmi Pro-

Propositionibus à Facultate Sorbonica reprobatis est, quod non legitur in Quesnellianis: & quidem Articulus 79. quem præsens nostra impetit dissertatio, in eo absurdior est, quàm priores quatuor Erasmi; quod lectionis istius non utilitatem solummodo asserat: sed etiam necessitatem, eamque ad omnia loca & tempora se extendentem: *Utile & necessarium est, omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere & cognoscere spiritum, pietatem & mysteria Sacræ scripturæ.*

Neque studium hoc & cognitionem *mysteriorum* ab omnibus exigit Erasmus; quem proinde Quesnellus, si dogmatis delegerit sibi magistrum, temeritate voluit & pernicie superare.

Censura contra Erasmi Articulos alia ejusdem Facultatis Theologicæ præcesserat biennio, & quidem unanimi Doctorum omnium lata judicio, contra novas omnes tum Scripturarum tum etiam Horarum B. Mariæ Virginis in linguam Vernaculam traslationes, ut videbimus Documento proximo, quod nobis Tabularium seu Regestum exhibet Supremi Senatûs Parisiensis Volumine 66. fol. 107.

9 „ Hac die [5. Febr. 1525.] Magister „ Gullielmus de Querco in hanc Curiam „ se contulit, dixitque se ejusdem Curiæ „ mandata exequentem, Horas B. Virgi- „ nis à quodam Mere-sotte Lotharingiæ „ Ducis, ut se author vocat, Feciali, in „ linguam Vernaculam translatas Faculta- „ ti Theologicæ exhibuisse, quæ censuit „ nec expediens, nec utile Christianæ Rei- „ publicæ esse, ut translationes Bibliorum, „ tum aliorum Scripturæ Sacræ Librorum „ imprimi permittantur, prout plenius vi- „ dere est in ejusdem Facultatis constituto, „ quod ipsa exhibuit, & cujus tenor se- „ quitur.

Extractum ex Regestis Facultatis Sacræ Theologiæ Universitatis Parisiensis: Anno Domini 1525. die Sabbathi vigesimâ sextâ Mensis Augusti Facultati in Cappella Collegii Sorbonæ congregatæ, exposuit honorandus Magister noster Gullielmus de Quercu, quod die Mercurii ultimâ fuerat ad supremam Curiam vocatus, occasione Horarum Beatæ Mariæ Virginis in linguam Vernaculam translatarum per quemdam vulgariter nuncupatum Mere-sotte, ut declararet Curiæ, an videretur ei expediens, quod hujusmodi translatio per impressionem divulgaretur: & quia, ut dicebat idem de Quercu, ipsa res videbatur præfatæ Curiæ habere difficultatem, injunctum est ei, ut hujusmodi negotium facultati proponeret, quatenus eidem Curiæ innotesceret super hoc sententia seu deliberatio prædicta.

Quibus auditis, post maturam omnium Magistrorum deliberationem, fuit unanimi consensu dictum & conclusum, quod sequendo conclusiones dudum super hac re per ipsam factas, neque expediens esse, neque utile Reipublicæ Christianæ, imò visâ hujus temporis conditione, potiùs pern[i]ciosum, non solùm illam translationem Horarum; sed etiam alias translationes Bibliæ, aut partium ejus, prout jam passim fieri videntur, admitti, & quòd illa, quæ jam emissa sunt, supprimi magis deberent, quàm tolerari: De mandato Domini Decani ex Ordinatione Sacræ Facultatis Theologiæ. I. Lamel. „ Cum verò hæc ordinatio le- „ cta, atque res in deliberationem voca- „ ta fuerit, suprema Curia jussit & jubet „ dictas Horas à Mere-sotte translatas, in „ hoc Regno non imprimi, atque prohi- „ beri Typographis venum exponere, aut „ typis mandare libros &c.

10 Ex ejusdem Senatûs volumine 67. fol. 723. anni ejusdem 1525. diei 28. Augusti „ Viso à Suprema Curia libello supplici „ per Generalem Regis Procuratorem ipsi „ porrecto, quo postulabat, ut supprime- „ rentur, atque extinguerentur plures hæ- „ reses & errores, qui in hoc regno inci- „ piunt pullulare: atque inhiberetur Cle- „ ricis sub pœna bonorum temporalium fi- „ sco addicendorum & exilii ab hoc regno, „ laicis verò sub pœna prehensionis atque „ bonorum pariter fisco addicendorum, „ aut juxta aliud Curiæ Decretum hac de „ re datum prohiberetur quoque sectari, „ citare, vel quocumque modo defendere „ doctrinam Lutheri, aliasque sententias „ damnatas, etiam de Sacramentis Eccle- „ siæ, de cultu Sanctorum, aliisque de re- „ bus ab Ecclesia præceptis: Et pariter „ ediceretur ut omnes, qui libros Sacræ „ Scripturæ impressos, & ex lingua Latina „ in vulgarem translatos haberent, eos à „ se abdicarent, & in forensé ejusdem Cu- „ riæ tabularium afferrent, ut de iisdem „ fieret prout expediens videretur.

„ Viso pariter Facultatis Theologicæ „ Constituto hac de re dato; omnibus de- „ nique consideratis; Curia jussit & jubet „ prohiberi omnibus cujuscumque gradus „ & conditionis, defendere, prædicare, „ docere, vel quoquo modo producere „ doctrinam Lutheri, aliasque sententias „ damnatas, vel etiam de Eucharistia, Pœ- „ nitentia, Baptismo, aliisque Ecclesiæ Sa- „ cramentis, de cultu Deiparæ Virgini „ Mariæ, & aliis Sanctis, eorumque Sacris „ re-

„ reliquiis & imaginibus exhibendo, de au-
„ thoritate etiam Sacrorum Conciliorum,
„ de Summo Pontifice, de Prælatis, & Ec-
„ clesiæ Ministris, de precibus & oratio-
„ nibus pro defunctis, de servando jeju-
„ nio, & abstinentiâ, omnibusque aliis de
„ rebus ab Ecclesia præceptis, & propterea
„ sub iisdem pœnis prohiberi omnibus cu-
„ juscumque gradûs & conditionis facere,
„ dicere, aut proferre, sive disputando,
„ prædicando, aut conferendo aliquid
„ quod populum amovere possit à fide &
„ reverentia erga dicta Sancta Sacramenta,
„ à cultu Deiparę Virgini, sanctisque cæte-
„ ris impendendo: à precibus pro defun-
„ ctis, à jejunio & abstinentia: & genera-
„ liter ab omni eo quod Ecclesia secundùm
„ Christianam fidei introductionem impe-
„ rat observandum.

„ Et quia non pauci, cum Sacræ Scrip-
„ turæ libros ex lingua Latina in vulgarem
„ translatos lectitant, multarum hæresum
„ sunt inventores, faciunt conventicula:
„ disputant & agunt de fide Catholica,
„ contemnunt Ecclesiæ Ministrorum ordi-
„ nationes: verorum fidelium irrident
„ communem morem quoad Sacramenta,
„ conciones, & Ecclesiæ ministeria: erro-
„ res seminant, ex quibus oriuntur, & plu-
„ ra in hoc regno oriri possunt scandala,
„ damna, & incommoda. Ad ea præver-
„ tenda, dicta Curia jussit, & jubet, Regis
„ & dictæ Curiæ nomine, omnibus his qui
„ habent libros Canticorum, Psalterii,
„ Apocalypsis, Euangelia, Epistolas divi
„ Pauli, aliosque libros novi & veteris
„ Testamenti in Sacris Bibliis contentos
„ recens ex lingua Latina in Gallicam
„ translatos, & impressos, necnon quem-
„ dam librum impressum continentem non-
„ nulla Euangelia pro diebus Dominicis &
„ quibusdam anni solennitatibus cum ad-
„ hortationibus Gallicè editis, ut libros
„ istos à se abdicent, & octo dierum spa-
„ tio post publicam præsentis Decreti pro-
„ mulgationem eos afferant; & hortatur
„ Curia &c.

Adeò contra reductam à novis hæreticis perniciem, pugnavit pridem Facultas Theologica Parisiensis, etiam Supremi Senatûs adjuta præsidio. Neque defuere fortissimi ex omnibus Europæ nationibus pugiles, qui contra abusum adeò damnabilem præclaris decertavere lucubrationibus, quas ne temporis diuturnitate contingeret interire, Illustrissimus Galliæ Clerus anno 1661. iteratis editionibus reddere voluit immortales. Quem igitur inpostetum Christianissimæ subditum ditioni non pudeat, abusui tantâ pridem authoritate reprobato cum hæreticis patrocinari? Sed quoniam Jansenianorum audacia omnem cum timore Numinis exuit erga Summos Sacerdotii & imperii Principes reverentiam, colligendæ nobis undique copiæ sunt, & prælium totis viribus instaurandum.

CAPUT IV.

Articuli impugnatio confirmatur amplius argumentis & authoritate Petri Lizetii à Galliarum Præsulibus approbati.

1 ANno 1661. Lutetiæ Parisiorum *jussu*, ut præfertur, *ac mandato Cleri Gallicani edita est Collectio quorumdam gravium authorum, qui ex professo, vel occasione damnarunt Sacræ Scripturæ, aut Divinorum officiorum in vulgarem linguam translationes*, ut earum torrens tunc latè Gallias inundans, atque inde nasci solita hæresum propagatio, quomodolibet sisteretur. In Collectione illa primo loco ponitur Cardinalis Hosii *Dialogus de Sacro vernaculè legendo*, ut Novatoribus placuerat, & ab Eminentissimo confutatur. Audiemus illum contra Articulum 86.

Post Hosium sequitur Petrus Lizetius hoc donatus elogio: *Ob singulares ac heroicas animi dotes, summam juris peritiam, linguæ facundiam, ac dicendi libertatem, primum à Rege Ludovico XII. inter Supremæ Parisiensis Curiæ Senatores conscriptus, dein triennio post Regiarum causarum Patroni munere auctus, eoque per totos 12. annos sub Francisco 1. Rege eximia cum laude functus, tandem Princeps ejusdem Nobilissimi Senatûs renuntiatus, in quo per totos 20. annos justitiæ gubernacula rexit: tandem publico muneri cessit, atque ab Henrico II. S. Victoris Abbatiâ donatus est: quo in secessu Sacris ordinibus initiari voluit, ac in Sacerdotali, & Monastico pene more vixit, orationi ac Sacrarum literarum studio intentus.* Inter varia, quæ contra novas hæreses eruditissimè scripsit, est latinus *Dialogus de sacris libris in vulgare eloquium minimè vertendis*.

2 In Procemio Sapientia Divina sic monens inducitur. „ Sum arbor vitæ, quæ ut
„ Euangelicâ lectione cuique notum est,
„ perquàm bona existens, malos nun-
„ quam possum producere fructus; sed dum
„ meum lingua vernacula semen omnibus,
„ etiam idiotis nullo discrimine delectuve
„ adhibito, passim invulgatur, in ejus ve-
„ ro-

„ rorum fructuum agnitione plerique communi ex plebe non parum cæcutientes, „ cùm inde suavissimam frugem sese capere putant, Satanæ, perversi mei interpretis, commento toxicum desumunt: „ ac mei Euangelii fructus esse credunt, „ quod sæpe Diabolica suggestio falsâ interpretatione produxit.

Tum in ipso Dialogo sub *Pantarchei* nomine cum *Neotero* disputans author „ Hanc, inquit, Divinorum librorum è Latino in vernaculum translationem, & „ rudi plebi in vulgationem haudquaquam „ necessitatis; sed potiùs curiositatis esse, „ palàm facere operæ pretium erit: quod „ haud difficilè me probaturum autumo; „ Fidem nempe, quæ [ut Christus in Euangelio ait] salvum efficit, & salutarem „ doctrinam ex auditu esse, Apostolus asserit, non ex librorum lectione, vel ex „ Scripturarum exercitatione, quæ superioribus Sacerdotibus scilicet, & Ecclesiæ administris præcipitur & jubetur, ut „ alios erudiant & doceant; non autem rudi plebi, cui sacris utriusque scripti instrumenti canonibus potiùs præceptum „ videtur, pastores & doctores audire, & „ ab illis alimenta salutaris excipere doctrinæ, quàm librorum lectioni vel scripturarum exercitationi intendere.

3 „ Primùm Moyses priscæ legis administer, si quid ambiguum occurrerit, non „ plebem & commune vulgus ad librorum „ ab eo scriptorum lectionem remittit; sed „ ad Sacerdotes, qui præerant loco, quem „ elegerit Dominus: qui (inquit) judicabunt, quodcumque quæsieris ab illis juxta legem. Jubet itaque Moyses vulgarem populum, ad quem verba dirigit, „ superiores, Sacerdotes scilicet, adire, „ ut necessaria ab illis edoceantur. Illos „ autem judicare intelligit juxta legem: „ sicque judicando legem legere, scrutari, „ & interpretari.

„ Inde etiam apud Nehemiam accedit „ populus ad Esdram & Scribas, ut ab illis audiat lectionem & interpretationem Divinæ legis. Ob quod per Malachiam Prophetam Dominus ait, labia „ Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus: scilicet Laici, „ ex auditu, & non ex lectione spirituali, „ desumpturi pabulum. Hincque Lucas „ commemorat in Apostolorum Actibus, „ Judæis hunc morem fuisse, ut in singulis civitatibus à temporibus antiquis „ quosdam Moyses (scripto scilicet loquens) haberet, qui eum prædicabant in „ Synagogis: ubi per omne Sabbathum legebatur. Sicque à Sacerdotibus, & Scribis rudi plebi à Moyse scripti libri legebantur & prædicabantur.

„ Illi autem ex auditu, & non ex lectione propria, quæ legis erant, intelligebant & percipiebant. Indeque ita censente Jacobo Hierosolymorum Episcopo, Apostoli & Seniores, qui tum in Hierusalem erant, Ecclesiam primitivam referentes, Fratres incolentes Antiochiam „ confirmare & in fide & Christiana doctrina stabilire volentes, non solùm scripta ab eis promulgata Decreta [ut eorum lectione illi roborarentur, mittenda „ decreverunt; sed simul ut illa referrent, „ miserunt Judam & Syllam. Paulus verò „ electo Sylâ, non ea per Scripturam, seu „ libellum primitivæ Ecclesiæ Decreta per „ Syriam & Ciliciam mittit: sed eas ipse „ perambulat, sua prædicatione Ecclesias „ confirmans, viva, ut ajunt, voce præcipiens custodire præcepta Apostolorum, „ & Seniorum.

„ Eamque ob rem etiam Christus in „ Euangelio dicit, malo diviti patrem „ Abraham respondisse. Cùm enim ille rogaret, Lazarum ad fratres suos in mundo mitteret, ut eos doceret: Habent „ (inquit) Moysen & Prophetas, ipsos „ audiant. Non dixit, habent libros Moysi & Prophetarum, illos legant; sed habent Moysen & Prophetas: Sacerdotes „ scilicet coadjutores muneris Moysi, in „ quos Spiritus Prophetiæ illius divisus „ erat: hos pater Abraham interrogandos „ & audiendos censebat, pro salutis inveniendæ via: non libros legendos, in „ quorum intellectu facilè commune vulgus cæcutire potest.

„ Et quia etiam fides salvum efficiens, „ ex auditu est, ut Apostolus ait: habetque nescio quid [ut divus Hieronymus „ ad Paulinum scribit] latentis energiæ, „ vivæ vocis actus, & de ore authoris, in „ aures discipuli transfusa fortiùs sonat. „ Hinc Herodes [ut in Euangelio dicitur] „ ab Scribis sciscitatur, non à libris legis, „ locum ubi Christus nasceretur.

4 „ Paulus quoque, ut Christi fidem „ edoceatur, non ad legis libros; sed ad „ Ananiam ab eo in illa instruendus mittitur: nihilque profecisset Eunuchus reginæ Cappadociæ, nisi illi Philippus, quas „ legebat Scripturas, interpretatus fuisset. „ Sed nec Cornelius ipse [ut eisdem scribitur Actis] sacros legere libros; sed „ divum accire Petrum, ut ab eo in Chri-

„ stiana erudiatur doctrina, jubetur. Fides „ namque (ut sæpe diximus) & salutaris „ doctrina, ex auditu percipitur, non ex „ librorum lectione, vel sacrarum literarum „ exercitatione; etsi Paulus Timotheum „ moneat illas legere: nempe Pastores „ Christiani gregis, è quorum numero Ti- „ motheus erat, Sacrorum librorum le- „ ctioni intendere, & in sanctis ipsis exer- „ citari Scripturis decet. Commune verò „ vulgus, & subditum populum à Pastori- „ bus Dei verbum, animæ pabulum audire, „ intelligere, & accipere oportet.

„ Hinc Apostolus in Ecclesia Pastores, & „ Doctores à Deo constitutos esse censet, „ & perpetuò, dum subjungit *Donec occur- „ ramus omnes*: quorum officium explicat, „ *Ne circumferamur omni vento doctrinæ in „ circumventionem erroris*. Proinde ex Apo- „ stolica sententia perpetuò in Ecclesia „ Deus posuit Pastores & Doctores, ut il- „ lorum functione & administerio sanâ sub- „ diti imbuantur doctrinâ: & non circum- „ ferantur vento doctrinæ. Ventus do- „ ctrinæ rectè appellari potest sacrarum li- „ terarum sinè vero intellectu & interpre- „ tatione lectio; per quam rudis plebs in „ sanctis minùs exercitata literis, facilè „ adducitur in circumventionem erroris. „ Pastores idcirco & Doctores audiendo, „ procul ab illa erit: Sicque ex auditu fi- „ des salvum efficiens, & salutaris doctri- „ na, à communi populo percipienda est, „ continuumque Spiritûs alimentum ex „ Pastorum exhortatione, non ex librorum „ lectione sinè interprete, qua facilè in „ circumventionem adduceretur erroris.

5 „ Pastores verò & Doctores, sacri „ Sermones eloquii dum prædicant, ver- „ naculâ linguâ explicare decet: & ita in „ Remensi Concilio decretum comperitur, „ quemadmodum in sua magna Decreto- „ rum compilatione Ivo Carnotensis re- „ censet: cujus Decreti tenorem inserere „ placuit, *ut Episcopi Sermones & homilias „ Sanctorum Patrum, prout omnes intelli- „ gere possint, secundùm proprietatem com- „ munis linguæ prædicare studeant*. Non ait „ Sacra illa Synodus Remensis, quòd vul- „ gari sermone legant, vel legenda exhi- „ beant; sed quod eo modo vulgari lingua „ explicent, ut omnes intelligant: &, si „ sermone vernaculo, communi vulgo „ Euangelicam exhiberi lectionem neces- „ sarium, vel conducibile visum fuisset, „ non fuisset profectò ab ea Synodo præ- „ termissum; sed potiùs expressè præce- „ ptum: verùm eam vulgari Sermone Di- „ vini verbi explicationem ad prædican- „ tium Doctorum functionem pertinere; „ non communis vulgi curiositati Sacri „ canonis lectionem adhibendam esse, „ quàm luculentissimè declaravit.

„ Placet nunc cum divo Hieronymo ex- „ ternam ancillam, profanorum scilicet „ doctrinam, decalvata cervice, abscissis- „ que unguibus in famulatum Catholicæ „ veritatis adducere. Cicero enim ad At- „ ticum scribens ait: Sin quædam tibi vi- „ debuntur obscuriora in eo, quem scri- „ psimus Topicorum libro, cogitare debe- „ bis, nullam artem literis sinè interprete, „ & sinè aliqua exercitatione percipi posse. „ Sed quid in Euangelio Christus docet, „ dum jurisperitos, scientiæ clavem (quem- „ admodum in superioribus diximus, tu- „ lisse ait: à quibus idcirco salutaris do- „ ctrinæ thesaurum asservari, & aliis ape- „ riendum censuit. Panis igitur ille cœ- „ lestis, Neotere, qui verbum Dei est, à „ Pastoribus, Doctoribus, Legis peritis as- „ sumi debet: ex auditu quippe, & non ex „ lectione, vel Scripturarum exercitatione, „ quæ planè communi vulgo minimè ne- „ cessaria est; licèt Ecclesiæ administris, „ qui alios docere & erudire debent, præ- „ cepta sit. „

6 Hactenus Lizetius contra editiones Scripturarum vernaculas. Simili mox ratione censuram prosequitur adversùs temerarium vulgus illas lectitans: *Scripturarum lectionem, & exercitationem aliis, quàm Ecclesiæ Administris, minimè necessariam esse; sed potiùs præ se ferre planam curiositatem. Tertullianus lib. de Præscrip. hæret. perbellè asserit, inquiens satis Christianis esse fidei tenere regulam. Regula autem fidei, ut subjungit, est, ut jam hinc, quid credamus, profiteamur; illa scilicet, qua creditur, unum omnino Deum esse, nec alium præter mundi Creatorem, qui universa de nihilo produxerit per verbum suum.*

Id verbum Filius ejus appellatum, in nomine Dei variè visum Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremò delatum ex Spiritu Patris Dei & virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex ea natum exisse Jesum Christum: exinde prædicasse novam legem, & novam promissionem regni cœlorum, virtutes fecisse fixum Cruci, tertiâ die resurrexisse, in cœlos ereptum, sedere ad dexteram Patris, misisse vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat, venturum cum claritate ad sumendos Sanctos in vita æterna & promissorum cœlestium fructum, & ad profanos judicandos igni perpetuo, facta utrius-

utriusque resuscitatione, cum carnis restitutione.

Hæc regula à Christo [ut probabitur] instituta, nullas habet apud nos Quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciunt. Cæterum, manente formâ ejus in suo ordine, quantumlibet quæras & tractes, & omnem libidinem curiositatis effundas; si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari; est utique frater aliquis Doctor gratiâ Scientiæ donatus: est aliquis inter exercitatos conversatus; aliquid tecum curiosius tamen quærens, novissimè ignorare melius est, ne quod non debeas, noris. Fides, inquit, tua te salvum fecit, non exercitatio Scripturarum. Fides in regula posita est: habet legem & salutem de observatione legis. Exercitatio autem in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiæ studio.

Cedat curiositas fidei: cedat gloria saluti. Certè aut non obstrepant, aut quiescant adversus regulam. Nihil scire, omnia scire est. Sic ille: cui astipulatur [ut ab ethnicis cum divo Augustino exempla aliqua, ceu ab Ægyptiis injustis possessoribus vasa aurea & argentea mutues] quod præclarè Cornelius Tacitus eo libro, quem de Germanorum moribus conscripsit, sanctiùs (inquit) ac reverentiùs visum, de actis Deorum credere, quàm scire.

CAPUT V.

Altera à Clero Gallicano adversùs novitatem educta machina Dissertatio de non vertenda Scriptura Sacra in vulgarem linguam, deque occidente litera, & vivificante Spiritu.

1 AUthor hujus operis fuerat Spiritus Roterus ex Prædicatorum Ordine, hæreticæ pravitatis Inquisitor Tolosanus, quod Henrico Secundo Regi Christianissimo dicavit anno 1548. Clerus autem Gallicanus anno 1661. ad sistendum, quantum potuit, hæreseos contagium, versionibus Scripturarum Gallicis, & promiscuâ earum lectione quotidie, ut supra memini, latiùs se diffundens; Dissertationem eandem publicâ authoritate, & novâ luce donari voluit. Ex tam præclaro volumine hic nobis aliquid delibandum est.

Epistola dedicatoria sic regem alloquitur: „ Quis micam veri Christianismi possidens, non indignetur, non utatur, intuens Scripturam Sacram, oraculum veritatis, lumen & speculum nostræ peregrinationis, nutricem magistramque fidelium, temerario, carnalique plurimorum sensu & abusu, conversam esse in unum chaos deliramentorum, erroneorum perversorumque dogmatum? Etenim cùm supra trecentas liceat enumerare Sectas hæreticorum; nulla illarum tam impia, absurdave visa est, quæ Scripturæ Sacræ authoritate se non armaverit, in patrociniumque sui erroris, illam non advocaverit.

„ Hoc autem mirum, imò miserum, videmus hoc seculo contigisse; quod cùm impurus mendaxque Spiritus, olim plures, qui docti videbantur, per Scripturæ abusum, perversamque intelligentiam ad excogitanda, aut insequenda fidei, religionique adversa dogmata provocasset; diebus nostris [astu quodam pietatis adumbrato velamine] imperitam multitudinem, promiscuamque plebem per vernaculas Sacrorum voluminum traductiones, decipere, subvertereque nititur. Imperiti enim & simplices, ubi vident Sacram Scripturam, suo ipsorum ore loquentem, existimant, illam, æquè fore sibi intelligibilem, ut sunt historici, profanique libri, in maternum sermonem traducti. Qua existimatione effectum videmus, ut nullis consultis probatis interpretibus, putent se satis idoneos, ad literæ verum sensum assequendum.

„ Progrediuntur proinde in tantam temeritatem, ut ambulantes in magnis & mirabilibus super se, absque prævio instructore, de Euangelio, Fide justificante, Christiana libertate, totaque Pauli doctrina, non trepident in suis Synagogis differere. Et cùm objiciant Theologis illud Jacobi, *Nolite plures fieri magistri, majus enim ex hoc judicium sumitis*, ipsi, qui nunquam fuere discipuli, nec prima Sacrarum literarum didicerunt elementa, sese magistros, vulgaresque doctores faciunt: non regi à Scripturis; sed Scripturas volentes regere, nec sensum ab eis referre; sed suum contendentes inferre.

„ Prodiit autem tanta horum vulgarium doctorum colluvies, ut non modò per civitates & oppida; verùm etiam per omnes pagos, vicos, & castella reperiantur sparsi. Nec id adeò mirum videri debet; cùm abhinc non multis annis, in Civitate tua Parisiensi [omnium quæ sub cœlo sunt, populo gravi & religioso ple-

„ nissima, & cujus Academia, non minùs „ referta est viris piis, juxtaque doctis, „ quàm alvearia apibus] inventus fuerit „ loripes quidam, qui cum diu mendicando; non paucas stipes corrasisset, domumque sibi compatasset, novo Testamento Gallico, nonnullisque Lutheri „ vulgaribus libris lectitatis, mulierculis „ curiosis & credulis, persuasit, se veram „ Euangelii literam, Paulique mentem & „ Spiritum penetrasse: se proinde epistolam „ ad Romanos pollicitus est tam clarè elucidaturum, ut vel pueris lucida aperraque redderetur. Cùm igitur non parvum auditorium, clancularium tamen, „ ex mulieribus, pueris, & puellis congregasset, deprehensus est consummatus esse Lutheranus, à fide Ecclesiæ prorsus alienus, aliosque pro viribus alienans. Quapropter loripes hic de cathedra pestilentiæ raptus in rogum est projectus, & vivus crematus. Non igitur „ mirùm, si vulgares hæ traductiones hujusmodi monstra pariant, oppidatim, „ vicatim, & ferme casatim, cùm in tanta „ civirate, in qua monstra conficiuntur, „ tale natum fuerit monstrum.

3 *Unde ego, Domine mi Rex, tanta indignitate, abusuque tanto Divinæ Scripturæ commotus, attendens præterea rationem mei officii, authoritate Apostolicâ, tuaque Regiæ Majestatis approbatione injuncti, in publicis concionibus cœpi detegere rationibus & exemplis, quàm periculosæ essent hæ Sacrorum voluminum vulgares versiones: expedireque illas supprimi interdicique; quòd unitati fidei pacique publicæ officerent plurimùm, ansamque carnalium, pravorumque sensuum inde arriperent imperiti. Verùm non paucos obmurmurantes reclamantesque sententiæ meæ accepi: in primis lucripetas librarios, quæstuariosque translatistas, quærentes magis quæ sua sunt, quàm quæ Jesu Christi: deinde ex utroque Sexu non modicam turbam, expostulantium, indignum esse filios & hæredes prohiberi, aut arceri ab aspectu, lectioneque testamenti cœlestis Patris. Quibus & accessere Libertini, dicentes, convenire Christianæ libertati scripturas verti in omnes linguas, ut hoc modo fiant familiares & notæ omni ordini ætatique. Nec defuit illis quorumdam Grammatistarum, excucullatorumque suffragium, desensitantium, vel nudam vulgarem literam Sacram non parum prodesse simplicibus.*

4 *Porrò fortiùs insurgebant nonnulli ex numero Aulicorum, objicientes, hujusmodi traductiones, cordatissimo vigilantissimoque fidei Protectori Genitori tuo Francisco, tuaque Regali Celsitudini minimè displicuisse; Hujus enim rei argumentum esse, quòd in Curia Regia à nobilibus viris & fœminis passim deferatur legaturque Novum Testamentum in Gallicum sermonem traductum: me proinde insolentem videri, cui displiceat, quæ tantis placuit Principibus: Solusque id reprobem, quod nemo damnavit, laudavere plerique. His igitur querelis multiplicibus, quia voce non poteram, scripto in publicum emisso, satisfaciendum operæ pretium putavi: eaque omnia, quæ aliàs concionando, in hanc rem adduxeram, nonnullaque alia in unam dissertationem colligere, in conspectumque communem, sub patrocinio Regalis tuæ sublimitatis exponere.*

Hactenus epistola nuncuparoria. Ex opere ipso quædam referam cap. 8.

CAPUT VI.

Trium doctissimorum Cardinalium Roberti Bellarmini, Jacobi Perronii, Stanislai Hosii contra novitatem sententia.

1 ETsi præcipua Bellarmini cura fuerit ostendere, Divina officia non esse linguis vulgaribus celebranda, neque Scripturas Sacras alio, quàm Hebraico, Græco, vel Latino idiomate publicè legendas; tamen etiam privatam istiusmodi lectionem non passim omnibus utilem ac permittendam esse, contra sui temporis Hæreticos, contendit, maximè Tomo 1. controversiarum Fidei lib. 2. de Verbo Dei cap. 15. Quod cum decimo sexto adeò placuit Gallicanis Præsulibus, ut studiosè excerpta utraque, novis subjici typis voluerint anno 1661., contra invalescentem novaturientium temeritatem. Sic igitur cap. 15 „ Controversia est (inquit Cardinalis) inter Catholicos & Hæreticos, an oporteat, vel certè expediat Divinarum Scripturarum usum communem esse in lingua vulgari & propria cujusque regionis.

„ Et quidem Hæretici hujus temporis „ omnes in eo conveniunt, ut oporteat „ Scripturas omnibus permittere, imò & „ tradere in sua lingua, & cum publicè leguntur, vel canuntur, ut in sacris Officiis, „ id quoque fieri lingua propria & materna.

2 „ ... At catholica Christi Ecclesia, „ non quidem prohibet omnino vulgares „ translationes, ut Kemnitius impudenter „ men-

„ mentitur; nam in Indice librorum prohibitorum, à Pio IV. edito Reg.4. videmus concedi lectionem ejufmodi librorum iis, qui utiliter & cum fructu ea uti poffunt, id eft, iis qui facultatem ab Ordinario obtinuerint: prohibet tamen, ne paffim omnibus finè difcrimine concedatur ejufmodi lectio: & nè in publico & in communi ufu Ecclefiæ Scripturæ legantur, vel canantur vulgaribus linguis, in Concilio Trident. Seff.22. cap.8. & can.9. ftatuitur; fed contenti fumus illis tribus linguis, quas Dominus titulo crucis fuæ honoravit Joan.19. & quæ omnium confenfu, antiquitate, amplitudine, & gravitate omnibus aliis præftant; ac demum quibus ipfi libri Divini ab authoribus fuis initio fcripti fuerunt, hoc eft, Hebræa, Græca, & Latina. De quibus ita loquitur S. Hilarius præfatione in Pfalmos: *His maximè tribus linguis Sacramentum voluntatis Dei, & beati regni expectatio prædicatur, ex quo illud Pilati fuit, ut his tribus linguis Regem Judæorum Dominum Jefum Chriftum effe præfcriberet*...

„ Probatur fecundò ex ufu Apoftolorum; nam Apoftoli per totum orbem terrarum Euangelium prædicarunt, & Ecclefias conftituerunt, ut patet ex Paulo ad Rom. 10. & ad Coloff. 1. & ex Marci Euangelio cap. ult. Item ex Irenæo lib.1. cap.3. qui, cùm fuerit viciniffimus Apoftolicis temporibus, tamen dicit fuo tempore fuiffe Ecclefias jam fundatas in Oriente, in Libya, in Ægypto, in Hifpaniis, in Germania, & in mediis regionibus, ideft, Italiâ & Galliâ; & tamen non fcripferant Euangelia, aut epiftolas linguis earum gentium, quibus prædicabant; fed tantùm Hebraicè, aut Græcè, & ut quidam volunt, Latinè. Sunt enim qui exiftiment Marci Euangelium, ut etiam fupra monuimus, Latinè fcriptum Romæ ab ipfo Marco, & poftea ab eodem in linguam Græcam translatum: de quo vide Damafum in Vita B. Petri, Adrianum Finum, lib.6. Flagelli contra Judæos cap.80. & lib.8. cap.62., & Petrum Antonium Beuter Annot.9. ad Sacram Scripturam.

3 „ Quod autem non fcripferint ullis aliis linguis, etfi eas non ignorarent, cùm haberent donum linguarum, poteft multis modis oftendi. Primo quia nullum extat veftigium ullius fcripti Apoftolici, nifi Græcè: nec ullus veterum tradit fcripfiffe nifi Hebraicè, aut Græcè aut Latinè. Præterea Paulus Romanis Græcè fcripfit, cùm tamen Romanis non Græca; fed Latina effet vulgaris: Item Petrus & Jacobus fcripferunt Græcè Judæis per orbem terrarum difperfis; quibus tamen non Græca effet materna, nec Hebræa; fed lingua ejus regionis, in qua habitabant, ut patet ex illo Act.2. *Nonne ifti qui loquuntur, Galilæi funt? Et ecce nos audivimus loquentes noftris linguis* &c. Ita enim dicuntur à Judæis, qui ex variis regionibus convenerant ad Urbem Hierofolymæ. Sic enim Lucas ait Act.2. *Erant autem in Hierufalem Judæi viri religiofi ex omni natione, quæ fub cælo eft*. Item Joannes Græcè fcripfit primam epiftolam Parthis, ut B. Hyginus teftatur in epiftola 1. & B. Auguftinus lib.2. quæft. Euangel. Quæft 39. & Joannes II. Papa in Epiftola ad Valerium; cùm tamen Parthis Græca non effet materna...

„ Id ita effe demonftratur: Primum ex eo quod B. Auguftinus lib.2. Doctrinæ Chriftianæ, cap.11. dicit, ad intelligentiam Scripturarum effe neceffariam cognitionem tantùm trium linguarum, Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ; quia in illis linguis Scriptura divina legeretur, nec ullus antiquus author meminit alicujus alterius translationis: & tamen tunc finè dubio multæ aliæ erant linguæ vulgares. Igitur faltem primis CD. annis, quibus Ecclefia maximè floruit, non legebantur Scripturæ lingua vulgari...

„ In Anglia teftatur Beda fuo tempore lib. 2. hiftor. gentis fuæ cap. 1. quatuor fuiffe linguas vulgares, pro diverfitate regionum ejufdem infulæ, tamen Latinam fuiffe communem omnibus propter Scripturas; quia fcilicet omnes utebātur editione Latinâ Scripturarum; etfi aliqui linguas maternas proprias haberent. Item poftea fervatum patet ex Thoma Waldenfi tomo 3. de Sacram. tit.3. & 4.... Quinto: Si ulla ratio effet, cur Scripturæ lingua vulgari in cœtu fidelium legi deberent, ea certè effet potiffima, ut omnes intelligerent. At certè populus non intelligeret Prophetas & Pfalmos, & alia, quæ in Ecclefiis leguntur, etiam fi linguâ maternâ legerentur. Nos enim qui Latinè fcimus, non propterea continuò intelligimus Scripturas, nifi expofitores legamus, vel audiamus. Quomodo ergo intelligerent homines imperiti? Præfertim cùm Scripturæ eò fint obfcuriores, quò magis in peregrinas linguas transferuntur.

4 „ Quid, quod populus non folùm „ non

„ non caperet fructum ex Scripturis; sed „ etiam caperet detrimentum? Acciperet „ enim facilè occasionem errandi, tum in „ doctrina fidei, tum in præceptis vitæ ac „ morum: nam ex Scriptura non intellecta „ natæ sunt omnes hæreses, ut ostendit „ Hilarius in extremo libro de Synodis: „ quod etiam Lutherus agnovit, qui Scri- „ pturam *Librum Hæreticorum* vocavit, & „ experimento idem comprobatur.

Quesnellum seculo præcesserat Jacobus Rex Angliæ Ecclesiam Catholicam scriptis etiam Theologicis affligens, à quo nova Factio arma contra eam mutuari potuit: nobis verò scutum adversùs ea inexpugnabile offert Jacobus Perronius Cardinalis eruditissimus, Responsionum suarum capite 6. „ Nullus (inquit) ex Patribus invenietur, „ qui verba faciens de Sacræ Scripturæ „ translationibus, dicat, sic legitur in Bi- „ bliis regionis meæ idiomate conscriptis. „ Illud verò S. Epiphanii, quod Ecclesiæ „ fuerint interpretes, qui vivâ, ut ajunt, „ voce textum verterent Euangelii, cùm „ publicè legeretur, Regiæ nequaquam „ congruit intentioni. Demonstrat enim „ Officia Græco fuisse celebrata idiomate „ à plebe minimè intellecto; cùm interpre- „ tibus ad declaranda Euangelii verba, „ quæ in Liturgiis legebantur, opus fue- „ rit. Nisi fortè interpretum nomine intel- „ lexeris Prædicatores, qui verbum Dei „ postquam in Liturgiis legerant, inter- „ pretarentur; quod Ecclesia etiam nunc „ fieri desiderat à Parochis in articulorum „ fidei inter Missarum solemnia expositio- „ ne, atque à Concilio Tridentino sess. 24. „ cap. 7. præcipitur.

5 Ibidem ad Regiam objectionem: *Ergo inter libros prohibitos quod dictu horridum est, etiam sacri Codices, Deo dictante conscripti, primum occupant locum*, respondet Eminentissimus: „ Sacros Codices inter libros „ prohibitos numerari nefas est asserere; „ libri enim prohibiti, quocumque sint „ idiomate, semper prohibentur; nullibi „ verò invenies sacrorum librorum lectio- „ nem, Græcè, Hebraicè, vel Latinè inhi- „ bitum fuisse; sed eorum tantùm versio- „ nes corruptas, & immutatas ab inter- „ pretibus, qui sensu Scripturæ, contra „ eius authorum intelligentiam perpetuâ „ fide, usu, & traditione Ecclesiæ serva- „ tam, voluerint abuti. Has prohibet Ec- „ clesia; sed eas prohibendo, sacros Co- „ dices à Deo natos nullo modo interdi- „ cit. Nam, si Divus Hieronymus jure af- „ firmavit, Euangelium Dei, mala quo- „ rumdam interpretatione, Euangelium „ hominis, vel quod deterius est, Euan- „ gelium Diaboli fieri; quis dubitet, ma- „ las, hæreticas, atque pestiferas Scriptu- „ ræ versiones, non Dei amplius, sed Dia- „ boli esse Biblia? Omnis proinde resolvi- „ tur difficultas, si sacri Codices vulgari „ idiomate secundùm veram Spiritûs San- „ cti intentionem, & universam Ecclesiæ „ intelligentiam transferantur: sin minùs, „ ab Ecclesia meritò virgâ censoriâ feriun- „ tur.

„ Quod aliarum verò vulgarinm versionum, à Catholicis prodeuntium interpretibus lectionem non permittat Ecclesia promiscuè universis; sed iis tantummodo, qui tali facultate à Pastoribus digni fuerint judicati, non propterea sacros Codices prohibere Ecclesia dici potest. Quemadmodum enim, ex eo quod „ mater filiolis suis adhuc teneris & imbe- „ cillibus nolit permittere, quod grandio- „ ribus concedit, sibi videlicet frangere „ panem, ne frangendo, se ipsos vulne- „ rent; sed ipsa sibi non frangendi solùm; „ verùm etiam dentibus conterendi sumit „ molestiam, non propterea, inquam, pa- „ nem prohibere dicenda est.

„ Haud secus agit Ecclesia in se volens „ recipere laborem, Scripturam suis con- „ cionibus elucidatam rudi populo propo- „ nendi, nec eam sinè explicatione legi „ sinens, nisi à validioribus, qui fraudu- „ lentorum interpretum Scripturâ Sacrâ „ abutentium, ad eos ab Ecclesia distra- „ hendos, non tam facilè illusionibus de- „ cipi possunt: aliunde etiam exploratum re- „ tinent versiones istiusmodi, cùm nniver- „ saliter ab Ecclesia neque approbatæ sint, „ neque approbandæ, idonea fidei funda- „ menta minimè esse: non propterea dici „ potest Ecclesia Scripturæ alimentum ru- „ di populo prohibere. Nam satis super- „ que constat, res innumeras in Scripturis „ Sacris inveniri, quas satius est, ab infir- „ mis ex ore Ecclesiæ, cum ejusdem inter- „ pretationibus accipi, quàm legi in Scri- „ ptura, sinè ullo alio interpretationis ad- „ jutorio, præter illud quod ignorantia, „ aut præsumptio lectoris sæpe cum incre- „ dulitatis, scandali, vel hæresis periculo, „ subministrat. „

6 Qui tertius hìc succedit Eminentissimus Stanislaus Hosius, primum sibi locum facilè vindicabit, utpote ad Concilium Tridentinum Legatus Pontificius, atque in eo potestate Apostolicâ præsidens. Is lib. 3. de authoritate Scripturæ Sacræ pag. 247. „ Si

„ Si nullas (inquit) Scripturas viderit aliquis, eum salutem nihilominus posse consequi dicimus, dummodo si cætera propter intelligentiæ tarditatem assequi non potest, vel hoc solum sciat, quod Jesus traditus sit propter delicta nostra, resurrexit propter justificationem nostram, ac ineffabilis hujus beneficii memor, Redemptorem suum diligat, & proper eum proximo suo benè velit. Hoc, qui fecerit, etiamsi, quid contineatur, vel non contineatur in Scripturis; nescierit, nihil est quod propterea de salute sua dubitet.

„ Idem enim sentimus, quod ab Augustino scriptum fuit aliquando Epist. 102. ad Evodium, *Si propter eos solos Christus mortuus est, qui certâ intelligentiâ possunt, quæ ad fidem pertinent discernere, penè frustra in Ecclesia laboramus*, quodque idem dicit lib. 1. de doctrina Christiana cap 39. *Homo itaque fide, spe, & charitate subnixus, eaque inconcussè retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instituendos*. Addimus & hoc, quod qui talis est, quandoquidem proprium est istud charitatis, ut submissum reddat hominem, & ad parendum superioribus promptum, & alacrem, nullam ut ab eis præceptorum rationem exigat, quod is de salute sua multò certior esse potest, quàm qui inflatus scientiâ contemnit omnes præ se, nec, quam audire jussit Christus Ecclesiam, ei parere dignatur, nisi Scripturarum examina proferat.... Ignorasse literas Antonium, scribit Athanasius in ejus vita (& Hieronymus inter Scriptores collocat:) vocat eum nihilominus Columnam Ecclesiæ; quem ita suos etiam admonuisse narrat Athanasius: Confugite ad Crucifixi legem, nosque ejus imitamini famulos, & hoc scientiæ fine contenti, nulla deinceps secularis imprudentiæ argumenta quæratis. Porrò Crucifixi Lex, quæ est alia, quàm Charitas?

7 Mox iterum Eminentissimus repetit: „ Si quis nunquam Scripturas legerit, ac ne viderit quidem, nec, quid in eis contineatur, sciat, dummodo sciat Jesum, & hunc Crucifixum, ejusque Crucifixi Legem observet, jam eum nosse omnia, quæ ad veram & æternam salutem cognitu sunt necessaria, neque nosse modò quæ cognitu; verum etiam habere prorsus omnia, quæ sunt ad illam assequendam necessaria: de qua certus est, si Legem observet Crucifixi, quæ verbo tantùm uno continetur, & sient scribit Clemens Alexandrinus, absque literis discitur; cùm sit decretum spirituale scriptum in cordibus nostris. „

Fortè & hæc Eminentissimi contra Brentium conclusio prodesse etiam Quesnello, & ejus Defensoribus poterit: „ Hanc igitur (Charitatem) quisquis habet, jam non solùm novit; verùm etiam implevit Legem universam: & est ad salutem instructior, quàm tu eum omni caterva sodalium tuorum, qui eum scientiæ quadam opinione sitis inflati, quandoquidem hac unicâ Crucifixi Lege destituti estis à Christo, & à corpore ejus Ecclesia præcisi estis & separati. „ Hactenus Tridentini Concilii Præses Hosius controversiarum contra hæreticos peritissimus.

CAPUT VII.

De versionum vulgarium, & lectionis promiscuæ effectibus.

1 ODiosa forsitan adversariis apparebunt, quæ præsenti & proximo capite deducturus sum; non est tamen cur mihi succenseant; nihil enim verbis meis proferam; sed illustrium authorum, qui à sesqui seculo scripserunt, & quorum Opera, quantum ad hanc attinent controversiam, Clerus Galliæ approbans anno 1661. novis typis edi Parisiis jussit: ut jam non privatâ singulorum, quantumvis gravium Doctorum; sed publicâ Cleri Gallicani authoritate firmentur, & penès adversarios, saltem Gallos, pondus acceperint quodammodo irrefragabile. Sub idem tempus quo Roterus in Gallia, Jacobus Ledesma Societatis Jesu Theologus In Hispania calamum strinxit *adversùs nostri* (inquiebat) *seculi hæreticos de Scripturis Divinis quavis lingua non legendis &c.*

Scriptoris elogium insigne Operi præmittit editio Cleri Gallicani. Tractatus verò laudari etiam à Bellarmino meruit, eique dignus apparuit, unde mutuaretur non pauca, quæ suis insereret controversiis. Etiam nos ex eodem laciniæ quidpiam decerpamus.

Postquam cap. 17. ostenderat quod versione istiusmodi & lectione promiscuâ unio fidelium & Christianæ religionis tolleretur cap. 18. ait. „ Nec unionem tantùm Ecclesiæ dissolveret; sed errorum ac hæresum esset magna causa. Quoniam si ita fieret, ut religionis hostes contendunt, in gravissimos errores homines facillimè „ indu-

„ inducerentur, tum in vertendo, tum „ post versionem. Non enim in tot, tamque „ dissimilia regionum idiomata sacræ literæ absque maximo erroris periculo, vel „ saltem non levi, ob cujusque linguæ proprietatem, fidei jacturâ verti possent.

„ Præterea nullus unquam posset repetiri ejus versionis idoneus judex: sed nec „ supremus quidem Ecclesiæ; cùm linguam „ ignoraret, qui de illa versione judicium „ ferret. Nullus, inquam, vel tum primò, „ vel postea cùm pro libito mutaretur, judicare valeret, an in ea genuinus & proprius sacrarum literarum sensus, juxta „ linguæ proprietatem redderetur, nec ullus, qui errores & abusus, qui in una „ lingua acciderent, & quotidie subreperent, deprehenderet, conveniens & sufficiens judex esse posset: sed nec in quibus ii ab aliis Provinciis differrent, an „ verò cum illis convenirent; cùm aliatum versionum linguam ignorarent, sciri „ posset. Post versionem &c.

2 Anno 1578. Prodiit Parisiis judicium Mauritii Poncet ex Ordine Benedictinorum Doctoris Sorbonici, circa quæstionem à Petro de Gondy Archiepiscopo Parisiensi Theologis propositam: illud quoque Clerus Galliæ anno 1661. velut antidotum adversùs novæ hæresis virus nova donandum luce censuit. Ibi cap. 8. dicitur „ Ingens „ hæreticorum numerus Hebræos inter, „ Græcos, Latinosque ingenio valentes „ minimè hebeti, in Divini Codicis lectione eam sensere caliginem, ut à veritate „ atque obedientia Ecclesiæ defecerint, „ licèt idiomatis sui peritiâ viderentur excellere. Quid igitur expectemus à plebe „ rudi, & voluptatibus deditâ, ubi copiam „ nacta fuerit Bibliorum in suum translatorum idioma vernaculum? Concipiet „ inde Opinionum monstra & deliriorum, „ aut lectionem negliget: utrumque experientiâ compertum est.

„ Constat enim paucissimos, Scripturarum se dedere lectioni, præter eos, qui „ aut elati superbiâ, videri volunt supra „ vulgus, ipsosque suos sapere Pastores, aut „ novitatibus præoccupati, in sacris paginis avidè quærunt, quo errorem stabiliant præconceptum. Contingit autem „ rarissimè, Scripturas ideo legi, ut vitam „ quis corrigat, reddatque Divinis earum „ præceptionibus conformem. Non alios „ itaque talis versio fructus pareret, nisi „ quales pomum ex arbore scientiæ boni „ & mali decerptum, & curiosiùs contra „ prohibitionem Numinis gustatum, primis attulit Parentibus. Nam quemadmodum Adam & Eva, hac arte similes Altissimo fieri cupientes, in genus omne „ vitiorum, & ignorantiæ ceciderunt, idem „ etiam curiosis & nimiùm sibi confidentibus evenit scrutatoribus Bibliorum. „

3 Sub idem ferè tempus Alphonsus à Castro ex Ordine Minorum S. Francisci Scriptor celebris, postquam lib. 3. *de justa hæreticorum punitione* cap. 6. *de quinta hæresum causa, quæ est translatio Sacræ Scripturæ in linguam vulgarem*, ex Scripturis & Patribus ostenderat, non esse prædicanda rudibus mysteria sublimia, quæ eorum superent intellectum; sed præter credendos necessariò fidei articulos, inculcanda morum præcepta, quæ plana sunt & singulis hominibus captu facilia: *Inde* [inquit] *apertissimè convincitur, Sacram Scripturam non esse populo rudi, ut ab eo legatur, tradendam.* Mox in illud Petri: *Sicut modò geniti infantes sinè dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem*, cum communi interpretum animadvertit, *Sacram Scripturam in illis locis, ubi difficulter intelligitur, non lac; sed solidum cibum censeri debere; & inde sequitur ut idiota, qui illam legere contendunt, contra præceptum B. Petri agant, qui illis præcepit ut sint lacte contenti, & fortiores non appetant cibos.*

Post pauca addit: „ Est aliud adhuc „ in verbis Petri consideratione dignum, „ ubi causam reddens, propter quam imperfecti & infirmi debent sicut modo geniti infantes lac concupiscere, ut in eo „ crescatis [inquit Petrus] in salutem. „ Quibus verbis apertè innuit, solidum cibum non in salutem; sed in ægritudinem „ modò genitis infantibus dari. Ex quibus apertè convincitur, eos qui Sacram „ Scripturam in linguam vulgarem translatâm, populo rudi legendam tradunt, „ non prospicere saluti animarum populi; „ sed illarum potiùs ægritudinem procurare; quia tradunt illis cibum, qui illarum „ exsuperat vires.

„ Accedit ad hæc omnia quædam Ecclesiæ prohibitio, qua Laicis hominibus interdicitur, ne de fide Catholica quomodolibet disputare audeant. Nam in „ cap. *Quicumque* §. *Inhibemus* de Hæreticis Alexander Papa sub excommunicationis pœna prohibet omnibus Laicis, „ ne publicè, aut privatim de fide catholica disputare audeant. Et meritò quidem „ hoc inhibuit Summus Pontifex, qui perpendit, quanti periculi res sit, talem „ disputationem Laicis sinè ullo discrimi-

„ ne

„ ne permittere. Nam licèt sint aliqui Laici viri docti, qui benè & sinè fidei periculo possint cum hæreticis disputare; jura tamen, & decreta nunquam de his, quæ rarò contingunt; sed semper de his, quæ frequentiùs eveniunt, disponunt. Rarò autem contingit, ut viri Laici sint de altioribus fidei mysteriis plenè edocti, & ad disputandum de illis diserti: & ideo ne laici indocti in disputatione succumbentes sibi ruinæ occasionem assumerent, aut aliis audientibus præberent, meritò illis omnibus fuit talis disputatio interdicta. Ut autem hoc tam sanctum & pium Decretum, id quod intendit efficere valeat, opus est ut à laicis idiotis Sacra auferatur Scriptura, ne eam legentes de secretioribus fidei mysteriis cum magno religionis periculo, eorum quilibet audeat disputare. Qui enim aliquid suis subditis prohibet, nisi illis laqueum parare velit, oportet ut id jam prohibeat, quod magnam præbet agendi prohibitum, occasionem.

4 „ Quanta autem laicis indoctis disputandi de fide præstetur occasio, cùm illis in linguam vulgarem translata traditur Sacra Scriptura, ipsa rerum experientia apertissimè docet. Nam in illis Provinciis, in quibus Sacra Scriptura in linguam vulgarem translata, passim omnibus Laicis legenda conceditur, ut sunt Gallia, Germania [& olim] Italia, non solùm indoctissimi viri; sed etiam fœminæ passim de fide catholica disputant, & cum doctissimis viris de secretioribus fidei mysteriis contendere non verentur. Quam perversitatem summopere reprehendit Hieronymus in epistola ad Paulinum ... Et certè id quod Hieronymus suo tempore fieri testatur, & dolet, in multis Provinciis, ut diximus, nunc fieri videmus. Qui abusus, nisi citissimè tollatur ab illis Provinciis, non dubito, quin ille magnum fidei Catholicæ dispendium sit præfatis Provinciis allaturus; præsertim cùm jam tam magna hujus rei initia in his Provinciis videamus, & jam quasi oriri videamus id malum, quod nunc prædiximus, & timemus.

5 „ Est adhuc alia urgentissima ratio, quæ Ecclesiæ Præsules cogere deberet; ut translationem Sacræ Scripturæ in linguam vulgarem nullo modo facere, aut jam factam evulgari permitterent, ipsius videlicet Sacræ Scripturæ reverentia, & æstimatio, quam quotidie minui, si passim omnibus legenda tradatur, nemo est qui dubitet. Nihil enim est quod magis alicujus rei pretium & æstimationem augeat, quàm illius raritas & occultatio, & nihil è contrario magis illa omnia minuit, quam ejusdem rei multitudo, & nimia illius manifestatio. Et hæc est causa (ut omnes Sacri Doctores docent) propter quam Deus veteris legis ceremonialia mysteria, occulta populo esse voluit, & non passim omnibus manifestari; ne ex facili eorum conspectu omnibus vilescerent: Nam ea, quæ in Tabernaculo Fœderis erant, cum castra movebantur, ab Aaron, & ab his, qui in tabernaculo serviebant, involvebantur, nec videbantur à populo, nec ab his etiam qui propriis humeris deferebant. Obvelandi necessitas tunc erat non modica, metus videlicet mortis.

„ Si tanta reverentia tunc est adhibita umbræ, multo magis eam decet exhibere corpori, ut Sacra Scriptura, in qua multò apertiùs, quàm illis ceremoniis nostræ fidei secretiora mysteria continentur, non passim toti populo legenda tradatur. Alioqui ipsa Scriptura, quæ esset in maximo pretio ab omnibus habenda, citò erit in contemptum & vilipendium. Propter hanc causam Gregorius Septimus hujus nominis Pontifex scribens Uratislao Bohemorum Duci (tunc enim Bohemia, non Regem ut nunc; sed Ducem habebat] in quadam epistola, quæ est in lib. 6. suarum epistolarum, noluit illi concedere, ut Divinum Officium posset in lingua sua Sclavonicâ celebrari.

„ Sic enim post aliqua præfatus Gregorius in illa epistòla ait: Quia verò Nobilitas tua postulavit, quo secundùm Sclavonicam linguam apud vos Divinum celebrare annueremus officium, scias nos huic petitioni tuæ nequaquam posse favere. Ex hoc enim sæpe volventibus liquet, non immeritò Sacram Scripturam omnipotenti Deo placuisse quibusdam locis esse occultam; ne si ad liquidum cunctis pateret, fortè vilesceret, & subjaceret despectui, aut pravè intellecta à mediocribus, in errorem induceret.

„ Neque enim ad excusationem juvat, quod quidam Religiosi viri hoc, quod simpliciter populus quærit, patienter tulerunt, seu incorrectum dimiserunt; cùm primitiva Ecclesia multa dissimulaverit, quæ à Sanctis Patribus postmodum firma-

„ matâ charitate, & Religione crescente, „ subtili examine correcta sunt. Unde ne „ id fiat, quod à vestris imprudenter exposcitur, authoritate B. Petri inhibemus, teque ad honorem omnipotentis „ Dei huic vanæ temeritati viribus omnibus resistere præcipimus.

6 „ Hactenus Greg. VII., qui etsi de „ Divino Officio tantummodo loquatur „ expressè; idem tamen de aliis Divinis „ Scripturis esse dicendum, satis innuit „ apertè. Et certè necessarium est, ut „ idem sit de utroque dicendum: quoniam „ maior pars eorum, quæ in Divino Officio dicuntur, ex Sacris Codicibus sumpta est; reliqua autem quæ inde non sumuntur, etsi sancta sint, & debitè reverenda; non sunt tamen majori reverentia „ habenda, quàm illa, quæ à Sacra Scriptura „ assumpta sunt. Et inde apertissime convincitur, ut si Scriptura in linguam vulgarem „ sit transferenda, eadem etiã ratione Officium Divinum sit in lingua vulgari celebrandum. Et si hoc de Officio Divino „ denegatur, prout Greg. VII. denegat, „ consequens est ut idem etiam sit de „ Scriptura Sacra denegandum. Quoniam „ non minoris æstimationis & pretii est Sacra Scriptura, quàm ea omnia quæ in „ Officio Divino dicuntur; & ideo non minor Sacræ Scripturæ, quam Officio Divino reverentia est exhibenda, ut non „ in ea lingua tradatur, in qua passim possit ab omnibus sinè ullo discrimine legi. „ Et certè valde timendum est, ne, si Sacra Scriptura in linguam vulgarem translata populo rudi tradatur legenda, populus inde insolentior factus, petat, Missam, & reliqua Officia Divina in lingua „ vulgari celebrari, prout nunc apud Lutheranos in Germania fieri scimus. Quod „ si eis concederetur, in magnum cederet „ haud dubiè totius Christianæ Religionis „ contemptum.

7 Ambrosius Catharinus ex Prædicatorum Ordine primùm Episcopus Minoriensis, dein Archiepiscopus Compsanus, qui vixit Pontificibus Clemente VII. & Paulo III., Quæstionem instituit, *an expediat Scripturas in maternas linguas transferri*; sententiam communem pluribus stabiliens argumentis: „ Secundum est [inquit) ab „ ipsis fructibus, qui orti inde sunt. Satis „ enim apparet, quid hæ versiones Germaniæ profuerint, per quas facti sunt „ plebeji & ignari homines non Deo: sed „ Diabolo dociles. Non quasi ullum sit in „ Scripturis vitium, quæ sunt sanctissimæ; „ sed ob vitium, & temeritatem legentium, „ qui non sunt apti ad veros Scripturæ „ sensus eliciendos. Quo fit ut magnopere mirer eorum prudentiam [imprudentiam intellige] qui tantæ nationis exemplo, & gravissimâ ob oculos positâ jacturâ non moventur, nec discunt alieno „ modo sapere. Verùm magnas vires habet rerum novarum cupiditas.

8 „ Est & tertium argumentum: Ostendant nobis, qui contra sentiunt, harum „ versionum utilitatem. Quid, oro, possunt proferre, nisi ipsarum versionum „ beneficio multa ab iis, qui Latinam linguam ignorant, intelligi posse, quæ alias „ iisdem destituti non valuissent? Habere „ quidem posset hæc ratio aliquem in specie colorem, nisi illud protinus in promptu quoque esset, ex tuis multis, quæ „ possent videri sibi intelligere, facilè „ plura reperiri posse, quæ perperàm intelligerent, & in suam perniciem pertraherent: sicque ea intelligentia non solùm „ illis non prodesset; sed plurimum obesset „ ut pluribus ibi à Catharino & ab aliis passim ostenditur. Sed primum, quod prætericram, Religiosi Antistitis argumentum initio capitis proximi reservandum est.

CAPUT VIII.

Quo authore, & quo consilio, seu fine communiter suaderi videatur Scripturarum versio vernacula, & promiscua lectio.

1 AMbrosius Catharinus initio responsi ad Quæstionem à se superiùs propositam „ Argumentum, „ inquit, pro communi sententia. Primum est, & apud me valet plurimum, „ quoniam qui priorem partem [nobis adversam) tenent, omnes ferè sunt hæretici, aut de hæresi suspecti: imò hujus „ facti authores, pestiferi hæresiarchæ, „ nempe Lutherus, & alii ejus sectatores „ vel æmulatores. Qui autem contra senserunt & scripserunt, sunt insigniter catholici, & quorum magna laus est in „ Ecclesia. Nominabo duos, alterum Ordinis Prædicatorum Magistrum Spiritum „ Roterum Inquisitorem Tolosanum: alterum verò Ordinis Minorum Fratrem Alphonsum de Castro Hispanum. Hi ambo „ optimis rationibus ostenderunt & inutilitatem & periculum harum versionum.

Missa

„ Missa nunc facio Universitatum & Regum Edicta atque interdicta, quæ, perspecto tantæ rei periculo, sancita sunt, & promulgata. Hoc primum magni omnino momenti argumentum debet esse nescientibus ratiocinari ex propriis, ut cuique viro pio ac prudenti perspicuum fiat, multò esse conducibilius Ecclesiæ, id reprobari quod reprobant ac explosum volunt catholici, quàm admittere, quantovis prætextu adumbratum, quod probant & obtrudunt hæretici. Nonne summa veritas, nec de spinis uvas, neque de tribulis ficus colligi posse testatur ? „

2 Quis autem præcipuus versionum & lectionum istiusmodi suis suasionibus author sit minimè dissimulat Roterus, à Catharino tanta superiùs laude celebratus. Sic ille *Dissertatione de non vertenda Scriptura Sacra in vulgarem linguam, deque occidente litera & vivificante spiritu* cap. 1. *Duo modi inter alios, quibus Satanas se transfigurat in Angelum lucis*. „ Sacra nos admonent oracula, & inprimis ille reipublicæ Christianæ oculatissimus Argus, Paulus Apostolus, non modò observandas esse apertas Satanæ machinas, quibus Ecclesiam impugnat, tyrannos scilicet, hæreticosque manifestos; Verùm etiam præcavenda ipsius simulata, & fuco amicitiæ palliata molimina, quibus, ut serpens callidior cunctis animantibus terræ, iis præsertim novissimis, periculosisque temporibus, calcaneo Ecclesiæ acriùs insidiatur. Ait enim in secunda ad Corinthios Epistola, ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis.

„ Non magnum ergo est, si ministri ejus transfigurant se in ministros justitiæ. Quibus verbis indicare voluit, sic loquens Apostolus, ut quemadmodum non nunquam dolosi hostes, eos adversarios, quos viribus, apertisque certaminibus, superare diffidunt, sumptis illorum armis, & signis, fictisque amicorum vocibus usurpatis, se pro amicis exhibent, hocque modo nonnunquam illos supplantant & perimunt: Non aliter Rex peccati, perpetuusque adversarius Religionis Christianæ Satan, ubi per infidelium terrores, Hæreticorumque imposturas, non satis proficere se sentit, symbola & armorum nostrorum simulacra induit, seseque transfigurat in Angelum lucis, Euangelicæ scilicet veritatis annuntiatorem, Christique gloriæ promotorem, quo semel tanquam amicus admissus, in omnibus, quæ postmodum attentaverit, aut suaserit, non adversùs nos; sed pro nobis stare, satagereque videatur.

„ Cujus fraudulentæ transfigurationis Satanicæ, etsi possemus innumera exempla referre, brevitatis studio duo retulisse sufficiet. Unum quidem est &c. [ad præsentem non pertinens controversiam] Alterum refertur capite 2. *qua de causa, & quo astu, Satan suadere nititur S. Scripturæ vulgares translationes*. „ Alterum Satanæ se mentientis Angelū lucis, commentum est, Sacræ Scripturæ in vernaculos sermones procurata translatio.

„ Cernens quippe ipse tenebrarum princeps, nihil sibi æquè repugnans, ut est Scripturarum recepta irrefragabilisque veritas, quo ipsarum elevet deprimatque auctoritatem, obnubiletque intelligentiam, imperitos, simplices, vulgaresque homines solicitat desiderio lectitandæ percipiendæque Scripturę, nullo explanatore, aut præmonstratore adhibito; persuadens literam solam, cum proprii ingenii acumine sufficere ad apetiendum sensum: diuque per Theologos quosdam & Concionatores præpediram Scripturæ in communem linguam versionem, ut ipsi soli tanquàm Consiliarii, Symmistæque Sacrorum eloquiorum venerarentur, populo Dei interea manente contemptibili, inscioque literarum, quas cœlestis Pater missitavit & voluit omnibus filiis esse communes.

„ Quos autem senserit, aliquot Scripturarum sententias absque prævio instructore percepisse utcunque: eos in eam sui sensus æstimationem, tumoremque adducit, ut non modò putent, in tam alto pelago [ut dicitur] sinè cortice nare; verùm etiam sibi videantur idonei ad alios docendos, aptique ad Scripturæ difficultates nodosque dissolvendos.

3 „ Proinde interpretes superfluos judicant; dicentes literam se satis apetire emunctæ naris Lectori; præcones Verbi Dei, nisi soli Literæ insistant, solamque fidem & gratiam ad palatum ipsorum commodaverint extravagantes, & battologos vocant. Porrò Satanâ rege super omnes filios superbiæ incitante, de Litera satis, ut sibi videtur, intellectâ sic extolluntur, sicque suo sensui hærent pertinaciter, ut à veris Angelis lucis, ubi aberraverint, vix possint revocari à semel conceptis erroribus. Non igitur Paulus absque causa recusabat dici Mi-

„ nister Literæ grandem illam proferens „ sententiam *Qui nos fecit idoneos Ministros* „ *Novi Testamenti*, *non literâ*; *sed spiritu*: „ *Litera enim occidit*, *spiritus autem vivifi-* „ *cat*. Quæ magni ponderis verba latius „ explicare fert animus, ut quibuslibet „ constet has Sacrarum Literarum versio- „ nes vulgares, non à bono, sed maligno „ spiritu se in Angelum lucis transforman- „ te, fuisse suggestas. „

Hactenus Roterus, de quo, uti & de Ambrosio Catharino, Alphonso à Castro, Jacobo Le Desma, Petro Lizerio, Petro à Soto, Nicolao Sandero, Judoco Clichtovæo, Mauritio Poncetio, Joanne Gersonio, Cardinale Bellarmino, memorem semper cupio esse Lectorem, quòd, quidquid in præsenti, & septem sequentibus Articulis ad Scripturam Sacram & Divina Officia spectantibus ex eorum scriptis profero, non solùm privatam singulorum contineat authoritatem; sed etiam publicam Gallicanorum Antistitum, quibus jubentibus, omnia hæc Opera, vel Operum laciniæ novam Typis Parisiensibus acceperint editionem.

CAPUT IX.

Depulsio argumentorum, quæ adversarii obtendunt ex Scripturis.

1 Singularem Lectoris exigit attentionem solemnis, & generalis *Protestatio* Quesnelli, quam coram superis & inferis emisit, se in *Observationibus moralibus non esse solitum tractare fidei aut religionis dogmata, nisi quousque Scripturæ sententia induceret, ac determinaret*. Oculos proinde, & mentis aciem convertere jubemur ad Epistolam primam Apostoli ad Corinthios cap. 14. v. 5. *Volo autem omnes vos loqui linguis: magis autem prophetare*. Is enim textus obtruditur, in quem mirabilis illa excogitata est à Quesnello Observatio *Utile & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi, studere & cognoscere spiritum, pietatem, ac mysteria Sacræ Scripturæ*. Quæramus itaque ex adversariis, velintne Scripturæ sententiam accipi, ut *volo vos* necessitatem significet, & quidem pro omni loco, omni tempore, omni genere personarum? Demens foret affirmatio; omne scilicet genus hominum omni loco & tempore debere necessariò linguis loqui peregrinis, magis autem prophetare.

Si verò neque necessitas intelligenda est, neque tam ampla de omni tempore, loco & personarum genere significatio, imponit & fallit malæ fidei *Protestans*, dum ex tali textu observationem elicit dogmaticam de religione multò longiùs, ut patet, extensam, quàm verba Apostoli inducant atque determinent. Si autem *volo vos*, Quesnello interprete, necessitatem inferat adeò generalem, ut damnata enuntiat observario, superest ut ostendat prophetiæ nomine Lectionem intelligi Scripturarum. Nobis verò evidens apparet, aliud esse Dei Verba scripta privatim penès se legere, aliud prophetare. Certè diu extitit prophetia antequam sacros Codices scribi contigerit ac legi: neque ulli saltem ante natam recentius hæresim, sive extra Novatorum Ecclesiam venisse existimo in mentem, ut omnem hominem Biblia sibi legentem, hoc ipso diceret prophetare.

Satis autem fieri natum est, ut simplices legentes in Apostolo *volo omnes vos linguis loqui, magis autem prophetare*, hanc vocem accipiant sensu proprio & obvio; verbum autem *volo* si necessitatem significare visum fuerit, ut visum est Quesnello, etiam pro omni tempore, loco, & personarum genere, quæ non sequentur ineptiæ in conventibus hominum omnis generis, sexus, & ætatis? Quæ non etiam in domibus privatorum perturbationes? Mater familias etiam viri plebeji, aut rustici uxor Novatutiens scrutatrix assidua fit Bibliorum; quia *necessarium* à novis Doctoribus didicit *omni tempore*, *omni loco*, *omni personarum generi studere & cognoscere spiritum*, *pietatem*, *ac mysteria Scripturarum*, quotquot rum filios habitura est, tum filias, fortè & famulos & ancillas, eandem procul dubio edocebit, quam à suis hauserat directoribus, incumbere omni personarum generi necessitatem studendi omni tempore, & loco, ad cognoscenda Scripturarum mysteria.

Istud verò significatione obvia intellectum, facilè persuadebit lectionem Scripturæ perpetuam, velut *necessariam* omnibus. Sed quid fiet interim manualis operis, & ad victum comparandum necessarii; præsertim si etiam Pater familias ejusdem cum uxore & reliquis sit sententiæ? Quid si *Prophetandi* vocabulum in Textu Apostoli accipiant in sensu obvio; *volo* autem ut Quesnellus intelligit, *necessitate* urgente semper & ubique: volo vos omnes omni loco, & tempore prophetare. Fallor nisi tota familia non solùm inopiæ extremæ; sed etiam stultitiæ fiat proxima. Si verò maritus novitati

vitati fanaticæ non consentiat, in periculo est, ne domesticis omnibus contra ipsum absurdissima quæque prophetiarum nomine eructantibus, tandem in rabiem agatur.

Quapropter, rejectis istiusmodi interpretibus, dicamus potiùs cum Cornelio à Lapide; quod *Prophetare* non sit accipiendum propriè, neque pro lectione aut studio mysteriorum Scripturæ; sed pro quolibet sermone alios ad pietatem excitante: *Prophetare* [inquit] *hic est loqui ea, quæ alios ædificant, exhortantur, & consolantur: ac proinde præstat prophetare, quàm loqui linguis peregrinis, utpote quas nemo intelligit, ut proinde nemo iis instrui, ædificari, vel consolationem aliquam accipere possit. Volo autem, hoc est, velim, optarim, omnes vos loqui linguis; magis autem prophetare, ut scilicet alios ad pietatem excitetis*. Et v. 1. ad illud *Magis autem ut prophetetis*, sic idem explicat Cornelius: *ut ex afflatu Spiritus Sancti doceatis, dicatis, & canatis ea, quæ alios ad pietatem excitent*.

4 Paulò aliter Scripturam hìc exponit Angelicus; sed modo Novatoribus minimè convenienti. Sic enim ait Lectione primâ „ Quod dicit hìc Apostolus per totum „ Caput de prophetis, intelligendum est, „ quod ille dicitur prophetare, qui per lumen intellectuale Divinum visiones sibi, „ & aliis factas, exponit. Et secundùm hoc „ planum erit, quod hic dicitur de Prophetis.

„ Circa secundum sciendum est, quod „ quia in Ecclesia primitiva pauci erant, „ quibus imminebat fidem Christi prædicare per Mundum; ideo Dominus, ut commodiùs, & pluribus Verbum Dei annuntiarent, dedit eis donum linguarum, „ quibus omnibus prædicarent: non quod „ unâ linguâ loquentes ab omnibus intelligerentur, ut quidam dicunt; sed ad „ literam, quod linguis diversarum gentium, imò omnium loquerentur.

„ Unde dicit Apostolus, gratias ago „ Deo, quod omnium vestrûm linguâ loquor. Et Act. 1. dicitur, Loquebantur variis linguis &c. Et hoc donum multi „ adepti sunt à Deo in Ecclesiâ primitiva. „ Corinthii autem, quia curiosi erant, ideo „ libentiùs volebant illud donum, quàm „ donum prophetiæ. Quod ergo dicitur „ hìc *loqui Linguâ* vult Apostolus intelligi „ linguâ ignotâ, & non explanatâ; sicut si „ Linguâ Theutonicâ loquatur quis alicui „ Gallo, & non exponat, hic loquitur linguâ. Unde omnis locutio non intellecta, nec explanata, quæcumque sit illa, „ est proriè loqui linguâ.

„ His ergo visis, ad expositionem literæ „ accedamus, quæ plana est. Circa hoc „ ergo duo facit. Primò probat, quòd donum prophetiæ excellentius est dono „ linguarum. Secundò excludit quandam „ objectionem, ibi, *Volo autem vos* &c. „ Quod autem donum prophetiæ excedat „ donum linguarum, probat duabus rationibus, quarum prima sumitur ex comparatione Dei ad Ecclesiam: secunda ratio „ sumitur ex comparatione hominum ad „ Ecclesiam.

„ Prima autem ratio talis est: Illud per „ quod facit homo ea non solùm, quæ sunt „ ad honorem Dei; sed etiam ad utilitatem proximorum, est melius, quàm illud, quod fit tantùm ad honorem Dei: „ sed prophetia est non tantùm ad honorem Dei; sed etiam ad proximi utilitatem: per donum verò Linguarum solum „ illud fit quod est ad honorem Dei: ergo &c. „ Nihil hìc iterum de necessario omnibus studio perpetuo Scripturæ, nihil de necessitate omnibus incumbente cognoscendi ejus mysteria.

5 *Collator* satis conscius, locum illum Apostoli Quesnello minimè patrocinari, eum silentio præterire maluit, atque ita Quesnelli *Protestationem* superiùs memoratam mendacii ream relinquere, quàm causam tueri, de apertissima falsitate à quolibet nimis facilè convincendam. Ideo maluit is alium Apostoli locum arripere: videlicet ex Epist. ad Coloss. cap. 3. v. 16. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia docentes, & commonentes vosmetipsos*. Cujus plana expositio est, Doctrina & Euangelium copiosè imbuat, & impleat mentem vestram, in eaque quasi resideat & habitet, ut Christianâ Sapientiâ pleni, eam invicem doceatis, & juxta eam quemlibet moneatis & exhortemini.

Sic postmodum Cæcilia Euangelium Christi semper gerens in pectore, non diebus, neque noctibus vacabat à colloquiis divinis & oratione. Unde Euangelium hoc eructans, Valerianum & Tiburtium convertit. Ita rursus à Lapide. Talis itaque diu noctuque Euangelii partim lectio, partim meditatio, indubiè optanda est, & forer utilis omnibus. Verùm quæ divina vel humana jussio omne genus hominum ad tantam obligat perfectionem, ut dici debeat *omni personarum generi necessaria*? Quæ etiam Lex, quæ ratio ab universis postulat *studium & notitiam* maximè arcanorum seu my-

mysteriorum, quæ ut supra ex Patribus vidimus, Deus Sacris Voluminibus concludi voluit, & vulgo mortalium non aperiri ?

Hallucinatio adversariorum, & ignorantia crassa, vel etiam perfidè affectata est, quod sapientiam, quæ est gratia gratis data ad docendos proximos pertinens, minimè discernant à sapientia, quæ inter dona Spiritus Sancti locum obtinens, cuilibet in justificatione infunditur cum charitate, ac proinde ad salutem cuilibet necessaria est, non prior, ut rectè Angelicus discernit 1.2. Quæst.68. Artic.5. Ad primum. „ *Sapientia* & *scientia* uno modo possunt considerari, secundùm quod sint *gratiæ gratis datæ*: prout scilicet aliquis abundat in tantum in cognitione rerum divinarum, & humanarum, ut possit etiam fideles instruere, & adversarios confundere: & sic loquitur ibi Apostolus de *Sapientia* & *scientia*. Unde signanter fit mentio de *sermone Sapientiæ & Scientiæ*.

6 „ Alio modo possunt accipi prout sunt dona Spiritus Sancti: & sic Sapientia & Scientia nihil aliud sunt, quàm quædam perfectiones humanæ mentis, secundùm quas disponitur ad sequēdum instinctum Spiritus Sancti in cognitione divinorum & humanorum: & sic patet, quod hujusmodi dona sunt in omnibus habentibus Charitatem. „

Iterum S. Doctor 2. 2. Quæst.45. Art.5. corp. „ Respondeo dicendum, quod Sapientia, de qua loquimur, importat quamdam rectitudinem judicii circa Divina, & conspicienda & consulenda: & quantum ad utrumque, ex unione ad divina, secundùm diversos gradus aliqui sapientiam sortiuntur de recto judicio tam in contemplatione Divinarum, quàm etiam in ordinatione rerum humanarum secundùm divinas regulas, quantum est necessarium ad salutem: & hoc nulli deest sinè peccato mortali existenti, per gratiam gratum facientem; quia si natura non deficit in necessariis, multò minus gratia. Unde dicitur 1. Joann. 2. *Unctio docet vos de omnibus*. Quidam autem altiori gradu percipiunt Sapientiæ donum, & quantum ad contemplationem Divinorum; in quantum scilicet altiora quædam mysteria & cognoscunt, & aliis manifestare possunt: & etiam quantum ad directionem humanorum secundùm regulas Divinas; in quantum possunt secundùm eas non solum se ipsos; sed etiam alios ordinare: & iste gradus sapientiæ non est communis omnibus habentibus gratiam gratum facientem; sed magis pertinet ad gratias gratis datas, quas Spiritus Sanctus distribuit, prout vult, secundùm illud 1. Cor. 12. Alii datur per Spiritum sermo Sapientiæ &c. „

7 Dejiciuntur hic adversarii, clarissimè convicti, se Apostoli sententiam non intelligere, aut, quod pejus est, adversùs veritatem agnitam malevolè interpretari: Optat quidem Paulus, ut in Colossensibus *verbum Christi habitet in omni Sapientia* ad docendum se, & alios; Verùm hic *perfectionis gradus magis pertinet ad gratias gratis datas*, qualis est peritia linguarum, etiam barbararum, prophetia &c. neque est eam habentibus necessaria ad salutem, ad quam sufficit in gradu infimo, sicut charitas & gratia habitualis minima hominem inhabitans, salvando ipsi sat est idonea.

Sic itaque non ab omnibus exigitur, ut Doctores sint, teste Apostolo in eadem Epistola, & eodem capite: *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundo Prophetas, tertiò Doctores: deinde virtutes: exinde gratias curationum, opitulationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Nunquid omnes Apostoli, nunquid omnes Prophetæ, nunquid omnes Doctores ... Nunquid omnes linguis loquuntur, nunquid omnes interpretantur?* Penès adversarios *necessarium est* omnes esse Doctores, omnes esse saltem sibi Scripturarum interpretes, etiam quoad difficillima intellectu mysteria: juxta illos adultorum nullus salvabitur, nisi ad eum devenerit perfectionis apicem, ut Verbum Christi habitet in ipso *abundanter in omni Sapientia*: hic enim juxta eosdem est sensus hujus sui Articuli: *Utile est & necessarium omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere & cognoscere spiritum, pietatem & mysteria Sacræ Scripturæ*. Unde legere Scripturam, ejusque mysteriis studere non sufficit; sed omni personarum generi, etiam rudibus & idiotis necessarium est, ea studendo assequi: *Necessarium est*, inquit Quesnellus, *studere & cognoscere mysteria*. Sic ipse, & cæteri adversarii, ut se damnatione justissima expediant, novos sibi nectunt laqueos, venenum suæ magis detegunt novitatis; Apostolicæ autem sententiæ æquitatem copiosioribus stabiliunt argumentis.

8 Josue (inquiunt) cap. 1. v. 16. apud me 8. dicitur. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus ac noctibus*. Sic Deus alloquitur Josue constituens eum loco Moysis Ducem atque Doctorem totius populi Israel. Supponamus, ut

ut volunt adversarii, hoc Dei monitum, hanc hortationem continuisse proprium & rigidum præceptum, ut nunquam ab ore ejus volumen legis recederet; sed in eo diebus ac noctibus meditaretur. Istud ergo est, quod nobis ab adversariis velut regula præscribitur, juxta quam nos discere oporteat damnati Articuli firmamentum: *esse* scilicet *necessarium omni tempore, omni loco, omni personarum generi studium & cognitionem mysteriorum*, quæ Codex sacer complectitur: Sic infimum plebis & mulierculorum genus non solùm Sacerdotibus, atque Doctoribus; sed etiam Summo eorum Principi comparatur, non minus studii sacri, ac scientiæ à pueris, rusticis, fœminis postulando, quàm à Josue, defuncti Moysis in omnibus successore. Sic Apostolo superiùs interroganti: *Numquid omnes Doctores?* Noster hic adversarius respondisset: Imò necessarium est, omnes Doctorum maximo, lectione Scripturarum continuâ & mysteriorum non cedere cognitione. Quod an non strenuè insanire sit, quivis utcumque sapiens judicet.

9 Non majus novatoribus præsidium est in illo Deuteronomii cap. 3. v. 11. 12. 13. *Convenientibus cunctis ex Israël, ut appareant in conspectu Domini Dei, in loco quem elegerit Dominus, leges verba Legis hujus coram omni Israel, audientibus eis, & in unum omni populo congregato, tam viris, quàm mulieribus, parvulis & advenis, qui sunt intrà portas tuas: ut audientes discant, & timeant Dominum Deum vestrum, & custodiant, impleantque omnes sermones Legis hujus.* Ita Moyses cùm vitæ terminum sibi instare prospiceret, mandavit successori suo Josue, quod hic accuratè præstitit. Sed longè aliud est verba Legis populo prælegi à Doctore Maximo, qui &, si quid minùs perspicuum occurreret, interpretari poterat: aliud legi ab ipso privatim populo, & propriâ industriâ temerè explicari.

Neque de Mysteriis hìc vulgi captum superantibus sermo est, sed de moralibus & attinentibus ad praxim, ut audientes discant, & timeant Dominum Deum vestrum, & custodiant, impleantque omnes sermones Legis hujus. Denique nec agitur de studio vel lectione omni loco, omni tempore frequentandâ, quemadmodum damnatus enuntiat, & requirit Articulus.

10 Præter examinatas hactenus sacri Codicis sententias, aliam *Collator* nullam censuit proferendam, etsi plures legeret in Hexaplis relatas. Advertit is scilicet cæteris Quesnelli defensoribus aliquantò sagacior, textus alios ab Hexaplis allegatos, nullam præseferre congruæ objectionis speciem. Quid enim ad probandum quod necessarium sit omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere & cognoscere mysteria Scripturæ Sacræ, conducere potest illud Deuteronomii cap. 18. *Postquam* (Rex primum constitutus) *sederit in solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium Legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ Tribus, & habebis secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum?* Quid enim ab exemplo Regis, qui populi totius suffragio eligitur velut sapientissimus, ideoque præ cæteris ad regimen comparatus, argumenti deducitur ad committenda Biblia lixis & calonibus, agricolis & sutoribus, fœminis & pueris, sive ut breviùs Articulus statuit, omni personarum generi? Neque de scrutandis mysteriis hoc Deuteronomii loco agitur; quasi eorum studium & cognitio sint necessaria, sed de contenta in Deuteronomio Lege, ut discat timere Dominum Deum suum. Sic Hexapla sequuntur inanissimam ubique, quæ à Dialecticis meritò fatua vocatur, Quesnelli methodum à me sæpius reprehensam, qua ex facto particulari, imò penitùs singulari, & cæteris dissimillimo, elicitur dogmatica conclusio, & universalis. Non solùm autem ea sacri textus sententia adversariis non favet; sed obest etiam plurimùm; manifestè enim indicat volumen Legis non fuisse in manibus omnium, aliàs non fuisset, cur illud sibi Rex juberetur describere, atque exemplar petere à Leviticæ Tribus Sacerdotibus.

Obiter noto in Deuteronomio passim commendari *Timorem Domini*; Quesnellum autem ab eo homines avertere. Articulo 65. *Moyses, Propheta, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium; cùm non effecerint nisi mancipia per timorem.* Prop. 66. *Qui vult Deo appropinquare, non debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiæ; sed per fidem & amorem sicut filii.*

11 Aliud observatione dignissimum est, quod legitur in eodem Deuteronomii capite: *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: & judicum intrà portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis, qui judicabunt*

bunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta Legem ejus, sequerisque sententiam eorum: nec declinabis neque ad dexteram, neque sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & Decreto Judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel: cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbiâ.

Ab annis aliquot grave in Ecclesia, præsertim Gallicâ, ortum fuerat dissidium de quatuor Quesnelli tomis, novum exhibentibus Testamentum cum *Observationibus*. Neque ea contentio inter solos stetit Scholasticos, aut privatos Theologos; sed inter ipsos maximè efferbuit Antistites, quorum alii complura Quesnelli dogmata velut hæretica condemnarent, alii sustinerent ut Catholica, adeò ut censuras oppositas de crimine accusarent, & hæresi. Spectator hactenus fuerat cum Serenissimo Delphino Rex Christianissimus, qui non solummodo *videns judicum intra portas suas verba variari*; sed etiam inter ipsos dissensionis flammam in tale prorumpere incendium, ut periculum appareret, ne regnum diro schismate turbaretur, & in plurimis pessumiret religio: cumque pars utraque supremam tum Pontificis tum Regis interpellaret pro remedio authoritatem, *surrexit* cum ipsis Rex contendentibus, & ascendit ad locum, quem elegerat Dominus, venitque per literas & Eminentissimum Oratorem ad Sacerdotes & judicem, qui erat illo tempore, estque hodie: quæsivitque ab eis; qui judicarunt ipsi judicii veritatem.

12 Acceptâ sententiâ Rex non solo nomine; sed reipsa, & religione *Christianissimus* fecit & fieri à suis voluit quodcumque dixerunt, qui præerant loco, quem elegit Dominus, & docuerant juxta Legem ejus. Secutus est Rex sententiam eorum, neque declinavit ad dexteram, neque ad sinistram. *Qui autem superbierant nolentes obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrabat Domino, & Decreto judicis*, juxta relatam Deuteronomii Legem mori debuerunt homines illi, atque ita auferri malum de populo Dei, omnisque multitudo audiens timuisset, ut nullus deinceps intumesceret superbiâ. Verùm Rex vitæ terminum priùs, quàm tanti operis coronidem nactus est. Quibus autem postea salus & pax publica curæ fuit, forsitan refractariorum multitudine & potentiâ territi, mitiora censuere ineunda consilia, quæ in tantis malis, & periculis gravioribus dictare sibi visa est prudentia, Regni tranquillitas, atque ipsius bonum Ecclesiæ. Successum utinam consequantur optatum: neque accidat quod gangrænam molliùs curantibus, ut malum tempore serpat latiùs, donec ipsa depascens viscera fiat nulla arte medicabile, certumque inferat corpori exitium! Simile quid evenisse tum Pontificiæ, tum Cæsareæ versùs Lutherum mansuetudini, non obscurè indicat Pallavicinus in Historia Concilii Tridentini; sed nos ad propria redeamus.

Videtur Deus immisisse spiritum vertiginis authoribus Hexaplorum: adeò non solùm incongrua; sed prorsus contraria fini suo coacervant testimonia Scripturarum: Quale est illud Esdræ lib. 2. cap. 8. v. 8. *Legerunt* [Sacerdotes] *in libro Legis Dei distinctè, & apertè ad intelligendum: & intellexerunt, cùm legeretur*. Nos decerptæ laciniæ addamus antecedentia, & consequentia, ut argumenti insania magis conspicua reddatur. *Venerat mensis septimus: filii autem Israel erant in Civitatibus suis, congregatusque est omnis populus quasi vir unus... & dixerunt Esdræ scribæ ut afferret librum Legis Moysi, quam præceperat Dominus Israeli. Attulit ergo Esdras Sacerdos Legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctisque, qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi: & legit in eo apertè.... De mane usque ad mediam diem in conspectu virorum, & mulierum, & sapientium: & aures omnis populi erant erectæ ad librum.... & aperuit Esdras librum coram omni populo: &, cùm aperuisset eum, stetit omnis populus.*

Post verba in Hexaplis relata, sequitur: *Dixit autem Nehemias, & Esdras Sacerdos, & Levitæ interpretantes universo populo: dies sanctificatus est Domino Deo nostro: nolite lugere, & nolite flere; flebat enim omnis populus, cùm audiret verba Legis.... Abiit itaque omnis populus, ut... faceret lætitiam magnam, quia intellexerant verba, quæ docuerat eos. Et in die secundo congregati sunt principes familiarum universi populi, Sacerdotes & Levitæ ad Esdram scribam, ut interpretaretur eis verba Legis*. Non igitur in vulgi manibus versabatur Scriptura tempore Esdræ, multò minùs legebatur promiscuè ab omnibus, omni loco, & tempore; sed à solis Scribis & Sacerdotibus. Ne autem populus audiens erraret, lectioni à Sacerdotibus addebatur interpretatio. Qua propter subruendo Articulo dãnato nihil adduci poterat opportuniùs, quàm quod adverf-

sariorum imprudentia ad sui temerè protulit defensionem.

13 Objicitur denique illud Apostoli ad Timotheum epist. 2. cap. 3. *Tu verò permane in iis quæ didicisti, & credita sunt tibi sciens à quo didiceris, & quia ab infantia sacras literas nosti*: Quandoquidem ad maxima Deus Timotheum destinaverit, non solùm indolem, & intellectum ei aptavit tanto idoneum consilio & fini; sed dona etiam supernaturalia addidit prorsus eximia, ut vel inde patet, quod cum Paulus ab ipsa quodammodo pueritia instruendum doctrinâ Euangelicâ susceperit, eumque adhuc adolescentem creaverit Ephesiorum Episcopum, imò, ut à Lapide observat, Archiepiscopum, cùm ei præceperit, ut plures in variis Urbibus Episcopos constitueret & initiaret. Hunc *Angelum Ephesi* vocat & laudes ejus Christus prædicat in Apocalypsi: ac denique post innumeros labores coronâ gloriosi decoravit martyrii. Quod igitur unum adeò singulariter electum curaverit ab ipsa infantia sacris literis erudiri, quem adolescentem voluit Doctorem esse & Præsulem tot virorum, quis sapiens duxerit argumentum esse, unde conficiat *omni tempore*, *omni loco*, *omni personarum generi necessarium esse Scripturarum studium & mysteriorum*, quantumvis difficilium, *cognitionem*? Verùm adversariis pridem fixum, constitutumque vidimus, quemadmodum fidem novam, ita novam præscribere Dialecticam, omnium quidem judicio fatuam, qua ex facto, & penitùs singulari inferatur velut legitima consecutio, dogma generale & nullo prorsus limite circumscriptum: quin & in conclusione addatur *necessitas*, cujus nulla mentio in antecedente est, ut nulla conspicitur in allegata ab adversariis de Timotheo sententia.

CAPUT X.

Error frustra implorat suffragia Sanctorum Patrum.

1 Plura hic adversarii ex Patribus afferunt pro lectionis sacræ utilitate & commendatione. Pondus præcipuum ponitur in Chrysostomo, quem ut Lutherani omnes, & Calvinistæ, velut maximè fervidum ad eam hortatorem objicere Catholicis soliti sunt, non potuere eorum symmistæ Quesnelliani, ut alibi passim, ita & hìc eorundem non insistere vestigiis. Quare & ego vicissim probatissimorum in Ecclesia Scriptorum responsionibus utar pro Ecclesiæ contra novos hæreticos defensione. Rex Angliæ Jacobus à fide & Ecclesia deficiens eam non diplomatibus solùm & Edictis; sed Theologicis etiam tractatibus aggressus, meruit etiam gravissimorum inter Catholicos Scriptorum lucubrationibus confutari. Inter hos fuit Eminentissimus nationis Gallicæ Cardinalis Perronius qui Responsionum cap. 5. hanc ejus refert & depellit gallicè objectionem. „ Veteres „ (inquit Rex) impellebant universos, ut „ privatim legerent Scripturas Sacras, quas „ modò sub anathematis pœna attingere „ non licet, nisi habita à Superioribus fa„ cultate; ad quod ita Perronius: Circum„ stantiæ, in quibus aliquando suos audi„ tores ad lectionem Sacræ Scripturæ ad„ hortati sunt Patres; aliquando verò que„ sti sunt, eandem nimis universaliter & „ indifferenter à Christianis legi, fuerunt „ locales & pro tempore: adeòque ut tem„ porum & locorum varietati subjacentes, „ atque ut probabilibus aut indetermina„ tis contingit propositionibus, antitheses „ accipere possunt, materiemque præbere „ adhortationibus inter se contrariis, abs„ que dispendio veritatis.

„ Nam S. Chrysostomus agens cum au„ ditoribus in literis humanæ Philosophiæ, „ & in Platonis, aliorumque Philosopho„ rum operibus antea versatis, præsertim „ à quo ei degere obtigit Constantinopo„ li Imperii Sede, ubi ejus auditores erant „ aulici, recensque desertâ idololatriæ im„ pietate Christianam Religionem fuerant „ amplexi; his, inquam, circumstantiis ti„ mens, ne veterum studiorum illecebris „ ad inanium Deorum cultum reduceren„ tur, avertere eos voluit à talium lectio„ ne librorum, ne moralem philosophiam, „ vitæque humanæ in iis quærerent institu„ tionem, eosdem propterea invitans ad „ eam in sacris potiùs investigandam lite„ ris, in quibus non divinæ solùm; sed hu„ manæ etiam, & moralis vitæ præcepta, „ longè præstantiùs, quàm in Philosopho„ rum omnium voluminibus proponuntur.

2 „ Contra verò S. Hieronymus videns „ in Italia, ubi Latina tunc lingua quodam„ modo vulgaris erat, ejusdem facilitate „ lectionem Bibliorum ab omnibus fre„ quentari, queritur ea ab universis abs„ que ullo ætatis, sexûs, conditionis, pe„ ritiæ discrimine tractari, eaque interpre„ tandi & intelligendi quemlibet sibi at„ tribuere potestatem.

„ .... quæ sunt medicorum, promit„ tunt Medici, tractant fabrilia fabri: sola

„ Scripturarum ars &c.

„ Quod igitur ajebat S. Chrysostomus, „ ut auditores à Gentilium lucubrationibus amoveret, ne talis lectionis illecebræ ad falsorum numinum cultum reducerent, his temporibus non habet locum, Christianis non recens ad Religionem conversis.

3 Cardinalis Bellarminus Tomo 1. controversiarum libro 2. de verbo Dei cap.16. quod est de objectionibus hæreticorum, citat Kemnitium Chrysostomi patrocinio gloriantem, licèt Sancti verba non adduceret. Defectum hunc supplet Bellarminus ipse proferens verba Chrysostomi ex Hom.9. in Epistolam ad Coloss. „ Audite, obsecro, „ Seculares omnes, comparate vobis Biblia, animæ pharmaca, si nihil aliud vultis, vel novum Testamentum acquirite, Apostolorum acta, Euangelia &c.„ Similia habet hom.2. in Matth. præfat. in Epist. B. Pauli hom.3. in 2. ad Thess. 10. in Joan. & hom.3. de Lazaro.

Ad quæ ita Bellarminus „ Respondeo, „ verba Chrysostomi, quæ in concionibus proferebat, semper accipienda esse juxta mentem ipsius, & occasiones, quibus ad ea dicenda adducebatur. Quoniam igitur eo tempore dediti erant homines Theatris, Spectaculis, aliisque nugis, & Scripturas Divinas nunquam legebant, ne ii quidem, qui capaces erant; propterea Chrysostomus ad eam desidiam excutiendam, perpetuò hortabatur omnes ad lectionem Scripturarum, non quod vellet omnes omnino etiam rudissimos id facere; sed ut ii saltem id facerent, qui cum fructu poterant. Sciebat enim se agere cum iis, qui talibus amplificationibus indigerent. Id autem ita esse ex multis ejus locis demonstrari posset;sed tribus tantùm in præsenti contentus ero.

4 „ Hom.3. de Lazaro sic ait: *Non potest fieri, ut quisquam salutem assequatur, nisi perpetuò versetur in lectione spirituali.* „ At si hoc propriè accipiatur, quis non videat esse falsissimum? Quid enim? Qui literas non didicerunt, salvi esse non poterunt? Igitur hyperbolica ea locutio est, non propria. Hom.15. in Genes. *Neque*, „ inquit, *in re justa, neque injusta jurare licet*. Et Hom.17. in Matth. *Quid igitur*, „ inquit, *si aliquis juramentum exigat, & necessitatem jurationis imponat? Sit tibi timor Dei omni necessitate violentior*. Itaque videtur velle, nullo modo jurandum esse; cùm tamen certum sit esse „ actum religiosum & bonum, jurare in re justa & necessaria; sed Chrysostomus ejusmodi amplificationibus in concionibus utebatur, quoniam populus ipsius miro modo addictus erat juramentis, ut colligitur ex hom.9. in Acta Apostolorum, & aliis locis ejusdem authoris. „ Hactenus Bellarminus cujus responsio à Clero Galliæ approbata, & ejus jussu iterum typis edita anno 1661., uti & quæ hic subjunguntur Petri Lizetii ex Dialogo de Sacris libris in vulgare eloquium minimè vertendis.

5 „ Divi Chrysostomus, & Athanasius nusquam profectò censuere Divinos libros in vernaculas & barbaras linguas vertendos esse; etsi moneant omnes illorum intendere lectioni; sed quemadmodum Jurisconsulti ajunt, tametsi ea ad omnes exhortatio referatur, de omnibus eidem aptis & convenientibus intelligi debet: itaut non idiotas, vulgaresque passim literarum expertes ad eam, quæ illis haudquaquam conducibilis fuisset, lectionem inducere voluerint. Hoc profectò ipsi aliis locis in superioribus citatis declararunt, dum Divini eloquii margaritas omnibus passim & sinè delectu minimè exhibendas asserunt, quod ea versione & vulgatione contingeret. Eoque fit, ut dùm ad Divinorum librorum lectionem etiam artifices divus Chrysostomus hortatur, non de omnibus passim; sed de literarum charisma habentibus intellexerit.

„ Præterea, & luculentiùs ad divorum Athanasii & Chrysostomi censuras respondere possumus; eorum tempestate, quæ inde inobedientiæ, schismatis, & hæresis demum accidêre, pericula illis abdita fuisse, ut hanc sacrorum librorum lectionem vulgaribus & idiotis noxam potiùs quam adjumentum afferre posse, minimè agnoscerent. Progrediente verò tempore, compluribus exemplis, rerumque experimentis latentes ea in re Satanicæ insidiæ Christianismi ducibus apparere cœperunt in Metensibus, Bohemis, & Vualdensibus.

„ Has si divi Chrysostomus, & Athanasius suis temporibus cognovissent, nunquam commune vulgus ad divinorum Monumentorum lectionem excitassent: mutassentque profectò cognitis ejus rei periculis priorem sententiam, quemadmodum & de plenariis Conciliis divus Augustinus recenset. Ipsa etiam, inquit, plenaria Cōcilia sæpe priora à posteriori-

bus

„ bus emendari, cum aliquo rerum experi„ mento aperitur, quod clausum erat; „ & cognoscitur, quod latebat. Major „ profectò longè, salutaris Sententiæ certitudo, & firmitas in plenariis Conciliis „ fuit, quàm in quibuscumque Sacris Do„ ctoribus: qnia Sententia Ecclesiæ in il„ lis, relatæ Sacrorum Doctorum opinio„ ni longè præfertur. Et tamen in illis „ quædam interdum statuuntur, quæ de„ mum postea emendantur, cùm rerum „ experimento aperitur, quod clausum erat, „ & cognoscitur, quod latebat: Sicut in „ re, de qua agitur.

„ Tempore enim divi Joannis Chryso„ stomi clausum erat Satanicum commen„ tum, Sacræ Scripturæ Vernaculâ linguâ „ lectionem, ad simplices & idiotas deci„ piendos esse, ut subjungemus: quod „ postea rerum experimento aperitur: & „ mali sub pietatis specie, ut latè ediffe„ ruimus, latens occasio cognoscitur. Mu„ tasset igitur & divus Joannes Chryso„ stomus, si hujus fuerit opinionis, facilè „ sententiam, quum antiqui hostis laten„ tes insidias demum revelatas vidisset.

6 „ Præterea, etsi divus Joannes Chry„ sostomus boni consuluerit, idiotas, ar„ tifices, & id genus cæteros sacrorum li„ brorum lectioni & meditationi intende„ re, Bibliamque in manu habere; non eo „ modo censuere cæteri Ecclesiæ Docto„ res, viri quippe non contemnendæ au„ thoritatis; nam magnus ille Basilius, Au„ gustinus, Hilarius etiam, & magnæ „ scientiæ & antiquitatis vir Tertullianus, „ Magister Joannes Gerson Parisiensis „ Cancellarius, quos antea citavimus, „ contra senserunt: quinimò & Innocen„ tius tertius Ecclesiæ vertex, & Conci„ lium Basileense in eorumdem opinionem „ conspirant: quorum sententiæ magis „ inhærendum est, quàm divi Joannis „ Chrysostomi censuræ. Nempe, etsi ma„ gnæ sanctitatis & doctrinæ ille fuerit, ta„ men unus homo erat, qui errare po„ terat.

„ Et propterea divus Augustinus mo„ net, in canonicis doctrinis eam senten„ tiam esse præferendam, quæ à pluribus „ confirmatur. Firmius enim est judicium, „ quod plurimorum sententiis comproba„ tur. Ob id Sapiens ait: Ubi multa con„ silia, ibi salus; Maximè, quia in hac „ sententia Ecclesiæ vertex Innocentius „ tertius, & Ecclesia ipsa universalis Basi„ leensi relata concilio, fuere: quibus nec „ defuisse credi potest, vel debet, spiritûs „ Ecclesiæ rectoris gratia, inspirans quæ „ ductando gregi conducibilia erant: qua „ eorum judicia extra omnem erroris „ aleam posita videntur: Unius verò Do„ ctoris censura, etsi alioqui magnæ au„ thoritatis & sanctitatis sit, nisi quatenus „ Ecclesiastico comprobatur judicio, du„ bia profectò & nutans haberi potest, ut „ sæpe divus Augustinus ait. Quibus vel „ palàm esse censeo, ex communi Ecclesia„ sticorum assertione Doctorum, ac uni„ versalis Ecclesiæ, illius denique verticis „ judicio, hoc pro Catholica cuique ap„ probatum veritate esse debere, eam „ Divinorum librorum in vernaculam ver„ sionem, & communi vulgo exhibitio„ nem, ceu minùs Christianismo conduci„ bilem, haudquaquam permittendam; „ sed potius inhibendam fore. „ Ita Lizetius à Clero, ut monui, Gallicano approbatus, iterataque ab eodem donatus editione.

7 Minus difficultatis habent cætera, quæ ex Patribus intorquentur: quale est illud Basilii, quod ex *regulis* ejus *brevioribus interrogatione* 95. ab adversario nostro *Collatore* primâ in acie collocatur: „ Quæ ad „ usum pertinentia sunt, ea ut unusquisque „ ex Divinis literis discat, & rectum est, „ & necessarium, cùm ad majorem animi „ expletionem in pietate, tum etiam ut ne „ humanis constitutionibus assuefiat. „ Quibus autem hanc regulam sanctus præscribit, nisi monachis suis, plerumque humilibus, submissis Ecclesiæ, ad pietatem & perfectionem contendentibus; non hominibus vanis, & secularibus, non penitùs rudibus, non pueris & fœminis: neque de difficilibus intellectu, sive *mysteriis* agit; sed de iis, quæ ad usum pertinentia sunt, & ad vitam piis operibus ac religiosis virtutibus instituendam: à mysteriis autem inquirendis censet vulgi ingenio abstinendum. *Neque enim*, ut rectè monet lib. de Spiritu Sancto cap. 27., *omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur.*

Prolixior, & sane pulcherrima de hoc ejus sententia à nobis descripta est cap. 1. Idem Sanctus minimè approbans in rudibus difficilium lectionem Scripturarum, Chiloni discipulo rationem reddit dicens: *Nam quidam sæpe non probè intelligentes, ex Scripturarum lectione noxam incurrunt: non quod ea, quæ scripta sunt, in causa existant; sed quod eorum, qui aliter intelligunt, mens infirma sit.* Rationem mox prosequitur: *omnis namque panis nutrimentum affert ac salutem; ægris autem sæpe inutilis est... Omnia,*

nia, inquit Apostolus mihi, licent; sed non omnia expediunt. Denique asserta à Basilio *necessitas* non est absoluta ut in damnato Articulo; sed *cum ad majorem expletionem animi in pietate, tum etiam ut ne humanis constitutionibus*, monachorum ad perfectionem aspirantium statui non convenientibus *assuefiat*.

8 Ex iis quæ circa Chrysostomum Scriptores Eminentissimi responderunt, & simul quæ capite primo ex ipso Augustino attuli, facilis colligitur solutio argumenti, quod à Quesnelli defensoribus intentatur, ex lib. scilicet de vera Religione cap. 51. „ Omissis igitur & repudiatis nugis „ theatricis, & poeticis, Divinarum „ Scripturarum consideratione & tractatione „ pascamus animum, atque putemus „ vanæ curiositatis, fame ac siti fessum „ & æstuantem, & inanibus phantasmatis, „ tanquam pictis epulis, frustra reficit, „ satiarique cupientem. Hoc verè liberali „ & ingenuo ludo delectetur „ Hortatur ibi Doctor maximus ad Sacrorum Voluminum lectionem eos, quos supponit idoneos, non planè rudes, & Latini idiomatis ignaros, quales non solent esse, qui *poeticis* intendunt, & quorum animus describitur *vana curiositatis fame ac siti fessus & æstuans*.

Neque tum erant ex vernaculæ & corruptissimæ; quibus modò omnia plena sunt, versiones, ut Augustini ad lectionem sacram invitatio cæteri debeat de lectione divinorum voluminũ in aliquo sacro idiomate. Sic autem intelligi nequit damnatus Articulus, utpote imponens Scripturarum studium *omni personarum generi*, etiam imperitissimo & omnis penitùs idiomatis, præterquam vernaculi, ignaro. Neque rudium *animus pascitur*, sed fatigatur & læditur *studio mysteriorum*, de quo Augustinus non loquitur; sed de lectione facili, & instituendis ad pietatem moribus magis idonea. Denique alienissimus S. Doctor est ab imponenda omnibus studii istius periculosi ac difficillimi necessitate, enuntians lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 39. *Homo fide, spe, & charitate subnixus, eaque inconcussè retinens non indiget Scripturis nisi ad alios instituendos*. Ipsius quoque Salvatoris testimonio discimus Marci I. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*, quantumlibet omni Sacro Codice destitutus. Pluribus Patrum textibus discutiendis supersedeo, quia nullus est cui non conveniat, & abundè sufficiat data superioribus responsio.

9 *Collator*. Patribus addit Authorem Opusculis de Imitatione Christi lib. 4. cap. 11. dicentem. „ Habebo libros sanctos „ pro solatio, & vitæ speculo: atque „ super hæc omnia Sanctissimum Corpus „ tuum pro singulari remedio & refugio. „ Duo namque mihi necessaria permaximè „ sentio in hac vita, in carcere corporis „ hujus detentus, duobus me egere fateor, „ cibo scilicet & lumine. Dedisti „ itaque mihi infirmo Sacrum Corpus „ tuum ad refectionem mentis & corporis, „ & posuisti lucernam pedibus meis, „ verbum tuum. Sinè his duobus bene vivere „ non possem; nam verbum Dei lux „ animæ meæ, & Sacramentum tuum panis „ vitæ. Hæc possunt etiam dici mensæ „ duæ, hinc & inde in gazophilacio S. Ecclesiæ „ positæ: Una mensa est Sacri Altaris, „ habens panem sanctum, id est corpus „ Christi pretiosum. Altera est Divinæ „ legis continens doctrinam Sanctam, „ erudiens fidem rectam, & firmiter usque „ ad interiora velaminis, ubi sunt Sancta „ Sanctorum, perducens. „ Sic author piissimus ad singularem in virtutibus profectum & perfectionem unicè aspirans, desiderio ardebat convivii Eucharistici & Divinorum in sacris literis eloquiorum, ut legere cum Ecclesia solitus erat Latino idiomate. Qualis autem iterum stolidissima disputandi ratio est, ex uno singulariter pio Sacerdote sapiente & Theologo mystico, atque adeò ad lectionem Divini Codicis optimè comparato consecutionem deducere velut necessariam pro omni genere personarum? Tale ratiocinii genus nulla noverat antiquitas: Quesnelliani primùm fœtus ingenii est, quibuslibet introducendis novitatibus, etiam hæreticis maximè accommodatus.

CAPUT XI.

Refertur Quesnelli plena fraudibus contra centum Galliæ Episcopos, atque ipsam Sedem Apostolicam Protestatio.

1 Centum Episcopi Galliæ in Documento Pastorali subditos sibi populos sic instituunt. „ Jam exponendum „ est quid Ecclesia de Sacrorum „ Codicum lectione sentiat. Quidquid illa „ sentit, ipsis codicibus Sacris & SS. Patrum „ auctoritate nititur. Omnino esset „ optandum ut Sacram Scripturam legere, „ atque ex illa capere quem par est, fructum „ omnes possent. Lectionem ejusmodi

„ di perutilem esse posse fidelibus utriusque Sexus fatemur; modò ita sint comparati, ut eâ rectè uti valeant; modò ad hanc legendam afferant sinceram ex ea proficiendi voluntatem, animum humilem, & ad audienda pastorum suorum consilia docilem, denique ex legitimorum superiorum nutu arbitrioque suspensum. Quicumque ita sunt comparati, eos ad legendum hortamur; ac præclarè nobiscum agi putaremus; si piam legendi aviditatem possemus accendere; si earum rerum, quæ sunt Divinis istis voluminibus consignatæ, veritatem, tùm etiam earum, quæ in iisdem præcipiuntur, sanctitatem, in ipsorum moribus repræsentari videremus.

„ Id omnino sentiebat D. Paulus cùm pro suo Apostolico munere Ecclesias & Pastores erudiens, ad eosque scribens, jubet aliquot è suis literis communicari cum alterius Ecclesiæ fidelibus. Norat quomodo essent affecti, & quibus maximè præceptionibus indigerent. Eadem Gregorii magni mens fuit, eùm ita nos hortatus est hom.XV. in Ezech. *Studete Dei verba meditari, nolite despicere verba nostri Redemptoris, quæ ad nos missa sunt*. Idem Chrysostomi, & aliorum Patrum animus, quoties in hoc argumento versati sunt, idem sermo fuit, modò vehementior; modò remissior, ut res ferebar, & ut varia fidelium utilitas postulabat. Sic D. Hieronymus sæpe auctor fuit Paulæ, Eustochio, Marcellæ, & Lætæ ut intelligendæ aut legendæ Scripturæ Sacræ operam darent. Sic D. Augustinus libro de vera Religione cap. 51. *omissis*, inquit, *& repudiatis nugis theatricis & poeticis, Divinarum Scripturarum consideratione & tractatione pascamus animum. Hoc verè liberali & ingenuo ludo salubriter erudiamur*.

„ Hic Spiritus Ecclesiæ semper fuit, quo nos impulsi Sacrum Divinæ Scripturæ depositum, adhibitis, quas diximus, cautionibus, ita vobis permittimus, ut simul vestra docilitate freti, velimus vos in legendis Sacris libris vestrorum Pastorum consiliis gubernari „. Hactenus Episcopi. Quid ad hoc Quesnellus?

2 Protestationis paragrapho 15. pag. 145. *Totum*, inquit, *pulchrum est, & solidum, cui toto corde consentio*; minimè verò sequentibus: ubi sic pergunt Antistites: „ Cùm autem ad Sacras Literas evolvendas vos hortamur, Fratres charissimi, nequaquam existimamus *utile & necessarium esse omni tempore, & omni loco & omni personarum generi*; hoc est, imperitis, levibus & inconstantibus in fide, omnes sacros promiscuè codices attingere; absit ut putemus, non licere Superioribus eam prohibere lectionem certis de causis, idque ab ipsis fieri sinè illusione & periculo non posse; nec aliud esse, quàm Christi os obturare; interdiecre usum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.

Quesnellus verò „ Si (inquit) accusatoribus meis, satis bonæ fidei fuisset, ad referendas conditiones, & præcautiones, quas in Fidelibus postulavi ad Sacri Codicis lectionem, facilè apparuisset, me neque Sanctum dedisse canibus, neque projecisse margaritas ante porcos.

3 „ Certum est, eos, qui Sacras Literas legunt, debere interim superioribus legitimis submissionem, ut ab illis dependeant. Verùm quid hoc monito intelligi volunt? Num ut salubris lectio sit, debere singulos à Parocho, Directore, Episcopo petere facultatem? Non videtur is modò status Ecclesiæ esse, inquiebat Meldensis Episcopus in justificatione Observationum Moralium §. 1. Attamen nemo est, qui non approbet, Fideles in Divini voluminis lectione sequi consilia Pastorum, quos nactì fuerint lumine & sapientiâ præditos.

„ Dispiciendum superest, num assertiones dederim exoticas, & prudentibus cautelis, lectioni Sacræ debitis repugnantes. De his contra me instituitur accusatio, obtenditurque Propositio hæc mea 79. *utile & necessarium est omni tempore, omni loco, omni personarum generi studere & cognoscere Spiritum, pietatem, & mysteria Scripturæ Sacræ*. Verba hæc opposui studio verbi Dei critico, & erudito: &, ut perspicuè liquet, de Sacri Codicis lectione à me ibi non agitur; sed solummodo de cura, quæ fidelibus incumbit, ut studeant & cognoscant ejus Spiritum, pietatem, & mysteria, quod fieri potest lectione librorum sacras paginas explicantium, quorum infinitus est numerus. Neque locutus sum de hominibus promiscuè, neque de omnibus personis; sed omni personarum genere.

4 „ Quapropter etiamsi de Sacri Codicis lectione ibi sermo fuisset, imponeretur mihi, quod illic non asserui. Nullus hominum status est, nulla conditio aut ætas, nullus sexus, cui Patres arbitrati

„ fue-

„ fuerint prohibendam Divini voluminis „ five lectionem, five cognitionem Spiritus ejus, pietatis, & latentium in eo „ mysteriorum, quemadmodum occasione „ Eunuchi Candacis Reginæ Æthiopiæ indicavi Propositione 80. in Act. Apost. „ cap.8. v.26. *lectio Scripturæ Sacræ etiam „ in homine gazis, & negotiis intendenti, „ ostendit, eam esse pro omnibus*. Indubiè „ Scriptura est pro omni hominum genere, „ & inter simplices, rudes, & agricolas „ utrinsque sexus reperies, in quibus suscipiendo Dei verbo, ejusque penetrandis mysteriis, meliùs dispositus sit intellectus, quibus Sacra illa lectio magis „ sapiat, & plus afferre valeat utilitatis, „ quàm ingeniis quibusdam sublimibus, „ ad scientias quaslibet abstrusissimas singulari pollentibus acumine, atque in literarum palæstra exercitatissimis. Frequentia hujus exempla sunt.

„ Sed neque me latet, vix ullum genus „ hominum esse, in quo non invenias complures, quibus promiscua Scripturarum „ omnium lectio posset patere detrimentum, quique mysteriorum illic quorumdam intelligentiæ se ipsis idonei non „ sunt. Ideo locutus sum, & inculco iterum, de *omni personarum genere*, non „ de personis omnibus promiscuè & absque exceptione: neque de Scriptura integra: neque etiam negavi Præpositis „ Ecclesiæ in aliquibus circumstantiis jus „ competere, lectionem sacri voluminis „ interdicendi: neque asserui istud ab eis „ fieri non posse absque illusione & periculo. Oportet traditum esse spiritui calumniæ, qui talia voluerit mihi dogmata „ imputare „. Huc usque Quesnelli Protestatio quæ quàm sincera sit, capite proximo discutiendum est.

CAPUT XII.

Eadem Protestatio plena fraudibus convincitur.

1 QUisquis omni Theologorum generi suaserit, ut solet cum Sectatoribus Quesnellus, studium diligens ad scrutandum intima Augustiniani sensûs penetralia, causatus studium istud & cognitionem esse Theologo necessariam; non ne cavillator putidus censebitur, si postea se lectionem suasisse perneget, asserens Sancti Doctoris sensum ex infinitis aliorum lucubrationibus & commentariis absque Doctoris maximi inspectione satis colligi? Inanissima cavillatio facilè elidetur; nam, etsi concessero, Augustini sententiam ex aliorum disci posse commentariis: atque istud expedire tironibus; modò sapiens fiat inter commentaria delectus; Verumtamen aliud in significatione propria & obvia est, studere Augustinianis, vel divinis codicibus, aliud interpretum in illos commentariis. Proinde Quesnellus asserens necessarium studere Scripturæ Sacræ, sive quod idem, imò durius est, studere & cognoscere ejus spiritum, pietatem & mysteria, meritò reputabitur Sacri codicis studiosam commendasse lectionem velut necessariam.

Ita Propositionem intellexere centum Galliæ Episcopi in Pastorali Documento, à quadraginta primum edito, dein à 60. & pluribus adoptato: neque existimo ullum uspiam in orbe Antistitem, aut Theologum extra Quesnelli asseclas, Articuli verba aliter accepisse. Neque verisimile est aliam ipsi Quesnello fuisse mentem; licèt vocibus eam minùs dilucidis exprimere voluerit, ut dum accusari forsitan in judicio contingeret, qualicumque videretur locus effugio. Sed non præviderat, ex suis in novum Testamentum Observationibus tot simul colligendos Articulos, quorum alii cæteris plus lucis adderent, neque lectorem sinerent de sensu authoris perversissimo dubitare, circumstantiis omnibus in eundem concurrentibus. Quod ex universo ejus Systemate suscipio clarissimè demonstrandum.

Prop.80. *Lectio S. Scripturæ est pro omnibus*. Ubi ipsius Divini codicis expressa lectio, ad alia pietatis volumina detorqueri non potest. Sed nondum, inquies, asseritur lectionis illius necessitas, cum intelligi enuntiatio commodè valeat de communi attributâ omnibus facultate.

2 Audi igitur Prop.81. *Obscuritas Sancta verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione*. Dispensatio fit circa præceptum. Supponitur itaque Verbum Dei, quantumlibet obscurum, legi à laicis debere, neque ullum se posse ab ea lectione propterea excusare. Dogmatica enim & illimitata locutio est. En legendi Sacras literas necessitatem impositam omnibus; quia si laicis incumbit, de Ecclesiasticis nemo censuerit dubitandum.

Prop.82. *Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis & super omnia Sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere*. Hic iterum perspicuè statuitur præceptum, & in

& in eo fundata necessitas ad omnes pertinens Christianos legendi Scripturas, saltem diebus Dominicis; aliàs præcepta deficeret sanctificatio. Quæ si substiterit ratio, valebit etiam pro festis.

Prop. 84. *Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.* Christianis os Christi obturare prorsus anti-Christianum est, nulli licitum mortalium. Legenda itaque Scriptura est à Christianis omnibus, ne circa aliquem os Salvatoris obstruatur. Quid enim obstructione illa obvenire nobis potest luctuosius, quid magis exitiale; Servatori etiam magis injurium, qui impediatur loqui, & monita suggerere salutis iis, quos non solùm redemerat effuso Sanguine; sed Baptismali etiam gratia, & fortè aliàs sæpius adoptaverat filios?

3 Attende etiam lector Catholice, quod juxta Quesnellum in citato jam Articulo *Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis clausum tenere*, sit *auferre eis modum illud intelligendi*, ac proinde quod in Novatoris sententia, sinè Divini Codicis lectione, *studere* homo nequeat, & quantum sufficit, *cognoscere ejus Spiritum, pietatem & mysteria*. Quis enim Christianos impedit, ne ex concionibus, vel aliis libris piis proficiant? Quomodo igitur à mendacio excuses, aut æquivalenre ei restrictione, quod ait Protestatio de Articulo 79. *De sacri Codicis lectione à me ibi non agitur; sed solummodo de cura quæ Fidelibus incumbit, ut studeant & cognoscant ejus Spiritum, pietatem, & mysteria, quod fieri potest lectione librorum scripturam explicantium.*

Qualecunque studium fuerit, & qualiscumque notitia Spiritûs, pietatis & mysteriorum, ex alio quàm Scripturæ hausta volumine, non est ea in Quesnelli sententia, Christiano sufficiens; quia *Dies Dominicus à Christianis sanctificari debet lectionibus Sanctarum Scripturarum*: per alios libros nobis Christus non loquitur, non revelat nobis Scripturarum Spiritum, pietatem & mysteria; quia per Prop. 84. *Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis clausum tenere, est auferre eis modum illud intelligendi, & Christo os obturare.* Confirmat hanc Quesnelliani sensus intelligentiam Prop. 85. *Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur speciem quandam excommunicationis.* Quod malum, ut Præpositi Ecclesiæ non possunt innocentibus infligere Christianis, ita neque hi, ut patet, poterunt sibi ipsis.

4 Necesse igitur est Scripturam Sacram legi ab omnibus Christi fidelibus, neque aliorum lectio librorum, quantumvis pietatem spirantium, potest sufficere.

Ita Quesnellum intellexere pridem & secuti sunt duo famosi in Belgio ejus defensores, & Constitutionis UNIGENITUS declaratissimi hostes, quorum alter nomine proprio satis notus, se *Philirenum*, alter *Ægidium Candidum* se appellat. Prior opusculum edidit *Sanctuarium simplicibus apertum*, & quasdam ejus vindices epistolas. Ut à *Sanctuario* ducamus exordium sic habet parte 2. pag. 2. S. Scriptura à viris & fœminis, à pueris & adultis, à doctis & indoctis, ab omnibus Christianis legi debet. Pag. 54. *Lectio S. Scripturæ non solùm est licita, & laudabilis exercitatio: sed etiam obligatio Christianorum, quæ neque ratione paupertatis, neque teneræ ætatis, neque ob ingenii tenuitatem, neque ob ullos alios vanos prætextus potest prætermitti.*

Idem in alio libello Belgico, sive Epistolis ad P. Alexandrum à S. Teresa Carmelitanum 1691., pro defensione prioris Opusculi editis; Epist. 1. ait: „Citantur à „ R. V. ex Sanctuario aperto hæc verba: „ *Consequenter videbimus, quòd S. Scriptura juxta SS. Patres sit regula, testamentum, epistola à cœlesti Patre omnibus suis filiis scripta, quæ à divitibus & pauperibus à viris & fœminis, ab Ecclesiasticis & Conjugatis, à pueris & adultis, à doctis & indoctis legi debet.* Et iterum: *Tandem igitur concludimus ex indicatis verbis & efficacibus monitis antiquorum Patrum supra citatorum, lectionem divinorum librorum esse exercitium non solummodo licitum & laudabile; sed etiam Obligationem Christianorum, Obligationem quæ neque ob paupertatem, neque ob teneram ætatem, neque ob tenuitatem intellectûs, neque ob ullos alios vanos prætextus potest prætermitti.*

„ Ostendit R. V. præcipuè sibi displicere „ quod concludamus, *S. Scripturam ab omnibus Christianis legi debere*: *Quod id vocemus Obligationem*; quamvis hæc conclusio in testimoniis S.S. Patrum, quos „ citavimus, evidentissimè contineatur. „ Epist. 2. pag. 7. *Sicut etiam omnes Christiani obligati sunt pascere se Corpore & Sanguine pretioso Christi non quilibet in ea dispositione in qua constituti sunt bonâ vel malâ; sed quisque debet laborare, ut suam animam Sanctæ præparatione capacem reddat, atque ita commu-*

munieet. Talis est Obligatio Christianorum, qui saltem aliquam capacitatem habent, ut se lectioni divinorum librorum applicent.

5 Ægidius Candidus, à quo velut novæ Sectæ principe vocantur aliqui *Jansenistæ Candidi*, Jansenismum apertiùs profitentes, primus in Belgio Vexillum extulit contra Bullam UNIGENITUS, omnes Quesnelli damnatos Articulos audacissimè propugnans. Idem antea contra Belgii nostri Antistites pro lectione Scripturarum vernaculâ Dialogos Belgicè edidit, quorum secundus erat *inter Parochianum Ecclesiæ D. Virginis Mechliniæ, & Theologum ac Doctorem Medicinæ*: ubi pag. 1. ait *PAROCHIANUS*: *Estne igitur lectio Scripturæ Sacræ tam necessaria ad rectè vivendum, quàm cibus ad vivendum sit necessarius? THEOLOGUS*: *Id docent verba SS. Patrum*. Pag. 6. *DOCTOR MEDICINÆ*: *Verùm Scriptura non tam necessaria est omnibus, sicut Novacula sunt Tonsoribus, aut gladii Militibus. THEOLOGUS. Non tam necessaria? Deberes de hoc semel audire loquentes Patres: viro huic protuli nonnullos, &, si singulos integrè referre vellem, dies non sufficeret.*

Denique omnes Quesnelli vindices pro præsentis Articuli defensione citant Patrum testimonia, non de aliis Tractatibus piis; sed manifestè agentia de Lectione Scripturæ, & hauriendis ex ipso fonte salutiferis documentis. Sic author *Observationum in* 101. *Propositiones*: sic *Hexapla*: Sic amborum subsidiarius *Collator*. Etiam legis Doctor quando discipulis inculcat, esse utile & necessarium studere & cognoscere statuta, sensum, Spiritum Justinianæi Codicis, quis non ex eo monito colligat, legendum indicari Justiniani Codicem ipsum; non verò solos legum ejus interpretes. Magister Grammatices, vel poeseos, tironibus edicat, utile & necessarium esse studere & cognoscere sensum, phrases, stylum Ciceronis, Terentii, Virgilii, indubiè auditor quilibet arbitrabitur legenda tironibus authorum istorum volumina, & non tantùm aliorum, qui quasdam ex eis regulas conceperunt. Censendus itaque pariter Quesnellus de Divinarum lectione literarum, & non de quorumlibet tantùm aliorum piorum voluminum intelligi voluisse cùm dixit *utile & necessarium esse omni tempore, omni loco & omni personarum generi studere & cognoscere Spiritum, pietatem, & mysteria Sacræ Scripturæ*.

6 Saltem, inquit Quesnellus, si satis bonæ fidei in meis Accusatoribus fuisset, ad referendas conditiones, quas in Fidelibus postulavi ad Sacri Codicis lectionem, facilè apparuisset, me neque dedisse Sanctum canibus, neque projecisse margaritas ante porcos. Verùm quis etiam hæreticus, nisi prorsus insanus non exigit à suis pro lectione Scripturarum salutiferâ, Spiritum humilitatis, & petitionem luminis à Deo? quamvis ipsi superbissimi sint, & tenebras ament præ lumine. Quis non, ubi proprius intellectus deficit, consulendos existimet sapientes? Sed, ut soli hæreticis hæretici sapiunt, ita Quesnellianis soli audiendi veniunt novæ Ecclesiæ Apostoli: atque interim manet exitiale proscripti dogmatis venenum, ab authore ejusque Sectatoribus quàm maximè intentum, quod est subversio simplicium, & quantum fieri per ipsos potest, omnium à fide Ecclesiæ Romanæ, in suam Sectam pertractio. Unde ineptissima Quesnelli contra Centum Episcopos exprobratio est, quasi ab eis per calumniam traducatur, veluti Scripturas obtrudens, etiam *levibus & inconstantibus in fide*. Experientiâ habetur nimiùm compertum, nullos communiter ad divini Codicis lectionem, præsertim vernaculam, ferri propensiùs, quàm fluctuantes in fide, & novitatibus addictos: stabiles & firmos in doctrina Apostolica, satis vident Euangelistæ novi, se lectionibus istiusmodi non posse pervertere. Ideo curas & studia præcipuè conferunt ad dejiciendos animos titubantes. Hic scopus, hic fructus est tot corruptarum versionum vulgarium, quibus novaturiens factio Gallias & Belgium inundavit. Hinc didicere aliqui in Galliis Laici pistores, & coqui, laniones, fabri ferrarii & lignarii cum cœmentariis & agricolis, sartores cum sutoribus, fœminæ quoque & pueri, doctrinam in Quesnelli Articulis condemnatam, esse Divinis consonam Scripturis; proinde sibi à Bulla UNIGENITUS ad Synodum œcumenicam appellandum.

Verùm non tam citò dimittenda mihi fuit Protestationis fallacia, qua dicitur non omnibus; sed omni solùm personarum generi asserta necessitas studii Scripturarum, & latentis in illis cognitio spiritûs, & pietatis. Num etiam Propositio 80. non de omnibus agit hominibus, sed de aliquibus solùm ex omni genere cum dicitur *Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus*? Rursus num de aliquibus tantùm ex laicorum genere affirmat Articulus 81. *Obscuritas Sancta verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione*? Præceptum scilicet Laicis supponitur legendi Divinos Codices; unde nam autem colligas, illud non de Laicis omnibus

bus enunciari? Num etiam ad Christianos tantum aliquos pertinet Assertio 82. *Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum: Damnosum esse velle Christianum ab hac lectione retrahere?*

Quilibet communis conscius Sermonis, sinè ullo exceptionis indicio pronuntiatum de Christianis, sinè ullo accipiet limite. Non minùs de Christianis generatim omnibus interpretabitur Propositionem 84. „ Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum „ tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare. Et quis licitum censeat, os illud salutiferum obturare intuitu ullius hominis, maximè in Ecclesia? Cùm igitur in Quesnelli sententia abripere è Christianorum manibus novum Testamentum sit os Christo obturare respectu illorum, quibus lectio interdicitur, evidens est etiam quoslibet respectu sui, os Christo obturare, qui à Scripturarum abstinent lectione, adeóque lectionem illam non solùm utilem; sed etiam necessariam, non tantùm aliquibus ex omni Christianorum genere; sed etiam Christianis simpliciter omnibus. Ubi satis constat de infantibus, loquendi cum Christo, vel eum audiendi incapacibus, Propositionem minimè intelligendam.

8 Denique ex deductis hactenus manifestum est, nihil in Documento Pastorali centum Gallicanorum Antistitum esse, ob quod dici à *Protestante* debuerint dati in reprobum sensum, sive, ut verbis ejus utar, *Spiritui calumniæ traditi*; cùm nihil adversatio tribuisse deprehendantur, quod in damnatis ejus Articulis juxta sensum obvium non perspeximus contineri. Proinde vanissima ejus est, & authore digna impudens gloriatio, „ Ne umbra quidem eorum, „ quæ Episcopi imputant, in meis Obser- „ vationibus continetur; sed propositio- „ nes quoad omnia contrariæ. „ Cur ex his saltèm aliquas non produxit? A quo enim tempore, aut quibus meritis id sibi juris vindicat, ut fidem habeamus el poriùs, quàm centum Episcopis, quàm Apostolicæ Sedi, quàm universæ fidelium Summum Pastorem sequentium multitudini, quàm denique oculis propriis?

Complures quidem *Protestatio* lacinias exhibet è damnato Opere decerptas, velut totidem pro authoris Systemate apologias; sed omnes intuitu finis inanissimas; utpote ad propositam controversiam minimè pertinentes. Quid enim tota ista textuum farragine conficitur aliud, quàm „ esse præ- „ sumptionem, velle Scripturam Sacram „ intelligere privato spiritu absque Do- „ ctorum Ecclesiæ subsidio: Deum velle „ hominibus documenta dare per homi- „ nes: modum proficiendi lectione Di- „ vini Codicis esse, intelligentiam ejus „ petere aut quærere humiliter: facilè „ agnoscere suam ignorantiam: adire eos, „ quos Deus nobis contulit institutores? „ Istud totius Protestantis hìc apologiæ compendium. Quomodo autem inde conficitur, quod sub *omni personarum genere* Quesnellus non intellexerit *personas omnes sinè distinctione atque exceptione*, ut ei à centum Episcopis tribuitur? Neque dubito quin à cæteris Quesnelliani Systematis lectoribus, sensu simili accipiatur. Nam etsi in rigore grammatico convenire quidpiam possit aliquibus ex *omni genere*, itaut non conveniat *omnibus*, seu singulis omnium generum; attamen etiam usu frequentissimo compertum est, utrumque loquendi modum pro eodem accipi significato. Patet in ipsis de quibus disputamus Propositionibus. Nam sicut in septuagesima nona exprimitur *omne personarum genus*, sic in 80. *omnes* simpliciter. Studium autem, imò & lectionem Divini Codicis sic intelligi à Quesnello, necessariam omni hominum generi, ut etiam sit omnibus individuis, liquet ex Propositione 84., juxta quam Scripturas non legere est *os Christi obturare*, quod nulli hominum licet, potissimum Christiano. Si enim homini os Christi obturetur, eripiendo è manibus novum Testamentum, obturabitur etiam illud non legendo, atque ita neque licitum erit lectionem illam omittere: proinde lectio illa omnibus in novo systemate necessaria est.

9 Eundem sensum Quesnello adhærentium ejusque propugnantium Articulos esse supra vidimus, ubi *omnibus hominibus tam necessaria* dicitur *Scripturæ lectio*, *quàm novacula tonsoribus*, *gladius militibus* &c. Eodem concurrit, ut notavimus Propositio 85. „ Interdicere Christianis lectionem Sacræ „ Scripturæ, præsertim Euangelii, est in- „ terdicere usum luminis filiis lucis, & fa- „ cere ut patiantur speciem quamdam ex- „ communicationis „. Cùm interdicere Christianis lectionem illam, sit interdicere usum luminis filiis lucis, etiam voluntariè omittere lectionem, erit interdicere sibi usum luminis, quæ interdictio homini tam posterior, quàm prior censebitur perniciosa.

Qualis verò illa est magnificè adeò; sed simul fallacissimè prædicata erga Præpositos submissio, quæ scilicet exemplis notissimis, ipsisque dogmatibus ab ipso ubique enervatur, destruitur *Protestante*? Et quidem necesse non est specimina à remotioribus accersere: Quomodo poterit Episcopus è *Christiani* alicujus *manibus abripere novum Testamentum, seu illud clausum tenere, si istud sit auferre ei modum illud intelligendi? Si sit illi os Christi obturare?* Quomodo Christianus tali instructus dogmate abripi sibi librum illum patietur, atque obediet Superiori? Quomodo ejus parere poterit voluntati; „ Si interdicere Christianis lectio„ nem Sacræ Scripturæ, præsertim Evan„ gelii, sit interdicere usum luminis filiis „ lucis, & facere ut patiantur speciem „ quamdam excommunicationis?„ Denique„ Si dies Dominicus à Christianis de„ beat sanctificari lectionibus ... Sancta„ rum Scripturarum? Si damnosum sit vel„ le Christianum ab hac lectione retrahere? Christiano isti non minus juris esse videbitur, appellandi ad futurum Concilium contra sui sententiam Antistitis, quàm Quesnello & ei adhærentibus contra judicium Sedis Apostolicæ, consensu totius Ecclesiæ confirmatum.

10 Expertum fuit etiam Belgium, quam submissionem erga Episcopos, quam erga Summum Christi Vicarium Quesnellus cum Arnaldo & Sociis è Gallia profugis illuc introduxerit. In processu juridico, seu *Causâ Quesnellianâ* toto Articulo 2. longâ factorum serie ostenditur, quod Quesnellus „in Belgio Catholico & in vicinis „ Provinciis plures turbas & dissidia exci„ taverit, Presbyteros commoverit ad„ versùs proprios Episcopos, Clerum Ba„ tavicum impulerit adversùs Summum „ Pontificem„. Maxima priùs fuerat reverentia Belgarum erga Episcopos, potissimùm erga Romanum Pontificem, & omnia Sedis Apostolicæ Decreta; nominatim Regulam quartam Indicis Tridentini, plurium Pontificum, etiam nuper Innocentii XII. authoritate roboratam, de non legendis promiscuè Scripturis in lingua vernacula absque facultate.

Regulæ istius violatio hinc inde per Conventus Monialium, & alibi, inter fœminas præsertim, serpens, paulò post hospitum illorum adventum, cœperat observari.

De hoc abusu pernicioso commoniti Antistites, Duce Humberto Mechliniensium Archiepiscopo & Belgii Primate, statuerunt communi consilio, novitati, plurium seminario errorum, quantocius occurrendum. Decretum itaque ediderunt pro accurata obedientia præstanda Regulæ 4. Tridentini Indicis, & cæteris Apostolicæ Sedis Constitutionibus, ac censuris seu dogmatum, seu librorum.

11 Oppositum hunc novitatis progressui aggerem non tulit inultum turba schismatica; sed percita furore totum mox Belgium Libellis famosis & rabiem præ se ferentibus, implevit. Arnaldus & Quesnellus Opere anonymo cui titulus: *Difficultates propositæ Domino Steyaert* Anno 1691. parte quarta pag. 141. *Diabolus* (inquiunt) *Christianos à lectione Sacræ Scripturæ avertit, & nemo est præter ipsum solum, qui illis possit hanc cogitationem immittere; non pertinere scilicet ad sæculares illam legere* [etiam in lingua Vernacula, circa quam solam versabatur controversia) *& ideo qui Scripturæ lectionem interdicit, huic Diaboli conatui suffragatur.*

Ibid. pag. 209. *Allegare veluti rationem non permittendi lectionem Sacri Codicis puellis, fœminis, & aliis qui non studuerunt* (Latino aut alteri sacro idiomati) *quod illum locis multis intelligere nequeunt; est conculcare pedibus authoritatem Sanctorum Patrum.*

12 Vehementiùs contra illam Antistitum providentiam debacchatus est Quesnelli Symmista famosus Gabriel Gerberon, è suis pariter Bruxellensibus latebris, quas confidebat ab Archipræsule non facilè detegendas. Is Opusculo cujus epigraphe est, *Brevis & necessaria instructio omnibus Belgii Catholicis data circa lectionem Scripturæ Sacræ*, pag. 25. ait: *Jure dici potest hujusmodi Decretum non à Deo; sed à Diabolo esse suggestum*. pag. 23. *Prohibitio lectionis Sacræ Scripturæ* (in idiomate vulgari) *tanta est animarum pernicies, ut intentio eam plebi Christianæ prohibendi, à nemine nisi à Diabolo possit injici.*

Pag. rursus 25. *Si qui Episcopi in Belgio lectionem Sac. Scripturæ* [promiscuam in lingua vulgari] *prohibuerint Christianis, fas est dicere, hujusmodi Decretum non à Deo, sed à Diabolo profectum esse, & omnes verè Christiano nomine gloriantes, habere Decretum illud primò veluti abusum potestatis Episcopalis: secundò veluti defectum gravem Episcopali muneri ac debito contrarium: tertiò tanquam scandalum, quod schismaticos ab Ecclesia Catholica avertat, & in schismate confirmet: quartò tanquam ingens dedecus & injuriam, quam Episcopi Catholicæ intulerunt Eccle-*

clesia per Decretum, quod haeretici nobis, & Ecclesia perpetuò exprobrabunt.

Pag. 22. *Episcopus, qui prohibet plebi promiscuam Divini Codicis lectionem Vernaculo idiomate, non Pater est, nec Pastor; sed potiùs tyrannus, adimens populo concessam à Numine facultatem.* Pag. 26. *Virtutis est non obedire talibus Superioribus; qualis enim foret ista obedientia? Non absimili Nestorius, Julianus, Sergius, & plures alii haeretici Episcopi, plurimos simplices suis haeresibus implicuerunt, & demerserunt ad inferos.*

13 Eodem Anno 1691. idem Author alium Libellum edidit hoc titulo: *Sententia & agendi ratio Archiepiscopi Mechliniensis*: ubi pag. 28. ait: *Insignes Theologi statuunt lectionem promiscuam Scripturae Sacrae in lingua vulgari, plebeis prohiberi non posse sinè haeresi.* Ibid. *Lectionem Scripturae Sacrae non esse omnibus promiscuè Christianis utilem, est dogma impium.* Ibid. *Est se à fide & Ecclesia separare.*

Reprehensa à Scriptore Catholico fuit haec Gerberonis temeritas; sed is fraeni impatiens superiorem audaciam novâ impudentiâ confirmans, protinus expedivit prioris Opusculi *Defensionem*, respondens pagina 43. *Omnes quibus mica judicii, & pietatis superest, judicabunt quod Decretum Archiepiscopi, Deo, & Ecclesiae fit injuriam, quod scandalizet & turbet conscientias, ac haeresi nitatur.* Pag. 44. *Omnes quibus, aliquid judicii sani & pietatis superest, Decretum saepe memoratum semper exhorrescent, & characterem seditionis, injustitiae & erroris in eo reperient.* Pag. 25. *Nonne oportet omni aequitati, imò pietati nuntium remisisse eum, qui censeat non esse conquerendum de Decreto, quod conscientias conturbat, & de illata Deo injuria conviciatur?* Pag. 24. *Nimis verum & manifestum est, quod Archiepiscopus ediderit Decretum, de quo tanquam de illata injuria Dei Verbo & authoritati Regiae, & apertam atque exitialem haeresim complectente querimur.*

14 Nobis autem de istiusmodi contra Episcopos, & maximè contra Sedem Apostolicam contumeliis, conqueri non licet; quia Gerberon in *Brevi & necessaria* [ut vocat] *instructione* pag. 17. *Hujusmodi* (inquit) *duriores loquendi modi adhibendi sunt hoc tempore, ad novam illam haeresim in Ecclesia quotidie invalescentem, publicè denuntiandam.* Ita Gerberon, qui inter *Jansenistas candidos* adeò non infimo loco fuit, ut videretur cum *Aegidio Candido* de principatu, & palma audaciae concertare; nisi sub fictitiis omnia nominibus conscripsisset. Aegidii stylum sapit *Dialogus*, etsi anonymus Parochianum inter & Theologum anno 1691. editus. Illic pag. 7. *Non potest prohibitio illa legendi Scripturas* (in lingua Vernacula absque Superiorum facultate) *excusari ab haeresi, & in Spiritum Sanctum blasphemiâ. Ratione loquendi utimur acerbiore; quia prohibitione illa subvertitur Sancta nostra Religio* Janseniana; ut nuper *Aegidius* ille Opusculum edidit hac mirifica inscriptione: *Apologia nova pro Doctrina Sancta Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis.* Talis est Quesnelli, & omnium ei adhaerentium erga supremos Ecclesiae Rectores, & inferiores Antistites reverentia, atque demissio, ubicumque senserint eos suis novitatibus refragantes.

15 Ad imitationem operis Quesnello-Arnaldici, *Difficultatum* scilicet *propositarum Domino Steyaert*, prodiere sub idem tempus *Difficultates propositae Episcopo Gandavensi*, contra ejus Decretum simile Mechliniensi: illic magis impudens, quàm difficilis author pag. 11. Gandavensium Antistitem interrogat: *Nonne Diabolus solus est, qui inspirare noverit, lectionem Scripturae Sacrae non esse necessariam?* Pag. 3. *Christiano populo interdicere lectionem Scripturae in idiomate quod optimè intelligunt, impium est & haereticum.* Pag. 21. *Tali Decreto nihil est à sano cerebro alienius, nihil magis ridiculum* Pag. 14. *Non Christiana obedientia; sed irrationabilis, stulta, & peccaminosa submissio esset, obedire istiusmodi Decretis.* Pag. 15. *Esset obedientia Deo maximè ingrata.* Haec Jansenistarum Ethica, ipsis est Moralis rigida, Moralis tutior, purissima, & Romanae Ecclesiae magnifica reformatrix.

Similia eodem tempore scripserunt contra Decreta Episcopi Brugensis, & Archiepiscopi Cameracensis. Contra hunc Archipraesulem simul & Mechliniensem, atque ipsum Romanum Pontificem concepta fuit lamentatio, qua famosus Malpaix Jeremiam videri voluit imitari in Epistola scripta anno 1691. die 2. Februarii *Novum* (exclamat) *scandalum! Adoranda verba, quae Deus omnibus suis famulis reliquit ad solatium in exilio, ipsis sunt erepta è manibus, quasi malus & periculosus liber: idque per Archiepiscopos Mechliniensem & Cameracensem. Horrenda excaecatio! Scandalosae ordinationes fratribus nostris separatis, idonea ut ipsos à communione Ecclesiae in perpetuum sejungant: perniciosa & exitiales omnibus Christifidelibus! Usquequo, Domine, usquequo? Quid olim Ecclesiae fideles cogitassent de Episcopo, qui Decretum istiusmodi edidisset? Misera Dei Ecclesia! Quomodo hoc tempore gubernaris?*

naris? S. Paulus Epistolas suas vult legi ab omnibus; Episcopi autem Romanus, Mechliniensis & Cameracensis id prohibent. Cui credendum? Priori sinè dubio; scimus enim quia huic locutus est Deus. Iterum dico quale Neophytis scandalum!

16 Quid igitur consilii, quo Decreta istiusmodi subruantur aut careant effectu? *Oportet illa* (inquiunt Ecclesiæ reformatores) *usu contrario abrogare, scripturas vernaculas omnibus obtrudendo, & prohibendo, ne facultas à superioribus petatur*. Ita *Dialogus tertius Parochianum inter & Theologum* pag.7. *Expedit hujusmodi Decreta usu contrario abrogare: ad quod conducit Sacri Codicis lectionem propterea non omittere, eamque aliis qui cura nostra crediti sunt, vel nos consulunt, commendare*. Ibidem *Certum est, non esse necessarium à superioribus petere facultatem pro lectione istiusmodi vernacula, imò neque expedit, ne confirmentur Præpositi in opinione, quasi ipsis liceat, Decreta talia condere, & promulgare*.

Dialogi isti, ut monueram, sapiunt stylum & audaciam *Ægidii Candidi*, qui subinde in gratiam Pontificis se *Ægidium Albanum* vocat, ut se valeat Clementis XI. non solum scribere *compresbyterum*; sed etiam *Cognominem* in *Augustino Iprensi vindicato è damnatione Romanorum Pontificum Urbani VIII., Innocentii X., Alexandri VII., & Clementis XI. erepto & eruto per Ægidium Albanum anno afflictæ* [in Jansenio] *gratiæ LXX., Æra vulgaris MDCCXI. Si quis est Domini jungatur mihi*, Exodi 32. Illic pag.393. *Liceat*, inquit, *& mihi O Clemens Undecime, Ecclesiastica Hierarchiæ Princeps, Compresbytero & Cognomini tuo, privatum aliquod tibi dare consilium*. Nonne isthæc omnia præclarè & acutè? Plura ex isto Volumine referam ubi de Propositione 96. &c. disceptabitur. Redeundum nunc ad Sacri Codicis lectionem:

17 Duplex à Novatoribus solvenda supererat difficultas: prior pertinens ad Belgium tunc Hispanicum, quam proponit Gerberon; sed potestatis Regiæ pariter ac Pontificiæ contemptoribus propria ratione depellit in Opusculo appellato *Examen Responsi*. Illic pag.93. *Quanquam lectio Divini Voluminis idiomate vulgari prohibita in Hispaniis fuerit, approbante Paulo Secundo Pontifice, nemo tamen magnopere hinc commoveri debet; Discernendum est enim quid Pontifex imperare aut prohibere valeat, & observandum est quod S. Paulus docuit de Divinis oraculis, quæ omnibus fidelibus semper in ore habenda sunt, non obstante prohibitione in Hispaniis factâ, & à Pontifice approbatâ, atque confirmatâ*. Altera difficultas oritur ex eo quod in Regula quarta Indicis Tridentini exprimitur: *Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere* [Biblia vulgari idiomate] *præsumpserit, nisi priùs Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit*.

18 Obicem etiam hunc facilè se amovere existimat author *Epistola* typis editæ, ementito nomine *quorumdam Ostendanorum civium ad amicos Brugenses circa Antistitis illius Decretum* anno 1691. pag.15. *supposito quod aliqui sustineant Episcopi nostri Decretum in se esse nullum, esse invalidum, hæreticum, imò ab ipso Diabolo dictatum: quodque ducti hac opinione, Biblia sua nolint tradere, & malint propterea non accipere absolutionem à Sacerdote; sed expectare illam à Deo, nonne tales excusari possent, & peccatorum impetrare veniam ac salutem consequi?* Possunt quàm maximè juxta Quesnellum & Arnaldum qui sic componere noverant conscientias Monialium Portus Regii, quas in pertinacia Janseniana & inflicta propter eam excommunicatione, annis pluribus obdurarunt, jussas absolutionem, quam Christi Vicarius denegabat, ab ipso expectare Numine; cui, etsi non communione Eucharisticâ, at fide Jansenianâ, per similem operante charitatem, arctissimè unirentur. Et quidem juxta Quesnelli Articulum 28. *Prima gratia quam Deus concedit peccatori est peccatorum remissio*: & per Art.51. *Fides justificat, quando* (seu quandocumque) *operatur*.

Præterea juxta Articulum 82. *Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum*; injusta autem absolutionis negatio, imò *excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro* juxta Art.91. Etiam *pati potius in pace excommunicationem, & anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari S. Paulum: tantum abest ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem* Art.92. sequitur & 93. *Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato: Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt*. Quibus suppositis, facilè confidet Jansenianus, se à Christo delictorum veniam consecutum, utpote propter virtutis actum injustissimè denegatam. Veniam quoque à Deo accipere amat, & desiderat; juxta Articulum verò 40. *sinè gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem*; proinde non dubitat quin aliquid sibi divi-

næ

næ gratiæ obvenerit, *Prima* autem *gratia*, ut jam vidimus, Art.28., *quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*.

19 Tradere quoque Biblia vernacula Episcopo, foret prodere veritatem, juxta quam Art.80. *lectio Scripturæ Sacræ est pro omnibus*: & 79. *utile & necessarium est omni tempore, omni loco, omni personarum generi studere & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria S. Scripturæ*. Eadem traditio Bibliorum *impediret hominem ab implendo suo debito*, quod est *diem Dominicum sanctificare lectionibus Sacræ Scripturæ* Art. 82. & 91. Foret *obturare os Christi*. Art.84. Foret *interdicere filio lucis usum luminis*, & *facere ut patiatur speciem quamdam excommunicationis* Art.85.

Denique *sic confirmarentur Ecclesiæ Præpositi in opinione quod talis Decreti editio sibi licita fuerit*, quod erroneum, hæreticum, impium, diabolicum penès novam Ecclesiam est, & *vicinis hæreticis nova arma subministrat ad Sanctam Ecclesiam iterum impugnandam, criminando veluti non Christianam; sed diabolicam*. Ita Gerberon in *Brevi & necessaria* [ut vocat] *instructione* pag.81.

Quod protestatio allegat ex Bossuetio defuncto Meldensium Antistite, *Vix apparere eam esse Ecclesiæ conditionem hoc tempore, ut exigere valeat* Regulæ quartæ Indicis observationem, certum est intelligi non posse de præcipua, & longè maxima Ecclesiæ parte, videlicet Italia, Hispania, Lusitania, &, Belgio saltem Cæsareo.

Si autem Christianissimi Regnum in eam incideret calamitatem, quam aliàs Sorbona, quam universi Galliarum Antistites, quam Supremus Galliæ Senatus, & Rex ipse tanto studio conati fuerant avertere, infinitum videlicet totâ Gallia dispersum à Novatoribus numerum editarum vernaculè Scripturarum, quæ obtruderentur omnibus, etiam sinè pretio, ne lectionem metus sumptuum impediret: exitialis hæc corruptio non aliis imputanda est, quàm nostris pseudo-reformatoribus, in Romanæ Ecclesiæ perniciem semper intentis, qui, ut certiorem machinatio successum obtineat, versionibus suis nullas deesse patiuntur animorum illecebras & oculorum, exquisitos idiomatis flores, styli fluxum, ipsiusque elegantiam compaginis. His rapitur populus, aliunde novitatis satis avidus; mulieres præsertim, quæ affectibus magis ducuntur, quàm rationibus; & quantò infirmiores ingenio, tantò solent esse voluntate obstinatiores, maximè ubi fucatis obtentibus pium creditur, quod amatur. Unde illud non facilè earum extorqueas è manibus, quod à doctis, ut existimant, & sanctis Ecclesiasticis, reverà hypocritis, acceperint commendatum.

20 Persuasum sibi ab his retinent, esse *utile & necessarium omni tempore, omni loco, omni personarum generi studere & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria Sacræ Scripturæ*: *Lectionem S. Scripturæ esse pro omnibus*: *diem Dominicum à Christianis debere sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum*: *Damnosum esse velle Christianum ab hac lectione retrahere*: *Obscuritatem sanctam verbi Dei non esse Laicis rationem dispensandi seipsos ab ejus lectione*: *Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, esse illis Christi os obturare*: denique *interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, esse interdicere usum luminis Filiis lucis, & facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis*.

His, inquam, erroribus imbutæ mulieres, cum decepta pariter virorum præposterè curiosorum, quos sciolos appellamur, incautâ multitudine, non adeò quidem facilem reddere videbuntur Galliarum Episcopis executionem regulæ pridem ab Ecclesia salubriter præscriptæ, de non permittenda promiscuè Divini Codicis vernaculâ lectione. Verùm ea, qualiscumque inducta alicubi abusibus difficultas, minimè absolvit à falsitate & pernicie Propositiones Dogmaticas ad universæ institutionem Ecclesiæ enuntiantes, & Europâ ferè totâ à novitatum Sectatoribus divulgatas. Neque Propositio præsens significat, quod propter invalescentes abusus, & zizaniorum multitudinem, in aliqua Ecclesiæ parte dissimulari malum conveniat potissimùm propter inobedientiæ, turbarum, & schismatis periculum; sed quod per se studium istud necessarium omni hominum generi sit, omni loco & tempore etiam spectatâ communi imperitorum hoc tempore in sacris vocibus intelligendis, exponendisque temeritate, quam prudentissimi Regulæ Ecclesiasticæ Conditores, infringere conati sunt, neque experimur hactenus sublatam: utinam non etiam enormibus auctam incrementis! Non sic dimittenda est frivola Quesnelli Protestatio.

CAPUT

CAPUT XIII.

Protestantis dolosa hypocrisis amplius convincitur.

1 DEclamantem superiùs Quesnellum vidimus contra Centum Galliæ Antistites, Documenti Pastoralis partim authores, partim approbatores; obliquiùs autem contra Summum Christi Vicarium, & quotquot adhibitos ab eo in alma Urbe Theologos ad *Observationum Moralium* discussionem: quasi, ut eas configerent, odiosiùs ipsi fuerint, & contra authoris mentem iniquissimè interpretati. *Oportuit* [inquit] *traditos fuisse spiritui calumniæ; ut enuntiationes meas ad talium figmenta sensuum detorquerent.* Sed nempe aliàs condemnari minimè potuissent, ut ipse autumat. Ego verò superiore capite ostendere cœperam nihil à Galliarum Episcopis, minùs etiam à Sede Apostolica aut ejus Theologis esse impositum, aut ad vindicandam anathematis æquitatem attribui debuisse; nisi quod Propositionum verba, tum in significatione obvia, tum in ipsius authoris, eique palam adhærentium sensu legentibus ingerunt.

2 Prolixum quidem ex Antistitum Documento locum *Protestatio* retulit, quo Scripturarum lectio commendatur; verùm ne quibus ea conditionibus à Præsulibus alligetur, Lectori innotesceret, subdolo prætcrivit silentio, quæ adduxerant illi ex Augustino, ex Tolosano Concilio & cæteris Galliarum, atque ipsius contra Erasmum judicio Sorbonæ. Perspectum scilicet Quesnellus habuit, & perspicit, quisquis oculos in fronte gerit, novitatis fuligine non obcæcatos, ex omnibus, quas Constitutio UNIGENITUS ferit, enuntiationibus, ne unam quidem cum descripta à me, & à *Protestante* callidè dissimulatâ, posse authoritate consistere. Ut igitur defectum corrigam *Protestantis*, Lectori in memoriam revoco illud Augustini lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 39. *Homo fide, spe, & charitate subnixus, eaque inconcussè retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria, etiam in solitudine, sinè codicibus vivunt.*

Evidens est cum ista Doctoris Maximi sententia minimè conciliari Articulum Quesnelli 79. *Necessarium est omni tempore, omni loco, omni personarum generi studere & cognoscere spiritum, pietatem, mysteria Sacræ Scripturæ.*

Quod autem ait *Protestatio* non asseri in Articulo necessariam lectionem; sed tantummodo studium & cognitionem, prorsus inane est, & ad excusandas excusationes in peccato, nequiter excogitatum. Quisquis scilicet Grammaticæ exempli gratiâ, aut Rhetoricæ Magister discipulis ut aliàs monui, præceperit studium diligens, ad assequendum phrases, stylum, eloquentiam, artem Rhetoricam Ciceronis; nullus discipulus, istud sibi studium inculcari à Magistro audiens, dubitabit, quin Ciceronis hic sibi lectio commendetur, vel etiam præcipiatur; licèt plurimi sint, qui de arte Rhetorica ex Cicerone scripserint; unde Tironibus Ciceronem imitari cupientibus, plurimum posset lucis accedere.

3 Argumento huic per se satis perspicuo, luminis quidpiam addit historia Hieronymi, qui epist. 22. ad Eustochium ait, *Raptus in spiritu ad tribunal Judicis pertrahor: ubi tantum luminis, & tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris, ut projectus in terram, sursum aspicere non auderem. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi: & ille qui præsidebat, Mentiris ait, Ciceronianus es, non Christianus. Ubi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Illicò obmutui, & inter verbera [nam cædi me jusserat] conscientiæ magis igne torquebar, illum mecum versiculum reputans: In inferno quis confitebitur tibi? Clamare autem cœpi, & ejulans dicere: Miserere mei, Domine, miserere mei. Hæc vox inter flagella resonabat.* Non fuisse inane somnium, indicat quod sequitur: *Liventes fateor, me habuisse scapulas, plagas sensisse post somnium, & tanto dehinc studio Divina legisse, quanto non antea mortalia legeram.*

Si dein questus fuisset Hieronymus de Magistro, qui Ciceronianum ei studium præcipiens, occasio fuisset istorum cruciatuum; Magister verò Protestationem reponeret similem Quesnellianæ, se studium præcipiendo Ciceronis, non lectionem intellexisse; Cùm Ciceroniani eloquentia sermonis, & quidquid artis in ipso seu Grammaticæ, seu Rhetoricæ est, potuerit aliunde, quàm ex authoris ethnici, seu operum ejus lectione comparari, nonne ea Hieronymo, & cuilibet sanæ mentis homini *Protestatio* mendacium saperet, & priore, si quod apparuerit, delicto, deterior censeretur excusatio?

4 Quesnelli quoque mendacem calamum convincunt amplius, qui in Constitutione sequuntur Articuli, ut superiore à me capite demonstratum est. Ideo *Collator* cæteris

teris ejus defensoribus, atque ipso quodammodo Quesnello hic astutior, cavillationem eandem adhibet; sed subtimidè, dicens: *De Sacrarum Scripturarum lectione Propositio hac propriè* [seu verbis explicitis] *non agit .... si tamen de lectione Scripturarum intelligere placeat hanc Propositionem, neque sic reprehendi potest; modò locus detur aquitati, & per vocem illam NECESSARIUM, intelligas non necessitatem absolutam; sed moralem quamdam seu utilitatem longè maximam: quomodo & Patres intelligendi sunt, qui & ipsi interdum prædicant lectionem illam esse necessariam.*

Quæ quidem post editam à Quesnello *Protestationem* excogitata à *Collatore* explicatio, ipsius est figmentum interpretis, non intentio authoris; aliàs ab ipso in tot undique accersitis cavillationibus non prætermittenda. Vocabuli quoque *Necessarium* proprietas, cum sequentium Articulorum præsertim octogesimi quarti & octogesimi quinti circumstantiâ, Collatoris effugio aditum intercludit. Quis enim licitum duxerit *os Christo occludere*, & *filiis lucis interdicere*, vel eripere *usum luminis*?

De exaggerationibus Chrysostomi familiaribus, præcipuè inter concionandum, testes superiùs dedi Bellarminum, & alios exceptione qualibet majores. Præterea inter eruditos Antistites non infimus Godoy Parte 1. Disp. 26. num. 25. postquam retulit verba quædam Hieronymi ab aliis exposita duriùs, *Multoties*, inquit, *Patres aliquem impugnantes errorem* (qualis erat tempore Chrysostomi error practicus circa Scripturas, quarum lectionem negligerent etiam maximè idonei) *in oppositum inclinare videntur verbis adeò claris, ut sunt alia, quæ in hæreticis reperiuntur. Quæ non obstante Patres catholico sensu explicantur, & hæreticorum verba accipiuntur ut sonant; quia eorum mens est suspecta, nec de illa curatur in sanum sensum reducendâ &c.* Quam sententiam Eminentissimus Aguirre Disp. 135. sect. 4. approbat, uti & illam Contensoni Dissert. 5. de Gratia pag. 624. *Soliс sacris literis, solis Sanctorum Patrum dictis Ecclesia hanc debet reverentiam, ut difficilia & obscura eorum verba, inquisitis reconditis eorum sensibus explicet, piisque interpretamentis exponat.* Quesnelli autem explorata intentio interpretationi Collatoris fictitiæ adversatur.

5 *Protestatio* studiosè collectum exhibet quidquid in quatuor damnatis Quesnelli Voluminibus reperiri potuit ad persuadendum, non fuisse eum adeò temerarium, ut voluerit Scripturam ab omnibus legi juxta privatam cujuslibet sapientiam, vel insipientiam intelligendo, sed ita ut suam quis alicubi agnoscat & fateatur ingenuè ignorantiam, humiliter petat Divini Spiritus lumen, concessos à Suprema Providentia Doctores consulere non erubescat. Imò, inquit, non dubito, quin vix ulla hominum conditio sit, in qua non invenias complures, quibus noxia foret Scripturarum omnium sine exceptione lectio, & aliquos, qui ne ad partem quidem fructuosè legendam satis comparati sint.

Si ita est, cur Art. 80. sine ulla penitùs exceptione, seu personarum, seu partium Scripturæ dicitur *Lectio S. Scripturæ est pro omnibus*? Art. 81. *Obscuritas sancta verbi Dei non est laicis ratio dispensandi seipsos ab ejus lectione*? 82. *Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis & super omnia Sanctarum Scripturarum? Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere*? Cur inter omnes, quos Protestatio adducit damnati Operis textus, veluti excusandis aliquot ejus sententiis opportunos, nullus cernitur, qui rude genus hominum, & vulgarium turbam mulierum, in primis juvenculas, ad quasdam sacri Codicis partes adstrinxerit, vel exceperit illius partes aliquas? Nihil restrictionis adeò necessariæ conspicitur.

Unde quid concludere aliud possumus, quàm nihil fuisse; sed posteriùs confingi, quo proscriptorum dogmatum virus occultetur potiùs, quàm tollatur? Articulum non reddit insontem interpretatio, cujus nullum indicium in ipsius enuntiationis, vel vicinis vocibus deprehenditur, quæque non alio proceditur consilio, quàm ut censura Ecclesiæ eludatur. Usu nempe compertissimum est, Codicem novi fœderis universum à pluribus translatum Gallicè, & Belgicè venum exponi omnibus: ejus lectionem nullo discrimine omnibus commendari, nullâ partium exceptione, sive Apocalypseos, sive ullius ex Pauli epistolis, in quibus sunt quædam *difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem*, teste Apostolorum Principe epist. 2. cap. 3.

Sed etsi totum, quod *Protestatio* comminiscitur, codices Quesnelliani anathemate percussi exprimerent, non propterea liber eis cursus permitti à Sede Apostolica debuisset, neque ulla ex 101. Propositionibus absolvi; nam etiam tunc septuagesima nona cum sex sequentibus, quæ ad sacri volu-

voluminis lectionem pertinent, impegisset apertissimè non solùm in Regulam quartam Indicis Tridentini, plurium authoritate Pontificum confirmatam; sed etiam in complura à me superiùs allegata Galliæ Concilia, præcipuè Tolosanum à quinque ferè seculis celebratum: denique in statuta clarissimæ Sorbonæ & Cleri Gallicani, sæpius stabilita, suffragante cum supremo Senatu Rege Christianissimo.

7 Respondet centum Gallicanorum Antistitum adversarius, Instructionem eorum Pastoralem *Observationibus* lacessens, qui verisimiliter Quesnellus ipse est, pag. 83. *Si prohibitum sit legere Scripturam in versionibus suspectis, qualis erat de qua loquitur Tolosanum Concilium, quid inde sequitur de versionibus publicis & authoritate Ecclesiæ approbatis? Quod attinet ad censuras Facultatis Theologicæ* [Parisiensis] *potius laborandum esset ut congrua eis quæreretur excusatio, quàm adducenda earum authoritas contra usum adeò generaliter stabilitum, ut est Scripturarum lectio idiomate vulgari.*

Quid verò nos hic primum mirabimur, impudentiam hominis in mentiendo, an irreverentiam & contemptum authoritatis cujuslibet gravissimæ, & Galliis potissimùm venerandæ? Praxis Quesnello maximè familiaris est, ut ex casu singulari assertiones dogmaticas formet, nullo circumscriptas limite, & universalibus æquivalentes, quo quidem ratiocinandi genere nullum penès Dialecticos est stolidius, cujus exempla in Quesnello frequentissima ostendi aliàs, & novum dabit Propositio 80., hic autem Canonem Tolosani Concilii maximè illimitatum, ad unam restringit pro libito *versionem suspectam*. Perspicua Concilii verba sunt: *Prohibemus etiam ne libros Veteris & Novi Testamenti laicis permittatur habere; nisi fortè Psalterium, aut Breviarium pro Divinis Officiis, ac horas Beatæ Virginis aliquis ex devotione habere velit; sed ne præmissos libros habeant in vulgari translatos arctissimè inhibemus* Canone 14. Concil. Labb. pag. 430. Quid hic restrictionis cernitur ad versiones tantummodo suspectas? De iis nullum verbum habet editio Concilii jam indicata. Ubi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, ut habetur in specu. de Judi. Deleg. §. fin. ver. *Sed nunquid*.

De Conciliis Narbonensi, Burdigalensi, Cameracensi quæ ab Episcopis citantur altùm adversarius silet. Quænam autem versiones sunt, quas vocat *publicas & ab Ecclesia approbatas*? Catalaunensis scilicet Quesnelli, & quæ eam præcesserat Montibus Hannoniæ, ut præfert, edita: hinc vulgò dicta *Novum Testamentum Montense*. Has versiones, judice *Observatore*, & maximè Quesnello, securissimè legere potest quilibet, etsi Clemens IX. anno 1668. die 20. Aprilis de Montensi declaraverit, *eam tanquam temerariam, damnosam, à vulgata editione difformem, & offendicula simplicium continentem, authoritate Apostolica damnamus, & prohibemus, ita ut nemo deinceps cujuscumque gradus & conditionis existat, etiam speciali & specialissimâ notâ dignus, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ipso facto incurrenda, illum* [Librum] *legere, retinere, vendere, imprimere, vel imprimi facere, audeat, vel præsumat; sed sub eadem pœna, quicumque illum habent, Locorum Ordinariis seu Inquisitoribus statim atque præsentis prohibitionis notitiam habuerint, exhibere teneantur.*

Ita, inquam, Clemens IX. de versione Gallica Montibus edita. De Catalaunensi quoque aliàs Anonyma; sed cujus modò authorem se, & vindicem profitetur Quesnellus, ita Clemens XI. anno 1708. die 13. Julii.

„ Cùm, sicut accepimus, in lucem prodierit Liber &c..... ac pluriès typis recusus fuerit, non sinè bonorum offensione, &. ingenti animarum periculo propter ejus frequentem, etiam in variis Provinciis lectionem & usum, quemadmodum pariter ad Apostolatum nostrum multorum querelâ delatum est; Nos Librum hujusmodi nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque in Sacra Theologia Magistris, maturè, &, ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum commisimus...

„ Illi verò mandatis nostris obsequentes, Librum ipsum post accuratam ejus discussionem, unanimi consensu prohibendum esse censuerunt, utpote qui sacrum ipsum Novi Testamenti textum exhibet damnabiliter, nec sinè ausu temerario vitiatum, & alteri versioni Gallicæ dudum à felicis recordationis Clemente Papa IX. prædecessore nostro, per suasdam suas in simili forma Brevis die 20. Aprilis 1668. expeditas literas damnatæ, in multis conformem; à vulgata verò editione, quæ tot seculorum usu probata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, & aberrantem.

„ Notas insuper & Observationes continet, habentes quidem speciem pieta-

„ tis ; fed ad virtutem ejus abnegandam, „ fubdolè deducentes, in quibus paffim „ occurrunt doctrinæ & Propofitiones fe„ ditiofæ, remerariæ, perniciofæ, erroneæ, „ aliàs damnatæ , & Janfenianam hærefim „ manifeftè fapientes.

„ Hinc eft quòd Nos creditum nobis „ à Domino Paftoralis curæ atque vigi„ lantiæ munus, quantum nobis ex alto „ conceditur, falubriter exequi cupientes „ de eorumdem Cardinalium Confilio Li„ brum fupradictum, five præmiffis, five „ alio quovis titulo infcriptum, ubicum„ que & quocumque alio idiomate feu „ quavis editione, aut verfione hactenus „ impreffum, aut in pofterum, quod abfit, „ imprimendum, authoritate Apoftolicâ „ tenore præfentium damnamus & repro„ bamus, ipfiufqne Libri impreffionem, „ defcriptionem, lectionem, retentionem, „ & ufum omnibus & fingulis Chriftifideli„ bus, etiam fpecificâ & individuâ men„ tione & expreffione dignis, fub pœna „ excommunicationis per contrafacientes, „ ipfo facto, abfque alia declaratione in„ currenda, à qua nemo à quoquam, præ„ terquam à nobis, feu Romano Pontifice „ pro tempore exiftente, nifi in mortis ar„ ticulo conftitutus, abfolutionis benefi„ cium valeat obtinere, omnino interdici„ mus & prohibemus, volentes, & eadem „ authoritate mandantes, ut quicumque „ Librum hujufmodi penès fe habuerint, „ vel. in futurum quandocumque habe„ bunr, illum ftatim atque præfentes lite„ ræ eis innotuerint, Locorum Ordinariis, „ vel hæreticæ pravitatis Inquifitoribus „ tradere vel confignare teneantur: hi ve„ rò exemplaria fibi rradita illico flammis „ aboleri curent, in contrarium facienti„ bus non obftantibus quibufcumque &c.

9 Hæc utraque novi Teftamenti verfio eft, quam abfque perverfionis periculo fecurè legere juxta adverfarios poffunt docti, indoctique, velut *legitimè ab Ecclefia approbatam*. Liceat hìc nobis ex Quefnelli vindice quærere, quid *Ecclefiæ* nomine intelligat? S. Thomas 2. 2. quæft. 11. art. 2. ad 3. *Hæreticus cenfetur* (inquit) *qui pertinaciter repugnat determinatis authoritate univerfalis Ecclefiæ; quæ quidem authoritas principaliter refidet in Summo Pontifice .... contra cujus authoritatem nec Hieronymus, nec Auguftinus, nec aliquis Sacrorum Doctorum fuam fententiam defendit.*

Pontificiæ contra Montenfe Teftamentum fententiæ, nè unus quidem in Galliis vel extra Gallias Epifcopus nofcitur refragatus, in Belgio Auftriaco applaufere univerfi. Teftamentum Catalaunenfe etiam ante Pontificium anathema in ipfa Gallia complures offenderat Epifcopos: poft latum autem Romæ judicium, omnes Chriftiani Orbis Antiftites deteftati funt, nè illis quidem exceptis, qui adversùs Conftitutionem UNIGENITUS ad Concilium provocavere.

Vulgatiffima hæc & nota omnibus funt: ipfa Præfulum Decreta & totius Ecclefiæ teftimonia referam tomo proximo. Interim Quefnelliani illius vindicis, qui Quefnellus ipfe creditur, convictiffimum patet mendacium de duabus illis Sacri Codicis verfionibus, quafi *Ecclefiæ* judicio confirmatis. Conftar, eas quidem initio approbationem à duobus aut tribus elicuiffe Epifcopis; poft fedis tamen Apoftolicæ cenfuram, ab ipfis fuis approbatoribus, etiam adversùs Conftitutionem CLEMENTIS XI. appellantibus, defertas fuiffe & abdicatas. Ecquis verò hactenus eò temeritatis prolapfus nofcitur, ut librum venditet quafi *authoritate Ecclefiæ* confecratum, quem conftat in fupremo Sedis Apoftolicæ Tribunali percuffum fuiffe anathemate, cæteris Ecclefiæ Epifcopis, partim expreffâ, partim tacitâ fuffragatione Romano cõfentiẽtibus judicio?

10 Jam facilè, Lector, affequeris, quid Ecclefiæ nomine, quæ contra Catholicam & Romanam erigitur, adverfarii intelligant; cœtum videlicet Schifmaticorum aliquor, neque Pontifici obedientium, neque reverentiam Epifcopis deferentium, nifi quoufque fentiunt fuis novitatibus non repugnantes. Hujus fpecimina Tomo 1. in Prolegomenis exhibui luculenta. Addamus hìc aliqua ad præfentem propriè attinentia materiam, ut magis eluceat *Proteftationis* hypocrifis, dum tanto nobis inanium verborum ambitu jactar, circa Lectionem Divini Codicis, commendari à Quefnello quàm maximè fubmiffionem erga eos, quos Deus Fidelibns magiftros præftitit ac rectores. Audivimus Arnaldum & Quefnellum in *Difficultatibus Steyaertio propofitis* part. 6. pag. 40. è fno Bruxellenfi latibulo vociferantes: *Archiepifcopus prohibens lectionem verfionis Montenfis, poteftatis fuæ limites excedit, & populum decipit, quando declarat, quod legens aut retinens illum librum incurrat pœnam Pontificio diplomate fancitam.* Nonne veriùs rationis, juftitiæ, & Chriftianæ religionis ignorant dictamina, aut fi noverint, malevoli funt fimplicium Seductores animorum, qui hanc poteftatem Archiepifcopo Mechlinienfi, ejufque fuffra-

ganeis Præsulibus palàm denegant, & quidem sequentibus vestigia Pontificis Maximi?

Pag. 48. *Probibere lectionem versionis Montensis sub pœna excommunicationis, manifestus est abusus Ecclesiasticæ potestatis: & Episcopus qui talem prohibitionem renovat, conscientiam suam gravat omnibus peccatis, quibus per talem prohibitionem occasio præbetur; si prævideat, aut prævidere debeat, maximam subditorum partem non obtemperaturam.*

11 Hypothesim hìc sibi somniantes fingunt inanissimam, eamque nobis persuadere stultiùs conantur, in Mechliniensium videlicet diœcesi partem maximam, etiam post Archiepiscopi prohibitionem, Montensis versionis intendere lectioni. Prudentiùs omnis in Brabantino Belgio non peregrinus dubitaverit, an ex mille civibus unus alterve rebellem se Antistitis præbuerit interdicto.

Scio Archiepiscopum, cui me à consiliis intimis fuisse, adversarii non ignorant, diligentissimâ in trãsgressores perquisitione non deprehendisse nisi aliquot Bruxellis fœminas, & moniales paucissimas, quibus aliquis Quesnelli emissarius sat notus, donum pestilens obtruserat. Sed & mirabilis illa duorum Jansenistarum principum Ethica est, verbotenus tutior, revera exitialis, qua statuitur non licere Archiepiscopo conditam pridem à Tridentinis Patribus jussu Concilii, dein à pluribus successivè Pontificibus confirmatam, & totius ferè Ecclesiæ religiosâ consecratam observantiâ legem retinere, cjusque pro viribus exigere impletionem, si fortè à pluribus in Diœcesi sua negligi compererit. Permittenda scilicet ab eo juxta novatores est libera omnibus transgressio; aliàs Antistes ipse reus agitur omnis inobedientiæ, quam in suis voluerit impedire. Novum istiusmodi Theologiæ placitum nescivit antiquitas: excogiravere primùm, & inter novæ Ecclesiæ fundamenta posuere Arnaldus & Quesnellus.

Prosequamur Obedientiæ, demissionis, reverentiæ erga Præpositos commendatæ à *Protestante*, atque ab eodem mirificè deductæ ad praxim specimina. In Clementis IX. diplomate, quo Testamentum Montense proscribitur, *Nos* [inquit Pontifex] *librum hujusmodi nonnullis Venerabilibus Fratribus nostris sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque viris pietate, doctrina, atque sapientia præstantibus, maturè, quantum rei gravitas postulat, discutiendum, atque examinandum commisimus; quorum sententiis auditis &c.*

12 Quid ad istud Quesnellus cum altero novæ Ecclesiæ capite Arnaldo? In memoratis Difficultatibus parte 6. pag. 48. *Asseri non potest absque mendacio, Testamentum Montense, antequam proscriberetur, fuisse examinatum.* Ibid. *Certissimum est Testamentum Montense, nullo fuisse discussum examine. Qualem autem librum esse oporteat, qui nullo prævio examine condemnetur? Procul dubio qui artem magicam ipsa præ se ferat fronte, suaque enunties quodammodo damnationis sententiam.*

Poteratne edici clariùs, aut Pontificem aut Cardinales, & cæteros omnes quorum se examini librum commisisse Sanctissimus testatur, *mentitos* splendidè, quando de adhibito examine testimonium tulere?

Ibidem Arnaldus & Quesnellus interrogant: *Fuitne unquam condemnatio* magis rationi contraria, quàm versionis Montensis? Libellus alius titulo *Difficultatum propositarum Episcopo Gandavensi*, prodiit paulò post, ad prioris imitationem compositus: ubi pag. 24. dicitur: *Novum Testamentum Montense, & Missale versum Gallicè, non sunt Romæ prohibita, nisi suppositionibus falsis: unde in iis legendis non credimus ullum esse movendum cuiquam Scrupulum.* Quæ porrò libri condemnatio; imò quæ lex, sive Ecclesiastica, sive civilis ratione simili eludi non poterit? Cui enim rebelli in promptu non erit allegatio falsi suppositi, cui lex, vel mandatum quodlibet tribuatur? Talibus nova Ecclesia, nomine rigida, rebus & exemplis dissolutissima instituenda fuerat documentis, ut excolans operosè culices, camelos facilè deglutiat. De Missali Romano Gallicè verso dispiciemus Propositione 86.

13 Minimè verò prætereunda est reverentia & submissio, quam erga Sedis Apostolicæ sententiam de sua novi Testamenti versione edidit Quesnellus anno 1709. Versio illa, ut supra vidimus, juncta fuerat *Observationibus moralibus*, ex quibus centum & unus Articuli Constitutione UNIGENITUS anno 1713. condemnati sunt. Quesnelliana erga illam submissio digna hæreticæ factionis principe mox spectabitur. Sed præmittere tamen voluit scurrilem Comœdiam adversùs priorem sui Operis proscriptionem. Ita schismatici agminis duci placuit, in causa maximè seria nugas agere, ut nihil sibi pietatis, religionis, fidei, nihil nisi hypocrisim & verum libertinorum superesse spiritum, omnibus persuaderet.

De-

Delibemus ejus Dialogos anni 1709.

Sic ibi pag.228. „ Miraberis, si tibi dixero, Theologum, cui examen Libri hujus Gallici commissum est, fuisse Patrem „ Castelli Italum ex Congregatione Missionariornm S. Lazari .... Amœnum „ profectò spectaculum, videre Lazaristam „ stabilitum examinatorem, Judicem, Censorem Archiepiscopi Parisiensis. Videntur Romani Comœdiam exhibere voluisse. Si Moliere viveret, opus inde componeret dignum theatro. Scena foret „ Romæ in Palatio S. Officii. Quis risum „ teneret, conspiciens in theatro bonum „ S. Lazari Presbyterum Gallicè balbutientem? Verùm res agitur nimis seria, „ quàm ut converti mereatur in risum. „ Lacrymas magis poscit talis subversio „ justitiæ, pudendus adeò Episcopalis Ordinis contemptus, & Romanorum cæcitas Ministrorum, qui se columnas Ecclesiæ existimant, neque tamen vident, quòd „ ejus subruant fundamenta, veritatem, „ erroris nomine condemnantes. Non ego „ judicium istud risui expono; ipsum se „ reddit undequaque ridiculum „. Sic antipontificius pietatisne, ac religionis Doctor, an histrio theatralis, cujus impudentiam & impietatem, citatus ab ipso Molierius exhorruisset. Pontificiam enim authoritatem ejusque Decreta nunquam ut Quesnellus in ludibria vertit.

14 Non Sic Patres Concilii Aurelianensis in Gallia anno 549. *Quas* [inquiunt] *Sectas Sedes Apostolica condemnat, similiter cum suis Authoribus & Sectatoribus execrantes anathematizamus, rectum atque Apostolicum in Christi nomine fidei ordinem prædicantes*. Patres quoque Concilii Trecensis in Gallia anno 878. *Judicium vestræ authoritatis, quod Privilegio Divi Petri, & Sedis Apostolicæ protulistis, voto, voce & unanimitate nostra persequimur*: scilicet, *quos excommunicastis, excommunicamus: quos ab Ecclesia abjecistis, abjicimus*.

Hugo Etherianus, ur refertur in Bibliotheca Patrum, anno 1157. De Processione Spiritus Sancti Libr.3. cap.10. *Æquum est* (inquit) *ratum habere quod tanta Ecclesia decernit, quod tantus Pontifex annuntiat. Qui autem primæ Sedis; imò totius Orbis Præsuli resistunt, Christi dispositioni resistunt, & nisi resipiscant, contumaciæ judicio plectentur. Quicumque Christi Naviculam spernit, incautè navigant, & nisi plumbeas moles abjiciat, insluent maria*.

15 Verùm his & innumeris istiusmodi totius antiquitatis monumentis, ac testimoniis pro Sedis Apostolicæ, ejusque Sanctionum irrefragabili authoritate ac reverentiâ, non movetur contumax Quesnelli ingenium & potestatis omnis contemptrix audacia; sed confidenter provocans Pontificem cum omnibus suis Cardinalibus, Consultoribus, Qualificatoribus, & quotquot Romana continet Ecclesia Theologis, ut, si possint, erroris quidpiam in damnato Volumine designent, in se recipit illud tam solidè vindicandum ac perspicuè, ut Romam mox ad incitas redigat, deque apertissima convincat judicii iniquitate. Ita denuntiat pagina 15. „ Quando Versionis & „ Observationum Authori, ejusque amicis, „ & protectoribus monstrati fuerint errores atque excessus, quibus scatere liber „ dicitur, confundent illi, & de calumnia „ convincent publicè adversarios, qui Pontificem circumvenerunt. „

Pag. 157. „ Quis ferat tale Decretum, „ in quo fictitiorum obtentu lapsuum, quorum ne unus quidem exprimitur, Romana Curia, Novi Testamenti versionem „ fidelem redarguit, veluti damnabilem „ Divini Codicis corruptionem; *Annotationes* autem *morales* pariter orthodoxas, „ velut errorum & hæresum impiarum congeriem. „

Pag.190. „ Satis apparet totum istud „ condemnationis negotium esse fraudulentæ conspirationis effectum ... totum „ imputandum esse nequissimis & virulentis Censoribus. „

Pag.191. „ Imò verò condemnatio ista „ opus tenebrarnm est, & consilium iniquitatis. „ Pag.196. „ Demonstratur quod „ sola ignorantia, passio, æmulatio, & „ calumnia Diabolica *Observationes* illas „ de Jansenismo & aliis potuerit accusare „ erroribus. „

Pag. 210. „ Meritò dici potest, judicium enuntiatum esse tyrannica potestate, non authoritate Canonica. „ Pagina 268. „ Mirabilis cæcutientium Censorum temeritas, qui tenebras suas anteponere præsumpserint lumini tot eruditorum, qui judicium de libro protsus oppositum tulere. „ Pag. 269. „ Non est „ nisi cæca præsumptio, aut quidpiam sceleratum ac nefarium magis, quod Censores illos ad tam iniquam, & Sacris Canonibus, atque ipsis Apostolicis Constitutionibus repugnantem sententiam valuerit instigare „

16 Spectavimus hactenus Quesnelli contra Sedem Apostolicam furias, ut ingenium ferebat hominis violentum, & fræni omnis im-

impatiens: nunc pietatem fictitiam & rabie nocentiorem hypocrisim contemplemur. Pag. 275. „ Cogimur (inquit) summo nostro mœrore conspicere authoritatem & honorem S. Sedis tam imprudenter expositam, & implicitam causæ pessimæ, insipientiâ & passione eorum, quibus Sanctissimus Dominus nimiùm fidit. Oratione supplici & affectu intimo Deum precor, ne peccatum adeò enorme [in Romano Pontifice & Romana Ecclesia] puniat quemadmodum sacrilegium Joakin Regis Juda gravissimis ulrus est suppliciis in ipso Rege, ejusque Regno & posteris. Sed vehementer metuo, ne tale Decretum, junctum pluribus istiusmodi gravem tandem accersat authoribus ultionem.

Pag. 276. „ ut ad rogos damnaretur Catalaunensis versio, opus fuit persuadere fidelibus, quod *ipsum Novi Testamenti textum exhibeat damnabiliter, nec sinè ausu temerario viriatum*. Quam atrocem esse calumniam sustineo, & Censores provoco, ut vel minimum ejus argumentum proferant. „ Complura ergo protuli Tomo 1. in Prolegomenis. cap. 16.

Pag. 279. „ Decretum tot erroribus scatet minimè tolerandis, ut numerare istud oporteat inter Decreta cassa, irrita, quorum nulla habenda sit ratio. „ Pagina 281. „ Non igitur commovere nos debet sanctio, utpote prorsus nullius roboris & effectûs. Ne quidem locus est dubio, an saltem non foret melior obedientia, quam ejus omissio. „ Pag. 283. Sanctio illa fœtus passionis est, & nullâ nititur ratione; sed instigante spiritu dominationis prodiit ex hypothesi chimericæ authoritatis absolutæ & arbitrariæ .... Crederesne te non peccaturum, obedientiâ fovente hypothesim adeò perniciosam, natam subruere & perdere omnia in Ecclesia? „ Ibidem „ Jubemur obedire cæco modo, velut mancipia, imò sicut bestiæ, quibus neque intellectus est ad discernendam justitiam, ab iniquitate, neque conscientia, quâ malum aversemur, aut ei ullatenus consentiamus.

17 Quid unquam à Luthero, Calvino, Melanchone, Kemnitio, aut quovis alio Ecclesiæ Hoste infensissimo, Sedes Apostolica experta est contra sanctiones suas acerbius, quid contumeliosius, quàm hic eructatum legimus à *Moralis Euangelicæ* Doctore, & charitatis ad actus singulos necessariæ præcone magnifico? Sic obedientia, sic demissio erga Ecclesiæ Præpositos ostentatur à potestatis omnis, quæ sub Cœlo est, contemptore notissimo. Istud à me acriùs dictum exprimit justa indignatio adversùs tot nocentissimas Novatoris, eique adhærentium fallacias, pietatis potissimùm simulationem; utinam non multis animorum millibus exitialem! Sic in abyssum schismatis & erroris pertractus fuit infelicis memoriæ Archi-Episcopus Sebastenus, qui Quesnello eique adhærentibus fuit nou solo nomine *Pater Bonifacius*: Sub Quesnelli disciplina profecerat adeò, ut tutius sibi duxerit apud publicè excommunicatum persistere, atque ab hoc sacrilego potiùs, quàm à quovis alio supremum accipere viaticum, spretis pervicaciter Nuntii Apostolici saluberrimis monitis: Unde sepulturâ Ecclesiasticâ, & suffragiis fidelium indignus à Sacra Congregatione S. Officii, sententiam confirmante Clemente XI. judicatus est.

Ista scilicet novis Theologis moralis tutior; imò unicè tuta est. Hac imbutæ ab Arnaldo, & Quesnello fuerant Moniales Portus Regii: hac instituuntur in dies ejusdem Sectæ discipuli, ut præferenda obedientiæ sit rebellio, & omnis proculcanda authoritas, ubicunque novo Euangelio visa fuerit refragari.

18 Tandem importunissima Quesnelli audacia, & quasi de Pontificis Sententia triumphus, accedentibus plurium Gallicanorum Antistitum, atque ipsius Regis Christianissimi precibus, Sedem Apostolicam impulit, ut Quesnelliani Operis, atque ex eo excerptorum centum & unius Articulorum, nova institueretur discussio, toto biennio accuratissima; cujus effectus saluberrimus fuit Constitutio UNIGENITUS memoratas feriens Propositiones tanquam „ falsas, captiosas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ & ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solùm; sed etiam in potestates seculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, necnon hæreticis & hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses, & potissimùm illas, quæ in famosis Jansenii Propositionibus, & quidem eo sensu, in quo eæ damnatæ fuerunt, acceptis continentur, manifestè innovantes respectivè. „

19 In Constitutionis quoque exordio San-

Sanctissimus Pontifex meritò conqueritur: Librum hunc „tametsi aliàs à nobis(inquit) „ damnatum ac reverà Catholicis Veritatibus pravarum doctrinarum mendacia „ multifariam permiscentem, adhuc tamen, „ tanquam ab omni errore immunem à „ pluribus haberi, Christi fidelium manibus passim obtrudi, ac nonnullorum, nova semper tentantium, consilio, & operâ studiosè nimis quaqua versum disseminari, etiam Latinè redditum ut perniciosæ institutionis contagium, si fieri possit pertranseat de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Versutis hujusmodi seductionibus, atque fallaciis creditum nobis Dominicum gregem in viam perditionis sensim abduci, summoperè doluimus; adeòque Pastoralis non minùs curæ nostræ stimulis, quàm frequentibus Orthodoxæ Fidei Zelatorum querelis; maximè verò complurium venerabilium Fratrum, præsertim Galliæ Episcoporum, Literis ac precibus excitati, glifcenti morbo, qui etiam aliquando possit in deteriora quæque proruere, validiori aliquo remedio obviàm ire decrevimus.

„ Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam providæ nostræ considerationis intuitum convertentes, perspicuè novimus summam hujusmodi libri perniciem ideo potissimum progredi, & invalescere, quòd eadem intus latcat, & veluti improba sanies, nonnisi secto ulcere foràs erumpat; cùm liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat; molliti enim sunt sermones ejus super oleum; sed ipsi sunt jacula: & quidem intento arcu ad nocendum ita parata, ut sagittent in obscuro rectos corde.

„ Nihil propterea opportunius, aut salubrius præstari à nobis posse arbitrati sumus, quàm si fallacem libri doctrinam, generatim à nobis hactenus solummodo indicatam, pluribus singillatim ex eo excerptis Propositionibus, distinctiùs & apertiùs explicaremus, atque universis Christi fidelibus noxia zizaniorum semina, è medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quasi in propatulo positis, non uno quidem, aut altero; sed plurimis gravissimisque, tum pridem damnatis, tum etiam novè adinventis erroribus, planè confidimus, benedicente Domino, fore, ut omnes tandem apertæ iam, manifestæque veritati credere compellantur. „

20 Non cessit tamen Quesnelli pertinacia; sed querelis, Protestationibus, appellationibus, satyris, libellis famosis, „ Belgium, Gallias, & regiones finitimas implevit ampliùs, pertractis etiam quo nihil accidere poterat Ecclesiæ luctuosius, in rebellionis societatem Gallis aliquot Episcopis, & Academiis. Quod autem contumaciam Protestantis apud omnes reddere debet penitùs execrandam, est, inter centum & unum Articulos Romæ tot examinibus, tanto tempore, à præcipuis variorum Ordinum Theologis examinatos, & gravibus adeò notatos censuris, ne unum quidem authoris judicio reperiri, qui prohiberi mereatur; sed in confixione omnium, Sedem Apostolicam errore prolapsam, & lucem pro tenebris eliminasse, proinde regionum omnium Episcopos & Doctores Pontifici consentientes cæcutire turpiter: ac denique doctrinam sanam & fidem Catholicam Romana atque universali Ecclesia repudiata, ad Quesnellistarum se conventiculum recepisse. Nos verò dicere pergimus eum S. Cypriano epist. 55. *esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum*: & cum optato Milevitano lib. 2. contra Parmenionem: *Negare non potes, scire te, in Urbe Roma, Petro primò Cathedram Episcopalem esse collocatam, in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ut jam schismaticus & peccator sit, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret.*

21 Resumamus modò decantatam à *Protestante*, commendatamque tantopere, ut ait, in legendo Sacro Codice demissionem, atque ingenium docile, non sibi fidens; sed auscultans majoribus, quos Divina nobis providentia concessit, fidei duces ac magistros. *Mira* [inquit] *præsumptio, qua sibi quis persuadeat posse se Scripturarum sensum privato assequi intellectu, & absque Doctorum Ecclesiæ subsidio. Deus illam modo mirabili damnare voluit præsumptionem ab ipso Ecclesiæ exordio, ad reprimendam humani elationem ingenii: Vult nempe Deus edocere homines, ministerio hominum: ideo interpretem simul & Euangelistam mittit prodigio humanis obtutibus minimè pervio.*

Et aliquantò inferiùs: *Modus proficiendi ex Sacri Codicis lectione, est, ejus petere, aut demissè quærere intelligentiam: ignorantiam suam ultrò & ingenuè confiteri: eos consulere, quos ad nostram largita est Divina bonitas institutionem.* Quæ sana procul dubio & saluberrima secundũ se, atque in ore omnis Catholici Doctoris monita sunt; sed penès

nès Quesnellũ prorsus inania & fraudulenta.

Quos enim Dei bonitas, si monitori huic credimus, pro Sacrarum Scripturarum intelligentia duces, quos magistros vulgo fidelium, constituit? Non alios, quàm Quesnellum ipsum, & cæteros Arnaldi, Sancyrani, atque Jansenii discipulos; quia juxta Articulum 95. *veritates eò devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum: adeò remotus est à simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium: neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in filios suos.* 96. *Deus permittit ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit nisi Divinæ gratiæ.* Art. 100. *Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus persequendo veritatem, ejusque discipulos! Tempus hoc advênit*; omnibus scilicet potestatibus contra veritatem ejusque prædicatores insurgentibus. Et quidem contra suppositam Quesnelli ac Sociorum ejus novaturentium veritatem conspirant cum Apostolica Sede omnes extra Galliam Episcopi, & in ipsa Gallia plures quàm centum.

22 Quo igitur sic deserta miserè veritas se recipiet? Non aliò quam ad Quesnellum, paucorumque ei suffragantium in Gallia, si fas est credere, factionem. Huc demùm se contraxerit Christi Ecclesia Catholica, seu Universalis titulo non ampliùs gloriatura. Ubi enim veritas non est, patet Ecclesiam esse non posse, testante Apostolo Ecclesiam Dei vivi esse *columnam & firmamentum veritatis*. Verùm istiusmodi accusatoribus, & quantum in ipsis est, destructoribus Ecclesiæ, respondet Augustinus Enarratione in Psal. 101. *Illa* (Ecclesia] *non est, quia tu in illa non es? Vide, ne tu ideo non sis; nam & illa erit, etsi tu non sis... Non vos filii estis, illorum mortificatorum, quorum vox compeditorum audita est a Domino: absit. Non hoc indicant facta vestra: non hoc indicat superbia vestra: non hoc indicat vanitas vestra: non sapitis, & foris estis: sal infatuatum estis; ideo & ab hominibus conculcamini. Audite quid dicat Ecclesia... mota vocibus vestris, & falsis opinionibus vestris, quærit à Deo, ut exiguitatem dierum suorum annuntiet sibi: & invenit Dominum dixisse: Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem seculi. Hic vos dicitis, de nobis dixit: nos sumus, nos erimus usque in consummationem seculi. Interrogetur ipse Christus: cui dictum est, exiguitatem dierum meorum annuntia mihi: & prædicabitur, inquit, hoc Evangelium in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis.*

23 Quesnellus quidem Euangelii sui in linguas varias translatione, & discipulorum studio, speravit illud ab omnibus avidè suscipiendum gentibus; sed non videmus hactenus, nisi in exigua parte Galliæ, & in aliquo Belgii angulo, à paucissimis approbari. Unde Quesnellistarum conventiculo minùs *Catholici* nomen congruit, quàm Lutherano, Calviniano, Ariano, Mahumetano, & similibus sectis, à vera fide, justitiâ, & salute remotissimis.

At Quesnellus omnes suos Articulos ex Scripturis colligit, & contra Pontificiam totius assensu Ecclesiæ receptissimam ubique confirmatamque Sententiam, Divinis nititur oraculis stabilire. Quando itaque *Protestatio* pro assequenda tutissima Sacri Codicis interpretatione nos mittit ad magistros fidei à Deo hominibus concessos, perspicuum est horum nomine ab authore non intelligi summum Christi Vicarium, non Sacras pro causis fidei Congregationes Romæ, authoritate Apostolica constitutas, non toto residentes orbe Antistites, aut Doctores catholicos; sed se ipsum præ omnibus, solosque suis novitatibus consentientes. Neque hos reveretur diutiùs, quàm in suis castris militare perspexerit.

Sic enim legimus in Processu contra illum juridico, seu *Causâ Quesnellianâ* Bruxellis coram Mechliniensi Archiepiscopo institutâ pag. 400. *Quod acriter invectus sit in eos, qui damnarunt quadraginta Doctores Sorbonicos, propter resolutionem famosi Casûs Conscientiæ: perfidiam objecerit iis ex quadraginta Doctoribus, qui ad saniorem mentem reversi, se Emo Cardinali de Noailles Archiepiscopo suo subjecerunt.* Et pag. 423. *Quod postquam ipsemet erga Emum Cardinalem Noaillium suum Archiepiscopum, summam professus esset venerationem, suosque libros suæ emendationi absolutè subjecisset, interim dictum Eminentissimum Dominum literis suis ad amicos scriptis, indignis modis perstrinxerit, & dum libellum, eidem Eminentissimo Domino summè injuriosum, detestari se simularet, eundem ad familiares suos scribens, summè laudaverit, tanquam moderatissimè & nervosissimè scriptum.*

Utraque citatio non est nisi titulus Articuli decimi octavi, & decimi noni multis ibi speciminibus stabilitus. Illic detestanda proditur novatoris erga suum Antistitem, plena temeritatis rebellio, ut turpis aliàs simulatio, & perniciosa hypocrisis:
Quem

Quem enim quantumlibet, velut imperitum & ineptum apud suos despiciens; blanditiis tamen & multiplici fraude in suum ante pellexerat patrocinium, postea dum novæ hæresi expertus est adversantem, mox furiis insectari cœpit: dum nempe hæreticam in Gerberonio expositionem fidei Noaillius condemnavit; dum quadraginta Sorbonicos Janseniani casus approbatores ad palinodiam compulit: dum in Quesnelliano Opere complures voluit errores corrigi; tunc, inquam, multis eum, & contumeliosissimis scriptionibus laceravit, immemor omnis debitæ, & promissæ sæpiùs obedientiæ ac venerationis. Ad rebellionem contra Archiepiscopum suum suscitavit Presbyteros & Doctores, Moniales etiam Portus-regii ut in Jansenismi gratiam Sacramentis privari annos plures, & tandem subrui funditus Monasterium maluerint, quàm sensum Jansenii hæreticum abdicare; maluit & Quesnellus ipse totâ exul Galliâ latibulum Bruxellis incolere, *paucis amicis notum, paucioribus pervium*, ut Cardinali ipse Norisio scripsit, quàm sensum Jansenii deserere, suique Ordinis, seu Congregationis, ac simul Regis Christianissimi, de amplectenda doctrina opposita, obedire mandato.

25 Quosnam autem Quesnellus jubet esse dociles, & in agnoscenda sua ignorantia semper faciles? Suosne, quos scandalosissimo pertinaciæ exemplo adversùs Ecclesiam incitat, confovet, obdurat, atque interim ubique prædicat, velut singulari præditos lumine, eruditione, pietate? Quemadmodum in multiloquio non deerit peccatum, ita neque in scriptionibus copiosis: in quibus nullibi cespitare, rarissimum gratiæ privilegium est. Quisquamne verò audiit unquam Quesnellum, Arnaldum, Vergerium, seu Sancyranum, vel alium quemlibet ex eorum Sectatoribus vel suam, vel magistri agnoscere ignorantiam, vel errorem inter tam multos à Sede Apostolica, à Galliæ Episcopis, etiam à Doctoribus Sorbonicis condemnatos?

Nihil promptius habet nova factio, quàm ut lapsus turpissimos attribuat cæteris Theologis, Episcopis, etiam Pontificibus: ipsi soli ab omnibus immunes sunt excessibus, soli ipsi Ecclesiæ Doctores securissimi. At, inquiunt, nostra authoritate nihil decernimus; sed Codicem Divinum ex Patrum Commentariis interpretamur.

Quis hæreticus sententias & explicationes Patrum non venditet? Monothelitæ in sexta Synodo actione 1. contra objectam sibi novitatis maculam, *Nos*, inquiunt, *votum novitates non edidimus; sed quidquid percepimus à Sanctis universalibus Synodis, & Sanctis probabilibus Patribus.. Sic credimus, & sic prædicamus, & docemus, & parati sumus de hoc ostendere*. Solos itaque Catholicos & simplices à se deceptos, jubet esse dociles, & credulos sibi; non Ecclesiæ, contemnens Servatoris monitum: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*.

26 Pridem Doctores observavere Catholici, nullum esse artificium dolosius, & circumveniendis simplicibus, obfirmandisque in qualibet hæresi magis idoneum spectatis præcipuè versionum præsentium, & ingeniorum circumstantiis, quàm promiscuam Sacri Codicis in vulgari idiomate lectionem. Etenim præterquamquod versiones istiusmodi studio à novatoribus ad suas hæreses accommodatæ communiter, corruptæque sint, in promptu semper habent subdoli errorum magistri, locos aliquos in Sacris paginis, quos callida interpretatio in erroris detorqueat patrocinium. Ecce, inquiunt, Scripturæ sententiis invictissimè confirmatum, de quo veluti pernicioso dogmate ab æmulis & ignorantibus accusamur. Tam autem irrefragabilis noscitur veritatis, quàm Deus ipse est, quidquid Divino Spiritu revelatum, Sacris literis continetur: proinde si nos (inquiunt) aut Angelus de cœlo aliud vobis euangelizet, traditæ à nobis doctrinæ contrarium, anathema sit.

Quo axiomate & simul qualibet imbutam hæresi mulierculam, quæ ratio, quæ authoritas convertet? Quesnellus etiam centum & unum Articulos ab Ecclesia damnatos Christianâ abolere palinodia nunquam potuit, utpote *non solitus in suis circa Scripturam Observationibus dogmata religionis attingere, nisi quousque sacer textus induceret, ac determinaret*. Ita declarat ipse, ita protestatur coram Deo & Ecclesia. Quæ ratio expeditissima ei est ad fovendam in se sibique adhærentibus pertinaciam, quidquid ab Ecclesia damnari contigerit, vel definiri.

Axioma aliud Jansenianis est tuendis contra damnationem erroribus maximè opportunum: *Ubi quis invenerit doctrinam clarè in Augustino fundatam, illam absolutè potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam*. Defenderat illud in Belgio author *Tirocinii* Bajani in Thesibus anni 1677. 8. Martii: prohibuit autem Alexander VIII. inter 31. Articulos penultimum. Sed contra Pontificis sententiam

Ar-

Arnaldus & Quesnellus resuscitant in *Difficultatibus Steyaertio propositis* parte 9. pag. 176.

27 Idem Pontificis Decretum occasio Quesnello fuit Authoritatem Sedis Apostolicæ & Romanorum omnium Congregationum summâ impudentiâ vellicandi in epistola typis edita nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*. Si autem imaginaria inventio sententiæ cujuspiam in Augustino sufficiat Jansenianis, ut non respicere eos oporteat ad ullam Pontificis Bullam, quanto magis inventio similis in Scripturis, eosdem efficiet contra omne Ecclesiæ judicium obfirmatos!

Specimen luculentum Quesnellus, suisque discipulis exemplum præstat, obstinatissimè vindicans proscriptos suos Articulos, velut in Sacro Codice fundatos. Quandonam vulgus fidelium adire poterit Patrum volumina, ut difficilium in Scripturis textuum interpretationes consulat? Proinde eos rudi suo ingenio sæpe præpostere intelligere necesse est maximè ubi novaturientis accesserit interpretatio Magistri? Hæc velut indubitata persuadebitur, ut nihil contra eam qualiscunque Ecclesiæ inposterum proficiat definitio. Ab errore minimè divellet Episcopus proprius: Quisquis enim discipulus Quesnellianis principiis initiatus est, quemadmodum flocci facere didicit quamcumque supremi judicis sententiam, etsi omnium ferè consensu Antistitum roboratam, non magis reverebitur sui Episcopi Sanctionem, quoties præconceptis suis senserit opinionibus refragari.

28 Denique Appellatio ad Concilium œcumenicum contra dogmaticam Sedis Apostolicæ Constitutionem, ab omnibus extra Gallias Ecclesiis admissam, & in ipsis Galliis à plerisque, nonne viam pandit latissimam, ut quisque quod libitum sibi circa fidem fuerit, teneat, abjiciat cætera, neque ulla ipsum coërcere valeat authoritas, donec universalis Synodus convenerit, plusquàm uno fortè seculo differenda? Interim Ecclesia, quæ hactenus à fidelibus credita fuerat Una, Sancta, Catholica, & Apostolica, novitatum quantumlibet impiarum, hæresumque colluviem in suo cogeretur tolerare sinu, & sacrilegâ fovere perpetuò communione. Imò neque ipse omnium Antistitum conventus mederi satis malo poterit; si ad definitionem legitimam requiratur, quidquid nova Secta in prætenso *veritatis Testimonio* statuit necessarium. Palàm istud à pluribus demonstratum est, neque ipse Supremus Galliæ ignorat Senatus, qui librum pestiferum propterea voluit aboleri; sed insitam Novatorum animis doctrinam evellere quis Princeps aut etiam Pontifex poterit? Nihil enim in novæ Sectæ præconibus esse demissionis, nihil reverentiæ erga quantumlibet sublimes, etiam Supremas, sive Ecclesiæ, sive seculi Potestates, ostendere cœperam in Prolegomenis tomi primi, & prosequendi occasio erit contra Articulum 96.

Propositio damnata octogesima.

Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus. *Obser. Mor. in Act. 8. v. 28.*

CAPUT I.

Error ostenditur contrarius rationi.

1 PRæsens Quesnelli proscripta enuntiatio differt à superiore, eo quòd necessitatem superior adstrueret, à qua in posteriore præscinditur. Illa necessitati circumstantias addit aggravantes *omnis loci*, *omnis temporis*, neque ad lectionem qualemcumque obligat, aut notitiam facilium solummodo, & ad mores pertinentium, sed ad studium quoque *mysteriorum*, vulgarem hominis intelligentiam superantium adstringit. Præterea prior assertio non clarè exprimit lectionem, neque omnes homines; sed *studium* duntaxat, & *omne hominum genus*, licet & *studii* nomine comprehendi communiter lectio censeatur, & sub *omni hominum genere* vulgus passim omnes homines intelligat.

Sensum hunc scribenti adversario placuisse; plures indicant circumstantiæ, quidquid is modò aliud protestari subdolè videatur. Sed & quamvis istud *Protestanti* concessero liberaliùs, ut affirmata ab eo necessitas non de singulis accipiatur hominum individuis; sed aliquibus solum ex omni genere, non propterea omnis falsitas & pernicies à Propositione abstergitur, ut luculenta contra eum disputatio demonstravit. Præsens autem assertio, etsi, ut jam monueram, in aliquibus minùs dura; effugium tamen posterius de generibus, non individuis, minime patitur, utpote manifestè nimiùm exprimens *omnes homines*: Sub quibus

bus fingula contineri individua, perspicuum est.

2 Commune autem utrique Articulo vitium est, quod de Scriptura Sacra absque ullo partium magis minusve difficilium discrimine eam pro omnibus esse enuntiet. Proinde hic similis est Quesnellus Matrifamilias insipienti, quæ liberis suis infantibus æquè ac majoribus dapes apponeret solidas etiam duriores, asserens eas esse pro omnibus. Non sic Apostolus Christianis recentiùs conversis 1. Cor. cap. 3. *Non potui*, inquit, *vobis loqui tanquam spiritualibus; sed tanquam carnalibus, tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis*. Et capite Superiorci *Sapientiam loquimur inter perfectos*.

Quemadmodum scilicet sapiens nutrix infantibus lac tribuit, atque ubi eos ablactare opportunum fuerit, initium sumit ab obsoniis levioribus, & quidem ore proprio masticatis, quæ tenellis paulatim ingerit. Sic A Lapide: „ Lac vocat Apostolus faciliorem, suaviorem, & simpliciorem doctrinam de Christi humanitate, & gratia ac redemptione, qualis convenit Catechumenis recens conversis, & adhuc carnalibus: escam, id est, solidum cibum vocat perfectiorem, robustiorem, & de altioribus mysteriis doctrinam, de Deo, & Dei spiritu & spiritualibus: de crucis sapientia, potentia, amore, de quibus cap. præcedenti. Ita Ambrosius, Theophilactus, S. Thomas, Anselmus. „

Et cap. 2. ad illud v. 6. item A Lapide *Sapientiam autem loquimur inter perfectos*, „ id est secretiora & altiora fidei mysteria, uti de resurrectione, Antichristo, reprobatione, prædestinatione: vel potiùs sapientiam, id est, profundiorem & altiorem rerum fidei explicationem; uti de modo, consilio & fine Incarnationis, passionis, & redemptionis. Ita enim hanc sapientiam Paulus explicat verbis proximè sequentibus. „ Rudibus & incultis ingeniis non desunt innumera pietatis opuscula, quæ in eorum gratiam linguis vulgaribus, ubique prodeunt, & in quibus illi divina eloquia profectui suo conducentia, securiùs edifcent, ad captum cujuslibet facilem explicata. Pro his unicam postulo conditionem, ut libellos istiusmodi non proprio judicio; minus etiam hominum suspectorum suasione suscipiant; sed eorum consilio, quos à novitatibus aversos esse, & Sedi Apostolicæ addictos, atque obedientes, constiterit. In Sacris autem Codicibus quot occurrunt sententiæ, quæ juxta verborum corticem acceptæ in sensus facilè pertrahuntur erroneos, & reipsa plurimis hæresibus hinc desumpta est occasio! Unde in Scripturarum lectione opus est discretione & prudentiâ non exiguâ, quam quis in omnibus, vel in promiscua fidelium turba reperiat?

3 Argumentum hoc pluribus deduxit pridem Ambrosius Catharinus Archiepiscopus Compsanus, in Resolutione Quæstionis approbata à Clero Gallicano, eoque jubente novis typis edita Parisiis anno 1661., cujus propterea argumentum malo verbis ejus, quàm meis reddere deductum. „ Ecce Dominus dixit: Ego dico vobis, non jurare omnino. Ex hoc quidam prohibitum penitùs omne jusjurandum contenderunt: nam hoc ipsum videbatur litera ipsa porrigere: quos tamen falsos esse, jam nemo Catholicus dubitat.

„ Dixit autem Dominus: *Oportet semper orare*. Hinc Euchytarum exorta est hæresis, qui sinè ulla intermissione nocte & die volebant continuas haberi orationes... Quocirca non semper ad literam sunt intelligendæ Scripturæ; sed opus est à Sanctorum exemplis, & ab Ecclesiæ usu, majorumque traditionibus, & à Sactorum Doctorum concordi interpretatione veros sensus elicere, & non ab iis, qui semetipsos ab Ecclesia segregarunt.

„ Sparsi sunt & in Scripturis tropi quidam & figuræ: & alii quidem communes; alii verò sacrorum eloquiorum proprii. Hi alium sensum reddunt, quàm patiatur prima vocum significatio. Illos verò discernere non est profectò omnium; sed ad eruditorum omnino spectat, non ad idiotarum judicium: quos tropos nec facilè lingua communis potest reddere; cum quælibet lingua suos habeat proprios, quâ gratiosè exprimantur; qui si in aliam linguam transferantur, ineptè admodum dicerentur.

„ Mitto (inquit) metaphoras, parabolas, & ænigmata, ad quæ intelligenda requiruntur præstantia ingenia, & ea quidem multa lectione, exercitio, atque acumine expolita. Quot passim occurrunt, quæ prima facie videntur invicem pugnare, ut necessariò ad sui conciliationem legitimis distinctionibus egeant, quas qui non habet in promptu, facilè decipitur, & in hæresim præceps ruit! B. Paulus dixit: *Circumcisio quidem prodest, si legem observes*. Ex his verbis inferet mox aliquis: Ecce probat Apostolus circumcisionem,

„ sionem, & legem Moysis, etiam post Christum: & tamen alibi tam severè Circumcisionem prohibet dicens: *Si circumcidamini, Christus nihil vobis prodest*: & de lege: *Translato Sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat*.

4 „ Alicubi ait: *Gentes naturâ facere quæ legis sunt*. Unde Pelagianus accepit pro se testimonium. Alibi verò & passim naturæ vires omnino prosternit. Alio loco docet. *Factores Legis justificari apud Deum*: alibi verò: *Ex operibus Legis non justificabitur omnis caro coram illo*. Alibi ex fide absque operibus venire justificationem asserit. Alibi verò & passim requirit opera. Et B. Jacobus ait: *Vide homo inanis! quòd ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm*. Alicubi dicere videtur, homines, etiam renatos habere peccatum. Alibi verò veluti hoc abominans ait: *Si quærentes justificari in Christo inventi sumus & ipsi peccatores, nunquid Christus peccati minister est? Absit*. Alicubi suam infelicem conditionem ob id deplorare videtur, quod per concupiscentiam captivabatur in lege peccati, ut prima facie videtur de se ipso pronuntiare. Alibi verò de se ait: *Nihil mihi conscius sum*; & ea passim de se prædicat, quæ captivitatem illam secum nequaquam ferunt.

„ Alicubi omnem delectum ciborum, & afflictionem carnis damnare videtur, dum ait: *Non est regnum Dei esca & potus*: & *omnia munda mundis*: *& nihil rejiciendum quod cùm gratiarum actione percipitur*: Cùm tamen alibi, & se castigare corpus suum, & jejuniis & vigiliis multis illud macerare confiteatur. Alicubi omnem ritum, & cæremonias, & observationes festorum, & dierum videtur explodere: unde hæretici in Ecclesiam blasphemant; cùm tamen Patrum & Apostolorum antiquissimæ traditiones secùs probent: & Apostolus ipse observaverat Pentecosten. Videtur etiam in antiqui & novi Testamenti Scripturis omnino cultus imaginum prohiberi, ut in Decalogo, & Discipulus ille dilectus inquit: *Custodite vos à simulachris*. Quis autem, nisi arrogantissimus hæreticus, velit contra Spiritum Dei certare, qui voce Sanctorum Patrum anathema detractoribus imaginum pronuntiavit?

„ Quod autem scribit B. Paulus de odio Dei in Esau, antequam quidquam mali ageret, & figuli exemplum affert, qui suo mero arbitrio vasa fingit, alia quidem in honorem; alia verò in contumeliam, quasi talis sit erga homines Deus, quem pium Lectorem non remoretur, non exagitet; cùm alibi passim proprio peccato reprobationem cujusque & damnationem adscribat: & manifestè in arbitrio ponat hominis, si velit se emendare à vitiis, ut fiat vas in honorem sanctificatum, & utile Domino?

5 „ Possem his alia multa adjungere, quæ magnum certè volumen conficerent, si vellem cuncta Scripturæ loca citare, ubi cum omni peritia linguarum olim offenderunt hæretici, & nunc etiam offendunt. Nullum est enim tam fœdum, tamque insanum dogma, cui Scripturæ non videantur alicubi adstipulari. An non Valentinus, Arius, Nestorius, Macedonius, Manichæus, Donatus, Pelagius & alii hæresiarchæ, inniti se Scripturis, præseferebant? Imò verò nonne hæretici nostri temporis ad tuenda sua impia dogmata, Scripturas solas nobis obtrudunt?

„ Non ergo hæ versiones illud auferent periculum grande, quod à malo Scripturarum sensu incurritur, etiam notâ vocabulorum significatione: quo periculo præcipuè vulgus involvitur, & scientiarum ignari, qui frequentiùs atque libentiùs illum sensum probant, qui placet carni & mundo. Hoc artificio Lutherus ab initio edoctus à Diabolo, disputationes suas linguâ maternâ sparsit in vulgus, & cœpit adulari laicis, & idiotis, blandiens & laudans eos, quod doctiores essent iis, qui Theologi habebantur, quos jam cœperat contemnere. Tunc quo vehementiùs eis gratificaretur, cœpit vertere in linguam patriam Scripturas & Missam. Quantum autem illa Scripturarum versio profecerit, testes sunt plurimæ hæreses, quas multis plebibus pessima interpretatione persuasit. „

Hactenus ibi Illustrissimus Catharinus, qui ultimam istam argumenti partem exorsus paulò ante fuerat, nomine fructuum ex versionum vulgarium promiscua lectione hactenus profectorum. „ Satis enim apparet, quid hæ versiones Germaniæ profuerint. Non quasi ullum sit in Scripturis vitium: quia sunt sanctissimæ; sed ob vitium & temeritatem legentium, qui non sunt apti ad veros Scripturæ sensus eliciendos. Quo fit ut magnopere mirer eorum prudentiam (minimè prudentem) qui tantæ nationis exemplo, & gravissi-

mâ

„ mâ ob oculos positâ jacturâ non moven-„ tur, nec discunt alieno malo sapere. Ve-„ rùm magnas vires habet rerum novarum „ cupiditas. „

6 Catharino consentit Petrus à Soto etiam ex Ordine Prædicatorum, qui Tridentino Cōcilio interfuit, ubi & mortuus est anno 1563. Is in defensione catholicæ confessionis &c. cap. 23. jussu Cleri Gallicani iterum edito anno 1661. ait „ Res ipsa „ apertè docuit, non esse omnium Scriptu-„ ras legere, & illud etiam patuit, in quot „ morbos incidant infirmi, cùm cibos ro-„ bustorum avidiùs sumunt, quàm tempe-„ rantiùs. Id certum est nullos in hac re „ diligentiores fuisse, quàm hæreticos: alii „ transtulerunt, alii exegerunt, & avidissi-„ mè quidem & frequentissimè legunt. Sed „ quo fructu? Persuadent sibi non minimo. „ Unum ego manifestissimum video i facti „ sunt censores omnium & contemptores: „ & quod manifestissimum est in hæreticis „ omnibus, irrisores totius simplicitatis „ Ecclesiæ. „

Pergamus in argumentis Archiepiscopi Compsani. „ Ad principalem (inquit) ar-„ ticulum rediens, non commemorabo va-„ ria loca, quæ passim in antiquis Scriptu-„ ris leguntur, ubi si solùm literam consi-„ deres, nihil facere ad ædificationem di-„ xeris. Quare consultò prætermittam ad „ hoc probandum exempla, ne fortè scan-„ dalizentur infirmi. Illud exploratum est, „ atque compertum doctis, ubi maximè vi-„ dentur insulsa quædam, & incondita di-„ cere, ibi potissimum latere mysteria, quæ „ profanum vulgus non caperet: & beatus „ qui non scandalizatur in eis, sicut accidit „ in Carne Christi mortali.

7 „ Est denique & quarta consideratio „ pro hac veritate, quod Ecclesia Dei est „ velut corpus quoddam organicum, quem-„ admodum sæpenumero, nec abs re desi-„ gnat Apostolus. Plura igitur sunt hujus „ corporis membra, & quædam nobiliora „ ac fortiora; quædam verò infirmiora ac „ ignobiliora; ita tamen aptata, ut alterum „ alteri, ubi opus est, subveniat. Vult er-„ go sapientiæ spiritus in hoc opere esse „ Prophetas, vult esse Doctores, & cæte-„ rarum functionum præfectos. Nunquid „ omnes Prophetæ, aut omnes Doctores, „ & sic de singulis ministeriis? Nequa-„ quam. Si igitur sunt Doctores, est ergo „ aliquid quod doceant, & oportet etiam „ esse qui audiant & discant. Quod do-„ cent, est Dei voluntas, ac Testamentum „ in quo continentur, quæ credenda, quæ „ facienda, & quæ tandem speranda sunt; „ si crediderimus & fecerimus. Eos ergo „ in Ecclesia esse oportet, qui à Doctoribus „ discant: & hi sunt laici, idiotæ, & secu-„ lares, qui in mundi negotiis, & curis „ versantur, quos diversis artibus oportet „ sibi vitam comparare: quapropter ne-„ queunt incumbere artibus liberalibus „ & scientiis sive voluntate, & electione, „ sive ingenii crassitudine, sive faculta-„ tum tenuitate impediti: Multò ergo mi-„ nùs sacris literis, quæ citra comparatio-„ nem longè majoris sunt difficultatis ad „ intelligendum sanè, & circa quas aber-„ rare periculosissimum est.

„ In horum numero seponendæ sunt & „ mulieres matresfamilias, quæ abundè „ curis domesticis occupantur, quarum „ non est vacare Scripturis & sensa illarum „ perscrutari. B. Paulus has prohibet in „ Ecclesia loqui: jubens ut tantummodo „ audiant, & domi à viris discant. Non „ dixit legere, ac meditari: quod fuisset „ ei promptius dicere; si etiam conducibi-„ lius id æstimasset. Unde & nunquam hor-„ tatur vulgus ad legendum Scripturas; „ sed eos tantùm ad quos ex professione „ attinebat: & hoc est quod jure ac meritò „ Hieronymus desiderat in epistola ad Pau-„ linum, quæ non abs re, nec absque Spi-„ ritus Sancti inspiratione, in fronte sacro-„ rum librorum præscribitur, ut homines „ hunc abusum agnoscant, qui hæretico-„ rum operâ, & à curiositate hominum „ etiam tunc vigebat, ut omnes vellent „ esse sacrarum literarum Magistri & Cen-„ sores. „

CAPUT II.

Error convincitur authoritate & praxi Ecclesiæ, potissimùm Gallicanæ.

1 Citatus hactenus Catharinus adversariis opposuit ante omnia præjudicium „ Et istud (inquit) apud „ me valet plurimum, quod qui partem „ (contrariam) fovent, omnes ferè sint hæ-„ retici, aut de hæresi suspecti: imò hujus „ facti auctores pestiferi hæresiarchæ, nem-„ pe Lutherus, & alii ejus vel sectatores, „ vel æmulatores; qui autem contra sen-„ serunt & scripserunt, sunt insigniter Ca-„ tholici, & quorum magna laus est in Ec-„ clesia.

Sufficere Catholicis deberent præter variorum statuta Conciliorum longo usu, & effectibus saluberrimis ubique probatissima,

ma, Regulæ Indicis Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ jussu compositæ, atque omnium deinceps Romanorum Pontificum authoritate confirmatæ. Inter eas quarta est: *Cùm experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sinè discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem, detrimenti, quàm utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur; ut cum consilio Parochi, vel Confessarii, Bibliorum à Catholicis versorum, lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum; sed fidei atque pietatis augmentum capere posse: quam facultatem in scripto habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere, seu habere præsumpserit, nisi priùs Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit.*

Hanc Regulam servari omnino jussit S. Carolus cum suo Mediolanensi Concilio Constitutione 1. Celebris est Canon 11. Concilii Tolosani anno 1228. habiti contra Albigenses: *Prohibemus etiam, ne libros novi & veteris Testamenti laicis permittatur habere; nisi forte Psalterium, sive Breviarium pro Divinis Officiis; sed ne præmissos libros habeant in vulgari translatos arctissimè prohibemus.* Similia fuere statuta à Conciliis Narbonensi, Burdigalensi, Biruricensi: in Belgio quoque à Mechliniensi & Cameracensi: Diœcesanis pariter Iprensi, Gandavensi, Namurcensi, Brugensi, etiam Leodiensi.

2 Notissima est censura Sorbonica anni 1527. 17. Decembris in 32. titulos partita adversùs Propositiones Erasmi. Ubi titulus 12. est de *Traductione Sanctarum Scripturarum in linguam vulgarem*. Censuras integras retuli contra superiorem Quesnelli Articulum cap. 3. Hic tantum repeto Propositiones Erasmi, quas patet octogesimo Quesnelliano dogmati ad amussim congruere. Propositio Erasmi prima est: *Sacras literas cupiam in omnes verti linguas*: quod & Quesnellum cupere necesse est, si *lectio Sacræ Scripturæ sit pro omnibus*; non enim omnes legere possunt ut intelligant, idiomate latino, quod ignorant, ut plurimis lingua omnis præterquam propria & vernacula, ignota est. Propositio Erasmi secunda: *Exclamant indignum facinus si mulier, vel coriarius loquatur de sacris literis.*

Quis mulieres, coriarios, &, si quid aliud genus hominum magis imperitum est, coercebit ab ineptis, aut periculosis discursibus circa divina eloquia, postquam eorum lectio omnibus commendata est? Propositio Erasmi tertia: *Me authore sacros libros leget Agricola, leget faber, leget latomus*: paucioribus totum complectitur Quesnellus: *Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.* Quarta Erasmi enuntiatio: *Neque Ezechielis Prophetæ, neque Cantici Canticorum, aut cujusquam librorum veteris Testamenti lectionem ulli hominum interdico*: neque interdicit, sed permittit illimitata Quesnelli assertio lectionem *Scripturæ*, non partis tantummodo; sed integræ, & *omnibus*, nemine excepto.

3 Censuram contra hos Erasmi Articulos latam, præcesserat biennio alia ejusdem clarissimæ Academiæ, & quidem *post maturam omnium Magistrorum deliberationem*, data *unanimi consensu*, qua dicitur, *neque expediens esse, neque utile Reipublicæ Christianæ; imò visâ hujus temporis conditione, potiùs perniciosum, non solùm illam translationem horarum; sed etiam alias translationes Bibliæ, aut partium ejus, prout jam passim fieri videntur, admitti, & quod illæ, quæ jam emissæ sunt, supprimi magis deberent, quàm tolerari.* Quæ sententia ad Senatum Regium delata, atque ab eodem confirmata, suis inscripta est tabulis anno 1525. die 5. Februarii. Dignum quoque notatu est, quod ibi Facultas Theologica testetur, se *insequi conclusiones dudum super hac re per ipsam factas.*

4 Eodem anno Senatus Regius Parisiis die 28. Augusti Decretum edidit, quod sequitur. „ Quandoquidem multi legen„do Sacros Codices, in linguam Gallicam „ translatos, variarum sunt artifices hære„sum, celebrant conventicula, disputant „ & quæstiones agitant de fide Catholica: „ contemnunt præcepta Dei, & Ministros „ Ecclesiæ, irrident communem praxim „ fidelium, circa Sacramenta, Conciones, „ & Ecclesiasticum officium graves disse„minant errores: unde proveniunt, & „ provenire amplius possent plura mala & „ scandala in hoc Regno, ad quæ impe„dienda Senatus statuit, ut Regis & ejus„dem Senatus nomine, quicumque libros „ habent Canticorum, Psalmorum, Apo„calypseos, Euangelia, S. Pauli Epistolas, „ & alios seu novi, seu veteris Testamenti „ codices recenter Gallicè conversos, & „ typis editos, abdicent à se, & deferant „ intra octiduum à præsentis promulgatio„ne Decreti. „ Ita Regius Parisiis Senatus.

5 Anno 1548. gliscente in Galliis hæresi Lutherana, cui Calviniana prævalens cum vicinis novitatibus successit, censuere viri

viri scientiâ & zelo religionis præditi, non facilè sistendam hanc animarum luem, nisi versio, & lectio scripturarum Gallica, quæ apud multos invaluerat, fortiore sisteretur remedio. Pro eo, ut contra superiorem Articulum vidimus, totis viribus certavit Spiritus Rorerus ex S. Dominici familia Tolosanus Inquisitor, Tractatu perutili, quem Henrico Secundo dicavit, ut eum, contra solicitationes complurium Aulicorum, Novatoribus faventium, præmuniret. Quæ lucubratio cùm à Clero Gallicano adoptata fuerit, & iterum typis Parisiis ejusdem Cleri jussu edita anno 1661., meretur à nobis cum laude sæpius, ubi res tulerit, allegari.

6 Anno 1577. cùm in Galliis res essent turbatissimæ, quidam Parisiis Typographi hac usi occasione obtulere libellum supplicem Regi, ut facultatem faceret Biblia Gallico idiomate imprimendi. Ut ea potestas faciliùs obtineretur, propositum Senatui fuit, ut translatio nova fieret à viris doctrina præstantibus correctissima. Cùm autem res ea ad judicium maximè Ecclesiasticum pertineret, Illustrissimus Petrus de Gondy Parisiensium Antistes, postea Cardinalis, suo illam arbitrio statuit definiendam, utque in ea, quemadmodum momenti gravitas postulabat, securiùs procederet, & declinaret obtrectantium invidiam, die 17. Novembris convocavit Doctorum multitudinem non exiguam, quorum Sententiam exploraret.

Insistentes isti Majorum suorum vestigiis concluserunt, Sacri Codicis translationem vernaculam minimè esse permittendam. Discursum de hoc doctissimum anno sequenti, videlicet 1578. edidit Mauritius Poncetus ex Ordine S. Benedicti Parochus Parisiensis, propter plura contra libertinos & hæreticos egregiè scripta, multorum elogiis celebratus. Opusculum hoc dicavit Præsidi Senatûs, cui in nuncupatoria epistola significans se scribere juxta facultatis Theologicæ censuram, *Non solùm* (inquit) *ut eam pluribus reddam rationibus comprobatam, sed ut meorum etiam reverear Sententiam Majorum. Sicut enim ex Basilio discimus lib. de Spiritu Sancto cap. 29. Persuasiva sunt veterum dogmata, in antiquitate, velut canitie quadam, reverendum quiddam habentia.* Unicè author desiderat atque à Deo petit aversionem hominum à legendis, & vertendis Sacris Codicibus vernaculè. *Quod* [inquit] *si consecutus fuero, insignem potero promittere victoriam pro amplificanda Dei Ecclesia, aliàs non modicè agitata novatu-rientium, & curiosorum pro istiusmodi versionibus contentione: quibus responderi oportuit: Nescitis quid petatis. A pluribus autem abstineo argumentis, ne accendere magis videar animos adversariorum, & agere quod ait Terentius in Andria: Si non insanit satis sua sponte, instiga.*

7 Anno 1650. die 2. Septembr. Jo: Franciscus de Gondy Archiepiscopus Parisiensis Decreto publico *prohibuit laicis universis lectionem Sacri Codicis in lingua vulgari, qualiscumque foret editio, nisi legendi facultate priùs obtenta à se, vel Vicario, vel pœnitentiæ præfecto, vel saltem parocho proprio.*

Anno 1651. Dominus le Maire Concionator Regius librum composuit hoc titulo: *Sanctuarium profanis clausum, seu Biblia vulgaribus prohibita.* Ubi author ante alia Operis sui firmamenta initio collocat memoratum Archiepiscopi Decretum, *cum ipsius Illustrissimi approbatione post quam lecta, & examinata à Doctoribus lucubratio fuit.*

Anno 1661. die 7. Januarii *Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, & alii Ecclesiastici viri in Comitiis generalibus Cleri Gallicani Parisiis congregati, præside Archiepiscopo Rothomagensi,* epistolam scribentes Alexandro VII. Summo Pontifici, occasione Missalis Romani Gallicè editi, de versione simili Sacræ Scripturæ, & lectione promiscua tanquam *plurium errorum causa, ac Seminario,* non minùs justè, quàm graviter conquerunrur. Verba epistolæ descripsi contra Superiorem Articulum cap. 2.

Denique Clerus ille Christianissimus non potuit luculentius promere argumentum sui zeli contra promiscuam Sacri Codicis vulgari idiomate lectionem, quàm studiosissimè colligendo quidquid ferè contra eam reperire potuit documentorum, suisque, ac Regiis typis donando iterum anno 1661. ubi fini tractatuum hanc subjicit monitionem: *Sunt, & alii authores haud exigui nominis & meriti, qui in hoc argumento eruditè, imò & copiosè versati sunt, quales fuere Fridericus Staphylus Osnaburgensis Ferdinando I. Cæsari à Consiliis in Apologia adversus Smidelinum: Sixtus Senensis Bibliotheca Sancta lib. 6. Annotatione 152. Nicolaus Serrarius in Prolegomenis Biblicis: Loricbius in Thesauro: V. Scriptura Sacra num. 12. Jacobus Cardinalis Perronius in responsione ad Jacobum magnæ Britanniæ Regem: nonnullique alii, quorum fragmenta describere superfluum duximus; cùm illi postremo loco reperti, iisdem penè rationibus, & authoritatibus quibus præcedentes, adversùs praxim istam,*

ab

ab Ecclesia rejectam pugnent, uobisque sufficiat digitum ad fontes intendisse, indicatis eorum nominibus.

Ex quibus pateat fuisse semper communem, & unanimem Orthodoxorum omnium sensum, ac usum, Divinos libros, ac Officia Ecclesiastica, vernaculo idiomate, neutiquam reddendi; utpote Christianæ Reipublicæ damnosum, ac rudibus, & imperitis scandali occasionem præbens.

8 Prætereo hic Cardinales Bellarminum, & Hosium Concilio Tridentino authoritate Sedis Apostolicæ præsidentem: utrumque Cardinali Perronio junctum dedi contra superiorem Articulum cap.6. Joannem Gersonem Academiæ Parisiensis Cancellarium cap.3. Petrum Lizetium supremi aliàs Senatûs Principem cap.4. Hic nobis contra Gallum adversarium, totius Christiani orbis, præterquam paucorum Galliæ Antistitum judicio condemnatum, sufficit ipsius Gallicani Cleri testimonium, tot iteratis actibus confirmatum, quo *pateat fuisse semper communem, & unanimem Orthodoxorum omnium sensum, ac usum, Divinos libros, ac Officia Ecclesiastica vernaculo idiomate neutiquam reddendi, utpote Reipublicæ Christianæ damnosum, ac rudibus, & imperitis scandali occasionem præbens.*

Proinde lectio Scripturæ non est pro omnibus, cùm non omnes idioma calleant Latinum, Græcum, vel Hebraicum. Italiam, Hispaniam, Lusitaniam alienas esse à Scripturarum lectione vernacula, satis constat. Polonia, & Germania malo suo didicere, quantam ea lectio perniciem, in imperita potissimùm plebe, & ineptis mulieribus progignere soleat. De Belgio Austriaco testari possum me spatio vitæ longè maximo in eo educatum, nunquam in ullius laici manibus, vel ædibus Sacras Scripturas Germanico, vel Belgico, vel Gallico idiomate deprehendisse; etsi nobilibus quibusdam fœminis, & Monialibus obtrusas fuisse à novatoribus Gallicas, sæpius intellexi.

9 Memini adfuisse me, cùm è Clero presbyter ex militis uxore, sive imprudenter, sive nequiter quæreret, an non legeret Scripturam Sacram, qua interrogatione mulier, aliàs modestissima, subitò exhorrescens, Qualis, inquit, tibi videor? Num Lutherana, aut Calviniana? Catholicis, quæ Dei benignitas est, sum nata parentibus, catholica semper vixi, & moriar. Obmutuit improvidus interrogator, ne fortè si novitatis se proderet defensorem, ab ipsa jam irritata muliere vapularet, acriùs à cæteris irridendus. Reverà contumeliam sapit apud nos, mulieris *Biblicæ* appellatio, *Bybel-suster*, quæ malesanis solummodo Lutheri, & Calvini Sectatricibus censetur convenire. Non magis ea in usu lectio est vulgaribus viris. Patritii passim, & Nobiles Latino satis idiomate instructi sunt, ut si Scripturæ lectio allubescit, ad vernaculas versiones recurrere opus non habeant. In Gallia verò locis pluribus ita invaluisse dicitur vulgaris Scripturarum lectio, ut de ea impedienda Episcopi desperent.

Callido nempe consilio novatores tot versiones Gallicas, tantâ styli elegantiâ, tot conquisitis undique ornamentis, & illecebris; etiam *Observationum Moralium*, subintroduxerunt: tam multis insinuavere domibus exemplaria, ut ea evellere impossibile Pastoribus, & Confessariis censeatur; certè tot obnoxium lamentis, murmurationibus, fortè & seditionibus, ut minus malum gravioris formidine tolerandum pluribus videatur. An rectè, postmodum disputabitur.

CAPUT III.

Respondetur objectionibus desumptis ex Scriptura Sacra.

1 Act. cap.8. „ Et ecce vir Æthiops „ Eunuchus potens Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat super „ omnes gazas ejus, venerat adorare in Jerusalem: & revertebatur sedens super „ currum suum, legensque Isaiam Prophetam. Dixit autem Spiritus Philippo: accede, & adjunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus, audivit eum „ legentem Isaiam Prophetam, & dixit: „ putasne intelligis, quæ legis? Qui ait, „ quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?

Hic locus est, quem illustrare debuit ista Quesnelli Observatio: *Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus*; imò, ut Observatorem hunc mirabilem, semel pro semper *Protestantem*, aliàs exhibui, Sacra hæc historia ad Observationem istam Quesnellum impulit; *Non* enim *soleo*, inquit, *Sacris textibus observationes addere de religione, nisi quousque verba ipsa me inducunt, atque determinant*. Pergit itaque hic author, non minùs mirificus semper Dialecticus videri, quàm peregrinus Theologus, ex antecedente singulari, & individuo conclusionem eliciens generalem: ex eo scilicet quod Eunuchus ille Isaiæ legerit Prophetiam, quis non videat [inquit Quesnellus] sequi legitimè

timè, *lectio* igitur *Sacra Scriptura est pro omnibus*.

2 Qualis autem Eunuchus Æthiops fuit, ut ab eo ad cæteros omnes, veluti paris indubiè rationis, profluat argumentum? In sacro textu describitur super omnes gazas sive thesauros Candacis Reginæ Præpositus, proinde Princeps industrius, & sagacis ingenii, vir religiosus, & minimè temerarius, utpote qui relictâ Aulâ, ex Æthiopia Hierosolymam veneral, ut adoraret Dominum. Sic de eo S. Hieronymus epist.103. ad Paulinum: „ Reliquit Aulam „ regiam, & tantus amator legis, divinæ„ que scientiæ fuit, ut etiam in vehiculo „ Sacras literas legeret. Ibid. Nec Sanctior „ sum hoc Eunucho, nec studiosior, qui &c. „ Ignorabat eum, quem in libro nesciens „ venerabatur. Venit Philippus: ostendit „ ei Jesum, qui clausus latebat in litera... „ ut intelligeres te in Scripturis Sanctis, „ sinè prævio, & monstrante non posse in„ gredi.

Dispiciat itaque lector, an idoneum fuerit exemplum Eunuchi, ut ab eo deduceretur conclusio ad omnes homines, etiam bardos, rusticos, levissimos, ac penitùs ineptos; an talis *Scripturarum ars sit, quam omnes sibi passim vendicare* meritò valcant, ut nempe juxta Hieronymi querelam, *garrula anus, delirus senex, Sophista verbosus* interpretationibus illas malesanis *laceret, docens antequam discat*.

3 Non plus sani judicii continet objectio de Timotheo, cui scribit Apostolus Epist.2. cap. 3. *Ab infantia Sacras literas nosti*: in quo subdolè Collator sistit, obscuritatis studio potiùs, quàm brevitatis. Qui in prolixis adeò Patrum mox describendis textibus copiosus est, cur in unico Pauli versu tam parcus, ut partem mediam rescindat? Sic nempe ait Apostolus: *Ab infantia Sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu*. Ab infantia Sacras literas nosti non quaslibet, neque indefinitè, ut Quesnelli Articulus, nullo addito restrictionis indicio, lectionem cujuslibet Scripturæ Sacræ committit omnibus. Judæi enim, ut observat Gregorius Nazianzenus Oratione 1. Apologetica, *legem tulerant rectam, & laude dignam, quâ non cuivis ætati quivis Scripturæ liber concedebatur; nam ne quidem utilius esset, quandoquidem nec tota statim à quolibet percipi possit*.

4 Versiculus autem Apostoli eas exprimit, Sacras literas, ætati teneræ convenientes, accedente præcipuè piæ matris instructione; sed magis Spiritus Sancti gratiâ singulari, Timotheum ad magna, etiam juvenem destinantis. Sic A Lapide in Argumento primæ ad Timotheum epistolæ: „ Timotheus ob egregias animi dotes „ adhuc adolescens, à Paulo creatus fuit „ primus Ephesi Episcopus, imò Archie„ piscopus; jubet enim illi Apostolus, ut „ per alias urbes Episcopos constituat, & „ ordinet, quod est Archiepiscopi. Erat „ enim Timotheus, licèt patre Græco, & „ gentili natus; à matre tamen Judæa, „ & Christiana in Christi fide educatus, „ idcoque probæ indolis, & à puero in „ Sacris literis eruditus, zelosus pro fide, „ pro qua & martyr Ephesi occubuit · fuit „ & virgo per omnem vitam.

Didicit istud præclarus interpres ex S. Ignatii Martyris epistola ad Philadelphenses, Timotheum inter viros Sanctissimos referentis: *Utinam* [inquit] *fruar vestra Sanctitate, sicut Elia, sicut Jesu Nave, sicut Melchisedech, Elisei, Jeremiæ, Joannis Baptistæ, dilecti illius Discipuli, sicut Timothei, Titi, Evodii, Clementis, qui in castitate de vita exierunt*. Puer itaque tam Sanctus, ad tam sublimia destinatus, ut in ipsa crearetur adolescentia Archiepiscopus, dein ab ipso Christo Apoc. cap.2. vocatus *Angelus Ephesi*, meritò dispositus ad tam magna fuit studio Divini Codicis.

Sic ipse Plato lib.6. de legibus: *Assero eos, qui præstantes viri in aliquo evasuri sunt, ab ineunte statim pueritia oportere ad ipsum, tam ludendo, quam studendo in singulis ei negotio convenientibus meditari*. Quæ proinde iterum argumenti species est, nisi stolidissima, à Timotheo electo è millibus, consecutionem deducere ad omnes homines? Lectio Scripturæ Sacræ, singulari ingenio, educationi, gratiæ, Sanctitati Timothei fuit accommodatissima, etiam ab infantia: ergo sic est omnibus prorsus hominibus.

5 Non minùs inepta est objectio, quæ sequitur: Coloss. cap. 4. ait Apostolus: *Cùm lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite, ut & in Laodicensium Ecclesia legatur*. 1. Thessal. cap.5. *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus Sanctis fratribus*. Non jubet omnes sibi descriptum habere exemplar epistolæ, ut privatim à singulis legatur; sed in Ecclesia legi vult publicè ab Ecclesiæ Ministris, & Doctoribus, qui, si quid rudibus captu difficile appareret, simul valeant interpretari. Sic etiam hoc tempore Euangelia, & Epistolæ leguntur in Missa publicè,& in concionibus atque lectionibus, sive, ut in Belgio dicitur, *Collatio-*

lationibus, ad intelligentiam, & fructum omnium explicantur. Ita fieri jubet Concilium Tridentinum sess.24 cap.4. & circa Missæ Sacrificium (quod non minima sui parte ex sacris literis componitur) sess.22. cap.8. Privatim autem teri manibus omnium epistolas suas neque Paulus voluit, neque Petrus, qui epistolæ 2. cap.3. de Paulinis ait: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.*

6 Plurimum præsidii, sed irriti, videtur Collator ponere in eo quod præ cæteris intorquet ex epist. ad Rom. cap.15. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus.* Ita quæcumque condita à Deo sunt inter ea præcipuè, quæ nostris subduntur conspectibus, rectissimè dicas humanis usibus deservire, eumque finem, licèt neque unicum, neque præcipuum, Numini placuisse. Omnes cibi hominibus utiles sunt; sed non singuli omnibus: aliquibus prosunt crudi, qui nisi coquantur, pluribus noxii erunt, neque vires corpori adferent; sed morbos, præsertim infantibus, & quibus infirmior stomachus est. Medicinæ pluribus salutiferæ, aliis pariunt interitum, præsertim, si committantur imprudentium hominum dispositioni. Arma usûs sunt optimi ad defendendam patriam, religionem, justitiam, vitam propriam; Quid tamen iis nocentius in manibus amentium, vel malevolorum? Quapropter cum Eminentiss. Bellarmino lib.2. de Verbo Dei cap. 16. respondeo: Illud Scripturæ testimonium sententiæ nostræ nullo modo officere. Fatemur enim Scripturas Sacras magnam adferre fidelibus consolationem, ut Romanos cap.15. (Apostolus) monet; sed doctis quidem dum leguntur, indoctis autem dum à Concionatoribus explicantur. Ideoque ex Apostoli verbis nullo modo sequitur, lectionem Sacræ Scripturæ esse pro omnibus. Citato Bellarmini Capite, ut titulus indicat, *solvuntur objectiones hæreticorum*: & quidem præsens tribuitur Brentio.

7 Sed neque insolitum, neque rarum est, Constitutionis *Unigenitus* adversarios cum hæreticis convenire in seligendis scripturarum, & Patrum textibus. Quibus enim eadem doctrina est, cur inter se differant argumentis? Hæretici illa ab adversariis nostris, utpote recentioribus, mutuari non poterant: an verò recentiores isti à prioribus haud acceperint nescio: Quid quid sit, author epistolæ anno 1714. typis editæ Parisiis authoritate publicâ, exprobrat Compilatoribus Hexaplorum, quod ex ingenti citationum multitudine, quæ in Decumano isto volumine, tum è Scripturis, tum è Patribus magno ambitu ostentatur, paucissimæ sint, quas non antea, velut suis suffragantes erroribus hæretici produxerunt. Porrò istud à se non temerè jactari, in se recipit demonstrandum, si ab adversariis provocatur: interim (inquit pag.7.) lectoe specimen accipe circa duos Articulos, præsentem videlicet, & superiorem. Neque plurium citationibus hæreticorum molestiam tibi aut tædium creabo: unicum assumo Danielem Chamierum inter Calvini discipulos celebrem. En parallelum. Epist.1. ad Thessal. cap.5. v.27. Hexapla pag.4. Chamier. contrmedian. par.1. pag. 393.

Epist. ad Coloss. cap.4. v.5. Hexapla pag.4. Chamierus pag.393.

Lib. 2. Esdræ cap. 8. & 9. Hexapla pag. 4. 10. 18. 32. Chamierus pag. 380. 401. 591.

Deuteron. cap.17. v.18. & 19. Hexapla pag.10. 32. Chamierus pag.392.

2.Timoth. cap.3.v.15. Hexapla pag.12. Chamierus pag.364.

Psal.118. (vel 119.) v.2. & 105. Hexapla pag. 24. & 30. Chamierus pag. 545. & 564.

2. Petri cap.1. v.19. Hexapla pag.30. Chamierus pag.367. & 545.

Act.cap.13. v.13. &c. Hexapla pag.32. Chamierus pag.393.

Act.cap.15. v.21. Hexapla pag.34. Chamierus pag.393.

8 Post quæ author epistolæ Scriptores Hexaplorum sic insectatur: „ E' septemdecim, vel octodecim textibus Scripturarum, quos stabiliendo vestro dogmati adduxistis, quindecim ostendi ab uno adhibitos hæretico. Tres alii ad agitatam hic controversiam tam parum pertinent, ut ille non prorsus cæcutiens, eosdem censeri potuerit consultò præteriisse. Verùm vel sic ostendere visus est, minùs sibi, quàm vobis esse perfidiæ. Chamierus non dissimulat textuum explicationes à Catholicis adhiberi solitas, quas callido vos silentio supprimitis.

„ Conatur is quidem eas eludere; sed quia tentamina ejus apertissimè vana sunt, opus illud minùs noxium est, & minus periculi creat lectoribus. Chamierus detectâ nos fronte aggreditur; agnoscit, declarat se bellum indicere Pontificiis, quo nomine Ecclesiam significat

„ ficat Catholicam, Apostolicam, Romanam: authorum quos impetit, designat „ nomina, Cardinalium Bellarmini & Hosii: præterea Lizetii, Srapletoni, Costeri, Salmeronis, Andradii &c. Idem à vobis postulaverat candor; sed non expedit hactenus vestris commodis, simul „ pandere, quidquid animo fovetis catholicæ Ecclesiæ adversum. Revera vestris „ hic nimium derogaretis Sectatoribus, si „ causam vestram fateremini cum Witakero, Sibrando, Hunnio, Kemedontio, Chamiero adversus clarissimos Ecclesiæ Orthodoxæ vindices esse communem. Affectando scilicet unionem cum „ mystico Christi corpore, atque ita latendo quodammodo in ejus sinu feritis securiùs, & vulnera infertis magis exitialia, quæ minùs facilè sit declinare.

CAPUT IV.

Expenduntur objecta Patrum testimonia.

1 Authorepistolæ jam allegatæ prosequitur parallelum, Hexapla inter, & Chamierum, demonstrans omnia ferè Patrum testimonia, imò omnia in quibus momenti aliquid contra sensum & praxim Ecclesiæ, apparuit hæreticis, à Chamiero adhibita, ab Hexaplorum authoribus esse suscepta avidiùs, quàm prætensos Augustini discipulos decuit. Meretur epistolæ author ut laboris à se impensi utilitas ad lectores plurimos etiam, extra Galliam derivetur. Quapropter parallelum integrum exhibeo.

S. Chrysostomus Hom. 2. supra Matth. Hexapla pag. 4. Chamierus pag. 371. 12. 36.

S. Basilius Præfatione in Psalmos. Hexapla pag. 6. Chamierus pag. 368.

S. Augustinus Serm. 56. de tempore. Hexapla pag. 8. 36. Chamierus pag. 369.

Gregorius IX. epist. ad Germanum Patriarcham Constantinop. Hexapla pag. 8. Chamierus pag. 370.

S. Chrysostomus Serm. 3. de Lazaro. Hexapla pag. 14. Chamierus pag. 372. & 16.

S. Greg. Nyssenus Comment. in Psalmos. Hexapla pag. 16. Chamierus pag. 561.

S. Basilius in Regulis brevioribus quæst. 95. Hexapla pag. 16. Chamierus pag. 257.

Origenes lib. 7. contra Celsum. Hexapla pag. 16. Chamierus pag. 559.

S. Greg. Nyssenus comment. in Psalmos. Hexapla pag. 20. Chamierus pag. 370.

S. Hieronymus in vita S. Paulæ. Hexapla pag. 22. Chamierus pag. 371.

Idem in vita S. Marcellæ. Hexapla pag. 22. Chamierus pag. 370.

Concilium Aquisgranense, aut potiùs S. Hieronymus cujus verba Concilium adhibet. Hexapla pag. 24. Chamierus pag. 370.

S. Chrysostomus hom. 3. in Lazarum. Hexapla pag. 24. Chamierus pag. 381. 26. 382.

S. Chrysostomus ibid. Hexapla pag. 26. Chamierus pag. 382.

S. Augustinus epist. ad Volusianum. Hexapla pag. 28. Chamierus pag. 369. 561.

S. Chrysost. hom. 9. in epist. ad Coloss. Hexapla pag. 30. Chamierus pag. 365.

S. Chrysostomus in epist. ad Romanos. Idem in S. Joan. Hexapla pag. 32. Chamierus pag. 372.

S. Justinus in Apologia Hexapla pag. 34. Chamierus pag. 393.

S. Chrysostomus hom. in Joan. Hexapla pag. 34. Chamierus pag. 372.

Idem hom. 3. in Lazarum. Hexapla pag. 36. Chamierus pag. 368.

2 „ Oportet finem imponere parallelo „ (inquit author epistolæ) vobis minimè „ jucundo: neque dubito, quin veniam „ facilè daturi sitis defectui, quòd paucissimus, qui fortè vobis superfuerint textus, silentio prætermittam. In iis, quos „ retuli, totum robur agminis vestri est, „ cæteri non nisi ad ostentationem multitudinis sunt, & incutiendum hostibus „ terrorem. Imò si in solis stetissem quas „ adduxistis, Chrysostomi sententiis, sufficere illæ poterant ad evincendum, „ quòd hæreticis debeatis acceptum, quid„ quid vobis in Patribus, circa lectionem „ Divini Codicis, maximè apparere potuerit speciosum. Sed abundare malui; „ non tamen vobiscum ineptire, nimis „ apertè inutilem persequendo textuum „ multitudinem....

„ Quomodo autem vos non puduit hæreticorum, quas furati estis, exuviis indutos in Catholicis comparere ditionibus?...

„ Non vos existimo dicturos, quod circa „ alios Quesnelli Articulos minus argumentorum, minus textuum ab Ecclesiæ „ hostibus sublatum, in vestros contra „ eandem converteritis usus. Honestior „ fortè apparebit excusatio, non necesse „ vobis fuisse ad hæreticos recurrere, cum „ istiusmodi textuum sat multum collegerit antea Arnaldus. Verùm præ manibus „ quoque habeo Opus satis notum, ubi, „ quantumlibet modestus author, contiŭnere se non potuit ab hac animadversio-

„ ne: *Mirabitur Lector Antonium Arnaldum*
„ *eadem prorsus adhibuisse argumenta, quæ*
„ *in Chamiero, Hunnio, Vvitackero & aliis*
„ *à me postea citandis conspicimus*. Cùm
„ igitur vos non latuerint Arnaldi furta,
„ in vestros illa nequivistis usus converte-
„ re, nisi vos reddendo iniquitatis parti-
„ cipes.

3 Selectiora nos modò videamus testimonia Patrum, quæ *Collator*, authoribus Hexaplorum, ut aliàs monui, aliquantò callidior, quamvis & Ipse sua pleraque ab Hexaplis mutuetur, in Constitutionem confidentiùs evibravit.

Initium ducitur ab Origene, qui Hom. 9. in Leviticum: *Optamus* [inquit] *ut vel bis auditis operam detis non solùm in Ecclesia audire verba Dei; sed & in domibus vestris exerceri, & meditari in lege Domini die ac nocte. Et ibi etiam Christus est, & ubique adest quærentibus se sicut oportet, & in quærentium potestate est. Propterea namque mandatur in lege, ut meditemur eam, cùm imus in via, & cùm sedemus in domo, & jacemus in cubili, & cùm exurgimus... Nutrimenta Spiritûs sunt Divina lectio, Orationes assiduæ, Sermo doctrinæ.*

Idem Hom. 19. in Matthæum: *Arbitror vineam esse legem, & Prophetas, & omnes Divinas Scripturas... Hanc vineam tradidit colonis, id est, populo ante nos, tam Sacerdotibus, quàm laicis.*

4 Applicari hic potest expositio, quam Illustrissimus Petrus Lizetius ante annos centum & sexaginta dedit circa locos similes Chrysostomi & Athanasii, & Clerus Galliæ approbavit anno 1661. quando hoc ejus opusculum suis & Regiis typis iterum edi jussit, ad reprimendam Sacri Codicis in Lingua Gallica promiscuam Lectionem. Sic nempe Lizetii Dialogus *Pantarcheo & Neotero interlocutoribus*: „ Nusquam profectò [Chrysostomus, aut Origenes] cen-
„ suit Divinos libros in vernaculas & bar-
„ baras linguas vertendos esse; etsi mo-
„ neat [Sacerdotes & Laicos] eorum in-
„ tendere lectioni: Sed Quemadmodum
„ Jurisconsulti ajunt, tametsi ea ad omnes
„ exhortatio referatur (imò à voce *omnes*
„ Origenes abstinet) de omnibus eidem
„ aptis, & convenientibus intelligi debet;
„ itaut non idiotas, vulgaresque passim
„ literarum expertes, ad eam, quæ ipsis
„ haudquaquam conducibilis fuisset, le-
„ ctionem inducere voluerit. „

De variis istud Scripturæ partibus non obscurè indicat ipse Origenes locis pluribus. Testis in primis est Prologus ejus in Canticum Canticorum. *In verbis enim* [inquit] *Cantici Canticorum, Ille cibus est de quo dicit Apostolus Heb. 5. Perfectorum est solidus cibus: & tales requirit auditores, qui pro possibilitate sumendi exercitatos habeant sensus ad discretionem boni & mali... Si aliquis accesserit, qui secundùm carnem tantummodo vir est; huic tali non parum in hac Scriptura discriminis periculique nascetur*. Ibid. inferius: *ob hoc ergo moneo, & consilium do omni qui nondum Carnis & Sanguinis molestiis caret, neque ab effectu materialis naturæ abscedit, ut à lectione libelli hujus, eorumque, quæ in eo dicentur penitùs temperet. Ajunt enim observari, etiam apud Hebræos, quod nisi quis ad ætatem perfectam, maturamque pervenerit, librum hunc ne quidem in manibus tenere permittatur.*

5 Idem Hom. 27. in librum Numerorum: *Cibus autem verus natura rationalis Sermo Dei est; sed sicut in nutrimentis corporis multas paulò ante dedimus differentias; ita & natura rationalis, quæ ratione, & verbo Dei pascitur, non omnis uno atque eodem verbo nutritur. Unde ad similitudinem corporalis exempli est aliquibus etiam in verbo Dei cibus lactis, apertior simpliciorque doctrina.. Si legatur eis liber Levitici, offenditur continuò animus, & quasi non suum refugit cibum.*

Ibid. inferiùs: *Hæc omnia, quæ verba Dei sunt, & in quibus diversus pro captu animarum cibus est, unusquisque, prout sanum se & validum sentit, assumat.*

Iterùm inferiùs: *sunt plurima in illis, quæ apertiùs & simpliciùs dicta sunt, quàm ut pravi sensûs ædificent auditorem.*

Instat nihilominus Collator citans Eusebium Historiæ Ecclesiasticæ lib. 6. cap. 2. de Origene dicentem: *A primo tempore ætatis piis Sacrarum literarum studiis fuit sedulò exercitatus. Neque in illis quidem* [*adhuc puer*] *mediocriter versatus erat, propterea quod præter humanioris literaturæ studia, à patre præterea attentâ curâ, & cogitatione laboratum erat, ut Sacras literas, unà combiberet. Omnino enim ante liberalium artium & politioris doctrinæ studium, eum Sacris literis instituendum, exercendumque tradidit; ac sententias aliquot, quas ei, cum ad verbum ediscendas, tum memoriter coram ipso recitandas præscripserat, ab illo in dies singulos exegit.*

Acutus adversarius non perspicit, exemplum Origenis nihil penitùs damnato Articulo adferre præsidii; nocumenti autem plurimum. Origenis scilicet pater pius ac martyr, in puero indolem adeò præstantem, atque ingenium prorsus singulare observa-

ve-

verit, quale indicant teste Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis sex millia librorum, quæ ab ipso edita referuntur, & teste Epiphanio hæresi 64. Zelus fidei ac religionis, utpote qui *in juvenili sua ætate plurimas persecutiones sustinuit... Multa passus esse dicitur pro Sancta fidei doctrina & Christi nomine: in Civitate sæpè tractus, conviciis impetitus, tormentis ingentibus subjectus*.

Quod autem tale ingenium, talis indoles & virtus, vel in puero emicans, Leonidem ejus patrem moverit, ut eum à teneris annis Scripturarum scientiâ, quantum illa ætas ferre poterat, imbuere conaretur; Quis inde, nisi insaniens concludat: Igitur Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus? Quære priùs in omnibus talem indolem, tale ingenium, tunc locus forsitan erit de Articulo disceptandi. Quanquam & multiplex & gravissimus Origenis in dogmatibus lapsus argumentum potiùs contra adversarios conficit minimè leve; nam si tantis naturæ & gratiæ donis præditus, tam exoticos, tam fidei Christianæ contrarios ex Sacro Codice errores conceperit, ut S. Epiphanius doctrinam ejus statuat *heresim 64.*, & Synodus Quinta Generalis Collatione 8. can. 11. anathema dicat Origeni, & Scriptis ejus, quemadmodum Ario, Eunomio, Macedonio, Nestorio, & Eutyeheti; quid rudis ac imbecillis ingenii adolescentibus & viris, quid malesanis mulierculis non metuendum?

S. Hieronymus ex Græco Latinè vertit libros Origenis Periarchon, ut plurimos latentes in iis errores detegeret. Imò Pratum Spirituale cap. 25. visionem narrat juxta quam Origenes cum Ario & aliis hæreticis gehennæ incendio addictus est. *Citatur autem* [inquit Bellarminus] *Pratum Spirituale in Septima Synodo generali, nè quis eum librum spernendum censeat*.

6 Ab Origene ad Magistrum ejus Clementem Alexandrinum nos adversarii deducunt. Hic inquiunt lib. 3. cap. 11. ita differit: *At non omnes philosophamur: Numquid ergo nec omnes verum prosequimur?... Quomodo Deum amas & proximum, si non philosopharis? Quomodo autem te ipsum amas, si non sis vitæ cupidus? Literas, inquis, non didici. Sed, si non didicisti legere, non est quod de auditu te possis excusare*.

Neque penès nos esse potest illiteratorum excusatio, si ad fidem, mores, & institutionem Christianam pertinentia ignorent.; ea enim etiam sinè literis discere possunt, prout exponuntur à Pastoribus & parentibus: ab his privatim in familiis, ab illis publicè in Ecclesia per Catechismos, Lectiones, Conciones. Et quidem sic tutiùs Sacri Codicis sensus accipitur, quando à majoribus congrua lectioni, vel citationi additur explicatio. Istiusmodi eruditionem ubique solicitè commendat Ecclesia, privatam sapientissimè prohibet, quâ rudis quilibet, versiones Divini voluminis vernaculas legere, interpretari sibi propriâ industriâ, plerumque malesanâ, & temeratiâ præsumat.

Quàm autem Clemens ille alienus fuerit, à præcipienda, vel commendanda omnibus etiam literas callentibus lectione Codicis Sacri, colligimus ex ejus lib. 1. Stromatum pag. 38. *Qui Spiritum*, inquit, *Sanctum possident, profunda Dei scrutantur, hoc est ii; qui ea assequuntur, quæ latent in Prophetis. Sancta autem canibus impertiri vetantur, donec canes manserint. Non oportet enim invidis & perturbatis, & adhuc infidelibus, & impudentibus ad latrandum adversùs inquisitionem, unquam temperare Divinum & purum fluentum aquæ vivæ. Ne infundantur*, inquit, *aquæ extra fontem; in tuas autem plateas transeant aquæ tuæ Proverb. 5. Non enim hoc multi percipiunt, qui in ea incidunt; sed nec cùm didicerint, cognoscunt*.

Idem lib. 3. Pædagog. cap. 11. *Fides non sapientium secundùm mundum; sed eorum qui secundùm Deum sunt sapientes, est possessio. Illa autem absque literis etiam scitur: ejus autem Scriptum, quod & ad rudes ignarosque pertinet, est Divinum, & vocatur Charitas*; quæ quidem ex fide oritur; fides autem ex auditu; sed non necessariò Scripturæ Sacræ, sinè qua duobus annorum millibus orbis stetit, & fidelium Deumque colentium & amantium multitudo. Quot barbaros Apostoli, eorumque sequentes vestigia imbuunt fide Christi & justitia tingentes aquis Salutaribus, antequam pars ulla Sacri Codicis ad eos pervenerit!

7 Basilius Magnus Procemio in Psalmos ait: „ Scriptura omnis divinitus inspirata, „ & utilis hac una ratione à Spiritu Sancto „ conscripta adstruitur; ut ex ea haud secus, atque è communi quapiam curandarum animarum officinâ, medelam suo „ quisque morbo queat seligere „. Ita quidem; sed modo singulis proprio, & salubriter accommodato: quibusdam legendo, aliis audiendo, non omnibus ipsa Sacra Volumina; sed aliquibus prout ea in Concionibus, in Colloquiis, in libellis ad pietatem compositis explicantur. Ipsos suos discipulos & tirones, non omnes vult lege-

re sacras literas; sed eos quibus Superioris judicio permittitur. Hanc enim in Regulis brevioribus proponit quæstionem 96. *Numquid unicuique permitti debeat, ut arbitratu suo literas discat, vel legendis libris operam det?*

Responsionem ejus modo accipe: „Cùm „ Apostolus dicat ad Gal. cap. 5., ut non „ quæcumque vultis, illa faciatis, in unaquaque re quidquid ex voluntate propria optabile est: id, si alicujus arbitrio „ permittatur, calamitosum est: contraque „ quidquid Antistites rectum statuerint, in „ eo manere unusquisque debet; etiamsi „ contra voluntatem ipsius sit.

Quesnellus autem contra manifestam Basilii sententiam, contra statuta Conciliorum, Antistitum, atque ipsius Apostolicæ sedis permittit promiscuè omnibus Divini Codicis lectionem in lingua vernacula, neque permittit solùm; sed velut præceptam & necessariam prædicat per Art. 79. „ Utile „ & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere & cognoscere Spiritum, pietatem, „ & mysteria Scripturæ Sacræ „. Art. 82. „ Dies Dominicus à Christianis debet „ sanctificari lectionibus .... Sanctarum „ Scripturarum „. Art. 84. „ Abripere è „ Christianorum manibus novum Testamentum ... est illis os Christi obturare. „ 85. Interdicere Christianis lectionem „ Scripturæ Sacræ ... est interdicere usum „ luminis filiis lucis & facere ut patiantur „ speciem quamdam excommunicationis.

Basilius autem, ut aliàs monui, & narrat Theodoretus lib. 4. Hist. Eccl. cap. 16. Præfecto culinæ Imperatoris nescio quid è Scripturis proferenti, *Tuum est*, inquit, *jusculorum condimenta curare, non dogmata Divina decoquere*. Reprehendi non potuisset Scripturæ allegatio, si ejus *lectio esset pro omnibus*, si ejus *studium utile & necessarium fuisset omni tempore, omni loco, omni personarum generi*.

8 Audent etiam nos adversarii ad Hieronymum provocare; quia Commentario in Nahum Prophetam cap. 3. ait: „ Semper „ Diaboli studium est, vigilantes animas „ consopire ... In adventu Christi & Sermonis Dei elevabitur, & properabit populus; qui sub magistris ante fuerat „ consopitus, & ibit ad montes Scripturarum, ibique inveniet montes Moysen „ & Jesum filium Nave: montes Prophetas: montes novi Testamenti Apostolos „ & Euangelistas, & cùm ad tales montes „ confugerit, & in hujuscemodi montium „ fuerit lectione versatus, si non invenerit „ qui eum doceat (messis enim multa, operarii autem pauci) tunc & illius studium „ comprobabitur.

Redit expositio Petri Lizetii in Dialogo circa locos similes Chrysostomi & Athanasii, „ Nunquam profectò censuere Divinos libros in vernaculas & barbaras „ linguas vertendos esse, etsi moneant „ omnes illorum attendere lectioni; sed „ quemadmodum Jurisconsulti ajunt, tametsi ea ad omnes exhortatio referatur, „ de omnibus eidem aptis & convenientibus intelligi debet; ita ut non idiotas „ vulgaresque passim literarum expertes, „ ad eam, quæ illis haudquaquam condocibilis fuisset, lectionem inducere voluerint. Hoc profectò ipsi locis in superioribus citatis declaraverunt „. Quæ expositio debet esse ponderis maximi penès adversarios, utpote à Clero Galliæ in Lizetio approbata anno 1661.

Eundem esse Hieronymi sensum patet ex pluribus ejus locis; ut lib. 1. adversùs Pelagium ubi ei exprobrat: *Tu tanta es liberalitatis, ut favorem tibi apud Amazonas tuas concilies, ut in alio loco scripseris, scientiam legis etiam fœminas habere debere; cùm Apostolus doceat, esse tacendum mulieribus in Ecclesia, & si quid ignorant, domi viros suos debere consulere*. Idem Sanctus Prologo in Ezechielem, *Nisi quis apud Hebræos ætatem Sacerdotalis ministerii, idest, trigesimum annum impleverit, nec principia Geneseos, nec Canticum Canticorum, nec voluminis hujus exordium & finem legere permittitur*.

Idem epist. ad Paulinum: *Hæc à me breviter perstricta sunt, ut intelligeres, te in Scripturis Sanctis, sinè prævio, & monstrante semitam non posse ingredi*: tum sequitur notissima ejus & acris invectiva contra vulgus hominum, quod præsumit Sacra Volumina tractare, ad quæ intelligenda minimè comparatum est. Idem in Nahum cap. 3. *Dicemus ideo Scripturam Sanctam his difficultatibus esse contextam .... ut difficultatem sensuum, difficultas quoque Sermonis involvat, ut non facilè pateat Sanctum canibus, & margaritæ porcis, & profanis Sancta Sanctorum*. Non igitur juxta Hieronymum *Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus*.

9 Utì non omnibus detegere oportet, neque convenit Divina eloquia; ita neque prælegere, neque concedere legenda. Prius minimè expedire, docet locis pluribus Chrysostomus in primis hom. 16. in Genesim, ubi postquam gravius reprehendit Evam, quod Dei mandatum aperuerit

ten-

tentatori, projiciens margaritam ante porcum, unde malum in ipsam atque in ejus conjugem profluxit; *Tantum*, inquit, *malum est, absque delectu cuivis Divina mysteria detegere. Audiant hæc, qui sine discrimine simpliciter cum omnibus* [de Divinis oraculis] *colloquuntur. Neque enim Christus de porcis præcipit; sed homines porcinis moribus denotat, qui sicut bruta illa in peccati luto volvuntur: docens nos, ut personarum diversitatem cognoscamus, & vitæ rationes inquiramus, quando aliquid Divinorum eloquiorum exponere opus fuerit, ne & illos & nosmetipsos lædamus.* Sic lædunt indubiè se aliosque graviter, qui Sacrosancta Dei eloquia promiscuè obtrudunt omnibus.

Sic iterum Chrysostomus in cap. 2. Matthæi Hom. 2. „ Principes Sacerdotum & „ Scribæ dant responsum Regi interro„ ganti ex corde non bono, cùm deberent „ celare mysterium Regis .... Facti sunt „ non prædicatores operum Dei; sed pro„ ditores mysteriorum ejus. Ex quibus „ docemur Scripturarum occulta non ma„ nifestare iniquis; sed fidelibus sicut præ„ cepit Paulus 2. Tim. 2. Quæ à me audisti „ per multos testes, hæc commenda fide„ libus, qui possunt etiam alios docere.

Ad ea verò quæ ex Chrysostomo objiciuntur, respondimus contra Articulum 79. cap. 10. ex quibus & hìc copiosiùs deductis facilè exponitur, & cum praxi Ecclesiæ conciliatur quidquid ex Gregorio Magno, ex Cæsario Arelatensi, Gregorio IX. ab adversariis intorquetur.

Disquisitionem de mente Patrum terminent Augustinus, Athanasius, & antiquissimus Tertullianus.

Sic nempe Augustinus de Doctrina Christiana lib. 2. cap. 13. *Plerumque à sensu authoris* (Sacri) *deviat interpres, si non sit doctissimus.* Quem igitur effectum producere poterit adversariorum assertio, Scripturam temerè omnibus obtrudens, nisi ut plerique, & plerumque à sensu Spiritus Sancti, à fide Catholica devient; cùm numerus *doctissimorum* sit perexiguus? Non solâ, quatotumlibet eminente, scientiâ contentus Athanasius, animum in lectoribus requirit à vitiis purgatum lib. de Incarnatione Verbi, ejusque corporali ad nos adventu circa finem. „ Ad Scripturarum „ indaginem, verumque intellectum, opus „ est vitâ probâ, animo puro, & virtute „ quæ secundùm Christum est... Nam si„ nè pura mente, & vitæ Sanctorum imi„ tatione, nemo comprehenderit Sancto„ rum verba. Quemadmodum enim, si „ quis intueri velit solis jubar, oculos pla„ nè detergit... Ita quoque qui volet „ virorum cœlestia loquentium mentem „ intelligere, prius detergere & abluere „ vivendi disciplinâ animam debet, ad „ Sanctos accedere, cum studiorum facto„ rumque similitudine „. Istudne reperitur in omnibus?

10 Denique Tertullianus lib. de Præscriptionibus cap. 13. *Regula autem fidei est, ut jam exhinc quod credamus, profiteamur: illâ scilicet qua creditur unum omnino Deum esse.* Cap. 14. *Fides*, inquit, *tua te salvam fecit, non exercitatio Scripturarum: Fides in regula posita est: habet legem & salutem de Observatione legis: exercitatio autem in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiæ studio. Cedat curiositas fidei: cedat gloria saluti.*

Pro expositione facili omnium, quæ ex Patribus objiciuntur, meminerit eorum lector, quæ contra superiorem Articulum tradidi cap. 10. Bellarminus scilicet, & cæteri Ecclesiæ contra novitatis hæreticos defensores, observant, aliqua à Patribus, præsertim Chrysostomo in homiliis & concionibus, dici oratoriè contra vitia per exaggerationis figuram & hyperbolen fortiùs, quàm ut eorum verba debeant in rigore grammatico explicari. Sic etiam de quibusdam Patribus contra hæreticos disputantibus, authores gravissimi annotant. Theodoretus tom. 4. pag. 170. S. Thomas in cap. 1. Joannis lectione 7. S. Bonaventura in Breviloquio parte 3. cap. 5. Cajetanus 1. parte Quæst. 70. art. 3. Genebrardus in epistola præfixa editioni Operum Origenis. Cardinalis Aguirre Disp. 135. sect. 4.

Sic Patrum aliqui in concionibus invecti sunt in vanitatem seculi, ludorum theatralium, chorearum, aliorumque istiusmodi oblectamentorum, quibus afficeretur populus adeò, ut Lectionem Sacram, etiam maximè ad eam idonei, negligerent non sinè contemptu. Ut à noxiis adeò abusibus averteretur populus, vehementius sibi Patres aliqui declamandum censuere, atque ad Divini Codicis lectionem magis emphaticè exhortandum. Unde meritò, ut sæpius monui, Petrus Lizetius, Clero Galliæ approbante, hortationes istiusmodi generales, ad omnes dirigi idoneos, & non alios, juxta Jurisconsultos censuit intelligendas. Neque Patribus illis sermo erat de lectione Divini voluminis, nisi in lingua Sacra; non autem juxta versiones alias vernaculas, quæ illorum temporibus natæ non erant; sed corruptioribus seculis, instigante

te ut plurimùm Diabolo, excogitatæ sunt, & depravationibus refertæ.

Dixi *ut plurimum*, quo pauciſſimas excipiam, quas Orthodoxorum judicio Antiſtitum alicubi poſtulare neceſſitas, vel magna utilitas viſa eſt, tum propter aliquos ſacri idiomatis ignaros, à quibus Dei eloquia cum fructu & abſque gravis erroris periculo legerentur, tum maximè propter alios editionibus vernaculis ſuſpectis, imò hæreticis aſſuetos, qui eas ſibi non facilè eripi paterentur, niſi ſubſtitueretur alia, non minùs elegans, & Catholica.

11 Adde, quòd olim major fuerit paſſim fidelium ſimplicitas, major in fide conſtantia, minor propenſio in novitates, minor de ſe ipſis præſumptio, major ſubmiſſio & reverentia erga Eccleſiæ Præpoſitos, quorum nutu credenda agendaque ſibi omnia diſponerent. Præterea cùm carerent veteres typorum ſubſidio, exigua tunc apparebat in vulgo aſceticorum operum copia, quæ modo ubique maxima eſt, ubi plerumque faciliùs, clariùs, minore circa ſenſum hallucinandi errandique periculo diſcuntur neceſſaria ad pietatem ac beatitudinem, quam in Sacris Hagiographorum Voluminibus, *in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant.. ad ſuam ipſorum perditionem*, ut primùm de Pauli epiſtolis, dein & de cæteris Scripturis teſtatur primus Chriſti Vicarius Epiſt.2. cap.3.

Quapropter licèt olim aliqui Patrum in ſubditis ſibi fidelibus eas diſpoſitiones deprehendere viſi fuerint, ut tutò eis Scripturarum lectio committeretur; poſterioribus tamen ſeculis, creſcente hominum malitiâ, temeritate, ſuperbiâ, innovandi prurigine; decreſcente verò erga Eccleſiæ moderatores, & fidei ſanctiones obſervantiâ, reſtringi debuit Scripturarum in linguis vulgaribus lectio: ut ſæpe aliàs, ſapiens Matris noſtræ providentia, & qui, eam dirigit Divinus Spiritus, meritò cenſuit in iis, quæ ad diſciplinam pertinent, inducendam aliquam, variantibus circumſtantiis, mutationem.

Sic è Novatoribus minùs efferati, paſſim agnoſcunt, Regulam quartam Indicis, præſenti Articulo contrariam, cum primùm ederetur, propter illius temporis circumſtantias, naſcentium videlicet hæreſum, & verſionum ſuſpectarum multitudinem, fuiſſe rationi conſentaneam; licèt fidelibus ſatis hoc tempore confirmatis, & non niſi *puriſſimis verſionibus Montenſi, Catalaunenſi*, & ſimilibus omnia occupantibus, non poſſit, inquiunt, eadem Regula, niſi imprudenter, & iniquiſſimè ſtabiliri.

Nobis autem & univerſæ Eccleſiæ contra adverſarios à Sedis Apoſtolicæ communione ſeparatos, compertiſſimum eſt, Janſenii & Queſnelli hæreſim Lutheranæ & Calvinianæ nihil perfidiâ concedere; prævalere verò aſtutiâ; proinde ad fallendum magis eſſe idoneam. Exploratum pariter habemus, verſiones geminas à novæ Sectæ fautoribus tantoperè commendatas, à Sede Apoſtolica juſtiſſimè proſcribi; præcipuè *Catalaunenſem*, cum ſuis veneno peſtifero plenis *Obſervationibus*; periculumque creare præſentiſſimum lectori cuilibet minùs cauto, & qui non fuerit in doctrina Eccleſiæ, divina aſpirante gratia, ſolidiſſimè fundatus.

CAPUT V.

Solvitur objectio de erepta per Conſtitutionem libertate.

1 Rebellionibus adverſùs legitimas poteſtates, vix ulla obtendi ſolet excuſatio frequentior, vix ulla concitandis animis magis idonea, quàm defenſio libertatis. Hujus amor omnibus innatus animantibus, ergaſtula odit, & vincula quantumlibet ſpecioſa. Attamen non omnia, quæ libertatis nomine à pluribus adamantur, Sapientibus talia ſunt; ſed eorum plurima duriſſimam potiùs continent ſervitutem. Nulla ſcilicet infelicior ſervitus, quàm Diaboli eſt, & omnium ipſi militantium libertinorum: nulla veriùs mancipia, quam mundi, carnis, & vitiorum, quorum Sectatoribus finis interitus eſt; imò interitu luctuoſior in vinculis, & cruciatibus vita perpetua. Nihil autem optabilius Chriſtianâ ſub vero Numine, ejuſque ſummo Vicario ſervitute.

Quapropter inſaniente ſchiſmatico, quàm Sapiente Theologo, dignior ſemper mihi viſa eſt ea Queſnelli gloriatio, in epiſtola ab ipſo typis editâ, *Abbatis* nomine *ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*, contra Decretum Alexandri VIII. quo 31. Articuli feriuntur. Pag.18. *Habemus hoc ſingulare præ cæteris, quo nobis bene eſt, quodque ſemper retinebimus, quòd ſcilicet in poſſeſſione ſimus eâdem ſemper incedendi ſemitâ, quidquid opponant cenſores Romani, & quodcumque Decretum ab eo emanaverit tribunali.* Iſta nempe Eccleſiæ novæ, & ſi mendacibus ejus Apoſtolis credimus, Gallicanæ hoc tempore prærogativa eſt; nobis autem, & cæ-

cæteris ignota hactenus Catholicis, tam in Gallia, quàm reliquo orbe Christiano.

Accedendum modò propiùs ad controversiam. Audivimus superiùs Spiritum Roterum Gallum Aquis Sextiis in Provincia natum, Sacri Ordinis Prædicatorum, atque hæreticæ pravitatis in Tolosanis partibus Inquisitorem, anno 1548. Henrico Secundo Regi Christianissimo dicantem Opusculum suum *De non vertenda Scriptura Sacra in linguam vulgarem*: ubi in Epistola nuncupatoria Regem alloquens ait: *Non paucos obmurmurantes reclamantesque sententiæ meæ accepi*; videlicet *expostulantes*, *indignum esse*, *filios*, *& hæredes prohiberi*, *aut arceri ab aspectu*, *lectioneque Testamenti Cœlestis Patris*. *Quibus*, *& accessere libertini dicentes*, *convenire Christianæ libertati*, *Scripturas verti in omnes linguas*, *ut hoc modo fiant familiares*, *& notæ omni ordini ætatique*.

Gabriel Gerberon Quesnellianæ sententiæ propugnator, & postea in carcere Bruxellensi Socius, sic enuntiat in *Brevi*, *& necessaria Instructione* pag. 22. *Episcopus qui prohibet*, *ne plebs promiscuè legat Scripturam Sacram in lingua vernacula*, *non Pater est*, *neque Pastor*; *sed potius tyrannus*, *adimens populo libertatem à Deo concessam*. Tyrannidem hanc Romanæ Ecclesiæ mutatione phraseos, & figuræ Quesnellus exprobrat Art. 84. *Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum* ... *est illis Christi os obturare*. Art. 85. *Interdicere Christianis lectionem S. Scripturæ*, *præsertim Evangelii*, *est interdicere usum luminis filiis lucis*, *& facere*, *ut patiantur speciem quamdam excommunicationis*, injustæ scilicet, & tyrannicæ.

Imò, inquient, tyrannis ista quavis aliâ atrocior est; sed non meminere, quod *quanto tempore hæres parvulus est*, *nihil differat à servo*; *sed sub tutoribus*, *& actoribus sit*. Porro Neophyti, & in doctrina Apostolica rudes, parvulis, etiam infantibus comparantur, quibus non cibo solido; sed lacte opus sit. Et quoniam de scriptis Testamenti tabulis sermo est, nullus tutor sapiens, eas puero committet, ne forsitan imprudens eas dilaceret, aut abjiciat inter crepundia, sicut Esau hæreditatem pultibus divendidit.

Neque dictabit ulli facilè prudentia, civile momenti maximi Testamentum vertere in linguas varias; ne, uti nullum adeò clarum est, ut locus non pateat litigationibus volentium cavillari, captetur è versionibus nova, & amplior materies disceptandi.

3 Denique sicut Sanctum non porrigitur canibus, neque Margarita projicitur ante porcos; ita, ut monui, scriptas gravissimi momenti tabulas nulla tutorum Sapientia statuet, puerorum, & infantium manibus ingerendas; non enim ætati infantium calumniam inferet, qui eos jumentis insipientibus in multis comparans, non plurimum eis absimiles arbitrabitur. Fideliter itaque, & utiliter eorum causam egerint tutores, quando Testamenti tabulas, eorum manibus subductas, diligentissimâ servaverint custodiâ, neque ullius oculis, aut manibus crediderint, quem sibi non inanis timor indicaverit abusurum. Ignoravitne citata à me sæpiùs Tolosana Synodus, quæ sit Christianis, etiam in Gallia conveniens libertas, quando anno 1228. ita decrevit: *Prohibemus ne libros veteris*, *& novi Testamenti laicis permittatur habere*, *nisi forte Psalterium*, *aut Breviarium pro divinis officiis*, *ac horas B. Virginis aliquis ex devotione habere velit*; *sed ne præmissos libros habeant in vulgari translatos arctissimè prohibemus*?

Ignoravitne idem Synodus Narbonensis, quæ anno 1609. cap. 3. de libris vetitis decernit: *Biblia verò Sacra idiomate Gallico conscripta legere*, *aut domi retinere nemini liceat*, *nisi ab Episcopo*, *aut ejus Vicario Generali expressâ in scriptis obtentâ licentia*? Ignoravere pariter Gersonius, & Sorbonici omnes illorum temporum Doctores, Archiepiscopi, Episcopi, Senatus quoque Regius? Documenta eorum, & testimonia certissima retuli contra superiorem Articulum præcipuè capite 2. & 3. Religiosiores nempe in adversariorum sententia libertatis vindices fuere Lutherus, Calvinus, Erasmus, quos contra majores suos, magistros, & Sapientissimos Antistites maluere sequi Arnaldus, & Quesnellus cum sua hoc tempore novaturientium, simul & malignantium anti-Romanâ Ecclesia, à totius Christiani orbis fidelibus condemnatâ, ac tandem à Supremo Christi rescissâ Vicario.

4 *O insensati!* Clamabat olim Spiritus Roterus tractatu à Clero Galliæ approbato, *de non vertenda Scriptura Sacra in vulgarem linguam* cap. 11. *Hæccine est libertas*, *qua Christus nos liberavit*? Ubi post reprehensam in hæreticis maximam morum licentiam, aggreditur eorumdem in contemnendis Ecclesiæ Rectoribus temeritatem. „ Audi, inquit, paulisper tu, qui de Synagoga libertinorum prodiisse videris, infruniræ, & plusquàm barbaricæ libertatis buccinator; nonne Dei, & naturæ præcepro martem, quæ tibi carnem moritutam pro parte contulit, & te in lucem hanc

„ hanc citò defectorum edidit, honorare, „ & ejus honeſtis imperiis re fateris parere obnoxium? Id enim etiam gentes, „ quæ legem non habent, fatentur, & faciunt.

„ Cur igitur non magis decet Eccleſiæ venerari authoritatem, quæ te per „ fontem Baptiſmi de filio carnis, & iræ, „ regeneravit in filium Dei, erudivit in „ fide, & pane cœleſti enutrivit: & quæ „ nihil præcipit non laudabile, & Spiritui „ ad carnis petulantiam frænandam conducibile? Illi tu non obedies parenti, „ cui tot Imperatores, Reges, Principes, „ Pontifices, Doctores, & totus fidelium „ cœtus magna alacritate obtemperavit.

Hanc obedientiæ promptitudinem experta eſt mater Eccleſia in receptione Bullæ *Unigenitus*, quæ veluti lapis lydius aurum à ſcoria ſeparavit, diſcernens veros Eccleſiæ filios à ſpuriis, qui ſimulatâ eam hactenus profeſſione deceperant. A nobis illi tandem apertiùs receſſere; ſed ex nobis non fuerant veræ fidei unione, minùs etiam ſanctiſſimæ vinculo charitatis.

Roterus proſequitur: „ Cui Chriſtus „ miniſterium regenerandi, ligandi, ſolvendi, clavesque Regni Cœlorum contulit, quomodo poteſtatem præcipiendi, „ ordinandique licita denegavit? Dic Sodes: vidiſtine aliquando matremfamilias prole, & familiâ abundantem, cui „ poteſtas jubendi, ſtatuendique ea, quæ „ ad augendum Sponſi honorem, & domûs „ & familiæ incrementa attinent, interim „ dum abeſt Sponſus, minimè eredita ſit? „ Non eſſet Eccleſia Sponſa, ſi in domo „ Sponſi nullâ potiretur præcipiendi authoritate: non eſſet mater, ſi jubendi, „ prohibendique filiis poteſtatem non obtineret. Claves non gereret, ſi perinde, „ ac extranea aperiendi, ac claudendi jus „ non haberet. Sacrilega igitur, & pluſquam barbarica, & minimè Chriſtiana „ eſt libertas, quæ hujuſmodi matrem non „ agnoſcit; ſed illi omnem authoritatem „ ſurripit, nilque obedientiæ ipſi deberi „ perfricta fronte contendit.

Ubi Lutheri, & Calvini aſſeclas à Rotero impeti manifeſtum eſt; nondum enim Janſeniſtæ emerſerant. Cur igitur, inquies, iſta Conſtitutionis *Unigenitus* adverſariis, authoritatem Eccleſiæ, eique debitam obedientiam agnoſcentibus, intorquentur? Præterea Roterus accenditur adverſùs eos, qui Chriſtianæ libertatis nomine immunitatem ſibi vindicant à legibus, etiam jejunii, & Confeſſionis: talem libertatem minimè prædicant Conſtitutionis Pontificiæ impugnatores.

5 Diſcrimina ſuperiores inter Sectas, rebellionem cum hæreſi ſinè ambagibus profitentes, & recentiorem magis ſubdolam, nonnulla video: diſcrimina, inquam; ſed in verbis magis, & plerumque fallacibus conſiſtentia, quàm rebus. Jejunii præceptum nova ſecta admittit verbo tenus, prout illud ſcilicet Queſnelli authoritas relaxavit, ut privato cuilibet poteſtatem conceſſerit ampliſſimam ſe diſpenſandi quoties ſuæ valetudini cenſuerit convenire. Prop. 71. *Homo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.*

Quoad Confeſſionem quid cenſeat Conſtitutionis hoſtis acerbiſſimus *Ægidius Candidus*, idem candidæ inter Janſenianos Sectæ princeps, ex ejus libellis ante Conſtitutionem editis non obſcurè colligitur.

6 Audiatur Fodina aurea ſuffoſſa parte 2. pag. 44. *Nullus ex SS. Patribus E. G. Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus &c. deſignari poterit, qui unquam in tota prorſus vitâ fructum Confeſſionis Sacramentalis fuerit conſecutus.* Pag. 46. *S. Auguſtinus nunquam confeſſus eſt*. Neque iſtud ullatenus mirum eſt in novo morum, & fidei ſyſtemate, juxta quod *Non omnia antiquitus, quæ nunc vocamus mortalia peccata; ſed eorum pauca duntaxat, per Sacramentum Pœnitentiæ curata fuere, reliqua verò privatâ compunctione, ac bonis operibus abſterſa.*

Sic Ægidius iſte Antonio Arnaldo ſcripſerat ex pago Aughemio propè Aldenardam in Flandria Auſtriaca anno 1691. die Junii 11. Epiſtola illa refertur in Proceſſu juridico, ſeu *Cauſa Queſnelliana* Art. 10. §. 5. Per *pauca* illa intelligit enormia, & publica, quæ juxta canones palàm oportuit expiari. Cùm autem à talibus, præterquam hæreſi, quæ ipſis Sancta, & Auguſtiniana eſt, paſſim abſtineant, facilè apparet à tam arduo confeſſionis onere eos ſe liberos reputare. Confirmabitur hinc vulgaris paræmia, reſciri faciliùs, quibus Janſeniani obſonatoribus utantur, quàm Confeſſariis. Neque illam Ægidius de Confeſſione ſententiam ſuo fabricaſſe cerebro; ſed didiciſſe ex Arnaldi Opere, *De frequenti* (id eſt rariſſima) *Communione*, teſtatur eâdem epiſtolâ.

7 Conſectarium ſuum Ægidius deſignat apertè profluere ex illo Arnaldi totis viribus ſtabilito dogmate, unicum fuiſſe in primitiva Eccleſia genus Pœnitentiæ, idque Canonicum, & publicum, ad quod conſtat non-

nonnisi publica crimina pertinuisse. Ita & Claudius Seguenot ejusdem cum Quesnello instituti presbyter lib. *De Virginitate* [veriùs contra virginitatem] pag. 184. *Ex ordine*, inquit, *& natura rei requiritur quòd confessio sit publica*. *Doctrinam hanc* Sorbona Decreto anni 1638. 1. Maji censuit *esse novam, falsam, & periculosam*. Sed de his aliquantò copiosiùs disserendi non deerit aliàs occasio opportuna. Inde saltem uteumque lector colligit, quid sibi velit libertas illa à novatoribus tantopere desiderata, libertinis propria, non Christianis; immunitas videlicet ab omni lege, suæ non commodâ novitati.

8 *Sed dices, effare igitur, quæ, qualisve sit libertas Christiani?* Hanc sibi Quæstionem objicit Roterus eodem cap. 11. Audiatur proinde ejus responsio. „ Libertatem Christianam, quæ olim omnibus ferè nota erat, vos ipsi postquam ab Ecclesiæ fide, & Spiritu recessistis, nube, nescio qua, vulgatis sensûs, & complacentiæ sic infuscastis, ut grandi satis labore, & sermone opus foret in claritatem pristinam, & communem intelligentiam illam reducere. Ut enim ferocem equum, quandiu frænum, & lupatos patitur, facilè est regere, & circumducere: ubi autem hæc excusserit, & vagari, & discurrere cœperit, perdifficile est apprehendere, & reducere in obsequium: Sic periculum factum est, populum morigerum, & pacificum religioni divinoque cultui satis intentum permansisse, quamdiu Ecclesiæ Decretis, & consuetudinibus paruit.

„ At ubi in insolentis hujus vestræ carnalis libertatis licentiam prorupit, veræ libertatis insignia, intelligentiam que amisit: ut jam difficillimum sit hujusmodi, ad libertatis Christianæ veram reducere notitiam. Ut enim asinus, ut proverbium est, ad tribulos semper sua somnia vertit; sic quæcumque de Spiritûs libertate tradit novi Testamenti Sermo, id omne ad sensualem, & carnalem convertunt.

„ Ut tamen quæsito respondeamus, lucemque à tenebris dividamus, præmittendum est, relativorum oppositorum que hanc esse naturam, ut unius ex altero pendeat recta cognitio „. Tum statim cap. 12. designat plura servitutis genera opposita libertati Christianæ. Præcipua sunt servitus legis Mosaicæ innumeras exigentis cæremonias: & servitus peccati, in quam omnes homines primus parens induxerat. Ab utraque Redemptoris beneficio liberantur.

„ Qui tamen (ut Roterus addit) si fallente carne, mundo, aut tentatore, post regenerationem in mortiferam relabantur peccati servitutem, tollendo huic malo sic providit, nunquam satis laudanda Christi clementia, ut per Ecclesiæ ministros, quibus dictum est, *Accipite Spiritum Sanctum*; *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: quibusque est ligandi solvendique collata potestas, modò eos erratorum verè pœniteat, resolvantur peccatorum funes, & in pristina jura, filiorumque Dei libertatem, in integrum restituantur. Nihil igitur feliciùs Christiano, si suam filiationem Divinam, filialemque spiritum agnoscat, & sequatur. Carni enim, timori legis, mortis formidini, peccato, torique mundo dominatur solus, & verè libet Christianus, filius Dei, & Christi frater, & cohæres effectus.

10 Verùm iste liberationis modus, qui fit ministerio Sacerdotum, à libertatis novæ artificibus non agnoscitur; licèt eam subinde vocibus mentiantur. Hanc didicere sententiam à Joanne Vergerio Abbate Sancyrano. Sæpius typis datum est testimonium, quod Lingonensis Episcopus Sancyrano aliàs familiaris, & benevolus, de eo miserat ad Macloviensem Antistitem, & eodem anno 1638. die 11. Julii tradidit Supremo Franciæ Cancellario, postquam ab eodem pridie fuerat jussu Regio interrogatus.

In eo inter cætera est Vergerium docuisse, quòd *Verba absolutionis non operentur remissionem*; *sed tantummodò declarent*: Quod *si Concilium Tridentinum tradidit oppositum, erraverit*. Istud Quesnellianæ apprimè convenit hypothesi. Si enim juxta Articulum 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*, si & juxta 51. *Fides justificat quando operatur*; cùm absolutio Sacerdotis sit posterior actibus pœnitentis, quibus ad confessionem congruam disponitur, quique necessariò ex gratiæ auxilio, & fide profluunt, necesse est, remissionem peccatorum semper priorem esse ministerio Sacerdotis.

Unde pariter liquet, retineri ab eo propriè peccata pœnitentium nunquam posse, utpote antea semper remissa: Sed de his copiosiùs disserendi occasio recurret magis propria Art. 87.

Hic sufficiat ostendisse, libertatem Christia-

stianam, & Christianissimam minimè consistere in solutione à legibus Ecclesiæ, à mandatis Antistitum, illius præcipuè cui in Petro traditæ sunt claves Regni Cœlorum, curaque gregis imposita universi; ut omnes tam oves pasceret, quàm agnos, Episcopos æquè, ac fideles cæteros doctrinæ pabulo nutriens, consilio dirigens, atque gubernans imperio. Prohibitio autem ne sacræ paginæ ab omnibus, etiam Latini idiomatis ignaris, privatâ legantur authoritate, & sinè obtenta ab Episcopo, vel Vicario venia, non hoc primùm tempore lata est à CLEMENTE XI. sed à pluribus pridem ejus Decessoribus, etiam à Galliæ Clero, & ejusdem regni Conciliis stabilita, à Sorbonicis cum Gersonio suo Cancellario Doctoribus, à Supremo Galliæ Senatu, atque ab ipso Rege legitimè comprobata.

Quapropter hodierna Novaturientium querela de Sanctissimo Domino nostro CLEMENTE XI. quasi libertatis Christianæ, & Gallicæ Violatore, solis digna est schismaticis, & libertinis, omnis impatientibus jugi, omnis contemptoribus authoritatis.

CAPUT VI.

Excusationes ab adversariis frustrà tentatæ: adhibitæ antea à Chamiero Calvinista.

1 HExapla secundæ editionis pag. 10. „ Quandoquidem [inquiunt] „ præoccupatio, & præjudicium „ pertinax inducere credulos posset, ut „ existimarent, voluisse Quesnellum sub „ vocibus orthodoxis venenum erroris „ abscondere, vel etiam hæreseos; conabimur sensum pravum detegere, quem „ suscipere possunt Articuli damnari, & „ simul, traditis alibi Propositionibus „ contrariis ostendemus quantum ab illo „ afferendo Quesnellus fuerit alienus.

„ Sensus connaturalis illorum dogmatum, ut vidimus, traditur à Scripturis, „ & Patribus, eorum nemine refragante. „ Verùm sensus, qui eis tribui posset, triplex & exoticus est. Primus quod fieri „ nequeat, ut quis Sacris literis abutatur: „ Secundus quod omnem eliminet dispositionem, & præparationem. Tertius „ quod introducere videatur dogma pestilens Calvinistarum, posse quemlibet „ Scripturas intelligere spiritu privato. „ Potest autem Quesnellus sensus istos singulos à se facilè amoliri „. Sic Hexapla, quæ veluti de vindicata Quesnelli sententia tam sibi plaudunt inaniter, quàm cum umbris pugnent ridiculè.

Clara est Quesnelli Propositio: *Lectio Sacra Scripturæ est pro omnibus*. Quis hic non intelligat lectionem Scripturæ Sacræ omnibus esse licitam, convenientem, utilem? Cumque certissimum sit, plurimis, præcipuè plebeis, rusticis, fœminis ignota esse idiomata Sacra Græcum, Latinum, & Hebraicum, licebit cuilibet Sacra Biblia in linguis legere vulgaribus.

Is sensus meritò condemnari à CLEMENTE XI. potuit, utpote apertè contrarius Regulæ quartæ Indicis Tridentini, jubente illo Concilio compositi, à Pio IV. & sequentibus Pontificibus approbari: repugnat directissimè Conciliis Tolosano, Narbonensi, aliisque superiùs commemoratis. Proscriptum vidimus à Clero Gallicano, ab ipsa Sorbona, supremoque Galliæ Senatu: magis etiam à reliquis Christiani orbis regionibus exulat, velut perniciosus, & ingentium in Germania turbarum, novitatum, hæresum occasio: atque utinam invitis Superis non irrupisset aliquando in Gallias, & Belgium, non ibi accepisset fides, & religio vulnus, vix absque prodigio medicabile.

Ubicumque verò ut in Italia, Hispania, Lusitania Quesnelli novitas horrori est, nullis agitatur Ecclesia procellis, nullam inferre labem hæresis hactenus valuit, quæ si brevi alicubi tempore virus paucis afflaverit, mox concidit penitùs extincta. Si istud potissimùm deberi dixeris Inquisitorum in hæreticam pravitatem vigilantiæ, non refragabor, verùm & quod in Germaniam, Poloniam, Belgium, Galliam introduci Inquisitio non potuerit, vel ubi cœpta fuerat, debuerit aboleri, fructus is non immeritò tribuetur versionibus Scripturarum vernaculis, quibus novaturientium sagacitate dispersis, atque per familias, & manus omnium volitantibus, tantos brevi progressus hæresis fecit, ut Inquisitionis impatiens, non ejus solùm; sed etiam Ecclesiæ, ipsorumque Principum Catholicorum jugum excutere non dubitaverit.

Notissima est bellorum illic civilium, & intestinorum, seditionum, rebellionum, obtentu religionis, & libertatis conscientiæ, luctuosa nimiùm historia.

Motus istiusmodi non obscurè minata nuper est adversariorum nostrorum fictitia pietas, & verissima hypocrisis: Sed de his plusculum contra Propositionem 96. & 101. Nunc ostendendum superest, excusationes, quas

quas vidimus frivolas, non deberi Quesnellianorum ingenio; sed Chamieri Calvinistæ, eisdem faces hic, ut passim alibi præferentis. Illas ex hoc hæretico collegit author epistolæ Gallicæ, cujus parallelum circa citationes Scripturarum, & Patrum dedi capite tertio.

Sic itaque Chamierus pag. 363. *Experientia testatur, non paucos eâ lectione* (Bibliorum) *abuti sceleratissimè*. Pag. 384. *Nos ita dicimus, concedendam cuique lectionem, ut nec quisquam imparatus accedat*. Pag. 544. *Illotis pedibus, & manibus ad Sacras literas accedere pro gravissimo crimine haberemus*. Pag. 582. *Quem appellant privatum Spiritum? Efficaciamne illam particularem, cuique Fidelium, quæ est à Spiritu Sancto, quaque efficit, ut Scripturam intelligat, hoc est, sensum assequatur verum genuinumque? Sed enim calumniam fieri querimur, cùm nobis quidquam ejusmodi impingitur*. Pag. 363. *Quod si quædam adhibenda sit discretio, ea particularis esto pro captu singulorum; tametsi nullum unquam putamus casum dari posse, ut sit lectio cuiquam in solidum inhibenda; sed tantummodo aliquarum partium. Possunt ergo Fidelibus Pastores consilium dare, ut lectionem ne incipiant à veteri Testamento, sed à novo &c.*

Ut Chamieri ubique eadem assertio, & excusatio est, quæ Hexaplorum, eadem quoque probatio, & contra orthodoxos Theologos calumnia: *Neque enim æquum est*, inquit & Chamierus, *ut propter hos paucos, sive multos malos, suo bono omnes pii priventur... Quod tandem est hoc hominum genus* (Papistæ)? *Non timent, ne ipsissimum Christi Corpus profanetur; si in ebriosum stomachum ingeratur.... & sacrilegium exclamant; si tractetur Verbum Dei. Quemadmodum igitur non est penitùs tollendus vini usus, quia multi vino abutuntur ad ebrietatem; sed severè compescendi ebriosi; sic non debet interdici lectio; quia nonnulli eam detorquent ad usus parum dignos; sed horum Sacrilegium seriò ulciscendum*.

Quòd Catholici non timeant profanare Christum, si corpus ejus in stomachum ingerant ebriosum, calumnia nimis putida est, & nimis patulæ falsitatis, quam ut refutari mereatur: non minùs à veritate alienum est, Divini Codicis Lectionem ab Ecclesia prohiberi omnibus; imò permittitur omnibus linguam Sacram callentibus, ut Latinè, Græcè, vel Hebraicè legant; vernaculè autem qui idonei fuerint *judicio Episcopi, aut Inquisitoris, cum consilio Parochi, vel Confessarii*, ut Regulâ 4. Tridentini Indicis traditur. Ebriosus facilè foris dignoscitur, & deprehensus à mensa potest arceri Eucharistica; prava autem Divini eloquii intelligentia animum vulnerat occultiùs, neque à sumente, ut virulentus error; sed ut medicina apprehenditur Salutifera: unde oriri solita pertinacia, quemadmodum in Lutheri, Calvini, & recentioribus Quesnelli Sectatoribus experimur, ad eum provehitur temeritatis gradum, ut omnis despiciatur authoritas, nulla ratio audiatur.

3 Atque istud quidem consectarium in Quesnelliana hypothesi prorsus ineluctabile est. Suas enim novus hic Apostolus non aliter construit in sacrum codicem *Observationes* de religione, neque longiùs promovet, quàm textus sacer *induxerit ac determinarit*. Hic autem à Divino Spiritu dictatus, inducere nequit nisi ad verum.

Præterea quidquid à Quesnello sic scribitur de religione, necessariò scribitur auxiliante gratiâ, siquidem juxta Art. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum*.

Cùm igitur, ut Quesnellus, & omnes ejus supponunt discipuli, suis ille *Observationibus* non aberraverit, necesse est, eas composuerit ex gratia. Sed neque hæc potest esse sinè fide juxta Articulum 26. *Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem*. 27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*. Dogmaticè quoque & sinè limite enuntiat Art. 10. *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*. Art. 17. *Gratia est vox illa Patris, quæ homines interiùs docet. Quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem filii, nullatenus est doctus à Patre*.

Quesnellus ut vidimus, quæcumque de religione tradidit, *inductus tradidit ac determinatus à sacri codicis textu*, determinatus à gratia, quæ, Quesnello judice, à fide, ac proinde à veritate non est separabilis. Unde mirum non est Doctoris hujus discipulos mutuari à Paulo, ut opinantur, anathema, quo feriunt universos, à novis dogmatibus dissentientes: *Si nos aut Angelus de cœlo &c.*

Frustrà quoque Sedes Apostolica novos Theologos excommunicationibus terret, postquam didicere à Magistro in ejus epistola typis edita sub nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* pag. 30. *Majore pollent ingenio Romani, quàm ut credant nos terreri sententiâ latæ excommunicationis Pontifici reservatæ*; quia juxta Art. 90. *Ecclesia authoritatem* quidem *ex-*

communicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores; sed non nisi *de consensu, saltem præsumpto, totius corporis*: nobis proinde, qui indubiè pars Ecclesiæ sumus, non consentientibus, irrita, inquiunt, censura est; neque potest justa esse, utpote feriens veritatem Divino lumine inspiratam, ut vidimus Articulis superioribus. Juxta nonagesimum autem primum *Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.* Deinde Art. 92. *Pati potius in pace excommunicationem & anathema injustum, quàm prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum: tantum abest ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem.*

Animos etiam Quesnelli discipulis maximos addit & solatium Articulus 93. *Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit: Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.*

4 Frustraneæ demum sunt exhortationes omnes & monita, quibus novos istos Theologos conatur Pontifex, conantur Cardinales & Episcopi ad saniorem mentem reducere, & ad consentiendum & obediendum Ecclesiæ: vel enim gratiam habent, vel eâ destituti sunt. Si habent, ab ea optimè & meliùs quàm à quolibet homine instituuntur, quia ut jam vidimus Art. 17. *Gratia est vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum. Quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem filii*, aut cujuscumque hominis vel Angeli, *non est doctus à Patre.* Sinè gratia autem & quidem efficaci & efficiente, nulla obedientia, nulla conversio à malo, nihil operis boni in hominis potestate est juxta Art. 2. *Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: sinè illa non solùm nihil fit; sed nec fieri potest.* Art. 3. *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das quod præcipis.* Art. 4. *Ita Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, omnia operando in eis*; cætera omnia impossibilia sunt.

Imò absque efficaci gratia exhortationes omnes & monita, quantumvis aliàs salutifera, noxia fiunt & penitùs exitialia, juxta Art. 5. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes & gratiæ exteriores, non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.* Quæ sententia, quantumvis horrida, & pestilens; novatorum tamen indoli consentanea est. Quis enim non perspiciat, eos omnibus Sanctissimi & Clementissimi Pontificis studiis, hortationibus, Decretis, Cardinalium quoque, Episcoporum, Principum & bonorum omnium solicitationibus, monitis, orationibus adeò non emollitos, non menti redditos saniori, ut vel inde plus pertinaciæ & furoris concipere in dies videantur. Quapropter si eorum solummodo cura Præpositos Ecclesiæ & Scriptores polemicos tangeret, dicere forsitan possent: Curavimus Babylonem & non est sanata: derelinquamus eam. Verùm cùm debitores simus omnibus, & à vulgo fidelium, maximè simplicium pernicies avertenda sit, novitatem oportuit modis omnibus concutere, & demoliri.

5 Ad Paralleli complementum superest gloriatio, quæ in Hexaplis, & Chamiero est de *Patrum omnium patrocinio, nemine eorum penitùs dissentiente, quoad sensum scilicet Articuli obvium & connaturalem, quidquid sit de exotico & peregrino*: Sic Hexapla editionis 2. pag. 10. Chamierus quoque de Canonis usu lib. 10. cap. 4. pag. 367. *Amplissimam victoriæ materiam præbet nobis perpetua Christianorum praxis, quæ lucalentissima apparet in veterum monumentis, quorum vix ullus est, qui diligenter Scripturæ meditationem non urgeat, ad eamque totis viribus laicos non excitet. Enimverò si laicos, si conjugatos, si mulieres, si pueros, si pauperes comperimus liberè usos Scripturâ Sacrâ &c.* Idem *Amplectimur sententiam dicentium Scripturas Sacras, saltem ex divina ordinatione, & ex præcepti necessitate, populo fideli communes esse debere. Certissima habemus argumenta nostra sententiæ; primò ex Scriptura, deinde ex Patribus.*

Nos verò duabus disputationibus contra præsentem & superiorem Articulum ostendimus, neutri quidpiam esse, sive in Scripturis, sive in Patribus præsidii: complures dedimus utrique oppositos, atque inprimis Testamenti veteris praxim contrariam: in novo similiter lectionem totius sacri Codicis, quemadmodum uterque Articulus nullis Scripturarum partibus circumscribitur, monstravimus nulla veterum authoritate fulciri, reprobari à Sanctis communiter: eosdem quoque lectionem Divini Voluminis commendantes, de eo agere prout illis temporibus extabat sacro idiomate, Latino, Græco, & Hebraico, in quo etiam hoc tempore lectio omnibus permittitur, ut Cardinalis Perronius contra Jacobum Regem Angliæ observavit.

Lize-

Liceius, approbante Galliæ Clero, addit lectionem Divini eloquii populo à Patribus prædicatam, intelligi debere juxta regulam juris, ut ad solos pertineat idoneos. Omnes quoque Theologi à novitatibus non præoccupati agnoscunt diversissimas circumstantias antiqui temporis & præsentis: Olim fidelem populum magis docilem fuisse, magis Sacerdotii reverentem, magis erga Præpositos Ecclesiæ submissum, minùs temerarium, minùs in nova dogmata propensum; neque tantâ experientiâ habebantur comperti tot abusus ex lectione illa promiscua exorti, tot hæreses per eam latissimè dispersæ, tot circumventæ cum viris rudibus fœminæ: tot denique versiones infidæ in linguas vernaculas à sacris editionibus discrepantes, & à novatoribus ad suas ingerendas hæreses, subdolè excogitatæ.

Unde nemo sapiens & probè Catholicus dubitat, quin, si Sancti Patres hoc tempore revivisceret, eandem, quæ ubique gentium probatur servaturque in Ecclesia, praxim statuerent, in his circumstantiis fortiter retinendam. Ita censentes exhibui nationum omnium doctissimos Scriptores, etiam clarissimam Sorbonam: ita Episcopos, Archiepiscopos, Cardinales, Clerum Galliæ cum supremo illic Regio Senatu, post varia celebrata in eodem Regno & alibi Concilia. *Si quid autem tota per orbem frequentat Ecclesia ..... Quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est*, ut meritò docuit Augustinus epist. 118. De novitate verò nunc in Galliam irrepente, respondi aliàs obiter, plus aliquid addituros capite proximo.

CAPUT VII.

Mantissa, sive Auctarium à Clero Galliæ approbatum.

1 Etsi debellata satis novitas Lectori Catholico visa fuerit, pugnantibus contra eam tot heroibus omni armorum, argumentorum, inquam, genere instructissimis; quia tamen spiritu Diabolico incitata pertinacia nunquam domari nimiùm poterit, addere lubet rationem octavam eamque ultimam quam post alias septem anno 1578. Poncetius ex Benedictinorum Ordine celebris Doctor Sorbonicus dedit Illustrissimo de Gondy Episcopo Parisiensi occasione judicii, quod is petierat à Theologis Sorbonicis de sacro volumine in linguam Gallicam vertendo.

Rationem illam tradit cap. 9. sub hac epigraphe: *Ratio octava est, ad retinendum ordinem, quem Redemptor noster in Ecclesia pro ejus gubernatione stabilivit, qua in magnam incideret confusionem, si Bibliorum in linguam vulgarem translatio permitteretur.*

Tunc enim perdifficile foret, & quodammodo impossibile, sexûs utriusque populum, novitatis adeò amantem à lectione sibi noxia arcere: unde subverso, inquit, debito Pastores inter & gregem ordine, necesse foret indicatam succedere confusionem. Ratio hæc solidissima, quæ prout à Poncetio Gallicè deducitur, utiliter hic Latinè exhibebitur integra: Cùm enim totum hoc Poncetii judicium, cùm septem aliis rationibus, quas brevitatis causâ prætereo, à Clero Galliæ approbatum fuerit anno 1661., & ejus *jussu*, ut præfertur, ac *mandato*, iterum typis editum Parisiis, necesse est ingenti pondere, in Galliis præcipuè, Quesnellianam obruat novitatem. Sic habet.

2 „ De Ecclesia Dei mentionem faciens Apostolus, eam nobis exhibet instar corporis, quod pluribus constat membris pro sua incolumitate, atque regimine necessariis; quorum licèt omnia & singula suo capiti (Christo scilicet Domino nostro) Fide, Spe & Charitate debeant adhærere, adeò inter se conjuncta, ut cum ipso, & per ipsum in æternum vivere possint in Regno cœlorum; non omnia tamen & singula ad idem ministerium fuere designata. *Unicuique autem nostrûm* [inquit Apostolus Ephes. 4.] *data est gratia secundùm mensuram donationis Christi; ascendens enim in altum dedit dona hominibus: dedit quosdam Apostolos; quosdam autem Prophetas; alios verò Evangelistas; alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.*

„ Quapropter quandoquidem Episcopi Apostolorum successores, sint Ecclesiæ Pastores, Antistitis munera perpendens Hilarius fatebatur, necessariò ad populum suum de rebus Divinis ipsi esse dicendum (*ac mihi quidem*; sic ille lib. 6. de Trinit.) *præter studii mei, atque officii necessitatem, quâ hoc Ecclesiæ Episcopus prædicationis Evangelicæ debeo ministerium &c.* Idem asseruit Ambrosius lib. 1. de offic. cap. 1. ostendens, Episcopos docendi munus effugere non posse: *id enim nobis refugientibus imposuit Sacerdotii necessitudo.*

3 „ Nos ergo quibus Sacrarum Scriptu-

„ tarum

„ rarum credita est dispensatio, gregemque Christi Domini nostri pascendi sumpsimus partes, maximum periculum adituros esse arbitramur, si nostro prædicandi officio defuerimus: & quamvis delicta nostra nos à tanto ministerio removeant; ad idem tamen nos divinum præceptum excitat, ita ut cum Apostolo 1. Corinth. dicere possimus: *Euangelizandi necessitas mihi incumbit: væ enim mihi est; si non Euangelizavero; si enim volens hoc ago: mercedem habeo; si autem invitus, dispensatio mihi credita est.*

„ Libenter intelligerem, quâ nitatur ratione hæc Euangelizandi Populo verbum Dei necessitas; si satis, & absque periculo aliunde doceri valeat? Quâ de causa, ad Ecclesiæ suæ regimen jussit Christus Dominus, ut ejusdem Pastores Doctorum nomine forent pariter insigniti; nisi quia necessarium est ut populum doceant? Cur verò necessarium est, nisi quod populus, quæ ad sui institutionem scripta sunt, percipere per se non possit? Adeò ut arguens Apostolus illos, qui eadem intelligere præsumunt, ipsis ostendit 1. Cor. 12. *non omnes* esse *Apostolos, non omnes Prophetas, non omnes Doctores*, perinde ac dicat, non omnes à Deo fuisse electos, ut Sacra Biblia exponerent, adeòque non omnibus & singulis fieri potestatem eorumdem sibi intelligentiam vindicandi, nisi priùs didicerint ab iis, qui ad hoc sunt constituti; non enim legem & Scripturas singulis credidit, ut eam in se quisque recipiat, difficultates explicet, dirimat controversias; sed Presbyteris, Episcopis, Doctoribusque easdem tradidit; *ipsis* verò, cùm pro munere suo docere alios teneantur, *cognitio propterea Scripturarum est necessaria* (Augustinus lib. 2. de Doct. Christ.) ut in eorum numero Pastorum esse possint, per quos Populo suo promisit Deus, *Et dabo vobis pastores juxta cor meum: & pascent vos scientiâ & doctrinâ*. Jerem. 3.

„ Quod etiam dixerat Malachias cap. 2. *labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est*. Sacerdos autem Dei; juxta Hieronymi Commentarium, *Angelus Domini interpretatur: Angelus autem, id est, nuncius, Sacerdos Dei verissimè dicitur; quia Dei & hominum sequester est, ejusque ad populum nuntiat voluntatem, & idcirco in Sacerdotis pectore rationale est, & in rationali Doctrina, & veritas ponitur: ut discamus, Sacerdotem doctum esse debere, & præconem Dominicæ veritatis*: quam propositâ capitali pœnâ, populo annuntiare atque exponere tenetur. *Hinc Moysi præcipitur, ut tabernaculum Sacerdos ingrediens, tintinnabulis ambiatur: ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni speculatoris judicium ex silentio offendat: Scriptum quippe est, namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur; quia iram contra se occulti judicis exigit, si sinè sonitu prædicationis incedit*. Hactenus Gregorius lib. 1. epist. 24. Quamobrem populo etiam præcipitur, ut præpositis suis obediat atque subjaceat; *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Apost. ad Heb. 13.

4 „ Hinc patet, quod, sicut Pastorum est, populo verbum Dei loqui, sic etiam populi est, ab iisdem accipere, quomodo sit intelligendum, vel interpretandum: nec in evolvendis Sacris Bibliis tempus terere debet, ne periculum adeat persolvendi pœnas debitas, ut accidit Oziæ Regi, ex eo quod temerè Sacerdotis officium usurpaverit, vel ut evenit Core, Dathan, & Abyron, qui Dei imperium recusarunt; illud enim ad solos pertinet Sacerdotes, Episcopos & Doctores, quos ad Ecclesiæ suæ regimen constituit Deus; ipsi verò *velut Apostoli fidem Christi prædicantes, quæcumque saluti necessaria crediderunt omnibus credentibus* [ut ait Origen. in Procemio Peri-archon] *manifestè tradiderunt*.

„ Quamdiu quisque suo in officio permansit, id est, quandiu Pastores in erudiendo populo, Populus in discendo, suam operam & diligentiam posuerunt, tanta fuit in Ecclesia concordia, ut omnes ejus ordinem mirati fuerint: Illa enim instar corporis optimè compositi, omnisque ex parte connexi, *secundùm operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis faciebat in ædificationem sui in charitate*: Ephes. 4. Ast ubi tanta sui fiducia incessit populum, ut Pastorum documenta non ipsi visa fuerint satis; cœpit ambulare, *sicut & Gentes ambulant, in vanitate sensûs sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum*. Ephes. 4.

„ Hac de causa Lutherus & Melanckton prohibuerunt, nè ullus impòsterum de Sacris Literis ageret, nisi ad tale mini- „ ste-

„ fterium legitimè effet vocatus. Quandoquidem enim Bibliorum in linguam vernaculam translatio concedirur populo, non finè gravi multorum offenfione, Sutores, Lanii, Piftores, Bajuli, Apoftatæ etiam & Lenones, Lenæque Prophetatum atque Doctorum gerunt partes. Precor Deum Opt. Max. ut miferam fuam Ecclefiam clementer adfpiciat, Regibufque noftris infpiret, eidem bonos deligere Paftores, qui fanam doctrinam docere, veritatique refragantes repellere valeant.

Hactenus Poncetii, & cum eo, ut monui, Cleri Gallicani judicium, cujus conclufio, & fimul piiffima ad Deum oratio, eadem eft hodie Sanctiffimi Pontificis & totius ipfi obedientis Ecclefiæ, pro Gallicana, quam Quefnellianis novitatibus, eifque infeliciter patrocinantium contumaciâ, turbatam adeò, neque levi, aliquibus in locis, confperfam maculâ, omnes lugent Catholici. Deus utinam mifereatur, & per Chriftianiffimum Principem tempeftivè, atque efficaciter provideat, antequam latiùs ferpens novæ hærefeos contagium vires ceperit majores, ficut de Calvinifmo funefta docuit experientia, qui vix ferro illic, & flamma atque extremis quibufve remediis extingui valuerit, aut à progreffibus toti Regno exitialibus impediri.

5 At, inquies, faltem legere Sacrum Codicem vulgari idiomate, hæreticum non eft, in Gallia penès plurimos utriufque fexûs fideles, etiam maximè pios invaluit confuetudo, adeò ut non nifi ægerrimè ab ea reducendi fint, & librum Epifcopis reddituri. Quin timor minimè levis eft, nè odium populus, defpectumque concipiat Epifcoporum ac ipfius Pontificis, fi Tridentini Indicis Regula quarta ad praxim rigidè deducatur, negando abfolutionem confitentibus, qui Biblia Gallica tradere noluiffent, aut eorum omittere lectionem. Quapropter in Gallia faltem ibi exigere videtur quies regni, atque incolumitas Ecclefiæ, ut generalis potiùs facultas ab Epifcopis concedatur. Alioquin Diœcefes murmurationibus replebuntur, non finè fchifmatis periculo, utque feceffionem ab Ecclefia paffim hærefis comitatur, aut fequitur, non exigua brevi fiet ad partes hæreticas acceffio.

Ita politici quidam hujus temporis dictante prudentiâ carnis, femper Ecclefiæ adverfâ; fi enim rurbarum & fchifmatis metu, permittenda modò fit promifcuè omnibus lectio Bibliorum vernacula, poftquam experimentis didicimus adeò luculentis, utriufque potiffimùm fuperioris feculi, vix aliam Luthero, Calvino, eorumque fectatoribus artem ad circumventionem fimplicium, fuarumque augmentum partium fucceffiffe feliciùs, quid negari Novatoribus poterit, poftquam immenfis acceffibus redditi fuerint firmiores, ideoque longè ampliùs meruendi? Tunc fcilicet neceffe magis videbitur malum quodlibet diffimulare, laxando malignantibus, quantum ipfi voluerint, habenas.

Si ita res eft (diceret S. Cyprianus) *ut nequiffimorum timeatur audacia, & quod mali jure atque æquitate non poffunt, temeritate ac defperatione proficiant, actum eft de Epifcopatus vigore, & de Ecclefia gubernanda fublimi ac divina poteftate: nec Chriftiani ultra aut durare, aut effe jam poffumus; fi ad hoc ventum eft, ut perditorum minas atque infidias pertimefcamus.* Ita fcribebat epift. 55. Cornelio Pontifici. Territus hic quodammodo videbatur minis Feliciffimi, qui fchifmaticorum munitus agmine Romam appellens, gravia Pontifici minatus fuerat, nifi fuæ acquiefceret poftulationi.

Audiendum nobis Cleri Gallicani judicium in Tractatu de *Stripturis Divinis quavis lingua non legendis, atque de auguftiffimo Miffæ Sacrificio, cæterifque Officiis & precibus in Ecclefia Chrifti, Hebræa, Græca, aut Latina lingua tantùm celebrandis.* Edita primùm ea lucubratio fuerat à fefqui-feculo videlicet anno 1573. à Jacobo Ledefmo, poftmodum anno 1661. adoptata à Clero Galliæ, ejufque ac Regiis typis Lutetiæ Parifiorum iterum in lucem prodiit. Titulus capitis 23. eft: *Nullo pacto eft permittendum, nec concedendum, ut facrum fiat vulgari linguâ: fed neque ulla alia circa religionem hæretica petitio eis concedenda.* Cap. 24. *Ecclefia, Concilia & Pontifices non confueverunt permiffionibus, fed contrariis Conftitutionibus mederi hærefibus.*

Ex utroque capite aliqua referre juverit, à lectoribus ad rem noftram facilè applicanda.

Et quidem [unde objectio ducebat initium] quod hæreticum non fit Scripturam legere in lingua vernacula, nemo negaverit; fed an hærefim non fapit, notiffima Novatorum intentio, feu ratio, propter quam ea lectio contra prohibitionem Sedis Apoftolicæ defenditur, commendatur, inculcatur omnibus? Utor refponfione à Clero Galliæ circa materiam fimilem approbatâ, in jam producto Opere.

6 „ Concedendum non eft; quia radix „ hu-

„ hujus petitionis est hæresis; eâ enim de „ causa isti ad petendum moventur; quia „ interiori hæresi laborant, quâ putant id „ necessarium esse, vel ita debere fieri, vel „ potiùs sic expedire, & malè fieri, & non „ licere contrarium. „ Ibid. „ Amplius „ non est concedendum, quia petunt ex „ malitia, & odio, ut Ecclesiam vexent: ut „ ita vel ignorantiæ, vel erroris, vel cul- „ pæ eam possint arguere. Est namque „ antiquus hæreticorum mos, his similia „ fraudulenter petere, ut de ipsa Ecclesia „ conquerantur, & reprehensionis occa- „ sionem possint contra Summas Ecclesiæ „ potestates ad populum invenire: hoc, „ inquam, schemate & ratione, seu po- „ tiùs actione malitiæ cornutâ, armati, ca- „ pere eam valeant, ut olim Christum „ Pharisæi.

„ Aut enim hoc Ecclesia eis concedit, „ quod postulant, aut non. Si nolit con- „ cedere, jam tanquam crudelissimam ma- „ trem, seu novercam eam accusant; quod „ filios ita contemnat, ut ob rem non ita „ gravem, quin levissimam, nulliusque „ momenti, ut ajunt, vel certè talem, quæ „ concedi posset, illos à se separari per- „ mittat, nec ad unionem recipiat. Sin „ concedat, tunc petulanter se solent glo- „ riantes jactare, & exclamare, suâ operâ „ resipuisse tandem Ecclesiam: hactenus in „ errorum tenebris jacuisse sepultam: ip- „ sos eam à tanto errore liberasse: hacte- „ nus desidiæ & ignaviæ deditam torpuisse „ & ignorantiæ caligine circumseptam, il- „ los suâ tandem doctrinâ & diligentiâ il- „ luminasse, & per ipsos denique factam „ esse doctiorem...

„ Itaque si non concedit, crudelitatis „ & impietatis reprehendunt ac divisionis: „ Si concedit, aut ignorantiæ, si nescivit; „ aut malitiæ vel negligentiæ & socordiæ, „ si scivit, nec fecit. Tales ergo esse so- „ lent istæ hæreticorum fallaciæ, & unio- „ nis, quam minimè optant, vafræ peti- „ tiones.

„ Jam vero si hæretici unionem cum Ec- „ clesia desiderarent, non se ipsos hac de „ causa separarent, & ob rem itâ levem, ut „ ipsi volunt, non ab illa sese sejungerent. „ Deinde, quod majoris est momenti, in „ aliis rebus gravioribus cum eadem, quod „ tamen non faciunt, ultrò consentirent; „ sed cùm non ita faciant, planè fictum „ suum animum ostendunt.

7 „ Præterea aut id petunt Catholici, „ aut Hæretici: non Catholici; quia hi in Ec- „ clesiæ usu acquiescunt: ergo hæretici: At „ ii indigni sunt, quibus concedatur priùs, „ quàm ab hæresi resipiscant. Redeant „ enim: tum deliberabitur de te, quæ sub „ dispensationem cadit. Quanquam quid „ sibi vult hæc petitio; cùm ultro sinè ul- „ lius permissione, aut cõcessione sic agant? „ ... Item aut sunt Schismatici, & inobe- „ dientes Ecclesiæ Catholicæ, & Summo „ Pontifici, ejus potestatem negantes, qui „ hoc petunt: vel sunt obedientes, & ejus „ potestatem agnoscunt. Si agnoscunt qui- „ dem potestatem, nil debent immutare; „ sed obedire. Cur ergo non obediunt? „ Si non agnoscunt, frustrà petunt ab eo, „ qui ex eorum sententia potestate caret.

„ Denique istis omnibus id concedere, „ id est Hæreticis, vel Schismaticis, nihil „ aliud est, quàm illos in eorum hæresi, „ qua persuasi petunt, confirmare, & ob- „ durare magis; hos verò, scilicet catho- „ licos tristitiâ & dolore afficere, & eorum „ vires imminuere, ac animum dejicere; „ medios autem inter utrosque, dubios „ scilicet ac debiles in fide, in errorem im- „ pellere, ac deturbare: vel dubios magis „ & ancipites reddere: ut interim omitta- „ mus, quod ex superbia, æmulatione quo- „ que, & pertinaci contentione hæc pe- „ titio oriri videatur &c. „. Hactenus „ cap. 23.

Sequitur 24. „ Ultimò tandem ostenda- „ mus, quod Ecclesia, Concilia, & Sancti „ non consueverunt permissionibus mede- „ ri hæresibus; sed contrariis Constitutio- „ nibus. Non, inquam, ut quod ipsi hæ- „ retici vellent, ac peterent, id eis per- „ mitterent libenter, atque concederent; „ sed potius contrariam, ac omnino ex „ diametro pugnantem sententiam consti- „ tuerent, ita ut interim, quæ erant licita, „ & divino eloquio possent esse consenta- „ nea, ob hæresis ambiguitatem, rigidè „ tamen prohiberent; nè scilicet hæreticis „ ulla ex parte assentiri viderentur.

„ Exempla hujus rei quàm plurima ha- „ bemus.... Atque ut ab initio Ecclesiæ „ exordium sumamus, Apostolorum au- „ thoritate, ne communicare cum Judæis „ Christiani viderentur, Sabbathi loco „ Dominicus dies, ut sanctificaretur, con- „ stitutus est.... Eorumdem authoritate „ tempus Paschatis constitutum est ex ea- „ dem causa diversum à Judæis. Sic enim „ statuerunt can. 9. ut si quis ante vernale „ æquinoctium Sanctum Paschæ diem cum „ Judæis celebraret Episcopus aut Presby- „ ter, abjiceretur.

8 „ Quin & illud observatum est quam- diu

„ diu durabat Sacerdotium Judæorum, ut „ qui Ministri reconciliationis, temporibus Apostolorum Sacerdotali officio fungebantur, non Sacerdotes; sed Presbyteri vocarentur. Adeò ne nomine quidem appellari Christiani, quo Judæorum Sacerdotes dignabantur: quâ cessante causâ, rursus Sacerdotis nomen resumpserunt. Item cum Manichæi Salvatoris nostri corpus negarent esse verum, & ideo exangue crederent, ac proinde sub una tantùm specie communicarent, Leo primus circa annum Domini 444. plus minus, Serm.4. de Quadragesima & in quodam Decreto, atque etiam Gelasius Papa in Decreto altero constituerunt, ut omnes sub utraque specie communicarent. At verò cessante hæresi, Ecclesia ad pristinum morem rediit.

„ Nestorius B. Virginem negavit esse Dei matrem; concedebat tamen matrem Christi esse. At Concilium Ephesinum sub anathemate jussit, nè Christi mater appellaretur; sed mater Dei: non quod hoc quoque nomen illi rectè tribui non possit; sed quod obviandum errori Patres putaverint, quo purum hominem Christum; non autem Deum & hominem Mariam peperisse, Nestorius contendebat.

„ Cùm Ebionitarum hæresis invalesceret de legalibus cum Evangelio servandis, & negarent posse in fermentato confici (Sacramentum) eo quod omnis oblatio, quæ offertur Domino, secundùm legem fit sinè fermento, non dissimulavit hic Ecclesia; sed contrarium præcepit, ut in fermentato pane sacra conficeretur Eucharistia; cùm res tamen alioquin esset ad Sacramenti veritatem indifferens, sive in azymo, sive in pane (fermentato) celebraretur.

„ Initio nascentis Ecclesiæ quidam de Trinitate malè sentiebant, Christum purum hominem existimantes... non baptizabant in nomine Trinitatis; sed in commemoratione mortis Christi, & una immersione. Ad auferendum hunc errorem in canone Apostolorum decimo nono, sic præcipitur ab Apostolis, & habetur De consecratione dist.4. Canone *Si quis Presbyter aut Episcopus non trinam mersionem unius mysterii celebret; sed semel mergat in Baptismate, quod dari à quibusdam dicitur in morte Domini, deponatur &c.*

„ Postea verò invalevit error quorumdam Schismaticorum, & Hæreticorum rebaptizantium... In detestationem erroris illorum fuit contrarium statutum in Concilio Toletano IV. cap.5. ut videlicet fieret una sola immersio: ubi sic ait: *Propter vitandum Schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplicem teneamus Baptismi immersionem*. Quod quidem etiam authoritate Gregorii Magni factum est lib.1. epist.41. in Registro.

„ Quidam, quos postea secuti sunt Manichæi, die Dominico & die Sabbati jejunandum esse dicebant. At Divus Ignatius epist. ad Philippenses refellens errorem scribit, interfectores esse Christi, qui jejunant die Dominico, vel die Sabbati; cum tamen licitè & cum merito hæc alioquin, & ex devotione fieri possint: atque hodie etiam ex præcepto rectè jejunamus Sabbato. De die Dominica idem vetuit Melchiades Papa & Martyr circa annum 312. & habetur *De Consecratione* Dist.3. Can. *Jejunium Dominici*.

„ Rursus contra, cùm quidam Judæi legem novam cum veteri pariter conjungendam arbitrantes, diem Sabbati observandum, & non esse in eo abstinendum dicerent, tunc Concilium Laodicense in Phrygia celebratum cap.29. Gregorius quoque *Dilectis Civibus Romæ* & habetur *De Consecratione* dist.3. can. *Pervenit*, statuit Sabbatum non esse observandum; quod id esset judaizare. Innocentius quoque Papa, & habetur *De Consecratione* Dist.3. can. *Sabbato*, huic etiam errori remedium afferre volens, affirmat Judaismi notam subire eos, qui die Sabbati non jejunarent. Jejunandum esse Sabbato, & non servandum (Sabbatū) asserit quoque Augustinus, & habetur dist.12. can. *Illa*: & contra Faustum lib. 19. & epist.86. ad Cassulanum: & Leo Papa IV. *De Consecratione* dist.3. can. *De esu Carnium*: & plerique alii Ecclesiæ Doctores.

„ A Joanne Chrysostomo graviter eos reprehensos esse legimus, qui iisdem jejunassent diebus, quibus Judæi solemniter jejunabant, Tom.1. contra Anomæos, & Canone Apostolorum 69. idem prohibetur; ne quis festa cum Judæis, vel dies jejuniorum observaret...

„ Præclarè D. Basilius per Legatos ab Imperatore requisitus, nè propter parvam doctrinam dogmatis perturbari sineret Ecclesias, respondit: *Qui divinis enutriti sunt eloquiis, corrumpere de Di-*

„ *vinis dogmatibus ne unam quidem syllabam*
„ *patiuntur ; sed pro his , si contingat , omnes*
„ *mortis species amplectuntur ...*

10 „ Vides igitur quid in hujusmodi ritibus Patres nostri secuti potissimùm fuerint , duo nimirum : unum , ut ne quid Christiani vel cum Judæis , vel cum hæreticis commune haberent ; alterum quod à Sanctissimo Leone epist.4. cap.2. scriptum est , ut unitas in fide , religione , & Dei cultu apud omnes servaretur. Sic ergo ait : Non aliter grex & unus Pastor sumus ; quam si , quod iterum atque iterum monet Apostolus , id ipsum dicamus omnes ; si perfecti simus in eodem sensu & in eadem sententia , si religionem , si ritus etiam eosdem servemus . „

Huc usque sapientissima Ledesmæ , atque eum eo Gallicani Cleri sententia ; de Missa quidem & cæteris Divinis atque Ecclesiasticis Officiis , vulgari idiomate non celebrandis. Rationes autem singulas facilè converteris adversus promiscuam Sacri Codicis in lingua vernacula lectionem , quam tanto studio , tot artibus & fraudibus inducere novi Theologi moliuntur. Edocti videlicet sunt tum experientiâ propriâ , tum prosperis Lutheri , & Calvini successibus , nullum esse medium illiciendis rudibus , dementandis fœminis , & quibuscumque suis insinuandis novitatibus magis idoneum .

11 Dicent , qui Episcopis , ut lectio illa promiscuè , & finè sexûs , ætatis , conditionis discrimine permittatur , authores sunt ; populum simul monendum esse , ut traditis sibi ab Ecclesia dogmatibus constans inhæreat , neque amoveri se ab iis facilè patiatur loci cujuspiam in speciem oppositi obscuritate ; sed pro Catholica ejus expositione recurrendum ad Ecclesiæ Ministros , Pastores , Doctoresque , quibus clavis scientiæ ad erudiendum alios commissa est . Speciosa ea quidem oratio ; sed impediendis lectionis istiusmodi perniciosissimis effectibus minimè sufficiens. Quis enim à temeraria multitudine istud obtineat , ut ubique cespitare solita , Doctores identidem adeat , aut Pastores ?

Dispersis totâ Galliâ infinitis exemplaribus Quesnellianarum & similium versionum , erroribus scatentium exitialibus , quomodo rude vulgus , quomodo fœminæ corruptiones interpretis perfidi , à genuinis distinguent Divinorum textibus eloquiorum ; præsertim ubi legerint præfixas operi approbationes magnificas , atque encomia à Doctoribus , subinde & Episcopo uno alterove minùs providè concessa ?

12 At , inquiunt , nos aridas , & nudas textuum versiones rudi populo passim , & fœminis non obtrudimus ; sed convenientibus sociatas commentariis , quibus quidquid uspiam ambigui est , perspicuum redditur & facilè intellectu .

Imò in iis præcipuè Provinciis , in quibus ab Arnaldo , Quesnello & utriusque sectatoribus , ardore maximo ea lectio promovetur , commentaria plerumque ipsis infidis versionibus nocentiora sunt. Non accersendum est eminus exemplum : in promptu omnibus est Novi Testamenti versio Quesnelliana , cujus circa textum depravationibus plurimas addidit observationes , è quibus centum & unam Constitutio UNIGENITUS perstringit , nos simul commonens plures , vitandæ multitudinis causâ , præteriri damnatis consonas .

Et quidem de omnibus authoria *Protestatio* declarat , eas ex ipsis sponte Sacris testibus profluxisse , *nullas se de religione protendere solitum , nisi ad quas ipsa divina eloquia inducerent ac determinarent .* Si autem Scripturarum studium Quesnello tot gravissimorum lapsuum occasio fuerit , quid erit imperitissimæ plebi , quid fœminis non nisi nimiùm se ipsis ineptire , & insanire solitis ? Neque Quesnelliana , ut patet , interpretatio & *Observatio* , quantumlibet exquisita , periculum auferet ; quin augebit in plurimis , imò in præcipitia propellet errorum , hæresumque sæpius pridem , & iterùm recentiùs damnatarum .

Neque ab ipsis fat tutum est Parochis , & animorum directoribus , quando eos conspicimus venenatarum mercium propolas , & velut circumforaneos institores . Ut nempe Lutheri & Calvini tempore observatum est , ferventissimos lectionis Sacræ in linguis vulgaribus consultores , hortatoresque præcipuos fuisse hæreseos tunc nascentis labe contaminatos ; ita nostrâ , si attenderis , tempestate facilè deprehendes , clamosissimos istiusmodi lectionis præcones , & authores , esse Jansenii , Baji , & Quesnelli hæresibus afflatos .

13 Quid itaque interpretationis salutiferæ , quid doctrinæ sanæ & Catholicæ in fidei dubiis , in ambiguis scripturarum textibus vulgus miserum expectare à talibus securè poterit ? Appellatio à Constitutione UNIGENITUS ad futurum Concilium accommodatissima est , ut unusquisque hæresim quamlibet Scripturis affingere impunè valeat , neque ulla Ecclesiæ authoritate cohiberi ; præsertim si Episcoporum aliquem in vesaniæ suæ patrocinium forti-

tan

tan & societatem pertraxerit.

Quandonam enim hoc seculo turbatissimo, pacatus adeò sperari poterit orbis, & tanta Principum consensio, ut Episcopis in Synodum œcumenicam convenire, & à suis, quanto tempore opus fuerit, abesse sedibus liceat? Interim potestas omnis Ecclesiastica suspenditur, neque coerceri hæresis & novaturiens turba poterit, non prius audaciam positura, quàm vitam; nec ab alio judicanda tribunali, quàm ubi nulla allegari poterit appellatio.

Hi fructus Quesnellianæ versionis sunt, & *Observationum* dogmaticarum ac *moralium*, quas novus interpres ac Theologus, in Novi Fœderis Codicem plurium annorum studio & vigiliis enixus est. Earum promiscua lectio adeò rapuit animos, etiam mulierum, & plebis infimæ, ut nulla tam vilis & abjecta hominum conditio sit, è qua non sibi vindices, & ad Concilium œcumenicum fecerit appellantes.

Invigilent, inquies, magis Pastores Doctoresque Catholici, & quæ partium suarum sunt, diligentiùs exequantur, commissum sibi populum monitionibus opportunis publicè & privatim instituant, veros Sacri Codicis sensus edoceant, avertant à spuriis; non tamen propterea versionem cum *Observationibus*, plurima pia & utilia continentem, penitùs auferant.

Quidni sic etiam Lutheri & hæreticorum omnium versiones cum annotationibus bona & utilia mixta impiis & hæreticis complectentes, vulgi oculis permittantur? Quid juverit bona multa didicisse, si cum iis hæresim non unam hauseris, atque impietatem? Bona siquidem omnia, error in fide pertinax pessumdat: neque meriti quidquam salutiferi patitur. Ad institutionem quod attinet à Pastoribus debitam, requiri ea meritò semper poterit, rariùs obtineri; utque filii hujus seculi, prudentiores filiis lucis sunt, agnoscenda est minimè levis, neque hodie primùm nata Ecclesiæ calamitas, quod novarum propugnatores hæresum, in iis quaqua versùs disseminandis impigri magis sint, & vigilantes, quàm Catholici communiter Ecclesiæ Ministri, ut eos arceant, vel succrescentia, tempestivè præfocent zizania.

14 Hæreticorum emissarii semper præsto sunt, ubique ultrò se ingerunt, & cum translatis vulgari idiomate Bibliis digito monstrant textus Sacros, è quibus suas Quesnellus elicuit *Observationes*, & quibus eas Hexapla stabiliunt, suo confirmantes testimonio, sensum ubique eundem esse, idem dogma Divino dictante Spiritu exaratum. Istud autem ubi fœminis, rusticis, & cuilibet ex imperita multitudine persuasum fuerit, facilius animum corpori, quàm cerebro auferes errorem. Itaque rudes & simplices passim facillimè seducuntur; non autem laboris adeò levis est seductos reducere.

Quapropter ubicumque versionibus istiusmodi vulgaribus libera conceditur divulgatio, & promiscua lectio, in his rerum circumstantiis, levitate scilicet hominum & temeritate, novitatum simul cupidine, Diabolo atque hæreticis, sub pietatis velamine, insidiantibus fidelium simplicitati; denique tantâ ubique dispersâ corruptissimarum multitudine versionum, quid expectes aliud, quàm ut erescente paulatim hæreticorum copiâ, adeò viribus augeatur nova Secta, adeò superbiâ intumescat, incitetur audaciâ, ut impatiens fræni, terrorem injiciat non Sacerdotio solùm; sed etiam imperio? ut dissimulari tandem debeat & libertate donari, nè motibus nimiis turbetur Respublica, atque ipsa exterminii periculum adeat religio.

Mihi quidem nunquam memoriâ excidet, narrari solitum à defuncto Archiepiscopo Mechliniensi de Duce Villeregio, hodierni Parente, & Ludovici XIV. olim juvenis institutore; quod zelum ejus contra emergentem Jansenii hæresim, hac potissimum accenderit ratione: Vidi, inquiebat, Calvini hæresim per Gallias latissimè diffusam, omnia illic implentem blasphemiis in Deum, & Sanctos, sanctorumque Reginam Dei matrem, direptionibus & incendiis templorum, Sacrorum omnium profanationibus, seditionibus, cædibus, bellis atrocissimis, & aperta adversùs gloriosæ memoriæ Patrem Tuum, rebellione.

Nunc autem novam Sectam conspicio, prioris legentem vestigia, authore Jansenio Batavo Regni Gallici infensissimo hoste. Quisquis autem hujus novæ Sectæ studia & artes attentè introspicit, priore quidem censebit aliquanto magis subdolam, cætera minus dissimilem: Simile ejus exordium, similes promittit tempore progressus, fructusque, quos horret animus augurari. Ego quidem ætate provectior funestos istiusmodi effectus non experiar; Sed Tu Rex experiere, nisi tempore prospicias, hæresim in ipsis quodammodo incunabulis suffocando.

15 Apprehendit tunc quidem gravitatem mali Rex juvenis, manumque præpotentem mox admovere cœpit operi, obten-

tis à Sede Apostolica pluribus Decretis & Constitutionibus; refractarios ipse mulctans carceribus & exiliis, destructo tandem funditus Portûs Regii Monasterio. Extinguendæ autem penitùs hydræ, nonnisi menses aliquot vitæ defuisse à pluribus creditur. Verùm divinæ haud placuit providentiæ tanto Regem in hac vita beare solatio, regnumque tantâ liberare pernicie. Sperare autem liceat hanc Deum reservasse gloriam Christianissimo ejus hæredi, disponente ad hoc omnia Serenissimo Aurelianensi, Regni interea Administratore.

Vereor tamen, ut finem unquam hæreseos Gallia nanciscatur, quamdiu præcipuam impunè patitur mali originem, quæ Bibliorum continua & corrupta translatio est, ac promiscua lectio. Non quasi, hac sublatâ, infringeretur statim omnis Jansenistarum pertinacia; nam *oportet hæreses esse*; Sed emorientibus paulatim, & partim carcere frænatis Sectæ principibus, non distenderetur facilè ad vulgus, neque per illud Regi, Senatui, Episcopis terrorem incuteret multitudine, ac tumultuum comminatione.

Non vanum augurem fuisse Ville-Regium Rex ipse paulo ante obitum expertus est, quando quod supremâ sanxerat authoritate, exequi non potuit intentatis à suscitata multitudine seditionibus, quarum præsenti periculo fuisse compulsus ipse Galliæ Senatus dicitur ad intercedendum pro Decreti Regii suspensione.

Terrorem ut augeret Factio, quæ sibi devotos tenet Hollandiæ Gazettarios, identidem inseri curabat novorum relationibus, omnia in Galliis plena motibus esse adversùs Constitutionem UNIGENITUS: Parisiis paratam esse totius populi seditionem: solam esse Archiepiscopi authoritatem, quæ eam sisteret.

Hinc contigerit ut Senatus, ut Rex ipse invictissimus, quem totius Europæ arma subigere non potuerant, Jansenistarum aliquot pertinaciæ, & inconditæ multitudinis clamoribus cedere quodammodo coactus sit; quanquam, ut indicavi, indubitatum habeant in Gallia complures, Regem, si protracta ei aliquantulum vita fuisset, infracturum brevi rebellium audaciam; sed Deo aliter visum; qui utinam, quam extinctæ hæreseos gloriam inter vivos degenti concedere noluit, ejus in cœlo precibus inclinatus, non diu differat Christianissimo ejus hæredi, Regnique interim Serenissimo Administratori!

Propositio damnata octogesima prima.

Obscuritas sancta verbi Dei non est laicis ratio dispensandi seipsos ab ejus lectione. *Obser. Mor. in Act. cap. 8. v. 31.*

CAPUT I.

Impugnatio erroris quoad præceptum laicis, fictione impositum Jansenianâ.

1 Laicis hic à Quesnello non obscurè lex præscribitur legendi Sacrum Codicem; legem enim supponit necessitas dispensationis: & penès Jurisconsultos, Dispensatio est rigoris mitigatio, vel pœnalitatis moderatio, facta per eum, qui potestatem habet ex publica authoritate. Lex civilis indulgentiam vocat. Bal. in Addi. Spe de Dispen. ver. 1. & in Spe. §. 1. Item est relaxatio juris. 11. q. VII. §. III. & §. eo verb. 1. Præceptum quidem illud hæretici reperire sibi visi sunt in illo Christi apud Joannem cap. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas*: Inter illos Piceninus cap. 16. art. 12., & cap. 17. ubi Ecclesiam accusat velut Antichristianam propter Regulam 4. Indicis; quasi idem sit non permittere promiscuam versionem vulgarium lectionum, & ipsum Divinum Codicem libris annumerare prohibitis.

Verùm si Quesnellus ab hæreticis hoc didicerit præceptum, quod ignoraverant hactenus Catholici; non tamen ipse, aut ejus vindices, sive in *Hexaplis*, sive in *Observationibus in Propositiones*, sive in earumdem cum Scripturis & Patribus *Collatione*, eam Christi sententiam pro se adducere ausi sunt, satis conscii, nihil eam pro mandato omnibus hominibus imposito continere.

Ad solos Judæos incredulos, eosque Scribas, & legis Mosaicæ peritos, ea Christi dirigebatur oratio, ut scilicet, qui Christum tot probatum miraculis, ipsius Patris & Spiritus Sancti testimonio confirmatum, nolebant credere esse Messiam, scrutarentur ipsi Divina Oracula de Christo Domino exarata; ea Jesu Nazareno convenire, certissimè deprehensuri.

Præ-

Præterea quòd *Scrutamini* tam Græcè, quàm Latinè in modo æquè indicativo accipi valeat, ac imperativo. Priore modo intelligit Cyrillus, ut sensus sit: Vos, ô Judæi, tantâ diligentia versatis Sacras paginas, quæ indubitatum de me perhibent testimonium; sed fidem eis detrahitis ex odio, quo me persequimini. Quo sensu perspicuum est, nullum affingi posse in Christi vocibus præceptum. Sed neque ullum est in communiore, & magis verisimili interpretatione, quæ Sermonem Christi vel ut impetantem intelligit cum Augustino, Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio; Quin, ut monui, & circumstantiæ determinant, non ad omnes homines ea dirigitur oratio; sed ad perfidos solummodo Judæos, tot signis manifestissimis, & indubitatis prodigiis fidem pertinaciter denegantes.

2 Sed neque omnia, quæ imperativo modo, sive familiaris sermo, sive divinæ literæ enuntiant præ se necessariû ferunt mandatum, quod dispensatione egeat, ut non servetur. Mandatum verò rigidum omnibus impositum intelligi à Quesnello, ejusque contubernali præceptore Antonio Arnaldo, accipimus ab utriusque discipulis: atque inter hos Andrea Schurio, qui cùm Missionem Hollandicam concionibus turbaret, exauthorari à Vicario Apostolico, sibi aliàs benevolo, debuit. Hoc verò, ut vocare solitus est, *otio sancto*, impigrè in posterum usus est, ad novitates, quas à Gallis istis profugis hauserat, typicis editionibus divulgandas.

Accusatus de noxia cum Gallis novatoribus familiaritate, potissimùm cum Arnaldo; nam Quesnellus, aliique ejus socii tunc minùs innotuerant, in Apologia contra *Breve Memoriale*, respondit dolere se maximè, quod non frequentiùs & diutiùs frui sibi licuerit viri tanti alloquio. Quapropter ex lucubrationibus ejus ampliùs proficere conatus est, quando in *Sanctuario simplicibus aperto* parte 2. pag. 2. ita præfatur: *Sacra Scriptura à viris, & fœminis, à pueris & adultis, à doctis & indoctis, ab omnibus Christianis legi debet*. Dein pag. 54. *Lectio*, inquit, *S. Scripturæ non solùm est licita & laudabilis exercitatio; sed etiam obligatio Christianorum, quæ neque ratione paupertatis, neque teneræ ætatis, neque ob ingenii tenuitatem, neque ob ullos alios obtentus vanos prætermitti potest*.

Inter obtentus vanos, ut ex Quesnello Schurii Oraculo colligimus, est Scripturarum *Obscuritas*. Idem repetitur & fortiùs inculcatur in Apologia, duas epistolas complectente ad P. Alexandrum à Sancta Teresia Carmelitanum, epist. 1. pag. 14. §. 5. & epist. 2. pag. 7.

Idem Schurius est qui fictitio Christiani Philireni nomine, quædam edidit obscura opuscula adversùs Constitutionem UNIGENITUS. Cui enim operi *otium* suum, *Sanctum*, quàm sustinendis novitatibus hæreticis, novatot sanctiùs consecraret? Quesnellus etiam cum suis istiusmodi Sectatoribus, minimè veretur criminis reos agere, quotquot ultimo sesqui seculo in Ecclesia fuerunt, cum Summis Pontificibus Sacri Antistites, qui post conditas jussu Tridentinæ Synodi Regulas Indicis, à Pio IV, ejusque Successoribus approbatas, in suis eas curaverunt Diœcesibus observari. Sic enim Fidelibus vetuerint, quod Deus, Schurio & Quesnello judice, imperavit.

Obtendent forsitan novatores, Regulas Indicis in Gallia non admitti; verùm mendacii convincuntur ab ipsa Facultate Theologica Parisiensi, quæ anno 1567. die 5. Julii censuram suam contra versionem Bibliorum Gallicam, à Renato Benedicto editam, Tridentini Indicis, velut ipsius Concilii authoritate munivit.

Audiantur quædam censuræ capita:
„ Primùm quod sint Biblia Genevensium, „ paucis immutatis, tum in textu, tum in „ argumentis, & præfationibus librorum, „ tum in annotationibus marginum, tum „ in additionibus ad textum. Illa autem „ in totum reprobat Concilium Tridenti- „ num in Indicis præfatione.

„ Deinde etiamsi Magister Benedictus „ horum Bibliorum author esset, peccat „ tamen in vertendo, in vulgando, & in „ modo vertendi. In vertendo quidem, „ quia particulari judicio, authoritate, & „ proprio consilio Sacrosancta Biblia vertit „ in alteram linguam, ipsisque annotatio- „ nes apposuit. Quod utrumque à Conci- „ lio Tridentino prohibetur his verbis: „ Sequuntur verba Regulæ 3. Indicis Tridentini....

3 „ Tertium quâcumque authoritate „ transferantur in vulgarem linguam Bi- „ blia & edantur, vetat idem Sacrosan- „ ctum Concilium ea passim sinè discrimi- „ ne permitti: quod, sicut alia, Magister „ Benedictus non est veritus transgredi. „ Non enim solùm omnibus indifferenter „ ausus fuit Biblia Gallica proponere pro- „ prio judicio; sed etiam defendere; utili- „ ter, & quasi ex necessitate ad salutem ab „ omnibus esse legenda, ut ex præfationi- „ bus & apologiis constat. „ Nos Quesnellum

nullum ex secundo capite non accusamus, quasi privato solum judicio, tum versionem, tum observationes ediderit; cùm eum constet facultatem à suo obtinuisse Antistite; quamvis hic à suis Theologis & Consultoribus turpiter in plutibus fuerit circumventus.

Duo nobis sufficiunt: primum Regulas Indicis Tridentini velut Sacrosanctæ Synodi authoritate firmatas, in ipsis Galliis receptas esse publico Facultatis Theologicæ Parisiensis testimonio, ad Summum Pontificem ab ipsa transmisso Facultate.

Alterum est, ab iisdem reprobari Theologis versionis cujuslibet Gallicæ, etiam quæ fidissima supponeretur, promiscuam lectionem; maximè verò reprehendi ac rejici dogma de imposita omnibus legendi sacras literas necessitate, qui error etiam Quesnelli est, tum alibi, tum præsenti indicatus Articulo *Obscuritas sancta verbi Dei non est laicis ratio dispensandi seipsos ab ejus lectione*. Ubi quod de laicis asseritur evidens est intelligi ab authore non minùs; sed ampliùs locum obtinere in hominibus Sacris, atque Ecclesiasticis: præceptumque, ut supra monui, supponit requisitio dispensationis.

4 Observatione pariter dignum est, Censuram illam singulorum Doctorum communi consensu in multis Congregationibus per juramentum, ut in materia fidei fieri solet, vocatis, fuisse tunc temporis decretam, atque obluctante nihilominus Benedicti pertinaciâ, iterum confirmatam biennio post, videlicet anno 1569. die 3. Septembris; quando *Facultas Theologica*, ut in Actis ejus legitur, *post Missam apud Collegium Sorbonæ celebratam, in eodem Collegio congregata est per juramentum in materia Fidei. In qua Congregatione comparuerunt septuaginta tres Magistri & Doctores in eadem Facultate, quorum nomina infra scripta sunt, qui omnes unanimi consensu probarunt & confirmarunt conclusionem ab eadem facultate factam die 15. Julii 1567., quâ suppressa sunt Biblia, & scholia nomine Magistri Renati Benoist Doctoris in eadem Facultate evulgata in linguam vulgarem.*

Sequuntur nomina Doctorum, quæ hìc describere supervacaneum foret.

Cùm tergiversari author ulteriùs pergeret, & more Novatoribus proprio, subinde se Censuræ submittere, mox iterum illudere videretur, „ Anno 1572. die prima Octobris post Missam Sancti Spiritus „ congregata fuit sacra Theologiæ Facul„ tas per juramentum in materia fidei, in „ qua vocatus Magister Benedictus com„ paruit, cui post maturam deliberationem „ Magistrorum dictæ Facultatis, Decanus „ dixit eandem Facultatem plurimùm do„ lere, quod noluit toties vocatus, mo„ nitus, rogatus, tam privatim, quàm pu„ blicè consilio & precibus Facultatis ma„ tris suæ morem gerere......

„ Quod, pertinaciter in opinione ma„ neret, nec de facto Facultati parêret, „ post tot vocationes, monitiones, exhor„ tationes & preces, cogeretur Facultas, „ tanquam filium contumacem, de gremio „ suo ejicere, donec rediret ad meliorem „ mentem. Cùm dictus Benedictus respon„ deret, eum (sive se) esse sub judice; nec „ putare à se quidquam erratum, nec ali„ ter de facto se submitteret, Dominus „ Decanus pronuntiavit de communi om„ nium consensu, illum privari Facultate, „ ac vetuit illi, ne ampliùs veniret ad pu„ blicas Congregationes. „

5 Iterum anno 1574. die 17. Septembris considerato novo ejus Benedicti Libello supplice, seu potius rebelli, Facultas Theologica legitimè coogregata, respondit, se persistere in Censura. Dein Acta omnia in hac causa, cum suis in Biblia illa annotationibus misit Romam ad Cardinalem de Pelevé Archiepiscopum Senonensem, exhibenda ab eo Pontifici Maximo, qui tunc erat Gregorius XIII. & anno 1575. die 3. Novembris Apostolico Brevi Facultatem illam dignatus, „ Vidimus (inquit) „ Biblia quæ ad nos misistis à Renato Be„ nedicto tanquam ex communi Latina „ versione in Gallicam linguam fideliter „ translata: Cognovimus in iisdem per„ versas ac perniciosas annotationes, ve„ strasque in illud Opus accuratas & eru„ ditas Censuras. „ Pergit Sanctissimus:

Laudamus summopere vestram diligentiam, & sincerum Catholicæ veritatis zelum, cum doctrina & charitate conjunctum. Dein post condemnationem Operis velut *errores, hæreses, blasphemias varias atque intolerabiles, aliaque tum in textu, tum in annotationibus, additionibus, & præfationibus offendicula Catholicorum continentis; vestram verò* (prosequitur Pontifex) *in hanc Sanctam Sedem Observantiam, sanctæque ejus fidei zelum & potestatis venerationem, perpetuamque pro Catholica fide pugnam paternâ, ut debemus, charitate amplectimur*.

Submisit se tandem Benedictus: atque hæc quæ priùs scripto firmaverat, alta voce in Congregatione Facultatis Theologicæ recitavit: „ Ego Facultatem Theolo„ gicæ

„ giæ Parisiensem matrem agnosco. Ego „ me, meaque Opera illius judicio, & „ Censuræ submitto; sed inprimis Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ: „ à cujus fide & Decretis me neque scripto, neque verbo, neque ullo alio quovis pacto velle dissentire profiteor. Unde si quid à me hactenus scriptum aut „ dictum est, quod contra Ecclesiæ fidem, „ Decreta & Leges pugnare videatur, illud nunc & pro omni tempore retracto. „ Quare & Biblia, quæ meo nomine vulgata, à Sede Apostolica, & hac ipsa Facultate damnata sunt, ego pariter damno, & ea falsò mihi adscripta, saltem ex „ parte, & aliena respuo.

„ Extracta ex monumentis Sacræ Facultatis Theologicæ Universitatis Parisiensis die 29. Maji anno Domini 1661. „ per me infrascriptum Actuarium ejusdem

„ Philippum Bouvot.

6 Inter Censuras damnati Operis superiùs retuli hanc tertiam: *Quæcumque authoritate transferantur in vulgarem linguam, & edantur, vetat idem Sacrosanctum Concilium* (Tridentinum in Regula IV. Indicis) *ea passim sinè discrimine permitti, quòd sicut alia, Magister Benedictus non est veritus transgredi. Non enim solùm omnibus indifferenter ausus fuit Biblia Gallica proponere proprio judicio; sed etiam defendere: utiliter, & quasi ex necessitate ad salutem ab omnibus esse legendas, ut ex præfationibus, & apologiis constat.*

Omiseram quod in iisdem Facultatis Theologicæ Actis prætereà legitur: *Propositi sunt ei* (Benedicto) *octo articuli à Facultate, antequàm iniret Decanatum, quibus satisfecit, & testamento reliquit bis mille libras pro fundatione Missæ S. Renati*, velut victimam pro peccato.

Certè Censuram tertiam contra doctrinam Quesnellianæ similem, non solùm Benedictus in sua Palinodia, admisisse censendus est; sed maximè Brevi Apostolico superiùs indicato Gregorius XIII. approbasse.

Denique ea omnia contra Benedictum Acta & Censuras confirmavit Clerus Galliæ anno 1661., quando ea ex Facultatis tabulis describi curavit, ut sui & Regii Typographi prælo iterum ederentur, ne Majorum religio, & ad eam conservandam sapientissima statuta, temporis diuturnitate oblivioni apud posteros traderentur.

Constare quoque voluit fidelibus, quod lectionem prohibendo promiscuam versionum Gallicarum, nihil rigoris novi induceret; sed sequeretur Majorum prudentiam, non acceptam solummodo à Tridentinis Patribus; sed quâ præcipui Galliarum Theologi Decreta ipsius prævenerint Concilii. Sessio enim ejus prima celebrata fuit anno 1545. die 13. Decembris; Censura autem Sorbonæ contra aliquot Erasmi Articulos lata anno 1527. die 17. Decembris.

7 Inter Articulos triginta duos, quatuor ad præsentem pertinent disceptationem. Primus ex præfatione Erasmi in Matthæum *Sacras literas cupiam in omnes verti linguas*. Secundus ex eadem Præfatione: *Exclamant indignum facinus; si mulier, vel coriarius loquatur de sacris literis*. Tertius ibid. *Me authore sacros libros leget agricola, leget faber: leget latomus*. Art. Quartus ibid. *Neque Ezechielis Propheta, neque Cantici Canticorum, aut cujusquam librorum veteris Testamenti lectionem ulli hominum interdico.*

Adeò non interdicit Quesnellus in totis quatuor tomis *Observationum Moralium*, ut in 1. Cor. 14. v. 5. sinè ullo limite, absque ulla partium exceptione asserat Prop. 79. *Utile & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria Sacræ Scripturæ* Prop. 80. in Act. cap. 8. v. 20. *Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus*. Præsenti Prop. 81. in Act. 8. v. 31. *Obscuritas sanctæ verbi Dei, non est laicis ratio dispensandi seipsos ab ejus lectione*. Neque in ulla ex Erasmi Propositionibus aliquod indicium necessitatis vel præcepti est, sicut in septuagesima nona & octogesima prima Quesnelli conspicitur: adeò novitas proficit tempore, neque discipulo sufficit insania magistri; sed eam, sibi ducit gloriæ, superare.

Ad oppositam quoque sibi à quadraginta Episcopis, Documenti Pastoralis authoribus, & sexaginta aliis idem adoptantibus, Censuram Sorbonæ ferientis Articulos Erasmi, expeditissima Quesnello, seu ejus vindici est responsio, *laborandum est potiùs ut aliqua reperiatur Censuris Theologicæ Facultatis excusatio, quàm adhiberi eas conveniat ad impugnationem usûs adeò generaliter recepti*. Orbis scilicet, vel saltem Ecclesiæ *generalitas*, Quesnello in sola Gallia est, & quidem in iis solis, qui cum ipso adversantur Censuris Sorbonicis, easque approbantibus tum centum hodie Episcopis, tum Clero Galliæ anni 1661., qui Censuras illas iterum jusserat typis recentibus in lucem publicam prodire contra invalescentem in aliquibus Galliæ partibus abusum, quem confidentiâ sibi propriâ Quesnellus

usum

usum vocat *generaliter receptum*.

8 Illum profectò ignorat Italia, Hispania, Lusitania, Belgium, Batavico excepto. In Austriaco præcipuè omnes Episcopi Sedi Apostolicæ obedientissimi sunt, & Regulas Tridentini Indicis, maximè Quartam, Quesnellianæ contrariam novitati, observari jubent, quàm possunt accuratissimè. Prætensus itaque Novaturientium *usus* non multò amplius apparet *generalis*, quàm eorum Factio Catholicam sive universalem constituat Ecclesiam. Laborandum quoque Quesnello, & ejus Sectatoribus videbitur, ut congrua inveniatur ratio excusandis Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiasticis viris comitia generalia Lutetiæ constituentibus, qui contra Missalis Romani & Scripturæ versionem Gallicam, ac posterioris promiscuam lectionem, scripsere ad Alexandrum VII. anno 1661. Januarii die septima.

Eodem tempore prodiit „ Collectio „ quorumdam gravium authorum, qui ex „ professo, vel ex occasione Sacræ Scri„ pturæ, aut Divinorum Officiorum in vul„ garem linguam translationem damna„ runt; unà cum Decretis Summi Pontifi„ cis & Cleri Gallicani, ejusque epistolis, „ Sorbonæ Censuris, ac supremi Pari„ siensis Senatûs placitis, quæ jussu ac „ mandato ejusdem Cleri Gallicani edita „ fuit Lutetiæ Parisiorum, apud Antonium „ Vitrè Regis & Cleri Gallicani Typogra„ phum anno 1661.

In hac Collectione à pag. 227. usque ad 271. refertur Discursus Mauritii Poncetii ex Benedictinorum Ordine Doctoris Sorbonici, circa Theologorum Pirisiensium sententiam, quam ab ipsis exquisiverat anno 1577. 17. Novembris Illustrissimus Dominus Petrus de Gondy Parisiensis Episcopus; nondum enim ad Metropolis dignitatem ea Sedes à Pontifice evecta fuerat. Ex hoc Discursu complura retuli superiùs: hìc solas exhibeo capitum inscriptiones. Cap. 1. *Facultas Theologica Parisiensis in Erasmo condemnavit opinionem eorum, qui judicant Biblia in linguam esse vernaculam transferenda.* Cap. 2. *Prima hujus censura ratio deduci potest ex consideratione disciplina observata circa religionem à nationibus profanis.* Cap. 3. *Secunda ratio: Exemplum Christi & Apostolorum.* Cap. 4. *Tertia ratio: Ad evitandam Sacri Codicis impugnationem.* Cap. 5. *Ratio quarta: Ad evitandum Divini eloquii contemptum.* Cap. 6. *Quinta ratio: Ambiguitas, obscuritas, & varietas magna locutionum in quolibet idiomate, quod certis Grammatica regulis non adstringitur.* Cap. 7. *Ratio sexta: Scripturarum sensus admodum obscurus, & inventu difficilis.* Cap. 8. *Ratio septima: Ut declinentur mala multa oriri solita ex versione sacri voluminis in linguam vulgarem.* Cap. 9. *Ratio octava: Ut retineatur ordo in Ecclesia stabilitus à Christo ad illius regimen, quod in magnam incideret confusionem, si Bibliorum in idioma vernaculum translatio permitteretur.*

9 In Collectionis posteriore parte, in qua referuntur Decreta &c. pag. 53. sic monemur: „ Inserta superiùs est sententia „ Mauritii Poncetii Doctoris proposita Re„ verendissimo D. Petro de Gondy Pari„ siensium Antistiti ad Cardinalitiam di„ gnitatem postmodum evecto. Quæ sen„ tentia ab ipso accepta & approbata est: „ curatum etiam ut deduceretur in pra„ xim; atque ita vim legis illa quodam„ modo obtinuit in Parisiensium Diœcesi, „ ubi semper observata fuit, ut patet ex „ Documento quod sequitur. „

Septuaginta tribus annis post, videlicet anno 1650. die 2. Septembris Joannes Franciscus de Gondy Parisiensis Archiepiscopus, cùm ei innotuisset, complures privata authoritate, absque suâ aut Pastorum veniâ, se ingerere in lectionem veteris & novi Testamenti idiomate vernaculo, ingenti animorum pernicie, & publico scandalo. „ Ideo (inquit) prohibuimus & „ prohibemus laicis omnibus, ne Sacra Bi„ blia vulgari idiomate, cujuscumque edi„ tionis fuerint, legant absque nostra, aut „ Vicariorum nostrorum Generalium, Pœ„ nitentiarii, aut Parochi facultate, sub „ pœnis juris. „

Proinde etiam huic Archiepiscopo, ejusque prædecessoribus excusandis laborandum Quesnello videbitur, ejusque contra Centum hodiernos Galliæ Antistites temerario propugnatori. Confictum à Novatoribus præceptum latuit celeberrimum Sorbonæ Cancellarium Gersonem, qui ab annis trecentis prima parte Tractatu *contra hæresim de Communione laicorum sub utraque specie* Regula VIII. annotat in Begardis, & Pauperibus de Lugduno, quòd *multi* eorum *laici haberent in suo vulgari translationem Biblia in grande præjudicium, & scandalum Catholicæ veritatis, quale propositum est in reformatorio esse tollendum*. Non veluti abusum noxium tolleret, si præceptum esse Divinum, vel Apostolicum cum nostris hìc adversariis arbitraretur. Idem Cancellarius 4. Parte lectione 2. quæ incipit *Pœnitemini*, Consideratione 9. ait: *Rursus sequitur*

quitur ex præmiſſis, prohibendam eſſe vulgarem translationem librorum Sacrorum noſtra Biblia, præſertim extra moralitates, & hiſtorias.

Sacrilegos eſſe oportuiſſet Toloſani Concilii Patres; ſi præceptam laicis agnoviſſent Divini Codicis lectionem, quando anno 1228. cap. 14. Labbæanæ editionis pag. 430. *Prohibemus*, inquiunt, *etiam ne libros veteris, & novi Teſtamenti laicis permittatur habere; niſi fortè Pſalterium, & Breviarium pro divinis officiis; ſed ne præmiſſos libros habeant in vulgari translatos, arctiſſimè inhibemus.* Quis igitur hic non miretur Queſnelliani vindicis contra centum Epiſcopos impudentiam, aſſerentis prohiberi *illic ſolummodò lectionem verſionis cujuſdam ſuſpectæ; non autem publicæ ab Eccleſia approbatæ*? Nulla ſuſpectæ verſionis ibi mentio fit, neque ad ſolam iſtiuſmodi reſtringendum eſſe Concilii Canonem patet ex ipſis vocibus, quibus exprimitur, quodque ne editio quidem Latina laicis permittatur, niſi qua parte in Pſalterio eſt, aut Divino officio.

Non magis toleranda confidentia eſt, ſibi *autoritatem Eccleſiæ* arrogantium, ex eo quod unus alterve Epiſcopus approbet; audaciſſimè autem negantium Sedi Apoſtolicæ, & pluſquam centum Galliæ Epiſcopis; imò extra Galliam univerſis, idem condemnantibus, ut hæreticum. Hinc faltem lector, collige quid Janſeniana Factio, nomine *Eccleſiæ* intelligat, quoties ejus ſibi contra Pontifices vindicat patrocinium. Concilii autem Toloſani minimè levis apud omnes catholicos eſt authoritas, utpote compoſiti ex ingenti numero Antiſtitum, Cardinale Legato Pontificis præſidente.

10 Neque præceptum Queſnelli cognitum fuit à Narbonenſi Concilio, quando anno 1609. c. 3. de libris vetitis ita ſtatuit: *Biblia verò Sacra idiomate Gallico conſcripta legere, aut domi retinere nemini liceat niſi ab Epiſcopo, aut ejus Vicario Generali expreſſâ in ſcriptis obtentâ licentiâ; quam non concedent, niſi iiſdem viſis, lectis & approbatis: ne venenum ab hæreticis ſparſum in permultis verſionibus leniter ſerpens, animas alioquin pias inficiat.* Ubi evidens eſt duo ſtatui: primum ut nemo verſionem Gallicam legat, quantumlibet fidelem; niſi obtentâ priùs in ſcripto licentiâ: alterum, ne hæc concedatur niſi examinatâ, & approbatâ legitimè verſione.

Etiam Sanctus Carolus cum ſuo Mediolanenſi Concilio primo, prætenſum à Novatoribus mandatum aut ignoraverit turpiter, aut ſacrilegè violaverit, quando decrevit, ut *Epiſcopi Regulas Indicis de libris vetitis ab iis, qui illi negotio à Sacroſancta Tridentina Synodo præfecti fuerunt, & authoritate Sanctiſſimi Domini Noſtri Pii IV. editas, ab omnibus librorum impreſſoribus, ac Bibliopolis, cæteriſque omnibus laicis, & Eccleſiaſticis perſonis, ſervari jubeant.* Atqui juxta Regulam quartam ejuſdem Indicis, adeò præcepta non eſt omnibus laicis Scripturæ Sacræ lectio, ad quam pleriſque neceſſaria foret verſio vernacula, ut omnis hujus ſeu lectio, ſeu retentio prohibeatur, niſi priùs habitâ in ſcripto ab Epiſcopo, vel Inquiſitore facultate.

Perſpicaciorem itaque adverſarium fuiſſe oportuit in Divini Codicis intelligentia, quàm S. Carolum cum ſuo Mediolanenſi Concilio, quàm Legatum ſuperiùs Apoſtolicæ Sedis, cum tanta Epiſcoporum in Concilio Toloſano multitudine, quàm plures alias tum in Galliis, tum in vicinis provinciis celebratas Synodos, quàm Gerſonium cum Sorbona, quàm Cardinalem Perronium cum Clero Galliæ, & extra eam cum eruditiſſimis Cardinalibus Hoſio, & Bellarmino, Antiſtites, ac Doctores Eccleſiæ Catholicæ univerſos. Credemus nos potiùs adverſarios, ut cætera paſſim ſua nova dogmata, etiam præceptum iſtud ab hæreticis turpiter mutuatos, contra Eccleſiam inſipientiùs propugnare.

CAPUT II.

An Divini Codicis obſcuritas nequeat eſſe laicis ratio ſufficiens, ut multi ab ejus abſtineant lectione.

1 HÆreſiarcharum intererat perſuadere omnibus Divini voluminis claritatem: omnes ab eo tenebrarum nebulas amoliri, ut ad lectionem quoslibet, etiam indoctiſſimos allicerent; & neque ad ejus intelligentiam requirerent interpretes, neque poſſent authoritate Eccleſiæ à ſuis divelli opinionibus, quas deprehendere viſi fuerant Scripturâ dilucidâ confirmatas. Ita Lutherus in Præfatione aſſertionis Articulorum à Leone X. damnatorum: *Oportet, Scripturâ judice, hanc ſententiam ferre, quod fieri non poteſt, niſi Scripturæ dederimus principem locum in omnibus, quæ tribuuntur Patribus, hoc eſt ut ſit ipſa per ſe certiſſima, facillima, apertiſſima ſui ipſius interpres, omnium omnia probans, judicans, & illuminans.* Ibidem aſſerit, Scripturam om-

omnium Patrum Commentariis esse clariorem. Similia contendit libro de Servo arbitrio, & alibi.

Erasmus autem in suo Ecclesiaste, sive de ratione concionandi lib.3. ait: *Sunt qui fortiter negant, in Canonicis libris ullam esse obscuritatem, modò adsit peritia sermonis, & sensus communis: quorum opinioni hactenus certè faveo, ut optarim esse verissimam; sed unâ voce reclamant omnes Ecclesiæ Doctores, & in his ii quoque, qui nec linguarum peritiâ, nec communi sensu caruerunt.* Ita Erasmus, qui varias ibi mox obscuritatis causas enuntiat:. neque inter Catholicos ullum reperio Scriptorem, qui non agnoverit Sacrum Codicem locis plurimis esse intellectu perdifficilem, unde communissima contra hæreticos fit conclusio, non esse permittendam promiscuè omnibus ejus lectionem.

Sic Alphonsus à Castro ex Ordine Minorum author clarissimus, qui floruit anno 1555. lib.3. *De justa hæreticorum punitione* cap.7. „ Si (inquit) Scriptura Sacra „ multis in locis est obscura, non igitur „ expedit illam in linguam vulgarem „ transferri, ut populo rudi, & temerario „ legenda tradatur, qui illam suo arbitrio „ interpretetur, & sic necessariò intelligendam esse contendat. Rursum doctissimi viri sæpe circa Scripturæ Sacræ interpretationem errarunt, ut illorum tam „ multæ inter se dissonantiæ apertissimè „ convincunt; nam cùm illi circa Scripturæ Sacræ intelligentiam pugnantes sæpe, „ & irreconciliabiles ferant Sententias, „ eorum alterum errare est necesse. Si illi „ doctissimi viri, quos Deus introduxit in „ cellaria sua, post longam, & diuturnam „ examinationem, post ferventem, & prolixam orationem, erraverunt in muris, „ quî fieri potest, ut vulgus indoctum, carni, & sanguini deditum, multisque vitiis „ sæpe mancipatum, sinè ulla examinatione passim non erret in mille?

„ Si tam facilè potest vulgaris homo, „ & idiota errare in interpretatione Sacræ „ Scripturæ, & ex falsa illius intelligentia, „ ut ex testimoniis Hilarii, & Augustini „ supra citatis constat, hæreses oriuntur, „ apertissimè convincitur translationem „ Sacræ Scripturæ in linguam vulgarem, „ maximam præbere idiotis hominibus hæresum occasionem; nam illi legentes, „ quæ minimè intelligere possunt, pro suo „ arbitratu, non juxta regulas Sanctorum „ Doctorum, quos nunquam legerunt; „ Scripturam Sacram interpretabuntur, & „ sic in mille incident errores. Pro hac „ re plura; quàm velimus, habemus exempla; multarum videlicet hæresum, quæ „ ab hominibus idiotis suscitatæ sunt, „ propterea quòd Sacras literas translatas „ in linguam vulgarem legerunt, & non „ intellexerunt, ex quibus aliqua in medium proferam, quorum testimonia satis „ erunt ad rem hanc comprobandam.

2 Interim memoriâ retinendum est, quod superiore capite lectorem monui, non posse divina eloquia legi à laicis omnibus, ut illimitata Quesnelli exigit enuntiatio, nisi in linguas illa transferantur vernaculas:

Prosequamur in religiosissimi istius Scriptoris Hispani solidâ, & à Clero Galliæ approbatâ sententiâ, prout ejusdem jussu typis anno 1661. Parisiis edita est: „ Albigenses „ hæretici surrexerunt olim tempore Innocentii Papæ, hujus nominis tertii, multis, & nefandis implicitì erroribus. Sunt „ autem sic appellati; quia ex Comitatu „ Albigensi prope Tolosam in Gallia orti „ sunt. Qui hos errores suscitarunt, hi „ omnes fuerunt idiotæ, & quia legebant, „ quæ non intelligebant, ideo in plurimos „ execrandos errores lapsi sunt.

„ Post istos, paucis aliquot transactis „ annis, surrexerunt etiam in Gallia Pauperes de Lugduno, à quibus major harum hæresum pars, quæ nunc oppugnant „ Ecclesiam, originem traxit; nam Valdo „ illorum princeps, à quo nomen sortiti, „ Valdenses etiam dicti sunt, omnibus suis „ bonis distractis, paupertatem plus justo „ dilexit: & quia idiota erat, aliquot libros, tum sacros, tum etiam ex aliis in „ linguam vulgarem sibi fecit transferri, „ quos legens, & non intelligens, in pestilentissimus lapsus est errores: quos „ postea Wicklessistæ, & deinde Hussitæ „ tutati sunt, & nunc tandem Lutherani „ tuentur.

„ Post istos eodem ferè sæculo Begardi, & Beguinæ homines idiotæ orti sunt, „ quorum octo hæreses in Concilio Viennensi sub Clemente V. damnatæ sunt. „ Deinde successerunt in Bohemia Thaboritarum, & Orebitarum, & Adamitarum hæreses perniciosissimæ, quarum „ omnium historiam enarrat Æneas Sylvius lib. de origine Bohemorum, dicitque illarum authores, & tutores fuisse „ homines idiotas. Quanquam non dicit „ illos habuisse literas Sacras in linguam „ vulgarem translatas; tamen verisimile „ est illas habuisse; quoniam aliàs non patet

„ tet via, quomodo homines idiotæ, illas „ suscitare potuissent, aut quomodo illas „ jam ortas tot homines suscepissent. Tandem Lutheranorum hæresis; etsi non „ fuerit ab hac causa orta; constat tamen „ per illam fuisse dilatatam, & vires majores, ut populum perderet, inde sumpsisse; nam populus legens in sacris Codicibus Germanicæ linguæ redditis ea testimonia, quibus Lutherus suas hæreses „ probare contendit, facilè persuasus est, „ ut Luthero consentiret.

3 „ Deinde ex consona omnium Doctorum Sacrorum sententia docemur, „ non esse populo rudi tradenda ea mysteria alta, & profunda, quæ ille intelligere „ non potest; ne hac occasione labatur in „ errorem; sed juxta capacitatem audientium temperandum esse sermonem; nam „ Paulus Corinthiis scribens ait: *Et ego „ Fratres non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam „ parvulis in Christo lac vobis in potum dedi, non escam; nondum enim poteratis; „ sed nec nunc quidem potestis; adhuc enim „ carnales estis* „. Tum additis plurium Patrum testimoniis, qualia dedi contra Articulum 79. Author concludit: „ Ex his „ omnibus testimoniis colligimus, populo „ rudi non esse alta, & profunda mysteria „ prædicanda, quæ ille intelligere non potest: & indè apertissimè convincitur, Sacram Scripturam non esse populo rudi, „ ut ab eo legatur, tradendam.

Eadem obscuritas sive difficultas intelligendi Divina Volumina, & comparatio Apostoli de non porrigendo cibo solido infantibus, pridem Sorbonicam Theologorum Facultatem moverat ad feriendum hunc tertium Erasmi Articulum: *Me authore Sacros libros leget agricola, leget faber, leget latomus* cum similibus, qualis longè maxima laicorum turba est: quam universam assertio Quesnelli nullo limite circumscripta complectitur.

Contrà, inquiunt Sorbonici: „ Testantur Sacra eloquia, simplices esse tanquam parvulos, quibus authore Paulo, „ lacte opus sit. Non enim solidam adhuc „ escam ferre, ac digerere possunt; Perfectorum siquidem solidus est cibus, eorum „ qui pro ipsa consuetudine exercitatos „ habent sensus ad discretionem boni, & „ mali.

4 „ Quapropter non est medium aptum „ hujusmodi simplicibus, quod indiscriminatim quosvis sacros libros legant in „ linguam vernaculam translatos; sed „ convenientissimum eis medium Ecclesia „ constituit, auditionem Verbi Dei, & „ frequentationem prædicationum ejus „.

Liquet Erasmi Articulum contineri hoc Quesnelliano, *Obscuritas Sancta Verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione*: ubi nullum Dei verbum, nulla Divini Codicis pars excipitur, nullum genus, nulla species laicorum: proinde Quesnellus cum Erasmo juxta Sorbonicos eodem sordidus luto est, eâdem confligitur Censurâ. Eadem, ut patet, Quesnelli enunciatio quartam resuscitat Erasmianam, *Neque Ezechielis Prophetæ, neque Cantici Canticorum, aut cujusquam librorum veteris Testamenti lectionem ulli hominum interdico*.

Neque in Quesnelli Articulo, aut toto ejus damnato Opere, libri cujuspiam sive ex Testamento veteri, sive novo lectio interdicitur, sed partium universarum tum præsenti, tum utrâque superiori conceditur assertione; minimè permittitur Censurâ Sorbonicâ: ubi sic quidem statutum legimus. „ Cùm Sedis Apostolicæ Decreto multorum talium librorum lectio laicis jam „ pridem interdicta sit, & eruditis in „ lege Domini apud Hebræos graviorum „ authorum sententiâ prohibita fuerit lectio dictorum librorum, atque primi capitis Geneseos ante annum ætatis trigesimum, prædicta Propositio temerariè, & „ impudenter asseritur; quandoquidem „ eadem subest causa inhibendi talium lectionem librorum, quæ suberat, quando „ Decretum Innocentii III. super his constitutum est, cujus fragmentum refertur „ *de hæreticis*, Authenticâ *Cum ex injuncto*.

Adeò reverens, adeò observans Sedis Apostolicæ, & emanantium ab ea Decretorum fuit Sorbona illius temporis, nempe anni 1525., ut sola Innocentii III. prohibitio satis apud illam ponderis habuerit ad temeritatis, & impudentiæ condemnandum novi dogmatis authorem, infamiâ ipsum pariter afficiente Articulum: neque minus Quesnellianum; imò multò amplius, quando post Decretum Innocentii, & Censuram Sorbonicam successit Regula quarta Indicis, à Selectis Concilii Tridentini Patribus præscripta, & à Pio IV. & subsequentibus Pontificibus approbata. „ Cùm experimento manifestum sit; si Sacra Biblia „ vulgari linguâ passim sinè discrimine „ permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quàm utilitatis „ oriri, hac in parte judicio Episcopi, aut „ Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi,

„ chi, vel Confessarii, Bibliorum à Catho-
„ licis versorum lectionem vulgari linguâ
„ eis concedere possint, quos intellexerint
„ ex hujusmodi lectione non damnum; sed
„ fidei atque pietatis augmentum capere
„ posse: quam facultatem in scriptis ha-
„ beant. Qui autem absque tali facultate
„ ea legere, seu habere præsumpserit, nisi
„ prius Bibliis Ordinario redditis, pecca-
„ torum absolutionem percipere non pos-
„ sit „. Ita Regula.

5 Oracula Ezechielis, & Cantica canticorum adduxerat Erasmus, velut exempla maxima obscuritatis,& pleniora lapsûs periculo, quando à laicis rudibus legerentur: eumque talium obscuritas librorum videretur debere laicorum vulgus ab eorum, & similium avertere lectione, ut Innocentium III. absterruerat à permittenda; Erasmus quidem, Sorbonæ testimonio, temerè, & impudenter prohibitionem illam censuerat contemnendam; longè tamen major est temeritas, & irreligiosior impudentia Quesnelli, eandem obscuritatem, & oriri inde solitum errandi periculum despicientis, etiam post Sorbonæ judicium à Clero Galliæ approbatum, post Indicis Tridentini Regulas à pluribus confirmatas Pontificibus, post hæc omnia non veretur Sacra Volumina, nullius exceptione partis in profanas infimæ plebis manus ingerere linguis vulgaribus translata.

Cùm enim plerisque Latini idiomatis desit intelligentia, *Sacras literas cupiam in omnes verti linguas*, dixerat novaturiens Erasmus Propositione prima: idem desiderium Quesnelli est, idem finis propagatio novitatum, ad quam recentiores hæretici versionem illam, & lectionem promiscuam, medium esse accommodatissimum, callidè arbitrati sunt, atque eorum Quesnellus didicit experimento, infinitorum animis exitiali, totique Ecclesiæ Catholicæ luctuoso. Agnoverat istud & horruerat ab annis trecentis Gersonius Parisiensis Academiæ Cancellarius Parte prima Tract. *Contra hæresim de Communione laicorum sub utraque specie* Regula 8. „ Ex hac præterea radice
„ pestifera orti sunt, & quotidie crescunt
„ errores Begardorum, & Pauperum de
„ Lugduno, & omnium similium, quorum
„ multi sunt laici habentes in suo vulgari
„ translationem Bibliæ in magnum præju-
„ dicium, & scandalum Catholicæ verita-
„ tis. Quare propositum est in reforma-
„ torio esse tollendum.

6 Prorsus opposita placet Quesnello & ejus sectatoribus reformatio, juxta quos Art.79. *utile & necessarium est omni tempore omni loco, & omni personarum generi studere & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria Scripturæ Sacræ*: Art.80. *Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus*: proinde eum longè maximæ hominum multitudini, & fœminis ferè omnibus, desit Latini idiomatis intelligentia, in omnes necessariò linguas Sacra Dei eloquia convertenda sunt.

Sed addit Gersonius Tract. *Decem considerationum contra adulatores principum* Consideratione 4. *Non sufficit intelligere Sanctam Scripturam sic, ut dumtaxat Grammaticalis, & vulgaris dictionum sciatur significatio; verùm etiam requiritur ingens & longum studium tam in aliis scientiis Philosophiæ & Logicæ, quàm in Sanctis Doctoribus, qui inspiratione Divina & unum alteri comparando Sanctam exposuere Scripturam. Alioquin simplex Grammaticus, mox bonus esset Theologus, imo per se ipsum sciret omnem latinè conscriptam scientiam: quod verum est minimè; sed est occasio maxima in hæreses labendi, sicut Julianus apostata, Helvidius, Jovinianus, & Turelupini fecerunt, & novissimè quidam juxta Cameracum, qui Vespertilio nominabatur, & omnes fermè hæreses ex ista præsumptione prodierunt; quia sæpè numero dictiones sunt æquivocæ & aliter sumuntur in uno, quàm in alio loco, aut quàm in communi sumuntur Grammatica: & est necesse concordare unum Scripturæ locum per alterum, aliàs inveniretur contradictio.*

Idem Serm. 1. de Nativitate: *Hæreticus iste* (Helvidius) *per malam Scripturæ intelligentiam deceptus est, quemadmodum multi sunt, qui scripturam intelligunt secundùm capitum suorum opinionem, & non secundùm Sanctorum Doctorum expositionem, quam aut nesciunt, aut intelligere & considerare nolunt. Et propterea sumo hic unum documentum, quia periculosa res est dare hominibus simplicibus, qui non sunt docti, libros Sanctæ Scripturæ in Gallicum translatos; quia per malam intelligentiam continuò cadere possunt in errores. Debent audire per Prædicatores, qui aliàs frustrà essent.*

Hanc à celeberrimo suo Cancellario traditam ante tria secula doctrinam Sorbona anno 1661. die 4. Januarii approbans, ex variis ejus lucubrationibus descripsit, ac typis recentibus ad institutionem omnium adstipulante Clero Galliæ, divulgavit. Verùm contra Gersonium, Sorbonam & Clerum suum adeò venerandum, Galli quidam temerè refractarii objiciunt, non sufficere populo quantumvis rudi, & fœminis Prædicatores, neque libros quosdam

dam pios & captu faciles in quibus moralia ex Divinis literis documenta promuntur: Sed juxta Art. 80. ipsa *lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus* ejusque *studium* per Art. 79. *est utile & necessarium omni tempore, omni loco, omni personarum generi*. Art. 84. *Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi est illis os Christi obturare*.

Quod ait Parisiensis Cancellarius *rem esse periculosissimam dare hominibus simplicibus, qui non sunt docti, libros Sanctæ Scripturæ in Gallicum translatos*, eamque *esse occasionem maximam in hæreses labendi*, minimè movet novos Ecclesiæ ejusque fidei reformatores, imò eadem ipsis ratio non levis est, Sacra Volumina in idioma Gallicum versa, simplicibus, indoctis laicis, fœminis æquè ac viris contra Ecclesiæ regulas obtrudendi.

Nimis bene conscii sunt, quantum Lutherus & Calvinus cum versipellibus suis symmistis in Germania, Hungaria, Svecia, Norvegia, Anglia, Hollandia, atque in ipsa Gallia istiusmodi arte profecerint: Similes ipsi ex paribus suis studiis fructus sperant. Neque spes hactenus inanis est, teste inter eos turba plebeorum non exigua quæ sub catholico nomine Semi-Calviniana, contra Romanos, maximè Pontificem, contra adhærentes ei Episcopos & Religiosos, contra ipsum suum Principem gloriosæ memoriæ Ludovicum XIV. tantis agitari furiis visa est, ut qui parisiis erant novæ dediti Factioni, per Hollandiæ Gazettarium denuntiari palàm, totâque jactari Europa curaverint, omnia illic ad seditionem esse disposita; si Constitutionis UNIGENITUS observantia fortiùs urgeretur.

7 Catholicis verò persuasum est, minimè licere; imò non leve periculum esse voluntariè se exponere *occasioni maximæ & periculosissimæ in hæreses labendi*. Ubinam igitur prætensæ reformationis rigor, absolutionem in Sacramento denegans pœnitenti, nisi occasionem & periculum, etiam remotum, quòd non nisi difficillimè potest, devitare constituat? Qualecumque hæreseos periculum, & occasio maxima sit laicis indoctis Scripturarum lectio in lingua vulgari, ne in hæreses incidant propter Sacri Codicis obscuritatem, pium nihilominus, sanctum, quin & necessarium, ut dixi, penès Quesnellistas est, cujuscumque sortis, ætatis, sexûs laicis, legere Divinum Codicem: *Obscuritas Sanctæ Verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione*.

Olim in gratiam Judæorum ad Christi fidem in Hispania se convertentium, translata hispanicè fuerant Sacra Biblia. Verùm non multo post experientia docuit, lectionem illam plurimis novarum hæresum occasionem esse: Quapropter Ferdinandus, ob singularem fidei zelum cognomento *Catholicus*, eam imposterum censuit esse prohibendam. Utinam Antistites illi, qui Gallicam liberaliùs permittunt, hanc indulgentiam, & inde pessumdatam in suis gregibus fidem lugere seriùs non cogantur!

At istud, inquient aliqui, concedendum in Gallia desideriis populi importunis; quia abusus nimiùm invaluit: Quis enim auferat, quæ multorum adeò teruntur manibus & leguntur avidè? Exemplo Euangelici Patris familias sinenda sunt quæ nimiùm excrevere zizania, ne cum iis eradicetur simul & triticum; ne scilicet dum impedire lectionem mulris noxiam volumus, rebelles à nobis subditi recedentes, jungantur schismaticis atque ad partes transeant hæreticorum.

Ne itaque correptus gangrænâ digitus rescindatur, aut nimis querulus forsan dolorem sentiat infirmus, permittenda illa est serpere, neque manum solam aut brachium; sed viscera etiam cum indeclinabili totius corporis interitu pervagari. Non ita universo tritico exitialia passim sunt zizania, etsi noxia.

Adeone igitur in Christianissimo regno populus pervicax est, & dementatus à Novatoribus, ut nulla penès eum futura sit reverentia Antistitum, ubicunque hi steterint pro Tridentini Indicis Regula à tot Romanis Pontificibus probatâ, totius Christiani orbis observantiâ & utilitate confirmatâ, Gersonii, Sorbonæ pridem, & Cleri Gallicani, prælucente Tolosano Concilio, judiciis consonâ, denique necessariâ sistendis grassantium hæresum progressibus; quemadmodum memorati tot Doctores & Antistites Galliæ sapientissimi censuerunt, censentque Catholici hodiedum extra Galliam universi?

8 Inculcandum populo est monitum Principis Apostolorum epist. 2. cap. 3. In Pauli *Epistolis esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem*: Et illud Hieronymi ad Paulinum: *Hæc à me perscripta sunt breviter .... ut intelligeres te in Scripturis Sacris sinè prævio & monstrante semitam, non posse ingredi*.

Po-

Populari autem scrupulo, à Novatoribus exaggerari solito, occurrit clarissimus ex Prædicatorum familia Theologus Petrus Soto, qui Tridentino Concilio interfuit, atque in eo obiit anno 1563. in Defensione Catholicæ Confessionis contra Confessionem Witenbergicam, & Prolegomena Brentii: cap. 23. *De transferenda Scriptura in Vulgares linguas, vel non: & an expediat communem esse vulgo & idiotis*: ita differit: „ Quod si quis causetur, non esse æquum, „ omni lectione Scripturæ privare populum: huic etiam respondemus, non hoc „ nos agere, ut nihil legant, nihil habeant „ simplices Scripturæ Sacræ: integram quidem illam cibum dicimus solidiorem, „ quàm captui populi conveniat. Sed sunt „ in ea quàm plurima, quæ sufficiant ad „ pietatem, & scientiam Christianam & „ servandam & augendam in fidelium animis. Hæc Doctorum diligentiâ excerpta, saluberrimè credimus omnibus tradi posse, & in omnium linguas transferri, præcipuè quæ ad mores pertinent, & „ quæ ad prima mysteria fidei: lectiones „ illæ, quæ per annum in Ecclesia leguntur, miracula Christi, exempla vitæ ejus, „ captui simplicium conveniunt.

9 „ Imitemur antiquorum Patrum exempla: Augustinus ex omnibus Scripturæ „ Sacræ libris, quæ ad mores pertinent, „ in unum librum collegit; quem speculum „ appellari voluit, ut Possidonius testis est „ in vita ejus, & liber ipse ostendit: in „ quo nihil aliud est, nisi quod ad mores „ pertinet: & vix ullus liber Scripturæ „ omissus est, unde non aliquid sit excerptum. Hunc tam pium laborem existimamus simplicibus populis futurum utilem. Basilius etiam simile fermè argumentum habet in octoginta moralibus „ Regulis, in quarum singulis permulta „ capita, quæ ad mores pertinent, ex novo dumtaxat Testamento, magnâ certè „ dexteritate collegit. Cyprianus etiam „ tribus illis libris ad Quirinum hoc ipsum „ agit; ut ex Scriptura capita quædam ad „ formandam fidem; in primis duobus ad „ disciplinam Christianam docendam, in „ tertio ex Scriptura Sacra colligens.

„ Itaque satis hic Patres ostenderunt, „ quid ex Scriptura omnibus tradi possit. „ Sunt & alii apud Græcos & Latinos hujus argumenti libri: sed tres hos, de quibus diximus, & ob sanctitatem & authoritatem authorum, & res ipsas etiam in „ exemplum præcipuè adduximus eorum, „ quæ minori periculo, & cum fructu etiam „ ex Scripturis Sacris transferri possent in „ usum simpliciorum „. Ita tunc Tridentini Theologus; præsenti verò tempore libros asceticos faciles, rudium captui accommodatissimos simul & ad Christianam perfectionem maximè sufficientes quis enumeret? Isti & fructu non dubio, & absque ruinæ periculo volvuntur à doctis pariter & simplicibus, ut libellus aureus *de Imitatione Christi*, quidquid in Scripturis ad mores attinet, compendio exhibens ab omnibus approbato.

CAPUT III.

Satisfit argumentis quæ opponuntur ex Scriptura.

1 PRæsenti Articulo idem, quod superiori fundamentum Quesnellus statuit illud Actuum Apostolorum capite 8. ubi ab Eunucho Candacis Reginæ Æthiopiæ legitur ex Isaia: „ Tanquam ovis „ ad occisionem ductus est: & sicut agnus „ coram tondente se sinè voce, sic non „ aperuit os suum. In humilitate judicium „ ejus sublatum est. Generationem ejus „ quis enarrabit? Quoniam tolletur de „ terra vita ejus „. Cumque accurrens Philippus ex eo quæreret, putasnè intelligis quæ legis? Confessus ingenuè suam ignorantiam Eunuchus: *Et quomodo* (inquit) *possum, si non aliquis ostenderit mihi*.

Sententiam Eunucho apparuisse non immeritò obscuram agnoscimus; neque has qualescumque tenebras debuisse eum à Sacra avertere lectione; quia neque ulla ipsum arcebat prohibitio, neque ingenium ei erat vulgare, aut penitùs inexercitatum: legis autem amor, & religio excellens, utpote de quo S. Hieronymus epist. 103. ad Paulinum ait: „ Nec sanctior sum hoc Eunucho, nec studiosior, qui reliquit aulam regiam: & tantus amator legis, Divinæque scientiæ fuit, ut etiam in vehiculo Sacras literas legeret „! De se tamen Sanctissimus Ecclesiæ Doctor testatur Præfatione in epist. ad Ephesios: „ Nunquam ab adolescentia aut legere, aut doctos viros interrogare cessavi, aut me ipsum habui magistrum. Denique nuper „ Alexandriam perrexi, ut viderem Didymum, & ab eo in Scripturis omnibus, „ quæ habebam dubia, sciscitarer.

2 Quod autem ab exemplo talis laici, qualis Eunuchus describitur, eximio prorsus & singulari, argumentum deducas ratio-

tionabile pro omni genere laicorum, ut Articuli enuntiatio sinè omni limite est? Si quinque superioribus seculis laici passim fuissent Eunucho illi similes, Concilium Tolosanum, & plura postmodum subsecuta, cum Gersonio, cum Sorbona universa, & Clero Galliæ, non reprimendam censuissent adversantium novitatem, neque Tridentini Patres, adstipulante Apostolica Sede, de condenda Regula quarta Indicis cogitassent; non enim ejus rationi suffragaretur veritas, scilicet *Experimento esse manifestum, si sacra Biblia vulgari lingua passim sinè discrimine permitterentur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quàm utilitatis oriri*. Stolida igitur sapientibus, fallax indoctis, & simplicibus ex istiusmodi Scripturæ restrictâ ad unum sententiâ, consecutio deducitur expers limitis, & generali æquivalens: *obscuritas Sancta verbi Dei non est laicis ratio dispensandi seipsos ab ejus lectione*. Attamen Quesnellus (si ei credimus in facie Ecclesiæ solemniter protestanti) *Non est solitus in suis circa Novum Testamentum Observationibus dogmata religionis attingere, nisi quousque eum Sacer textus induxerit, atque determinarit*. Sed inter attributa hæresim sectantium Jansenianam, non solet numerari veracitas.

Aliud, quod objectionis ineptias convincit, est suppositio præcepti, de Sacro Codice etiam à laicis legendo, quæ in damnata cernitur propositione. Eunuchum enim lectioni intendisse, veluti ad eam præcepti onere adstrictum, non ostendit adversarius vel ostendere hactenus tentat; satis conscius novitatem exoticam faciliùs adstrui, quàm ratione solida stabiliri.

Dein remittimur ad illud Psalmi 118. v.2. *Beati qui scrutantur testimonia ejus*. Ibi sistunt adversarii: non sistit Psalmista, addens, *in toto corde exquirunt eum*, & immediatè ante præcesserat versu 1. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Unde discimus ad obtinendam beatitudinem non sufficere scrutationem, & scientiam speculativam; sed practicâ maximè opus esse. Sic Thomas le Blanc, qui, ut Cornelius à Lapide in cæteros Scripturæ libros, suppare eruditione Commentarium edidit in Psalmos. „ In hoc Psalmo [inquit] „ per testimonium Dei intelligitur lex ejus. „ Sic Psalmo 18. v.8. dicitur: Testimonium „ Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. [Et aliquanto post:] ubi vulgata habet: *Beati qui scrutantur*, in Hebraica, Chaldaica, Syriaca habetur: „ *Beati qui custodiunt*. In tribus illis idiomatibus, eadem est vox custodire, circumquaque observare, cum cura & diligentia servare nè effluat, quod retineri „ oportuit „.

Hinc David eodem Psalmo v.34. *Da mihi*, inquit, *intellectum, & scrutabor legem tuam & custodiam illam in toto corde meo*, Psalmo 1. v.2. *In lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte*.

3 Quid igitur in sacro volumine, & quomodo scrutandum sit, juxta Psalmistæ sententiam, intelligimus: nempe legem, seu præcepta, hortationes, consilia, non obscura quæque mysteria, ut Quesnellus contendit Art.79. *utile & necessarium est omni tempore, omni loco, omni personarum generi studere & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria Sacræ Scripturæ*, nullâ mysteriorum exceptione, nullo discrimine.

Longè autem prudentiùs & salubriùs monemur Proverb. cap.25. v.27. *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum; sic qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria*. Ecclesiastæ cap.7. v.17. *Noli esse justus multum: neque plus sapiens, quàm necesse est, nè obstupescas*. Ecclesiastici cap.3. v.22. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te non scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne sis curiosus*.

Ex his manifestè conspicimus, quæ sint illa Dei testimonia, quorum à Davide scrutatio suadetur, velut ad beatitudinem conducens. Aliàs, inquit Olympiodorus in Ecclesiasten: *quæcumque ad nostram utilitatem Divinus sermo voluit esse occulta, perscrutari stupor est, ac phreneticum mentis vitium*. Et S. Ambrosius lib.1. epist.1. *Est mensura sapientiæ, quæ si supra mensuram sit, nocet; quia scriptum est Ecclesiastæ cap.7. v.17. Noli esse multum sapiens*.

Idem Sanctus novi fœderis Doctor in Psalmum ab adversariis hic objectum monet: „ Quàm pulcher ordo, quàm plenus „ doctrinæ & gratiæ! Non prius qui scrutantur testimonia ejus dixit „ [esse beatos]„ sed priùs beati immaculati in via. „ Ante enim vita, quàm doctrina quærenda est. Vita enim bona, etiam sinè „ doctrina, habet gratiam: Doctrina sinè „ vita integritatem non habet; in malevolam enim animam non cadit sapientia, „ ideoque dicitur Sapientiæ 1. Quærent me „ mali, & non invenient; quia improbitate cæcatur mentis oculus, & caligante sibi iniquitate, mysteria profunda invenire non potest. Primùm ergo est excercenda vitæ militia, corrigendi mores.

Et

Et in Osee cap.10. v.12. „ Seminate „ vobis ad justitiam: vindemiate ad fru- „ ctum vitæ: illuminate vobis lumen co- „ gnitionis. Non prius illuminate; sed „ seminate: nec solùm seminate prius ad „ justitiam; sed etiam vindemiate, inquit, „ ad fructum vitæ, & sic illuminate lumen „ cognitionis; ut profectò non solùm con- „ sitis; sed etiam receptis fructibus appro- „ betur. In primo quoque Psalmo hunc „ ordinem tenuit, ut in via ambulandum „ doceret priùs, & tunc in lege meditan- „ dum;„. Hactenus Ambrosius, & ante eum Hilarius.

4 Sic etiam legimus lib.1. Esdræ cap.7. „ Esdras paravit cor suum, ut investigaret „ legem Domini, & faceret, & doceret „ In Israel præceptum & judicium„. Fuit autem Esdras non laicus imperitus; sed Sacerdos & Scriba in lege doctissimus vivens tempore Artaxerxis Regis Persarum, qui imperare cœperat anno mundi 3521. Scripsit Esdras librum primum suo nomine insignitum. Secundus etiam ei tribuitur à S. Isidoro lib.6. Originum cap.2. sed aliis apparet probabiliùs posteriorem deberi studio Nehemiæ, qui postea missus ab Artaxerxe venerat in Judæam.

At Quesnellus in toto suo Observationum moralium Opere, tomos quatuor in solum novi fœderis codicem complectente ne verbum quidem habet, quod laicis, saltem indoctis & carnalibus Divina volumina, etiam vernaculè translata prohibeat. Contra potiùs omnes etiam ex laicis imperitissimi, atque ex plebe infima, secularibus prorsus impliciti curis & corrupti affectibus ad Divini voluminis lectionem pelliciuntur, instigantur, quin & ementitis Dei atque Apostoli præceptionibus compellunrur Art.79. „ Utile & necessarium est „ omni tempore, omni loco, omni per- „ sonarum generi studere, & cognoscere „ spiritum, pietatem, & mysteria Sacræ „ Scripturæ„. Art.81. „ Obscuritas San- „ cta verbi Dei non est laicis ratio dispen- „ sandi se ipsos ab ejus lectione„. Quapropter Latinum ignorantibus idioma, necessariæ sunt versiones vernaculæ, quales rarissimæ fideles sunt, pleræque ad errores inducunt fidei contrarios.

5 Victoriam sibi Collator non minùs inaniter spondet ex illo Petri Epist.2.cap.1. v.19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco*. Quam de Christo Petrus prædicaverat fidem, & suâ stabiliverat visione, quâ Christus ipsum cum duobus aliis Apostolis *in Monte Sancto* dignatus est, uti & cœlestis Patris testimonio *Hic est filius meus dilectus*, nunc etiam propheticis anteriorum temporum oraculis asserit confirmari.

Ea vocat *Propheticum sermonem*, & quidem *firmiorem*, non quasi verior, & in se certior sit, quàm apparitionis illius historia; sed firmior penès vulgus hominum, qui visionem attribuere potuissent illusioni, sive arti magicæ, & vocem, ut aliàs, tonitru interpretari. Nihil simile objici à Judæis potuit Prophetarum Oraculis, utpote quæ ipsi Divina esse, & nulli obnoxia errori agnoscerent. Sic autem humano generi sapientissimè prospexit Dei benignitas, ut Prophetis per plura secula dispositis ad fidem Christi pertinentia inspirarit. Quapropter *benefacitis*, inquit Petrus, Sermoni Prophetico *attendentes*.

Verùm ubinam imposita laicis omnibus oracula ista legendi necessitas, ut ne eorum quidem obscuritas ratio illis esse valeat à lectione abstinendi? Attendere quis Propheriis potest in Concionibus, lectionibus publicis, institutionibus docentium, etiam privatis, ubi Sacerdotum & Magistrorum interpretatio depellit tenebras, difficultates dissolvit.

6 De eo quod dicitur *quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco*, præclarè nos commonet Cornelius à Lapide: „ Prophetia, „ inquit, omnisque Scriptura est quasi lu- „ cerna lucens in nocte, & tenebris hujus „ seculi & vitæ, eas illuminans; sed modi- „ cè & obscurè, instar lucernæ, ut Chri- „ stum quasi Solem justitiæ nobis ostendat, „ ad eumque deducat. *Omnis enim prophe-* „ *tia una magna ad Christum lucerna est*, ait „ Sanctus Augustinus Tract.23. in Joan. & „ serm. 237. de Tempor. *In die*, ait, *am-* „ *bulamus comparatione infidelium; compa-* „ *ratione verò illius diei quando resurgent* „ *mortui, adhuc nox sumus*. Hoc est quod „ ait Salomon Proverb. 6. 23. *Manda-* „ *tum lucerna est, & Lex lux*. Et David „ Psalm. 118. 105. *Lucerna pedibus meis* „ *verbum tuum, & lumen semitis meis*. Et „ v. 130. *Declaratio sermonum tuorum illu-* „ *minat, & intellectum dat parvulis*.

„ Perperam ergo hæretici ex voce *Lu-* „ *cerna* contendunt, S. Scripturam esse fa- „ cilem, & claram, ut à quovis plebejo „ intelligi & explicari possit. Nam primò, „ lucerna significat lumen nocturnum, „ ideoque obscurum. Secundò S.Petrus „ propriè lucernam vocat Prophetiam: „ hanc autem constat esse obscuram. Ter-

tio

„ tiò, quia ait lucernam hanc lucere in ca-
„ liginoso loco; ergo à loco repercussa, &
„ hebetata fit & ipsa caliginosa; ut non
„ nisi propinqua illuminet, eaque modicè
„ & obscurè.

„ Quarto, quia S. Scriptura est *lucerna*,
„ sed super candelabrum publicæ ac infal-
„ libilis authoritatis Ecclesiæ, non sub mo-
„ dio hominis privati, ait S. Ambrosius
„ lib. 7. in Lucam cap. 52. *lucerna* enim hæc
„ non lucet, nisi ejus lux pandatur à Do-
„ ctoribus Ecclesiæ, ac fidelibus ostenda-
„ tur. Apostoli enim & Doctores sunt ac-
„ censores lucernæ, quam ponunt super
„ candelabrum, ut luceat omnibus qui in
„ domo sunt, ait S. Aug. tract. 23. in Joan.
„ Causam dat idem Sanctus lib. 2. de Do-
„ ctrina Christ. cap. 6. *Ita*, ait, *obscurè qua-*
„ *dam dicta sunt, ut densissimam caliginem*
„ *obducant; quod totum divinitus provisum*
„ *esse non dubito, ad edomandam labore su-*
„ *perbiam, & intellectum à fastidio revocan-*
„ *dum, cui facilè investigata plerumque vi-*
„ *lescunt*.

„ Denique sicut lucernæ crebrò sugge-
„ ri debet oleum ut luceat, ita Sacræ Scri-
„ pturæ crebrò à Doctoribus inseri debet
„ explicatio docta & pia, ut auditoribus
„ lucem doctrinæ & calorem devotionis
„ aspiret.

„ (*In caliginoso loco*) id est in loco squal-
„ lido, obsito, obscuro, tenebroso, sor-
„ dido, horrido; talis enim est hic mun-
„ dus, & hæc vita. „ Hactenus à Lapide, ubi videmus neque in Sancti Petri sententia, neque in probatissimo ejus interprete, neque in ullo alio probabilium Doctorum quidpiam esse, quod laicis omnibus legendi sacri codicis imponat legem, & quidem adeò rigidam, ut nulla quantacumque apparuerit sacrorum textuum obscuritas, & lapsûs in legentibus periculum, rationem cuiquam laico præbere valeat sufficientem, ob quam lectione liceat supersedere: *Obscuritas sancta verbi Dei non est laicis ratio dispensandi seipsos ab ejus lectione*.

CAPUT IV.

Sancti Patres damnato Articulo minimè suffragantur.

1 PRæ cæteris objicitur S. Clemens Romanus Epist. 1. ad Corinth. tom. 1. Conciliorum pag. 151., 154., 155. per Labbæum: *Scripturas diligenter inspicite, quæ sunt Oracula Spiritus Sancti... Sumite epistolam B. Pauli Apostoli. Nostis, Dilecti, & probè nostis Sacras Scripturas, & penitùs in Divina eloquia introspexistis: illa igitur mente & memoriâ recolite*. Mirificè hîc exultat & Clementi XI. insultat *Collator* observatione hac schismatica. „ Clemens ecce Petri discipulus, qui ignorare minimè poterat, quod scripsit iste, in „ *Pauli epistolis esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem*; Nihilominus Corinthios omnes, atque adeò cujusvis generis plebejos homines hortatur, Scripturas ut diligenter legant, ipsasque Pauli epistolas in manus sumant: igitur *obscuritas sancta verbi Dei non est laicis ratio dispensandi seipsos ab ejus lectione*. Hoc tamen condemnat Clemens XI. utri jam fidem adhibebimus? Uterque est Romanus Pontifex; verùm ille à Petro & Paulo instructus. „

Nos fidem adhibebimus utrique; cùm nulla nisi penès malevolos, aut imperitos, sit inter utrumque sententiarum oppositio. Clemens primus hortatur, non præcipit, quemadmodum damnato Articulo præceptum fingitur, quod dispensatione egeat; si tamen ratio ulla novatoribus videatur ad dispensationem sufficiens.

2 Neque ulla cogit necessitas Clementis primi hortationem ad *indoctos* extendere & *instabiles*, à quibus Petrus epistolas Pauli temere legi conqueritur, *& ad suam ipsorum perditionem depravari*. Confirmat Illustrissimus Lizetius Dialogo de *Sacris Literis in vulgare eloquium minimè vertendis*.
„ Apud Græcos (inquit) etiam tum, cùm
„ Euangelia & reliquum novum instru-
„ mentum conscribebatur, duplicem fuis-
„ se sermonem, alterum vulgarem omni-
„ bus communem, alterum verò peculia-
„ rem, evidentissimè comprobatur, quòd
„ apud illos verborum inflexiones, tropos,
„ ac rectè loquendi regulas admodum ex-
„ quisitas, & adventitias tum fuisse, notis-
„ simum sit.

„ Quo fit, sermonem illum artificiosum
„ indocto vulgo neutiquam fuisse commu-
„ nem; sed viris literatis peculiarem fuisse,
„ credere debeamus. Illo autem Divinos
„ libros conscriptos fuisse, & non vulgari
„ sermone Græco luculenter hisce libris,
„ quos de Doctrina Christiana Divus Au-
„ gustinus conscripsit, affirmare videtur,
„ Apostolos Scripturæ novi Instrumenti
„ authores, etiam eloquentiæ regulas ob-
„ servasse, modisque omnibus locutionis,

„ quos Grammatici tropos vocant, usos „ fuisse asseverans.

„ Et subjungit: Quos tamen tropos qui „ noverunt, agnoscunt in literis sanctis, „ eorumque scientiâ ad eas intelligendas „ adjuvantur; sed hic hos ignaris tradere „ non decet &c. Et paulò post: quia talia „ non discit indoctus. Planè hisce verbis „ Græcum sermonem quo novi Instrumenti canon conscriptus fuit, doctis & non „ indoctis notum adstruit. „ Neque ullus hoc tempore ignorat Græcum Literatorum ab eo quo vulgus inter se colloquens utitur, differre plurimùm. Unde periti Paulinas epistolas cùm legerent aliis, interpretabantur.

Non igitur S. Clemens plebejos quoslibet rudes ad lectionem sacri codicis hortatur; nam neque Lingua Hebraica, qua Testamentum vetus describitur, Corinthiis eo tempore vulgaris fuit, & nota omnibus, ut mox videbimus ex Bellarmino. Lizerio adstipulatur Galliæ Clerus, qui anno 1661. hunc ejus Dialogum iterum typis subjici voluit, quo Novatorum audacia reprimeretur.

3 Eodem modo Clerus approbat Bellarmini caput 15. ex Tom. 1. Controversiarum Lib. 2. *De verbo Dei*. Sic ibi eruditissimus Cardinalis: „ Principio Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem comprobare possumus ex usu Ecclesiæ veteris Testamenti, qui fuit à tempore Esdræ usque ad „ Christum; nam à temporibus Esdræ defiit in populo Dei Lingua Hebraica esse „ vulgaris; si quidem in illis septuaginta „ annis, quibus Hebræi fuerunt inter Chaldeos in Babylone, obliti sunt Linguam „ propriam, & Chaldaicam didicerunt: & „ deinceps Chaldaica, seu Syriaca fuit illis materna. Quocirca ex libro Esdræ secundo habemus cap. 8., quòd cùm legeretur Liber Legis Domini universo „ populo, Nehemias & Esdras & Levitæ „ interpretabantur; quia alioqui populus „ nihil intelligebat. Itaque propterea, ut „ ibidem dicitur, *facta est lætitia magna in* „ *populo, quia intellexerant verba Legis,* „ *Esdra interpretante*.... Huc etiam pertinet, quod Joannis 7. dicitur: *Turba hæc,* „ *quæ non novit Legem*. Denique usque ad „ hanc diem in Synagogis Judæi Scripturas Hebraicè legunt; cùm tamen nulli „ nationi hoc tempore lingua Hebraica sit „ vulgaris...

„ Probatur secundò ex usu Apostolorum; nam Apostoli per totum orbem „ terrarum Euangelium prædicarunt, & „ Ecclesias constituerunt, ut patet ex Paulo ad Rom. 10. & ad Coloss. 1. ex Marci „ Euangelio cap. ultimo. Item ex Irenæo „ lib. 1. cap. 3., qui cùm fuerit vicinissimus Apostolicis temporibus; tamen dicit, suo tempore fuisse Ecclesias jam fundatas in Oriente, in Libya, in Ægypto, „ in Hispaniis, in Germania, in mediis „ regionibus, id est, Italia, & Gallia, & „ tamen non scripserant Euangelia, aut „ Epistolas linguis earum gentium, quibus „ prædicabant; sed tantùm Hebraicè aut „ Græcè, & ut quidam volunt, Latinè. „ Sunt enim, qui existiment Marci Euangelium, ut etiam supra monuimus, Latinè scriptum Romæ ab ipso Marco, & „ postea ab eodem in linguam Græcam „ translatum: de quo vide Damasum in „ Vita B. Petri, Adrianum Finum lib. 6. „ Flagelli contra Judæos cap. 80. & lib. 8. „ cap. 72., & Petrum Antonium Beuter „ Annot. 9. ad Sacram Scripturam.

4 „ Quod autem non scripserint ullis „ aliis linguis, etsi eas non ignorarent, cùm „ haberent donum Linguarum, potest multis modis ostendi. Primò quia nullum „ extat vestigium ullius scripti Apostolici, „ nisi Græcè: nec ullus veterum tradit „ scripsisse, nisi Hebraicè, aut Græcè, aut „ Latinè. Præterea Paulus Romanis Græcè scripsit; cùm tamen Romanis non „ Græca; sed Latina esset vulgaris. Item „ Petrus & Jacobus scripserunt Græcè Judæis per orbem terrarum dispersis; quibus tamen Græca non erat materna, nec „ Hebraica; sed lingua ejus regionis, in qua „ habitabant, ut patet ex illo Act. 2. *Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi* „ *sunt, & quomodo nos audivimus linguam* „ *nostram in qua nati sumus Parthi, & Medi,* „ *& Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam. &c.*

„ Ista enim dicuntur à Judæis, qui ex „ variis regionibus convenerant ad Urbem Hierosolymæ. Sic etiam Lucas „ Act. 2. *Erant autem in Hierusalem Judæi* „ *viri religiosi ex omni natione, quæ sub Cælo est*. Item Joanes Græcè scripsit primam „ epistolam Parthis, ut B. Higinus testatur „ epist. 1. & B. Augustinus lib. 2. Quæstionum Euangelicarum Quæst. 39., & Joannes 11. Papa in epist. ad Valerium; cùm „ tamen Parthis Græca non esset materna.

5 Ex his colligitur, neque vetus Testamentum tempore Apostolorum à rudi populo omnium nationum legi potuisse; cùm neque Hebraica, neque Græca lingua omnibus nota esset, neque vulgari omnium idio-

idiomate translata Biblia reperirentur. Unde & istud profluit necessariò, S. Clementem dum ait: Scripturas diligenter inspicite: sumite epistolam B. Pauli Apostoli, non potuisse intelligi de fidelibus omnium gentium; imò ne quidem de omnibus inter Corinthios præcipuè quantum attinet ad Scripturas Testamenti veteris, forte nec quoad Pauli Epistolas; cùm ut ex Lizerio vidimus, Clero Galliæ approbante, lingua Græca literalis, in qua epistolæ illæ scriptæ fuerant, non esset rudi populo explorata.

Attamen licèt supposueris Sancti illius Pontificis hortationem ad Corinthios pertinere universos, non propterea rectè concluseris, eamdem ad fideles omnium nationum, & temporum extendendam, obsistentibus circumstantiis, & dispositionibus fidelium maximè diversis.

Quamvis scilicet ævo quoque Apostolico non omnino defuerint *indocti & instabiles*, qui Scripturas falsâ depravarent intelligentiâ *ad suam ipsorum perditionem*, quemadmodum ex Petri discimus testimonio; tamen & isti pauciores erant, Christianis rum communissimè ab omni temeritate alienis, & deerant libri alii, quorum infinita modò copia est, in quibus, quæ ad mores pertinent, & necessariam fidei institutionem, ex Pauli epistolis, & reliquo Divino volumine collecta proponuntur modo facili, & absque errandi periculo à legentibus addiscuntur. Quis autem nisi in doctrina & usibus Ecclesiæ admodum peregrinus ignoret, plurima quæ ad disciplinam pertinent, olim licita fuisse, aliqua etiam præcepta, quæ postmodum mutatis circumstantiis Ecclesia meritò censuit prohibenda.

6 Observavit istud à sesqui seculo Jacobus Ledesma in Lib. *De Scripturis Divinis quavis linguâ passim non legendis*, approbato ab Inquisitore fidei Apostolico Coloniæ, ac dein anno 1661. Parisiis adoptato à Clero Galliæ, ejusque *jussu ac mandato* typis iterum edito.

Illic cap. 24. monemur, quod etsi Exodi 30. præcipitur Memento ut diem Sabbati sanctifices, non diem Dominicum; tamen Apostoli ne communicare cum Judæis viderentur, celebrationem Sabbati abrogarint, cultu diei Dominicæ substituto. „ Item (inquit author) cum Manichæi Salvatoris nostri corpus negarent esse verum, & ideo exangue crederent, ac proinde sub una tantùm specie communicarent Leo primus circa annum Domini 444; plus minus in Sermone 4. de Quadragesima, & in quodam ejus Decreto, atque etiam Gelasius Papa in Decreto altero, constituerunt, ut omnes sub utraque specie communicarent: at verò cessante hæresi, Ecclesia ad pristinum morem rediit. „

Essetne autem Catholico, & non potiùs Lutherano hæretico digna ratiocinatio: A Leone primo & Gelasio non solùm permittitur; sed etiam decernitur communio Laicorum sub utraque specie: igitur etiam modò permittenda est. Abusus graves in pluribus deprehensi, Ecclesiæ Rectoribus persuaserunt consuetudinem hanc usu contrario immutandam. Ita etiam crescens paulatim hominum temeritas, moderatores Ecclesiæ impulit ad restringendam illam Divini Codicis in Lingua Vernacula promiscuam lectionem. Sequuntur alia eodem capite exempla plurima mutatæ ab Ecclesia disciplinæ, prout variæ errantium Sectæ ex disciplina pristina fovere hæresim conabantur.

7 Spiritus quoque Roterus anno 1548. Tolosæ Inquisitor Fidei, Henrico II. Galliarum Regi dicavit Tractatum suum *De non vertenda Scriptura Sacra in linguam vulgarem*: ubi cap. 30. ostendit, ea, quæ ut plurimum damnosa sunt, ut est lectio promiscua Divini Codicis idiomate Vernaculo, non esse permittenda propter utilitatem paucorum, ut non multi ex ea lectione in fide & virtutibus proficiunt Christiani. „ An propter paucorum industriam (inquit) raramque prudentiam malis communibus bene utentium, indiscriminatim & in universum permittenda sunt, quæ constat toti Reipublicæ fore damnosa?

„ At, si arborem ex fructibus, si artes, medicamina, studia, & quidquid in usum humanum infertur, bona sint necne, ex effectibus & eventibus judicemus; si ea quæ quandoque utilia fuere, per abusum multitudinis effecta periculosa & damnifera rejiciuntur, & abrogantur; si Serpentem æneum ad sanandum igneorum morsus per Moysem in Deserto exaltatum, in irreligiosum usum conversum, confregit Rex Ezechias: si nocturnæ vigiliæ ad Martyrum Corpora, diu ab utroque sexu celebratæ, & à Divo Hieronymo commendatæ, Sacro Senatûs consulto postmodum interdictæ fuut: si Cœnæ Dominicæ vespertinum Convivium: si communionem Calicis, priscis temporibus laicis concessam, ob nonnullas hine contingentes indecentias

„ tias abstulit Ecclesia;si conjugium Sacer-„ dotum, pluraque alia olim recepta; ob-„ servataque, propter indecorum incau-„ tumque usum multitudinis explosa, su-„ blataque fuere, multò magis expedit vul-„ gares has translationes; etsi aliquando „ visæ fuerint permittendæ, nunc tamen „ facessere, & explodi à populari theatro; „ cùm tot periculis & exemplis compet-„ tum sit, populum & imperitos, his abu-„ ti in suam perniciem, hacque via ple-„ bem immutatam, perturbatamque Ec-„ clesiam.

8 „ His enim in locis, quibus ignotæ „ sunt hæ translationes, magna cum pace, „ fidei unitate, Ecclesiæque obedientiâ vi-„ vitur; ubi verò lectitantur, & in manus „ omnium revolvuntur, cernere est popu-„ lum infrunitum & contentiosum, erro-„ rumque, ac perversorum dogmatum „ variis formis contaminatum, sacrorum-„ que ut plurimum contemptorem, subque „ hypocrisi meriti & Sanguinis Christi, pec-„ catis laxare habenas, & in Mahometi „ Sectam induci. „

Rursus cap.31. „ Clamat optima rerum „ magistra experientia, populum rudem, „ & imperitum, his translationibus mini-„ mè effectum meliorem, quin imò multò „ deteriorem. Nam si populi statum, qua-„ lis esset ante disseminatas has traductio-„ nes recolamus, in fidei unitate, obedien-„ tiâque Decretorum Ecclesiæ convenie-„ bant, præcones verbi piè & attente au-„ scultabant. Si fallente carne, mundo, aut „ diabolo peccata admisissent, ea lustratio-„ ne sacramentali, piisque operibus ex-„ piabant, delectum ciborum, & ab Apo-„ stolorum temporibus observata jejunia „ hilariter implebant, nulla dissidia aut „ factiones in his quæ ad fidem Religio-„ nemve pertinebant, audiebantur.

„ At ubi emersere hæ vulgares versio-„ nes, & coriarii, fusores, artifices, & mu-„ lierculæ, literam nudam utriusque Te-„ stamenti, suo sensu tractare cœperunt, ad „ nil aliud compertum est tedere hujusmo-„ di colluviem, præterquam ad carnalem „ libertatem, contemptumque sacrorum, „ solitusque fidei, meritique Christi jacta-„ tionem, quem tamen rursus crucifigunt, „ habentque ostentui. „

9 Sic itaque inter Clementem primum, & Undecimum nulla est oppositio; sed quemadmodum posterior, si prioris tempore vixisset, Fidelibus adeò piis, adeò submissis, Præpositorum adeò reverentibus, atque observantibus mandatorum, author fuisset, ut qui ingenio non forent prorsus hebeti sacræ lectioni intenderent animum; aliàs destituti piarum subsidio lucubrationum, quibus posteriora Ecclesiæ secula abundant; Clemens verò primus, si in nostra tempora incidisset, quibus vulgarium hominum ad eam excrevit præsumptio temeritatem, ut erroribus gravissimis, quos fatuè amplexi sunt, adhæreant pertinacissimè, neque ab eis ullâ se patiantur authoritate divelli: si, inquam, Clemens primus in talia tempora, in talem impegisset vulgarium hominum temeritatem, non magis eis quàm CLEMENS Undecimus, Divini Codicis suasisset finè discrimine lectionem.

Nulla igitur veterum Pontificum recentiumque pugna; sed ingeniorum morumque in subditis diversitas maxima, disparem postulavit variis temporibus disciplinam.

A Sancto Clemente adversarius progreditur ad Origenem, qui Lib.7. contra Celsum circa finem ait: „ Providens illa „ Divina natura non solùm eorum, qui „ Græcè scire creduntur; sed & Gentilium „ cæterorum imperitiæ condescendit, & „ ex his quæ ex se ubertim audirentur, „ prospexit, ut consuetis sibi & vernacu-„ lis dictionibus usi, qui eos edocerent, „ ad audiendum imperitam multitudinem „ provocent, quæ facilè ubi primùm fit in-„ troducta, & paululum instituta, ausura „ sit postmodum abditiora quædam Scri-„ pturarum sensa percipere. „

Nemo etiam hoc tempore prohibet, ne ii qui populum sacris lectionibus & concionibus edocent, quasdam Divini Codicis sententias ad mores potissimum & fidem necessariam pertinentes, verbis vernaculis exponant; imò istud officii à Pastoribus exigit Ecclesia; sed adversarium oportet esse antiquitatis ignorantissimum, si inde colligat versiones Scripturarum vernaculas ad usum quarumlibet gentium familiares tum fuisse, quandoquidem Bellarmino, & cæteris contra recentiores hæreticos polemicis Scriptoribus exploratum sit, eas ne Augustini quidem ætate comparuisse. De Chrysostomo disserui ad Artic. 79.

10 Multa hìc agglomerat adversarius ex Augustino: in primis ex Lib.6. Confessionum cap.5. „ Eò illa mihi venerabilior, „ & Sacrosancta Fide dignior apparebat „ authoritas [Scripturæ] quo & omnibus „ ad legendum esset in promptu, & secreti „ sui dignitatem in intellectu profundiore „ servaret, verbis apertissimis & humilli-„ mo

„ mo genere loquendi se cunctis præbens, „ & exercens intentionem eorum,qui non „ sunt leves corde, ut exciperet omnes po- „ pulari sinu, & per angusta foramina pau- „ cos ad te trajiceret. „ De Sacro Volumine loquitur Augustinus, prout illud divin a propinabat eloqnia idiomate Latino, Græco, & Hebraico; nam versiones barbaræ & pleræque corruptissimæ nondum emerserant. Editiones verò in tribus linguis usu Ecclesiastico receptis nemini prohibentur. De his Sanctus Hilarius Præfatione in Psalmos: *His maximè tribus linguis sacramentum voluntatis Dei, & Beati Regni expectatio prædicatur, ex quo illud Pilati fuit, ut his tribus linguis Regem Judæorum Dominum Jesum Christum esse præscriberet.*

Postqnam autem versionum in linguas quaslibet Vernaculas colluvies invaluit, non tantùm crevit in hominum plurimis levitas cordis, & fidei dogmata innovandi temeritas; sed aperta hæresis Provincias plurimas & Regiones integras ab Ecclesiæ unitate sejunxit. In ipso Regno Christianissimo quantam labem passa est superioribus duobus seculis religio!

Fructus adeò funestos sibi vindicavit Scripturarum versio multiplex: quibus allecta successibus nova hæresis Jansenii atque Quesnelli, ex suarum quoque versionum multitudine effectus sperat haud multò inferiores. Initia se produnt in tot plebejorum appellationibus contra Bullam Unigenitus: à suis nempe institutoribus didicere, quod quidquid in Observationibus Moralibus condemnatum est, à Quesnello fuerit ex Sacris Textibus elicitum.

Sed neque in ulla Augustini, aut superiùs in Origenis sententia quidpiam est, quo Divini Codicis lectio laicis imponatur veluti præcepta, & à qua ipsos neque ingenii tenuitas, neque Scripturarum obscuritas valeat dispensare. Neque Origeni, vel Sancto Hipponensium Antistiti sermo est de versionibus Scripturæ in idioma vulgare, quas tunc Ecclesia ignorabat, neque de hominibus qui *leves* sunt *corde*, quorum non minima turba est hoc tempore, in iis potissimùm Provinciis, in quibus versiones Vernaculæ, rudis populi mulierumque teruntur manibus, secundùm cujuslibet insipientiam explicandæ.

11 Idem Sanctus Doctor Epist. ad Volusianum, nunc 137. ait: „ Modus ipse di- „ cendi quo Sancta Scriptura contexitur, „ quàm omnibus accessibilis, quamvis pau- „ cis penetrabilis! Ea, quæ aperta conti- „ net, quasi amicus familiaris sinè fuco ad „ cor loquitur indoctorum atque docto- „ rum; ea verò quæ in mysteriis occultat, „ nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non „ audeat accedere mens tardiuscula, & in- „ erudita, quasi pauper ad divitem; sed „ invitat omnes humili sermone, quos „ non solùm manifestâ pascat; sed etiam „ secretâ exerceat veritate, hoc in prom- „ ptis, quod in reconditis habens. Sed ne „ aperta fastidirentur, eadem rursus aper- „ ta desiderantur, desiderata quodammo- „ do renovantur, renovata suaviter inti- „ mantur. His salubriter & prava corri- „ guntur, & parva nutriuntur, & magna „ oblectantur ingenia. „

Similia habet Augustinus de utilitate credendi cap. 6. & lib. 5. de Genesi ad Literam cap. 3. quibus consonat illud Gregorii Magni Epist. ad Leandrum Hispalensem Episcopum, quæ Libris illius moralibus in Job præfigitur cap. 4. „ Divinus sermo sicut „ mysteriis prudentes exercet, sic plerum- „ que superficie simplices refovet. Habet „ in publico, unde parvulos nutriat: ser- „ vat in secreto, unde mentes sublimium „ in admiratione suspendat. Quasi quidam „ quippe est fluvius, ut ita dixerim, pla- „ nus & altus, in quo & agnus ambulet, & „ Elephas natet. „

12 Hæc omnia, & longè plura, ac nobiliora præconia meretur indubiè Sacer textus Divino dictatus Spiritu ad institutionem fidelium, & salutem. Sed temeritate hominum, & malitiâ tandem effectum est, ut res optima abusu pessimo in legentium plurimorum convertatur interitum, quemadmodum cibus solidus, quantumlibet salubris, infantibus veneni instar est: & gladius, quantumlibet utilis ad patriæ, & vitæ propriæ defensionem, in manu hominis furentis, ipsi perquàm noxius est, & cuilibet obvio metuendus. „ His omnibus (inquit Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 15.) „ accedant duorum gravissimorum Patrum „ testimonia, Basilii Græci, & Hieronymi „ Latini, qui quidem non judicabant expe- „ dire, ut omnes homines sinè delectu „ Scripturas tractarent; etiamsi id non „ posset eo tempore facilè impediri, cùm „ Græca, & Latina lingua quibusdam po- „ pulis adhuc essent (quodammodò) vul- „ gares „. Tum sequitur ex Theodoreto lib. 4. Hist. cap. 17. decantatissima S. Basilii adversùs culinæ Imperatoris Præfectum reprehensio: & altera S. Hieronymi ex epistola ad Paulinum contra rude vulgus virorum, ac mulierum, lectionem Sacri Volumi-

minis, intellectumque sibi vindicantium.
„ Quæ Hieronymi querimonia [ut Bellarminus prosequens testatur] nunc maximè locum habet in tota Germania, & Gallia; omnes enim Opifices, non solùm viri; sed etiam fœminæ, Scripturas habent in manibus, & ex earum lectione ad imperitiam suam adjungunt indocilitatem, & arrogantiam. Quia enim possunt verba Apostoli recitare, & allegare libros, & capita, putant se omnia scire, nec ullo modo doceri se patiuntur. Vide Joannem Cochlæum libro de vita, & actis Lutheri anno 1522.

Vitia quidem sunt ista hominum, non Scripturarum, quibus sua semper stabunt intemerata elogia. Sed neque Divini Codicis Sanctitas sufficit ad avertendam à temerariis lectoribus perniciem, quorum cùm in immensum creverit numerus, quos scilicet novarum hæresum propagatores subdoli totâ Galliâ grassantes, in sua miseros pertraxerunt retia: Sapiens prorsus, imò maximè necessaria comprobatur Tridentinorum Patrum, regulas Indicis condentium, Pontificiumque Romanorum eas confirmantium providentia: quæ, ubicumque Episcoporum, eisque cooperantium Parochorum, ac Religiosorum vigilantiâ vigent, floret pariter religio, fides catholica triumphat: inde procul omnis exulat novitas, aut, si quæ clanculum irrepserit, abest à deceptis contumaciâ, statimque, ut à Sede Apostolica rescripti quidpiam venerit, causa finita est: neque error mucrone Petri rescissus, repullulat.

Verùm ubi laicis, & rudibus omnis generis opificibus, & rusticis, & malesanis mulierculis æquè, ac Theologis, & Sacerdotibus, Divini Voluminis in linguas vernaculas traducti lectio communis est, illic & novatoribus omnia personant: illic prætensâ Scripturarum Scientiâ inflantur homines ignorantissimi, & insipientes fœminæ adeout quos à magistris perfidis incautè hauserant, nulla sit in Ecclesia authoritas evellendis erroribus sufficiens. Sanctos Patres initio venerari se simulant; sed non diutiùs, quàm ex illis testimonii quidpiam producere valeant præconceptis erroribus quacumque mendaci specie suffragaturum. Aliàs contra veteres omnes, & Sanctos Ecclesiæ Doctores, una eis pro omni patrocinio est conficta Scripturarum authoritas.

14 Sic Lutherus, etsi antea totus videri voluisset Augustini discipulus; tamen sibi suisque postea brevius fecit compendium, quo quidquid ex Patribus, ex Pontificibus, ex Conciliis objiceretur, etiam Oecumenicis, facilè retunderet allegando Divina eloquia, Lutherano videlicet intellecta sensu, quibus omnia, quæ conciliari non poterunt, cedere necesse sit.

Ita de Luthero Cochlæus refert loco superiùs citato, ad annum ejus 1522. „ Inter convicia etiam prodigiosam sæpe interponebat arrogantiam, & contemptum, dum falsò jactaret se de Verbo Dei: Ego verò (inquit) adversùs dicta Patrum, Hominum, Angelorum, Dæmonum, pono, non antiquum usum, non multitudinem hominum; sed unius æternæ majestatis Verbum, Evangelium quòd ipsimet cognotur probare. Hic sto, hic sedeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho, hic insulto Papistis, Thomistis, Henricistis, Sophistis, & omnibus portis inferi, nedum dictis hominum, quantumlibet Sanctorum, aut consuetudini fallaci. Dei verbum est super omnia: Divina Majestas mecum facit, ut nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesiæ Henricianæ contra me starent.

„ Deus errare, & fallere non potest: Augustinus, & Cyprianus, sicut omnes electi, errare potuerunt, & erraverunt. Item: si solius Christi sumus, quis iste stolidus (Rex Angliæ Henricus) qui suis mendaciis nos Papæ facere molitur. Nos non sumus Papæ: sed Papa noster est. Nostrum est non judicari ab ipso; sed ipsum judicare: Spiritualis enim à nemine judicatur, & ipse judicat omnes, quanto magis sordes istas, & labes hominum Thomistas, & Henricos „. Aliquanto post: „ Volo audiri, & juxta doctrinam S. Petri doctrinæ meæ rationem, & fundamentum ostendere coram universo mundo, eamque habere injudicatam à quolibet; etiam à cunctis Angelis. Cùm enim de ea certus sum, volo per eam, & vester, & Angelorùm quoque, ut Paulus ait, judex esse, ut quisquis doctrinam meam non acceptaverit, salvari non possit; Dei enim est, non mea: idcirco, & judicium meum non meum; sed Dei est.

15 Tum Bullam suam Lutherus, & reformationem contra Episcopos, à laicis avidè susceptam edidit: De qua sic Cochlæus. „ Pro hac Bulla populis Germaniæ persuadendâ, plurimos adduxit Scripturæ locos, quos in Episcopos vi traxit, & retorsit: quos eò faciliùs admiserunt, & rectè adductos putaverunt laici, quò infensiores sunt abusibus, & avaritiæ technis

„ chnis, quæ vulgo tendebantur, ut qui„ ritabantur Lutherani, in Aulis, & Consi„ ftoriis Epifcoporum per Officialium, „ Procuratorumque rapacitates, quas bel„ lè ibi commemorat Lutherus.

„ Longè itaque audaciffimum turbu„ lentiffimumque facinus aggreffus eft ri„ xator ifte, qui non folùm per libellos „ convitiofos; fed & per ipfum Euange„ lium pacis maximè turbavit Germaniam: „ quemadmodum olim fecit Judas prodi„ tor, cui dixit Dominus: Juda, ofculo, „ quod pacis, & amicitiæ fymbolum erat, „ filium hominis tradis?

„ Sic profectò & Lutherus Euangelio „ pacis præcipitavit in bella, & feditiones „ Germaniam: In qua non folùm civitas „ una contra aliam, & gens adversùs gen„ tem, provincia adversùs provinciam per„ tinaci odio infurgit; verùm etiam plebs „ contra Senatum in eadem Civitate, po„ pulus adversùs principem fuum, & Prin„ ceps adversùs Imperatorem fuum bella, „ feditionefque meditatur. Et quantò plus „ quifque jactitat Euangelium, magifque „ Euangelicus videri defiderat, tantò ar„ dentiùs adfpirat ad tumultus.

„ Cur ita? Quia perfuafit Lutherus, „ tanto verius Euangelium effe, quanto „ plus tumultuum parit.

16 De Lutherana novi Teftamenti in linguam Germanicam verfione fic ibidem Cochlæus. „ Quis fatis enarrare queat, „ quantus diffidiorum, turbationumque, „ & ruinarum fomes, & occafio fuerit ea „ novi Teftamenti translatio; in qua vir „ jurgiorum datâ operâ contra veterem, „ & probatam Ecclefiæ lectionem, multa „ immutavit, multa decerpfit, multa addi„ dit, & in alium fenfum detorfit? Multas „ adjecit in marginibus paffim gloffas er„ roneas, atque cavillofas, & in præfatio„ nibus nihil malignitatis omifit, ut in par„ tes fuas traheret lectorem.

„ Mirum in modum multiplicabatur „ per Chalcographos novum Teftamen„ tum Lutheri; ut etiam futores, & mu„ lieres, & quilibet idiotæ, qui Teutho„ nicas literas utcunque didicerant, no„ vum illud Teftamentum, tanquam fon„ tem omnis veritatis, avidiffimè legerent, „ quicumque Lutherani erant: illudque „ fæpe legendo memoriæ commendarent; „ in finu fecum portantes codicem, ex quo „ tantam intrà paucos menfes doctrinam „ arrogabant, ut non folùm cum laicis par„ tis Catholicæ; fed etiam cum Sacerdo„ tibus, & Monachis, atque adeò etiam „ cum Magiftris, & Sacræ Theologiæ Do„ ctoribus difputare de fide, & Euangelio „ non erubefcerent...

„ Cùm igitur mobile vulgus ubique „ magis intentum fit, & avidum ad res no„ vas latè divulgandas, quàm ad res con„ fuetas, in fuo ftatu confervandas, factum „ eft ut turba Lutheranorum longè plus „ operæ impenderit difcendis Sacris Lite„ ris ita translatis, quàm impendit po„ pulus Catholicorum, ubi laici eam cu„ ram potiffimùm in Sacerdotes, & Mona„ chos rejiciebant. Unde contigit non nun„ quam, à laicis Lutheranis plures Scriptu„ ræ locos ex tempore citari in Collo„ quiis, quàm citarentur à Presbyteris, & „ Monachis Catholicis.

„ At jam dudum perfuaferat Lutherus „ turbis fuis, nullis dictis habendam effe „ fidem, nifi quæ ex Sacris Literis profe„ runtur. Idcirco reputabantur Catholici „ ab eis ignari Scripturarum; etiamfi eru„ ditiffimi effent Theologi. Quin etiam „ palàm aliquando coram multitudine eis „ laici aliqui contradicebant.

Fructus ifti fuere Euangelii Lutherani, five novi Teftamenti à Luthero Germanicè editi: quibus accedunt proximè fructus Quefnelliani, quorum fpecimen copiofum exhibet inter alia innumera, infamis *Collectio Poematum à variis authoribus compofitorum circa Conftitutionem Sanctiffimi D. N. Pontificis, qua condemnantur Reflexiones Patris Quefnelli in novum Teftamentum*: anno 1714.

Certat hoc opufculum pro palma, cum omnibus, quæ ex Luthero protuli, & quibus impudens Grammaticorum, & Poetarum turba tunc temporis exagitabat Catholicos, nullâ dignitatis, quantumlibet fublimis, reverentiâ: Certat, inquam, opufculum illud; imò in eo numerofiffimus pugnat Janfeniftarum exercitus, invectivis, contumeliis, Satyris contra Clementem XI., & univerfam ejus Romanam Curiam, contra Epifcopos omnes Catholicos, contra Religiofos, contra Regem fuum Chriftianiffimum, ejufque piiffimum Confeffarium.

17 Verùm (inquies) Quefnellus ipfe cùm viveret, recenfens plurimas *quas Divina providentia procuraffet Moralibus Obfervationibus Apologias*, commemorare noluit, illas contumeliis, & amaritudine fcatentes, quin eas reprehendit graviter, caufatus talibus minimè egere præfidiis veritatem.

Frivola excufatio eft: vix enim fellis quidpiam, & infamis Satyræ Quefnellus in

in suorum reperiet vindiciis, cui non viam ipse straverit compositis à se, & typo editis *colloquiis* contra priorem *Observationum Moralium* condemnationem. Excerpta ex collnquiis illis protuli tom. 1. in Prolegomenis, illustrans commentario Epistolam Quesnelli plenam hypocrisi, qua CLEMENTIS XI. prudentiam circumvenire frustrà speraverat, & Constitutionem *Unigenitus* perpetuis sepelire tenebris. Sic & Lutherus postquam Scriptionibus quam potuit mordacissimis Leonem X. Pontificem, Episcopos omnes, ipsumque Henricum Angliæ Regem, scurriliter dilaceraverat, suos tamen dein discipulos veluti magistri petulantiam supergressos, de nimiis commonet excessibus. Mihi verò, & omnibus rem æquâ lance expendentibus problema videbitur, non adeò facilè solvendum: Utrorum in scribendo impudentia, discipulorumne an ipsorum sit scel eratior magistrorum.

Altera majorem præseferre speciem à multis censebitur excusatio pro Quesnelli Scriptionibus, quàm pro Lutheri, quòd hic, veluti ex Scripturis collegerit matrimonia Sacerdotum, præceptorum omnium Ecclesiasticorum abrogationem, necessitatem communionis sub utraque specie, imò presbyteratum laicorum omnium prædestinatorum, etiam fœminarum, collectum ex illo Scriptnræ, *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens Sancta*. Eo usque Quesnelli novitas, & Ecclesiæ per eam depravatio promota non est, neque ad tantam videtur collimare perniciem.

18 Ita quidem videtur hactenus; sed non quævis semper novæ Sectæ pestilentia se prodit initio: quædam in futura tempora reservantur, quando Sectatorum multitudine, & potentiâ ampliùs fuerit novitas roborata, ut securè prædicare liceat super tecta, quæ prius timor callido premi silentio coegerat. Sic execrabilis Quietistarum spurcities, pluribus se annis continuit intrà exterioris limites honestatis; dumque orthodnxorum aliqui perspicaciores Theologi ex illius principiis deducebant consectaria funestiora, à paucis adhibita est eis fides; videbanturque luctuosa auguria, ex affectu potius sinistro æmulationis, & invidiæ, quàm zelo proficisci in scientia fundato: sed demùm sera dies detexit horridam magis factorum seriem, quàm Doctorum providentia ausa fuerat ominari.

Jansenistarum quoque dogmata ad nefariam libertinorum disponere impietatem, pridem cœperat animadverti: usum quoque aliquem seu praxim in novæ istius Ecclesiæ Apostolis deprehensam, factis absurdissimis exhibent tomi complures *De vero Spiritu novorum discipulorum Sancti Augustini*; prætensorum videlicet, quibus præter mendacem nominis Augustiniani umbram, nihil penitùs Sancti Doctoris est; Lutheri autem, & Calvini plurimum. Porrò præter ea, quæ memoratus author recensuit, etiam mihi non pauca in promptu sunt, qualia in Donatistis minimè dissimulanda statuerat Augustinus; sed delicatiores modò legentium oculos offenderent, & quæ in Augustini opere ausus nemo fuerit reprehendere, in meo non effugerent Criticorum hoc tempore censuram. Si tamen, quod minimè futurum existimo, satis confidentiæ aliquando adversariis fuerit, ut ad publicam factorum provocent enarrationem, non deerit Scriptor Catholicus, cui, & notitiæ, & animi satis sit, ut pro meritis exequatur.

Propositio damnata octogesima secunda.

Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum: Damnosum est, velle Christianum ab hac lectione retrahere. *Obser. Mor. in Act. Apost. cap.* 15. *v.* 21.

CAPUT I.

Error duplex Propositionis dejicitur.

1 Simul atque ad rationis usum pertingimus, obstringimur præcepto diem Dominicum, & festos reliquos celebrandi. Quis autem pueros omnes rationis compotes ad legenda Sacra Biblia hactenus obligavit? Ego quidem præter declaratos Ecclesiæ hostes & hæreticos manifestos, ante Quesnellum, & forsitan Arnaldum, novi neminem. Ne tamen durus nimiùm appareat exactor; Seri-

Scriptura, inquit, *lac sunt ab ipso propinatum Numine, quo nemo meliùs perspectum habet, quid condito à se conveniat operi*.

Quædam esse in Sacro Codice facilia intellectu, maximè ubi moralia traduntur præcepta, & documenta fidei ad salutem necessaria, atque ea lactis nomine appellari non inficior; at etiam plurima ibi esse, quæ cibo solido potius, quàm lacti ab Apostolo comparantur, & proinde simplicium intellectui non satis congrua, agnoscitur ab omnibus, qui posterioribus seculis hæreticos debellarunt. Notissima est Sorbonica adversùs Articulum Erasmi tertium censura.

Novator ille dixerat: *Me authore Sacros libros leget Agricola, leget Faber, leget Latomus*. Quid de hoc Sorbona? „ Testantur, „ (inquit) Sacra eloquia, simplices esse „ tanquam parvulos, quibus authore Paulo, lacte opus sit. Non enim solidam „ escam ferre ac digerere adhuc possunt. „ Perfectorum siquidem solidus est cibus, „ eorum qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem „ boni, & mali. Quapropter non est medium aptum hujusmodi simplicibus, quod „ indiscriminatim quosvis sacros libros legant in linguam vernaculam translatos; „ sed convenientissimum eis medium Ecclesia constituit auditionem verbi Dei, „ & frequentationem prædicationum ejus.

2 Catechismus etiam Romanus Tridentinæ Synodi mandato compositus, explicans istud Dei præceptum: *Memento diem Sabbati sanctifices*, præter cessationem ab operibus servilibus, non penitùs necessariis, proponit varia pietatis officia, diebus festis, & Dominico, qui Sabbato successit, potissimùm exercitanda. Inter illa sunt quæ sequuntur: „ Attentè, diligenterque sacra concio fidelibus audienda est: nihil enim minùs ferendum est, „ neque tam profectò indignum, quàm „ Christi verba contemnere, aut negligenter audire. Exercitatio item atque studium fidelium in precibus divinisque laudibus frequens esse debet, præcipuaque „ ejusdem cura, ut quæ ad vitæ Christianæ institutionem pertinent, ea diligenter „ addiscant, sedulòque se exerceant in iis „ officiis, quæ pietatem continent, pauperibus & egenis eleemosynam tribuendo, ægros homines visitando, mœrentes, quique dolore afflicti jacent, piè „ consolando; nam, ut est apud Sanctum „ Jacobum, Religio munda & immaculata „ apud Deum & Patrem hæc est: Visitare „ pupillos, & viduas in tribulatione eorum. „

Plura ibi pietatis atque religionis opera præscribit eadem Christianorum institutio, ut dies festi congruè sanctificentur. Nihil autem est de frequentanda ab omnibus Divini Codicis lectione: Hanc tamen à cæteris quodammodo præscindens, *Moralis* Quesnelli *Observatio* eligit unicè commendandam, nisi quod piarum etiam in genere fiat mentio lectionum. In Actibus scilicet Apostolorum cap. 15. versu 21. dicitur: *Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis; ubi per omne Sabbatum legitur*: quem locum hoc suo Quesnellus illustrandum suscipit Commentario: *Judæorum in legendo Dei verbo religio* (seu diligentia) *confundit Pastores, & Christianos, qui illud negligunt. Dies Dominicus, qui successit Sabbato, sanctificari debet lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum. Lac hominis Christiani est, ab ipso propinatum Numine, quo nemo meliùs perspectum habet, quid condito à se operi conveniat*.

Verùm si oculi adversariis forent, novitatis pulvere non impediti, perspicerent Sacrum textum dogmati proscripto minimè patrocinari. Aliud enim est Codicem Divinum absque ullâ partium exceptione, à singulis legi fidelibus, quod volunt adversarii, aliud à Sacerdotibus & Doctoribus prælegi quoad partes magis faciles & populo instituendo in fide & moribus potissimum idoneas, ut etiam in Ecclesiis nostris, atque officiis publicis obtinet consuetudo.

3 Erasmus Præfatione in Matthæum ajebat, *Neque Ezechielis Prophetæ, neque Cantici Canticorum, aut cujusquam librorum veteris Testamenti lectionem ulli hominum interdico*. Adeò non interdicit Quesnellus, ut quodammodo præcipiat definiens *lectione Scripturarum debere diem Dominicum à Christianis sanctificari*. Sorbona autem Erasmi Articulum feriens *Cùm* (inquit) *Sedis Apostolicæ decreto multorum talium librorum lectio laicis jampridem interdicta sit, & eruditis in lege Domini apud Hebræos, gravium authorum sententiâ prohibita fuerit lectio dictorum librorum, atque primi capitis Geneseos ante annum ætatis trigesimum, prædicta Propositio temerariè & impudenter asseritur, quandoquidem eadem subest causa inhibendi talium librorum lectionem, quæ suberat, quando Decretum Innocentii III. super his constitutum est*. Ubi perspicimus Articulum damnari temeritatis & impudentiæ; quia opponitur Decreto Innocentii III.

Fuitne autem tunc temporis major authoritas Apostolicæ Sedis, quàm annis aliquot post succedente Pio IV. Pontifice, à quo Regulæ Tridentini Indicis approbatæ sunt, & à pluribus ipsum sequentibus Christi Vicariis, etiam nuper ab Innocentio XII. confirmatæ? Num ipsum quoque Innocentii Tertii Decretum interea abrogatum est? Disertè aliàs prohibet, quod Quesnelli Articulus videtur præcipere, jubens diem Dominicum sanctificari lectionibus Scripturarum, nullâ partium exceptione, nullo discrimine ætatis, sexûs, conditionis, peritiæ, aut ignorantiæ. Censura Sorbonica ejusque fundamentum in Decreto Innocentii Tertii positum, adeò placuit Clero Galliæ anno 1661., ut eandem reprimendis Novatorum molitionibus maximè opportunam, typis suis & Regiis iterum jusserit divulgari.

Attende modò, lector catholice, mirificam Quesnelli, eique adhærentium religionem; quam fortè appellare malueris impietatem: Minimè dissimulant cognitam à se regulam Quartam Indicis à pluribus stabilitam Pontificibus, quâ prohibetur, ne in pœnitentiæ Sacramento absolutio conferatur iis, qui Biblia vulgari idiomate conscripta legunt ac retinent, non acceptâ à superioribus facultate, ut legere ac retinere jubet Quesnelli Articulus Christianos omnes sacri idiomatis ignaros. Aliàs enim diem Dominicum (idem est de festis cæteris) sanctificare modo debito non possent. Regula autem denegans eis absolutionis beneficium, definit indubiè, lectionem istam, atque retentionem illegitimam, esse peccatum mortiferum.

Quesnelliana itaque diei Dominici sanctificatio, veriùs dicetur profanatio detestabilis. Talis à novis istis Ecclesiæ reformatoribus præscribitur Divini corporis sumptio, & cujuscumque susceptio Sacramenti, ut Sacrilegos in nova Secta esse oporteat ex imperito Sacri idiomatis populo universos, qui Sacramenti alicujus die Dominico participes esse voluerint; non enim à novis animorum directoribus approbatur, aut permittitur petitio facultatis.

Ita suos instituit Quesnello consonus Gabriel Gerberon antequam cum eo Bruxellis à Mechliniensi Archiepiscopo apprehensus & carceri mancipatus est. In *brevi sua, & necessaria* (ut vocat) *Instructione* pag. 26. De Regula Quarta Indicis Tridentini, & Antistitum Decreto, quo Regulæ urgetur observatio: *Est*, inquit, *virtutis non obedire talibus superioribus; Qualis enim foret ista obedientia? Non absimili Nestorius, Julianus, Sergius, & plures alii Episcopi Haretici, plurimos simplices suis haresibus implicuerunt, & pertraxerunt ad inferos.*

Ægidii Candidi stylum & audaciam sapit typis Belgicis edita epistola ad Ostendanos incolas, eosdem animans ut *Biblia sua* [vernacula] *non tradant, & si propterea denegetur absolutio à Sacerdote: expectent eam à Deo eum peccatorum venia & salute*; Quia scilicet per Articulum 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.*

4 Quid autem interea fiet Communione Eucharisticâ, etiam Paschali? Vel enim ab ea abstinendum penitùs & perpetuò, vel accedendum cum reatûs lethiferi conscientia, absque pœnitentiæ Sacramento, contra quod clarissimus est Tridentinæ Sessionis 13. Canon. 11. *Statuit atque declarat ipsa S. Synodus illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habitâ copia Confessoris necessariò præmittendam esse Confessionem Sacramentalem. Si Quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.* Porrò Confessio, quam absolutio non sequitur, nullius indubiè valoris est.

Ita diem Dominicum etiam Paschalem celebrant novæ Sectæ discipuli, linguam non callentes nisi vernaculam; ideoque aut à Divino exules convivio, aut ejus sacrilegè participes. Ea Novatorum Ethica est, quæ passim rigida dicitur, & à suis habetur velut unicè tuta; sed quâ revera nihil est tum hic, tum sibi laxius, magisque perfidum & exitiale. Crescit verò etiam pernicies ex eo, quod intenta maximè Quesnellisnorum cura fit, ut inter Scripturas vernaculas, virulentissimæ seligantur, Montensis scilicet, & Catalaunensis, quarum seu lectio, seu retentio, juxta iteratam sedis Apostolicæ sententiam subjicit anathemati Pontificiæ reservato authoritati.

5 Modus longè alius, & verè saluberrimus sanctificandi diem Dominicum, & quemlibet festum à Tridentino ut supra traditur Catechismo, è quo etiam depromo sequentia. „ Neque verò Parochus illud „ prætermittere debet, ut diligenter do„ ceat quibus in operibus, atque actionibus „ Christiani homines diebus festis exerce„ re se debeant: illæ verò ejusmodi sunt, „ ut ad Dei templum accedamus, eoque „ loco sincera, piaque animi affectione

„ Sa-

" Sacrosancto Missæ Sacrificio intersimus: " Divina Ecclesiæ Sacramenta, quæ ad salutem nostram instituta sunt, ad animæ " vulnerum curationem crebrò adhibeamus. Nihil verò est, quod opportuniùs " aut meliùs à Christianis hominibus fieri " possit, quàm si peccata sua Sacerdotibus " sæpè confiteantur: ad quam rem perficiendam poterit Parochus populum adhortari, sumptâ hujus probandæ rei ratione, & copiâ ex iis, quæ de Pœnitentiæ Sacramento, suo loco tradita, ac " præcepta sunt.

" Neque solùm ad hoc Sacramentum " populum excitabit: sed sedulò etiam at" que etiam ad illud adhortabitur, ut Sa" crosanctum Eucharistiæ Sacramentum " crebro percipiant." Quesnellus autem pro sanctificando die Dominico, aliud non commemorat Christiani hominis exercitium, quàm piorum lectionem librorum, & super omnia Sanctatum Scripturarum: quia super omnia curæ Novatoribus est, ea inculcare, quæ promovendis suis erroribus potissimum judicant opportuna.

Quamvis autem opusculis verè piis nulla Regio, nulla Provincia, aut civitas destituta sit; quocunque tamen nova hæresis penetravit, illic mysticorum maxima librorum copia cernitur, qui speciosis inscriptionibus alliciunt oculos ad legendum; sed inspersi communiter aliquid veneni continent, quod ab incautis & simplicibus haustum, perniciem inferat, antequam sentiatur. Versiones quoque Scripturarum ingeruntur depravatissimæ cum observationibus & Notis ad insinuandam hæresim studiosa fraude compositis.

Hæ lectiones piæ sunt, hæ Scripturæ Sanctæ, quas novaturiens turba obtrudere solet, & encomiis non vulgaribus celebrare, ut animos illæ rapiant ad legendum, lectæ novitatibus imbuant, ac demum spoliatos fide catholicâ, à Sedis Apostolicæ obedientia abstrahant & salute.

6 Temeritatis cumulum auget & damnationis reatum, quæ in fine Atticuli additur calumnia adversùs Ecclesiæ Præpositos, Regulæ Quartæ Indicis observantiam exigentes: *Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere*; Quasi Regula illa, & quotquot eam approbavere Pontifices, quotquot cum S. Carolo & Concilio ejus Mediolanensi eam amplexi sunt religiosissimi Præsules, totâ præsertim Italiâ, Hispaniâ, Lusitaniâ, & Belgio, in ipsis quoque Galliis Concilia Tolosanum, Narbonense, & cætera contra superiores Articulos citata, Gersonius Parisiensis Academiæ Cancellarius, ipsa Sorbona cum Supremo Senatu Regio, atque ipso Galliæ Clero, damnum animis intulissent, quando versiones Scripturatum vernaculas, sive promiscuum earum prohibendo usum, obicem posuere, ne Christianorum plurimi sacra idiomata ignorantes, Divinum Codicem legerent.

Adeò nova Secta impudens est, & esse solent novæ hæreses, ut ipsis Ecclesiæ Catholicæ Rectoribus insultare audeant, eosque apud populum arguere veluti seductores execratione dignos potiùs, quàm veneratione, & obedientiâ; ipsi verò novi Apostoli, novi Ecclesiæ in fide & moribus, tanquam salutiferi amplectendi sint, & dimisso Romano Pontifice, unicè audiendi: scilicet *Quesnellum & Paulum condemnat Papa: Quid ad nos? Fallitur, & fallit: Numen abesse probat*. Quod dignius esse potuit Epigramma Schismaticis? Innumera istiusmodi dedit annus 1714., quorum ne interiret memoria, collectio typis edita est.

CAPUT II.

Digressio

Quare novi Ecclesiæ Reformatores non ament modum dies Dominicos & festos celebrandi, traditum à Catechismo Romano.

1 Suppono Adversarios à modo necessario celebrandi dies festos & Dominicos non penitùs excludere onus assistendi Missæ Sacrificio, etsi omnes ab eo arcere videatur peccatores Art.89. *Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod cùm sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificiis Ecclesiæ*. In *literis* quoque Sancytani *Christianis & Spiritualibus*, ut refertur in ejus *Reliquiis* Lovanii editis pag.294. *Juxta S. Chrysostomum opus est dispositione vix minore ut Missam audias, quàm ut communices*.

Denique illam audiens cum conscientia delicti gravis, nisi illud retractaverit, præcepto audiendæ Missæ non satisfacit juxta novos Arnaldo, & Quesnello deditos Theologos, quos Illustrissimus Humbertus Mechliniensis nuper Atchiepiscopus Sedi Apostolicæ denuntiavit, in libro, cui titulus *Propositiones per Belgium disseminatæ* pag.116. Alienissimi quoque iidem Ecclesiæ reformatores sunt à commendando frequenti Sacramentorum usu.

Famosus Ægidius Candidus, quo nullus vehementior Clementinæ Constitutionis est adversarius, in Aurea fodina suffossa part. 1. pag. 11., imperterritè, inquit, & *expressè nego, quòd Sancti Patres unquam suaserint frequentem usum Sacramenti Pœnitentiæ*. Parte 2. pag. 46. *S. Augustinus nunquam confessus fuit*. Ibid. pag. 44. *Nullus ex SS. Patribus, E. G. Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Basilius, Chrysostomus &c. assignandus est, qui unquam in tota planè vita fructum Confessionis Sacramentalis assecutus sit*.

Similis authoris Opusculum in Belgio prodiit hac Epigraphe: *Notitia necessaria ad confitendum & communicandum utiliter*: ubi dicitur *Esse in hac vita quidam status perfectionis, in quo non indigemus ampliùs Confessione: neque in eo statu primi Christiani solebant confiteri*. Ibid. *Regulam perfectionis Christianæ non debemus ponere in confitendo sæpe & diu; sed in vivendo ita ut cum primis Christianis non debeamus confiteri*.

In Huygeniano quoque *Theologiæ Compendio*, quod Quesnellus, postquam Romæ prohibitum est temeritate solitâ defendit, editionis secundæ pag. 250. sic legitur: *Non probamus, quod quis continuè præterita vitæ peccata iteratò confiteatur, ad obtinendum toties, ut ajunt, effectum Sacramenti*.

2 Adde quod Ægidius Candidus anno 1681., die 11. Junii Arnaldo scripserit se ex ejus volumine *De frequenti Communione* didicisse *non binam* [ut cum Morino & Petavio statuunt cæteri passim Doctores Catholici] *sed unicam duntaxat peccatorum mortalium pœnitentiam veteribus notam esse, eamque publicam*: Ex quo supposito principio colligit, *initio in paucissima peccata per Sacramentum Pœnitentiæ, sive claves Ecclesiæ animadversum fuisse*. Sic nempe Arnaldus in memorato suo Opere pag. 282. *Non existimaverunt Sancti Patres necessarium esse ministerium Ecclesiæ, nisi dum rigidæ illæ pœnitentiæ imponerentur, quibus annexa erat excommunicatio*.

Hæc & plura istiusmodi deducam copiosiùs contra secururos mox Quesnelli de Pœnitentiæ Sacramento Articulos octogesimum septimum, & octogesimum octavum. Interim, quod huc potissimùm attinet, sponte profluit consectarium, non posse adversarios hortari populum ad frequentem Confessionem, quâ dies Dominicus, juxtà Tridentini Catechismum utilissimè sanctificatur: Cùm enim toti velint esse Patricii & sectatores veterum, de solis, inquiunt, venialibus non est instituenda confessio; neque de mortalibus antea expositis & remissis iteranda. Crimina publica, & quæ expiatione similiter publicâ atque Canonica indigent, rariora sunt.

Si igitur ea sola Sacramento pœnitentiæ committenda sunt, quem usum habitura censebitur Catechismi monitio de sanctificando die Dominico, *peccata Sacerdotibus sæpe confitendo*? Sacerdotes autem ipsi Catholicæ reformatores Ecclesiæ Sacramento pœnitentiæ nunquam indigent in suo systemate, nunquam utuntur. Quidquid enim impium versant animo, quidquid nefarium peragunt intrà privatos parietes, cura ipsis maxima est, nè prorumpat in publicum; aliàs eum hypocritarum fama periret authoritas & novæ progressus hæreseos. Hanc autem, quâ purgare se nunquam sinè palinodia poterunt, non sibi crimini ducunt; sed necessariæ ad salutem fidei & religioni.

3 Denique quomodo in nova Ecclesia *Parochus populum etiam atque etiam ad illud adhortabitur, ut Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum crebrò percipiat*, quo dies Dominici & festi maximè congruè & salubriter sanctificentur, sicut in Catechismo legimus, *si arcendi sunt à Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers*? Hæc enim regula ab Arnaldo traditur lib. de frequenti Communione; sed ab Alexandro VIII. Pontifice condemnatur inter 31. Articulos vigesimo tertio. Nonne istiusmodi perfectio meritò diceretur *rara avis in terris*, proinde Sacram Synaxim quodammodo superis reservandam?

A posteriori consectario minimè aliena visa aliàs fuit Corona Sanctissimi Sacramenti, quam veriùs dixeris larvatum plerarum Sacrilegium contra Sanctissimum Sacramentum, prout à Sorbonicis Censurâ anni 1633. die 8. Junii condemnatur, videlicet ut *Scatens ineptiis, erroribus, blasphemiis & impietatibus, quæ eò tendunt, ut animos à virtutum, præsertim Fidei, Spei, & Charitatis exercitio avertant, modum orandi à Jesu Christo institutum destruant, & introducant opiniones contrarias effectibus Divini erga nos amoris, quem Deus præcipuè elucere voluit in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, & mysterio Incarnationis*.

Libellus iste, si non authorem, at saltem pluribus contra Sorbonam apologiis vindicem habuit Sancyranum; compositionis autem gloria, vel infamia tribuitur Sorori Arnaldicæ Agneti à S. Paulo in Portu-Regio Moniali. Quàm dignus iste tantâ

Jan-

Janfeniftarum Amazone, & novæ Ecclefiæ dogmatibus inftructiffimâ, fœtus fit, ex paucis difce ejus fpeciminibus. Num. 11. ponitur „ Inacceffibilitas: Jefus Chriftus „ maneat in fe ipfo, relinquens creaturas „ in impotentia ad fe accedendi„. Num. 14 „ Incommunicabilitas, ut non dimittat fe „ Chriftus ad communicandum fe nobis; „ inter quos & ejus infinitudinem nulla „ eft proportio: maneamus in noftra indi- „ gnitate tam Divinæ communicationis. „ Æftimemus nos felices, quod Divino- „ rum donorum nullo modo reddamur „ participes: gaudeamus tanta effe, ut eo- „ rum non fimus capaces „. Num. 16. „ Inapplicatio: ut Jefus Chriftus fe ipfo „ occupetur, neque ullam in fe patiatur „ creaturam, feu nihilum, nihil curet ex- „ tra fe. Non offeramus nos illi, ut fe „ nobis applicet; fed potiùs ut ab illo re- „ jiciamur, propterea quod fe debeat no- „ bis præferre. Amplectamur illam appli- „ cationis negationem: eligamus potiùs „ ut Chriftus noftri oblivifcatur, quàm ut „ noftri memoria Chrifti erga fe applica- „ tionem interrumpat, eum applicando ad „ creaturas. „

4 Sic illa Agnes Arnaldica tali fratre non indigna Soror; à quo, & Sancyrano in Novitatibus bellè inftituta, præludere vifa eft Quietifmo, atque accedere ad Calvinifmum; fi non & eum alicubi fuperare, utpote non folam deftruens invocationem Sanctorum, etiam Deiparæ; fed ipfius pariter Chrifti, ne ejus & cæterorum ad divinitatem applicatio interrumpatur. Sed ad præfentem potiffimum pertinet difputationem præfens Chrifti *inacceffibilitas* & *incommunicatio*. Ita Vergerius Portûs-Regii Moniales, ita Sororem fuam Arnaldus inftituit, Chriftum, poftquam inter mortales vivere defiit, ad fuperos reverfus, nobis *inacceffibilem* effe & *incommunicabilem*.

Quod autem à talibus Magiftris in aurem infufurratum virgo fatua acceperat, prædicat fuper recta. Speraverat fcilicet Novatorum fagacitas, gratiorem ad mulieres aditum fore novæ hærefi, quam fui fexus ingenium peperiffet: circumventis quoque fœminis, viros faciliùs capiendos, ut etiam fapientiffimus mortalium à mulieribus infatuatus eft; neque videtur primus parens à Dæmone impelli in ruinam, nifi per confortem thalami potuiffe.

Aliud inde commodum fibi factio promittebat, quod fi novitas nimiùm offenderet, error faciliùs condonaretur infirmo fexui; faltem gravi in eam non animadverteretur fupplicio. Sorbona quidem dogma impium de Chrifto *inacceffibili*, & *incommunicabili*, in ipfis fuffocare vifa eft incunabulis; verùm Arnaldus quod Soror, uti fimpliciùs, ita crudiùs enuntiaverat, arte inftaurat magis callidâ lib. de frequenti Communione editionis Parifienfis anni 1644. pag. 23. dicens: „ Non funt ad Communio- „ nem admittendi, qui nondum uni Deo „ perfectè uniuntur, neque penitùs incul- „ pabiles funt. „

5 Superiùs quoque dedi Propofitionem 23. inter 31. damnatas ab Alexandro VIII. quæ ex Arnaldo fuerat excerpta, videlicet ex libro ejus de *Frequenti Communione* Parte 1. cap. 5. ubi & de neceffaria ad fumptionem Eucharifticam difpofitione fe agere profitetur, & qualis ea fit defcribere fe parte 3. cap. 7. ubi damnata ea Propofitio continetur integra. Si nempe *arcendi fuat à Sacra Communione quibus nondum eft amor Dei puriffimus, & omnis mixtionis expers*, five, *qui nondum uni Deo perfectè uniuntur, neque penitùs inculpabiles funt*, quibus dabitur ad Chrifti epulum acceffus, quibus Communio?

Sic Chrifti inacceffibilitas & incommunicabilitas ab Arnaldi Sorore imprudentiùs quia apertiùs & fimpliciùs afferta, à Fratre & Magiftro aliis verbis, & copiofiore periodo magis fubdolè confirmatur. Cùm igitur Arnaldus & Quefnellus agnofcantur velut *gemina novæ Ecclefiæ capita, quæ tantùm faciunt unum*, quod de Sanctis Apoftolis Petro & Paulo mendax confinxerat libri de Frequenti Communione Præfatio, non fupponetur temerè eadem effe Quefnelli de Chrifti quodammodo inacceffibilitate & incommunicabilitate fententia. Dixi *quodammodo*, non enim videtur hactenus placere adverfariis *inacceffibilitas* & *incommunicabilitas* abfoluta; cum & ipfi fubinde Sacris (etfi minimè fanctè) operentur *amore* fcilicet præditi juxta ipfos *puriffimo, & omnis experte mixtionis, uni Deo perfectè uniti & penitùs inculpabiles*: quæ prærogativa fingularis, feu præfumptio ridicula hæreticorum eft.

Solum itaque fidelium vulgus, & quos experiuntur reformationi fuæ noviffimæ non confentientes, à Divinis avertere myfteriis hactenus moliuntur, qui ubi majoribus forfitan firmati viribus aliquando fuerint, an illam Portûs-Regii fententiam, ut fonat, rigidè expofituri non fint, abrogatâ omni penitùs communione, relinquo aliis divinandum. Rationem faltem hic perfpicimus, cur Quefnellus ad fanctifi-

can-

candum diem Dominicum, & festos alios, Romano non adhæreat Catechismo, Confessionis & Communionis frequentiam commendanti. Unicè Quesnellus memorat *lectiones pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum.*

CAPUT III.

Collatoris observatio enervatur.

1 „ Item [inquit adversarius Collator] nonnulli movent Authori „ ob verbum *debet*, quasi præceptum adstruat strictè obligans ad Sacram „ Scripturam quolibet die Dominico legendam, ita ut qui semel omiserit, contra præceptum sanctificandi Sabbatum, „ delinquat, quemadmodum is, qui Dominico die Divinis mysteriis interesse „ neglexit. Miseri! Quid hoc est aliud, „ nisi de syllabis criminari, ut Hieronymi „ verbis utar? Dixit Author Dominicum „ diem lectionibus pietatis & super omnia „ Sanctarum Scripturarum sanctificari *debere*, quomodo Catechismus Romanus „ Confessionem, Eucharistiæ perceptionem, ægrorum visitationem annumerat „ iis operibus, quibus præcipuè Christiani *festis diebus se exercere debent*, ut ipse „ loquitur.

Qui ab adversario *nonnulli* vocantur, sunt Episcopi in Gallia centum, & fortè alibi longè plures. Sic nempe Documentum Pastorale à quadraginta Galliæ Præsulibus editum, à sexaginta aliis adoptatum: „ Dies „ Dominicus absque lectione Scripturarum sanctificari potest: Eum plenissimè „ sanctificant Sacrificii Missæ & Divinorum participatio officiorum, frequentatio instructionum Pastoralium ac Sacramentorum publicæ & privatæ preces, „ Eleemosynæ, infirmorum & captivorum „ consolatio, aliaque pietatis & charitatis exercitia. Et sanè deploranda foret „ illiteratorum conditio; si legendi imperitis deforet tanti præcepti adimplendi „ facultas. „

Sic igitur Antistites Propositionem condemnantes intelligunt, ut legendi Sacrum Codicem die Dominico inferat necessitatem. Neque existimo multos aliter expositurós; cùm & magis obviè, quod fieri debere dicitur, necessarium censeatur, quàm solummodo conveniens; licèt etiam hæc minùs rigida significatio non extra omnem usum sit, sicut vel ex Romani Catechismi colligitur exemplo.

2 Ar, inquies, cur ea saltem benignæ interpretationis gratia, quæ ultro ab omnibus Catechismo conceditur, denegatur Quesnello? Ratio discriminis manifesta est. Cùm integerrima in omnibus noscatur Catechismi doctrina, à novitatibus ubique abhorrens, & propter approbationes Pontificum, totiusque Orbis Catholici, authoritatis sit quodammodo irrefragabilis, nemini in mentem venit, crassum adeò, & apertè erroneum ei sensum tribuere, ut præceptæ diei Dominici, festorumque sanctificationi non satisfaciat, quisquis ex memoratis operibus, semel quodpiam prætermiserit. Unde si quid ibi duriusculè voce tenus exprimitur, nullus dubitat, quin mitiùs intelligendum sit, & sensu sano atque admisso passim ab omnibus.

Ea verò reverentia non debetur authoribus suspectis, quibus sufficere debet vulgaris regula, interpretationem fieri secundùm communem usum loquendi L. cum de Lanionis. §. Asinam. ff. de fun. instrum. Imo interpretatio fit contra eum, qui mentem suam potuit apertiùs declarare: in Spec. de appellat. §. 4. vers. *Quid si quis*. Et rursus, obscuritas sermonis interpretationem exigit contra proferentem: L. veteribus ff. de pac. L. labeo scribit ff. de contrahent. emp. L. si arborem §. Hæc Lex.

Etiam hæc recepta ab omnibus regula est, verbum ambiguum ab antecedentibus, & consequentibus certo sensui alligari, quæ si desint proxima, assumi debere etiam remota. Militant autem hæc omnia contra benigniorem præsentis Articuli acceptionem. Inspiciatur Quesnelli dogma 79. *Utile & necessarium est omni tempore, omni loco, omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria Sacræ Scripturæ.* An etiam *necessarium* quod hîc *utili* superadditur, intelligendum est impropriè pro solo convenienti? Sic facilè invertetur omnis humana locutio, neque ulla quantumlibet exploratum continens errorem enuntiatio poterit condemnari.

Verbum *debet* non de utili solùm & convenienti; sed necessario, & obligationem imponente intellexere Arnaldi & Quesnelli in Belgio Sectatores, præcipuè Andreas Schurius, & Ægidius de Witte, aliàs *Candidus*: quorum verba amplissima dedi disputans contra Articulum superiorem: & quidem *Candidus* in *Dialogo Paroebum inter & Theo-*

& Theologum ait, *tam esse necessariam Sacri Codicis lectionem ad bene vivendum*, *quàm ad vivendum necessarius est cibus*, *militibus ad militandum gladius*, *tonsoribus ad tondendum novacula*.

Sed ad discipulos recurrendum non est, ubi magistrum ipsum conspicimus asserentem, ut jam retuli, non solum *utile*; sed & *necessarium esse omni tempore*, *omni loco*, *omni personarum generi studere & cognoscere spiritum*, *pietatem*, *& mysteria Sacræ Scripturæ*. Nonne supponit hic *necessitas* præceptum obligans. Quod autem statuitur de *omni tempore*, quis non intelligat præcipuè de diebus Dominicis Divino cultui dedicatis? Cui Articulo si junxeris præsentem: *Dies Dominicus à Christianis sanctificari debet lectionibus pietatis & supra omnia Sanctarum Scripturarum*, non video cui dubium supeteresse valeat, quin Sacri Codicis lectio prædicetur velut necessaria diebus Dominicis, & ad eam obligatio appareat ex præcepto.

3 Eodem confluunt Articuli plures: octogesimus quartus *Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum*, *seu eis illud clausum tenere*, *auferendo eis modum illud intelligendi*, *est illis Christi os obturare*: octogesimus quintus *Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ*, *præsertim Evangelii*, *est interdicere usum luminis filiis lucis*, *& facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis*. Octogesimus sextus: *Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ*, *est usus contrarius praxi Apostolicæ*, *& intentioni Dei*.

Si sacrum novi fœderis Librum eripere manibus Christianorum sit illis *os Christi obturare*, non minùs ipse sibi Christianus quilibet os obstruit Servatoris, dum sponte à lectione abstinet. Poteftne autem Divini oris obturatio licita esse die Dominico, precibus, & Divinis colloquiis destinato? Si non liceat interdicere filiis lucis usum luminis die Dominico, licitumne est filiis lucis diem Dominicum transigere in tenebris animo perniciosis, erepto sibi sponte omni usu Divini luminis, atque ultro sibi consciscere speciem quandam excommunicationis? Num omni vacuum delicto est, neque ullam continet injuriæ speciem *eripere simplici populo solatium* ab Apostolis & a Deo ipso concessum? Præterea si *vocem suam non jungere voci totius Ecclesiæ*, *est usus contrarius praxi Apostolicæ*, *& Intentioni Dei*, passim censebitur usus ille illicitus; oppositus autem præcipi.

Minùs quidem dilucida apparet allati hic posteriùs Articuli significatio, & velut affectata studio ab authore obscuritas; circumstantiæ tamen, ut loco proprio ostendetur, indicant reprehendi Ecclesiam, quod Divina officia non celebret idiomate vulgari, quo posset etiam rudis populus vocem suam jungere Presbyteris etiam in Missæ Sacrificio, vel quod non tradatur singulis saltem Divini officii totiusque Missalis in linguam Vernaculam translatio.

Missam & Horas Canonicas plurimum continere Scripturæ Sacræ, notissimum est: unde si intentio Dei sit, ut ita sanctificetur dies Dominicus, si praxis alia, quam tenet & sequitur hoc tempore Ecclesia, sit contraria praxi Apostolicæ, & Numinis voluntati, facilè colligetur diem Dominicum à Christianis debere [debito propriè dicto] sanctificari Lectionibus Scripturarum.

CAPUT IV.

Satisfit objectionibus è Scriptura desumptis.

1 Act. cap. 13. v. 14. & 15. dicitur: *Illi verò pertranseuntes Pergen*, *venerunt Antiochiam Pisidiæ*, *& ingressi Synagogam die Sabbatorum*, *sederunt*. *Post lectionem autem Legis & Prophetarum*, *miserunt Principes Synagogæ ad eos &c.* v. 27. *Qui habitabant Jerusalem*, *& Principes ejus hunc* [Jesum] *ignorantes*, *& voces Prophetarum*, *quæ per omne Sabbatum leguntur*, *judicantes impleverunt*.

In priorem locum sic A lapide: „ *Post lectionem Legis & Prophetarum*: Lectione „ enim peractâ aliquis vel è Synagoga, vel „ advena habebat concionem, ut in Ecclesiis Parochialibus post lectionem Epistolæ & Evangelii in Missa habetur concio, „ idque ex instituto Apostolorum, ut testatur S. Clemens lib. 8. Constit. cap. 4. „ Hinc & in Horis Canonicis post Psalmos, Epistolas & Evangelia, leguntur „ Homiliæ Patrum. Porrò solebant advenas, si idonei videbantur, ad hanc concionem faciendam, ex humanitate invitare, uti hic invitant Paulum. Idem de „ Episcopis, cùm aliam Civitatem, aliumque Episcopum adeunt, ut ad concionem invitentur, sancit Concilium Carthaginense quartum can. 33. & Clemens „ Libr. 2. Constit. cap. 58. Exempla in „ Vitis Sanctorum hac de re passim sunt „ obvia. „

Hactenus A lapide: Bellarminus quidem notat, Libros Constitutionum Apostolicarum

stolicarum, etsi multa contineant utilia; tamen Clementis non esse, vel ab hæreticis fuisse corruptos, cætera tamen quæ A lapide deducit certissima sunt. Sicut igitur ridiculum foret, ex eo, quod post Epistolam & Euangelium singulis diebus Dominicis in Ecclesiis Parochialibus concio habeatur, elicere quòd Epistola & Euangelium legantur ab omnibus, ita non minùs ineptum est ex lectione Divini Codicis, quæ à Sacerdotibus & Legis peritis habebatur Sabbato in Synagogis, colligere Sacras Literas in manus rudis populi fuisse traditas, & lectas à singulis. Minùs etiam rationi consonum est ex usu istiusmodi, debitum conficere, quo Christiani omnes cujuscumque sexûs, ætatis, ordinis obstringantur.

Plebem Judaicam non fuisse solitam legere sacra Volumina, copiosè ostendit Illustrissimus Petrus Lizetius Dialogo *De Sacris Libris in vulgare eloquium minimè vertendis*. Imò nec legere potuisse ait, quia „ de Hebræa primum [lingua] qua vetus „ Testamentum conscriptum fuit, quod mi- „ nimè omnibus communis fuerit, apud „ Nehemiam Prophetam probari videtur. „ Esdras nempe Divinæ Legis Volumen, „ à Chaldæis combustum, aliis repertis „ literarum figuris, expeditioribus quidem; „ eodem tamen sono atque sermone, si „ Tertulliano, Hieronymo, Ruperto, & Ly- „ rensi credamus, ex integro instauravit, „ & restituram Hebræo sermone Legem „ publicè legens, sermone vulgari ex- „ promebat, ut à vulgari plebe percipi „ posset. „

2 Si sacræ paginæ in manibus omnium fuissent, nullo modo verisimile est, quòd à Chaldæis comprehendi & flammis absumi volumina cuncta potuissent, quin eorum oculis subducerentur plurima. Sic memini Patriâ olim meâ à Rege Galliæ interceptâ, cùm juberentur cives omnia arma sua tradere sub pœna gravissima; occultavere tamen plurimi industriâ tantâ, ut ne diligens quidem perquisitio detegere quidquam potuerit, neque priùs fraus innotuerit, quàm tractatu pacis redditâ Civitate, portis egredientes Galli, à civibus salutari se festivis scloporum explosionibus audierunt.

Non minùs apud electum populum valuisset indubiè religio ut sacri voluminis exemplaria non pauca à manibus hostium & incendio vindicarent, si penès omnes tanti pretii depositum fuisset. Verùm longè aliud colligimus ex Deuteronomii cap. 31. ubi dicitur: „ Postquam ergo scripsit Moy- „ ses verba legis hujus in volumine, atque „ complevit, præcepit Levitis, qui por- „ tabant arcam fœderis Domini, dicens: „ Tollite librum istum, & ponite eum „ in latere arcæ fœderis Domini Dei „ vestri. „

Et paulò superiùs: „ Scripsit itaque „ Moyses Legem hanc, & tradidit eam Sa- „ cerdotibus filiis Levi, qui portabant ar- „ cam fœderis Domini, & cunctis senio- „ ribus Israel, præcepitque eis dicens: „ Post septem annos anno remissionis, in „ solemnitate Tabernaculorum, conve- „ nientibus cunctis ex Israel, ut appareant „ in conspectu Domini Dei tui, in loco „ quem elegerit Dominus, leges verba „ Legis hujus coram omni Israel, audien- „ tibus eis, & in unum omni populo con- „ gregato, tam viris, quàm mulieribus, „ parvulis, & advenis, qui sunt intrà por- „ tas tuas, ut audientes discant & timeant „ Dominum Deum vestrum. „ Non igitur vulgi manibus terebantur Sacri Codices, quandoquidem committebantur solis Sacerdotibus Leviticæ Tribus & senioribus Israel.

Capite quoque 17. præscribitur hoc mandatum Regi: „ Postquam sederit in „ solio regni sui, describet sibi Deutero- „ nomium Legis hujus in volumine acci- „ piens Exemplar à Sacerdotibus Leviticæ „ Tribus, & habebit secum, legetque om- „ nibus diebus vitæ suæ, ut discat timere „ Dominum Deum suum, & custodire ver- „ ba, & ceremonias ejus, quæ in Lege „ præcepta sunt. „

3 In quem textum sic memoratus Lizetii Dialogus à Clero Galliæ approbatus: „ Quibus palàm fit volumen Divinæ Legis „ populo simplici minimè invulgari; sed „ hoc ipsum pro munere pretioso concedi „ Regi, cujus exemplaris vita aliis typus „ directioque foret. Neque enim in the- „ sauro suo velut peculiare Princeps id „ habuisset, si omnibus commune fuisset. „ Prætereà dum sacer textus accipiendum „ Regi à Sacerdotibus Leviticæ Tribus, „ voluminis exemplar dicit, clarè osten- „ dit, volumen istud apud Sacerdotes; „ non apud rudem vulgaremque populum „ fuisse.

„ Ea propter apud Malachiam cap. 2. „ dicitur: *Labia Sacerdotis custodiunt scien-* „ *tiam, & Legem requirent ex ore ejus*: ob „ quod libro 2. Paralipomenon cap. 17. „ legitur *Misit* [Josaphat] *Levitas & Sa-* „ *cerdotes, docebantque populum in Juda,* „ *habentes librum Legis Domini, & circul-* *bant*

„ *bant cunctas Urbes Juda, atque erudie-*
„ *bant populum.*

„ Quo manifestè intelligi datur librum „ Divinæ antiquæ Legis minimè omnibus „ communem fuisse. Cùm igitur ille typus „ figuraque novæ fuerit, & antiquum Te- „ stamentum, ut Apostolus inquit, *umbra* „ *futurorum*, consentaneum est, gratiæ Le- „ gem scriptam, apud Ecclesiæ Episcopos, „ & Presbyteros sermone peculiari, non „ omnibus noto custodiendam esse, qui „ eam docendo & concionando intelligi- „ biliter aliis legant.

„ Quinimò longè major in gratiæ Le- „ ge, quàm olim in veteri militat ratio, „ ne omnibus passim, etiam idiotis noto „ sermone invulgetur. „ Sublimitas sci- licet longè eminentior mysteriorum, quæ in novi fœderis volumine continentur, fre- quentiorum graviorumque lapsuum occa- sio esse posset idiotis sinè magistro legenti- bus.

Hunc Lizetii Dialogum inter plura alia conquisita undique opuscula contra versio- nem & lectionem promiscuam Sacri Codi- cis in lingua vernacula, Clerus Galliæ suis & Regiis typis nova luce donari *jussit ac mandavit* anno 1661.

4 Intorquent nobis *Hexapla* ex lib. 2. Esdræ capite 8., quod *Collator* magis calli- dus, satis prospiciens novitati obesse po- tiùs, quàm patrocinari, prudentiùs statuit omittendum. Nos verò, quo Hexapla pro- vocant, sequamur. Sic igitur eo capite le- gimus: „ Congregatusque est omnis po- „ pulus, quasi vir unus.... & dixerunt „ Esdræ Scribæ, ut afferret librum Legis „ Moysi, quam præceperat Dominus Israe- „ li. Attulit ergo Esdras Sacerdos Legem „ coram multitudine virorum, & mulie- „ rum, cunctisque qui poterant intellige- „ re... & legit in eo apertè... de mane „ usque ad medium diem in conspectu vi- „ rorum & mulierum, & sapientium: & „ aures omnis populi erant erectæ ad li- „ brum... Levitæ silentium faciebant in „ populo suo ad audiendam Legem: popu- „ lus autem stabat in gradu suo. Et lege- „ runt in libro Legis Dei distinctè & aper- „ tè ad intelligendum: & intellexerunt „ cùm legeretur. Dixit autem Nehe- „ mias... & Esdras Sacerdos & Scriba, & „ Levitæ interpretantes universo populo: „ Dies sanctificatus est Domino Deo no- „ stro: nolite lugere, & nolite flere: fle- „ bat enim omnis populus, cùm audiret „ verba Legis. „

Non ibi de sanctificando Sabbato, sin- gulis hebdomadis occurrente; sed de pri- mo die mensis septimi agitur. Tanta autem commotio populi audientis Legem sibi præ- legi, satis indicat, non fuisse Divinum Co- dicem universo populo familiarem, ut eum quotidie volveret pro libito. Usus ille an- tiqui fœderis, hodiernæ tam contrarius no- vitati, Collatorem non latuit, consarcina- toribus Hexaplorum in plerisque sagacio- rem. Illorum major cura fuit coacervandæ multitudinis textuum, quàm discernendæ. Quod pro ultima Propositionis parte obtru- ditur ex cap. 6. epistolæ ad Ephesios, ad- versariis minimè prodesse patefiet capite proximo.

CAPUT V.

Damnato Articulo non suffragatur authoritas Patrum.

1 PErplacet adversariis illud Justini Martyris Apol. 2. sub finem. *Solis, qui dicitur, die, omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit: & commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum, quo ad tempus fert, leguntur.* Simile est testimonium Tertulliani in Apologetico cap. 39. *Coimus ad litterarum Divinarum commemorationem..... certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus.*

Utriusque Patris sententiæ eadem con- venit explicatio, novitati nihil ponderis addens, nihil Apostolicæ detrahens censu- ræ. Sua enim utrique textui stat veritas, & sensus legitimus; etsi promiscuæ plebi sa- cra lectio non committatur; minùs etiam singatur debita. Satis ad institutionem po- puli, satis ad pietatem conferre potuit, ut solet etiam hoc tempore, lectio, & expli- catio Sacerdotum Doctorumque coram multitudine populi auscultantis.

Et quidem Tertullianus remotissimus est ab imponendo rudibus onere lectio- nis, quibus magnopere suadet, ut se con- tineant intrà limites simplicis fidei circa credenda necessariò, lectione & studio cæ- terorum peritioribus relicto; & plurimis ad curiositatem magis & jactantiam conducen- te, quàm salutem.

2 Ita Pater ille antiquissimus simul, & Hieronymo doctissimus lib. 2. de Præscri- ptionibus hæret. „ Satis (inquit) Chri- „ stianis est, fidei tenere regulam. Regula „ antem fidei est, ut jam hinc quid creda- „ mus,

„ mus, profiteamur: illa scilicet, qua ere-
„ ditur, unum omnino Deum esse, nec
„ alium præter mundi Creatorem, qui uni-
„ versa de nihilo produxerit per Verbum
„ suum. Id Verbum Filius ejus appellatum,
„ in nomine Dei variè visum Prophetis,
„ in Prophetis semper auditum, postremo
„ delatum ex Spiritu Patris Dei, & virtute
„ in Virginem Mariam, carnem factum in
„ utero ejus, & ex ea natum exisse Jesum
„ Christum: exinde prædicasse novam le-
„ gem, & novam promissionem regni cœ-
„ lorum, virtutes fecisse, fixum cruci, ter-
„ tia die resurrexisse, in cœlos ereptum se-
„ dere ad dexteram Patris, misisse Vica-
„ riam vim Spiritus Sancti, qui credentes
„ agat: venturum cum celeritate ad su-
„ mendos Sanctos in vitæ æternæ, & pro-
„ missorum cœlestium fructum, & ad pro-
„ fanos judicandos igni perpetuo, factâ
„ utriusque resuscitatione cum carnis re-
„ stitutione.

„ Hæc Regula à Christo, ut probabitur
„ instituta, nullas habet apud nos Quæ-
„ stiones, nisi quas hæreses inferunt, &
„ quæ hæreticos faciunt. Cæterùm ma-
„ nente formâ ejus in suo ordine; quan-
„ tumlibet quæras, & tractes, & omnem
„ libidinem curiositatis effundas, si quid
„ tibi videtur, vel ambiguitate pendere,
„ vel obscuritate obumbrari, est utique
„ frater aliquis Doctor gratiâ scientiæ do-
„ natus, est aliquis inter exercitatos con-
„ versatus, aliquid tecum curiosiùs tamen
„ quærens, novissimè ignorare melius est,
„ ne quod non debeas, noris. Fides tua
„ te salvum fecit, non exercitatio Scriptu-
„ rarum. Fides in regula posita est: habet
„ legem, & salutem de observatione legis.
„ Exercitatio autem in curiositate consi-
„ stit, habens gloriam solam de peritiæ
„ studio. Cedat curiositas fidei: cedat
„ gloria saluti. Certè aut non obstrepant,
„ aut quiescant adversùs regulam. Nihil
„ scire, omnia scire est.

3 Ita Tertullianus; quem sequitur Augustinus lib. I. de Doctrina Christiana cap. penultimo dicens: *Homo Fide, Spe, & Charitate subnixus non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos. Multi per hæc tria, etiam in solitudine sinè codicibus vivunt*: & diem Dominicum sanctificant. Sic innumeri coluere Deum antequam ulla in Mundum prodiit Scriptura Sacra: & post Moysis tempora, qui primus Divina eloquia, & legem literis consignavit, dies Sabbati, sanctificatus fuit non à solis Scribis, & Sacerdotibus, etsi penès eos solos Sacræ paginæ residerent; sed etiam à populo utriusque sexûs, & plebe infimâ.

Contra Augustini sententiam producitur ejus Magister Ambrosius de fide Resurrectionis num. 108. & 114. „ Quid igitur?
„ Dies festos in potu, & in epulis æstima-
„ bimus?.. Nemo potest, nisi Divini hau-
„ riat promissa Sermonis, & resultantibus
„ eredat oraculis, exultare lætitiâ, dies fe-
„ stos, aut Neomenias agere „. Et Nicolaus I. in responso ad Quæsita Bulgarorum tom. 8. Conciliorum pag. 522. num. 11.
„ Sciendum est quoniam idcirco in diebus
„ festis ab opere mundano cessandum est,
„ ut liberiùs ad Ecclesiam ire, Psalmis, &
„ Canticis Spiritualibus insistere, orationi
„ vacare, oblationes offerre, memoriis
„ Sanctorum communicare, ad imitatio-
„ nem eorum assurgere, eloquiis Divinis
„ intendere, eleemosynas indigentibus mi-
„ nistrare valeat Christianus „.

Potest Christianus quilibet Divini haurire promissa Sermonis, & resultantibus eredere oraculis; potest eloquiis Divinis intendere, ea audiens in lectionibus publicis, & Sacris Concionibus exponi: Non propterea necesse est Divinum Codicem ipse manibus terat, & privato legat arbitrio, eum amittendæ fidei, & salutis discrimine. Ipsos modò adversarios pudet lectionis Sacræ ad diem Dominicum sanctificandum asserere necessitatem: quia perspiciunt, eam nullo, seu veterum, seu recentiorum Theologorum posse suffragio stabiliri.

Pro parte Articuli posteriore, Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere, *Collator* simul & *Hexapla* ingerunt nobis illud Apostoli ad Ephesios cap. 6. *Galeam salutis assumite, & gladium Spiritûs, quod est Verbum Dei.* Interpretem consulo Angelicum. Hic ait: *Nihil est aliud galeam salutis assumere, quàm spem de ultimo fine habere. Item habemus arma ad impugnandum ipsos Dæmones, scilicet gladium Spiritûs, quod est Verbum Dei: quod fit frequenter in Sermonibus*, seu concionibus, *in quibus Verbum Dei penetrans corda peccatorum, expellit congeriem peccatorum, & Dæmonum.* Ad illud minimè necessariam Angelicus ducit lectionem Divini Voluminis ab omnibus frequentandam, sed sufficere conciones, in quibus pius, & Sapiens Ecclesiastes collectas depromit Divini Spiritus Sententias, penetrandis audientium cordibus maximè accommodatas.

4 Ut nihil dissimulem, fortissima contra omnes Dæmonum insidias, & assaltus arma

ex

ex Divini Codicis lectione sibi confecisse Sanctos aliquos, etiam mulieres, agnosco inductus epitaphio S. Paulæ, quod Hieronymus concinnavit. „ Si quando (inquit) „ procacior fuisset inimicus, & usque ad „ verborum jurgia prosiliisset, illud Psalte„ rii decantabat: *Cùm consisteret adversùm* „ *me peccator, obmutui, & silui à bonis*. Et „ rursus, *Ego autem quasi surdus non au*„ *diebam, & quasi mutus non aperiens os* „ *suum*. In tentationibus, Deuteronomii „ verba volvebat: *Tentat vos Dominus Deus* „ *vester, ut sciat, si diligatis Dominum Deum* „ *vestrum de toto corde vestro, & de tota* „ *anima vestra*.

„ In tribulationibus, & augustiis, Isaiæ „ [juxta septuaginta interpretes] repli„ cabat eloquia: *qui ablactati estis à lacte*, „ *qui abstracti ab ubere, tribulationem super* „ *tribulationem expectate, spem super spem*: „ *adbuc pusillum propter malitiam labiorum*; „ *propter linguam malignam*. Et Scripturæ „ testimonium in consolationem suam edis„ serebat: ablactatorum esse, eorum scili„ cet, qui ad virilem ætatem pervenissent, „ tribulationem super tribulationem susti„ nere, ut spem super spem mereantur ac„ cipere, *scientes quoniam tribulatio patien*„ *tiam operatur: patientia autem probatio*„ *nem: probatio verò spem. Spes autem non* „ *confundit*... In languoribus, & crebra „ infirmitate dicebat: *Quando infirma sum*, „ *tunc fortis sum*. Et *habemus thesaurum* „ *istum in vasis fictilibus, donec mortale hoc* „ *induat immortalitatem, & corruptivum* „ *hoc vestiatur incorruptione*.

5 Plura hîc Hieronymus prosequitur, neque vocari potest in dubium, quin plurima Sanctorum exempla sint, qui mirificos ex Sacri Codicis Lectione fructus, robur & arma contra Dæmones invictissima sibi compararint. Verùm & volumina densa implerentur funestis casibus plurimorum, quos malesana curiositas scrutandi mysteria scripturarum, in errorem impium, & hæreticum egit præcipites. Propterea, inquit Parisiensis Cancellarius Gerson Serm. de Nativitate Christi: *In Exodo legitur: cùm legem dares Deus Moysi in Monte Sinai, ipsum sub corporalis mortis pœna prohibuisse, & Spiritualis, ne quisquam præter Moysen montem ascenderet, ad videndum, & inquirendum quid Deus faceret; quin nolebat eos curiosos esse; sed ut haberent firmam fidem, & simplicem credulitatem eorum, quæ dicebantur eis. In figuum hujus probibetur, ne populus intret in Sancta*.

Academiæ Cancellario jungo Supremi Senatûs Regii Principem Lizetium in Dialogo, ut aliàs monui, cum approbatione Cleri Gallicani iterum typis edito, contra vernaculas Divini Codicis versiones lectionesque earum promiscuas. Ostendendum assumit „ Compluribus admodum „ luculentis rationibus, eas, etiamsi alio„ qui licitæ forent, Christianismo non ex„ pedire, vel conducere: primùm ne Sacræ „ Scripturæ dignitas imminuatur, vilescat, „ & profanetur, cùm vernaculi Sermonis „ barbarie, & indignitate, tum & plero„ rumque ex communi vulgo porcinis mo„ ribus, & vilitate: nec secundò popula„ rium occupatissimam servilibus artificiis „ vitam, Sacrarum admittere exercitatio„ nem Scripturarum. Magnum denique, „ & tertiò hinc erroris, & hæreseos impen„ dere periculum.

„ Hoc & quartò multa cùm incommo„ da, tum & pericula, jam multis rerum „ experimentis in Christianismo apprimè „ nota, videlicet inobedientiæ Superio„ ribus, Ecclesiasticorum contemptus ad„ ministrorum, schismatis, & à catholica „ discessionis traditione, præcavendum „ monent, & hortantur „. Plura incommoda ex versionibus Scripturarum vernaculis, & promiscua earum lectione promanare solita retuli aliàs, solidissimè deducta à Mauritio Poncet Doctore Sorbonico, occasione consilii, quod Petrus de Gondy Parisiensium Antistes à Doctoribus petierat, num expediens foret versiones Divini Codicis vulgares permittere. Negavit illius temporis Sorbona, cujus judicium multis rationibus typo editis, firmavit celebris, & ex Benedictinorum Ordine Religiosus Scriptor Poncetius, quas delibavi contra Articulum 79.

6 Medio seculo ante, videlicet anno 1527. die 13. Decembris insurrexerat Sorbona, & censuras strinxerat in plura Erasmi dogmata; sic animadvertens in duodecimum de Scripturis: *Quanti sit periculi permittere passim lectionem earum in linguam vulgarem traductarum, absque ulla explicatione idiotis, & simplicibus eis abutentibus, nec eas piè, & humiliter legentibus, quales plurimi nunc reperiuntur, satis indicarunt Valdenses, Albigenses, & Turelupini: qui inde occasione sumpta multos errores disseminaverunt*.

Quare hac tempestate, perspectâ hominum malitiâ, periculosa, ac perniciosa existit hujusmodi traductio, loquendo de omnibus Scripturæ libris indifferenter. Nec sicubi paucis esset utilis, propterea temerè esset omnibus

permittenda. In re namque ad salutem non necessariâ potiùs consulendum est multorum profectui, ipsam interdicendo, quàm paucorum utilitati eam permittendo, cum gravi multitudinis incommodo. Unde & jure damnata est hujusmodi translatio. Hactenus censura Sorbonica.

Ab hac vulgarium versionum radice omnes ferè errores, & hæreses ortas esse, contendit Spiritus Roterus ex Prædicatorum familia Inquisitor Fidei Tolosanus approbato à Clero Galliæ Tractatu *de non vertenda Scriptura Sacra in vulgarem linguam, deque litera occidente*, cap. 22. Origo verò tot lapsuum, non tam est perfidia, vel negligentia versionum, quàm imperitia legentium, qui cùm scrutandis arcanis sensibus idonei non sint, hærent in superficie Grammaticali, quam sæpe contingit Divini Spiritûs intentioni minimè consentire. Hac ratione *litera occidit*, ut dicitur 2. Corint. cap.3. & ab Augustino explicatur lib. de Spiritu & litera, quamvis & alia ejusdem expositio sit de lege veteri opposità novæ.

Sed Roterum ipsum, quoniam Tractatus ejus à Clero Galliæ, ut dixi, approbatus est, differentem audiamus. „ Alterum (inquit) malum, quod ex his versionibus „ ortum videmus, est lapsus in errores pestiferos, tenacesque opiniones, in quibus simplices illiteratique, discrimen „ inter literam occidentem & Spiritum vivificantem ignorantes, labuntur. Solummodo enim amplectentes sensum grammaticalem literæ, ab ipsa litera occiduntur. Ab hoc enim gurgite omnium ferè „ hæresum lacunas derivari, vigilantissimus, & eloquentissimus Divus Hieronymus asserit. *Marcion*, inquit, *& Basilides, & cateræ hareticorum pestes non habent Euangelium; quia non habent Spiritum, sinè quo Euangelium non docetur: nec putemus Euangelium in Verbis Scripturarum; sed in sensu consistere: non in superficie, sed in medulla: non in verborum foliis; sed in radice rationis*.

7 „ Quid his verbis apertiùs ad ostendendum, quàm periculosa sit litera his, „ qui super literam nihil altiùs quærunt? „ Eos enim non habere Euangelium; quia „ non habent Spiritum Euangelii; sed folia verborum superficiemque literæ; fructus autem minimè habere ipsos affirmat „ authoratus hic testis. Quod si Spiritum „ Euangelii non habent, quem, quæso, „ Spiritum habent, præter Spiritum patris „ mendacii, & Spiritum vertiginis, & quem „ ex hac vulgari litera tot Grammatistæ, „ & plebeji Doctores, totque cervicosi „ Opifices hauserunt?

„ Coriarii, Serarii, Carpentarii, Dolabrarii, Metallarii, Cœmentarii, Pectinistæ, Clitellarii, Sutores, Aurifabri, totque nobiles gladiatores, & cum his adunati quidam Grammatici, effrænatique „ Cucullati, qui paulisper evoluto novo „ Testamento, nullo tamen adhibito probaro enarratore, nec ad pedes alicujus „ Gamalielis sessitare soliti; tanquam potassent è fonte Cabalino, aut in bicipiti „ Parnasso somniassent, repentè se factos „ putant paranymphos Sacrorum eloquiorum: proficientesque in pejus, primùm „ clanculò, postmodum, non ut decebat, „ Pastoribus, aut Magistratibus vigilantibus, nec principiis obstantibus, per publicas Conciones innumeram multitudinem depravatam, suæque participem dementiæ effecerunt, excreveruntque adeò „ hæ malæ radices, ut vix ferro, aut ignibus, aut alia quacumque via potuerint „ penitùs extirpari.

8 „ Si cogitemus dies antiquos, retroque versos annos in mente habeamus, „ occurret facilè nobis, quantum scandalorum olim, & sæpiùs suscitaverit laicorum temeritas, audaxque insipientia, „ hausta ex his vernaculis traductionibus. „ Satis sit commemorasse factionem illorum, qui Pauperes de Lugduno dicebantur, & qui nunc sub nomine Waldensium, apud Calabros, & Allobrogium „ vallem, postquam diù delituissent, nunc „ prodeunt, dilatanturque non modicè. „ Hujus pestiferæ Sectæ authorem dicunt „ fuisse quemdam Petrum Waldonem natione Lugdunensem, negotiatorem prædivitem; imperitum quidem Latini Sermonis; ingenii tamen acris, expeditæque loquelæ. Qui cùm odio Cleri, Ecclesiasticæque potestatis laboraret, sententias aliquot novi Testamenti, illas „ præsertim, quæ de Christi discipulorumque paupertate loquebantur; in Gallicum idioma sibi verti, consarcinarique „ fecit: quas ad Grammaticalem tantummodo tractans sensum, primum quidem „ in privatis locis, deinde in publicis concionibus plebem cœpit concitate in „ odium, & invidiam Sacerdotalis, & Pontificalis ordinis, declamitans, non esse „ reputandos Christi Ministros, Apostolorumque Successores, qui Christi, & „ Apostolorum paupertatem minimè observarent; sed potius potentum Principumque divitias, fastumque supergrederen-

„ rentur: Se laicum, & fimplicem decre- „ viffe, quandoquidem id renuerent Ec- „ clefiæ Miniftri, & Pontifices, Chrifti Dif- „ cipulorum perfectionem, rerumque mun- „ danarum imitari velle contemptum.

„ Proinde cùm omnia bona fua diftra- „ xiffet, erogaffetque pauperibus, nudif- „ que ambularet pedibus, præftaretque „ Gallicâ facundiâ, primùm à ruricolis, & „ agreftibus; deinde ab opificibus, impe- „ ritoque vulgo, tanquam de Cœlo lapfus „ ad reparandam Ecclefiam pro Petri Suc- „ ceffore habitus, & adoratus eft.

„ At hic novus Petrus brevi factus eft „ magni exercitûs prædonum princeps ... „ Ex illa radice amaritudinis plures mali „ furculi pullularunt, videlicet Walden- „ fium, Fraticellorum, Begardorum, Ture- „ lupinorum, Bohemorum, & nunc Luthe- „ ranorum, Sacramentariorumque, quafi „ Hydræ capita renafcentis, quæ nullus „ Hercules adhuc valuit abfcindere. His „ itaque aliifque plurimis exemplis con- „ ftare poteft, cuicumque, fano prædito „ judicio, verfiones Sacrarum literarum „ vulgares non expedire laicis, & imperi- „ tis, eâ de caufa, quod litera, fi non adfit „ fidus interpres, qui fpiritum literæ com- „ monftret, in perverfa judicia, pernicio- „ fofque errores præcipitet legentes „. Non igitur femper *Damnofum eft velle Chriftianos*, ut adverfarii contendunt, *à lectione Sanctarum Scripturarum avertere*; imperitos fcilicet, & omnis Sacri idiomatis ignaros, neque iis difpofitionibus præditos, ob quas Epifcopus ex prudentis judicio Confeffarii perfuafum habere valeat, eos cum fructu, & abfque fidei, falutifque difcrimine, linguâ vernaculâ lecturos.

9 Audiamus nihilominus Patres pro pofteriore ifta Articuli parte ftudiofiùs ab adverfariis conquifitos. Primus producitur S. Bafilius epift. 1. ad Gregorium Nazianzenum: *In qua re quifque noftrum fenferit, fe eo, quod oportet, deftitui, in illo* [ftudio Scripturarum] *affiduè incumbens, tanquam ab officina quadam medicinæ, oppofitum fuæ infirmitati medicamentum invenire poterit.*

S. Nilus Epift. 304. ad Numinium Primatem nunc lib. 2. epift. 198. *Non animadvertis circumveniri te infidiis à Diabolo tibi pofitis. Ille eft enim fine dubio ipfe, qui tibi per cogitationes fuggerit, inutilem prorfus effe lectionem, id agens arte ifta fcilicet, ut per multam negligentiam, & oblivionem Divinarum rerum effodiat, eruatque dexteram omnem, ac falutarem cogitationem, ex qua omnino congruo tempore bona operatio fequeretur .... Multa porro bona ex lectione Divinarum Scripturarum percipiunt homines. Si ergo vis oculum animæ cuftodire, & perfpicaciorem reddere ad res pulcherrimas, ne pigreris Divinæ vacare lectioni.*

Non advertunt adverfarii, vel fubdolè diffimulant, non de plebe & ruftica turba, non de pueris & mulierculis Sermonem Bafilio effe; fed de fe ipfo, de Gregorio Nazianzeno antonomafticè Theologo, & utrique fimilibus: *Quifque noftrum*, inquit Bafilius. Ita & Sanctus Nilus agit de Numinio Primate, & iftiufmodi hominibus ad Lectionem Sacram ingenio, prudentiâ, virtute quantum fufficit inftructis. Ex particularibus itaque exemplis & rudem non comprehendentibus plebeculam, colligunt adverfarii dogma indefinitum, cujus fignificatio æquivalet univerfali: *Damnofum eft velle Chriftianum ab hac lectione retrahere*; quafi femper & cuicunque perniciofum fit Chriftiano à Divini Codicis retrahi lectione.

Progredimur ad cæteros. S. Hilarius Pictav. Comment. in Pfalmum 118. *Scriptura Sacra* [inquit] *non ob aliud confignata literis manent, quàm ut ad univerforum fcientiam, notionemque defluerent.* Univerforum fcilicet; fed modo fingulis convenienti. Ad aliquorum notitiam defluunt lectionibus immediatè, ad aliorum concionibus & inftitutione tum publicâ, tum privatâ. Nec enim cuncti literas norunt, neque omnes habent unde fibi Biblia comparent, neque tempore illius Hilarii, qui coævus S. Athanafio fuit, erant verfiones Divini Codicis vulgares, nifi fortè rariffimæ; nunc verfionibus, iifque paffim vitiofiffimis, & ad fallendos fimplices fingulari arte compofitis, omnia plena funt: neque illo tempore talis legentium temeritas erat, tanta adversùs Ecclefiæ Rectores, etiam fupremos, irreverentia & rebellio.

S. Ambrofius in tit. Pfalmi 37. *Medicina hominis profpiciens Deus ficut terram iftam falubres herbarum atque arborum fuccos ferre præcepit, quibus carnis vulnera curantur: ita etiam præceptis falutaribus replevit Divinarum feriem Scripturarum, quibus infirmitas animæ fanaretur.* Salutaribus præceptis repleverat Deus Divinarum feriem Scripturarum, quando eas dictavit Moyfi, etfi eafdem manibus verfandi facultas effet penès pauciffimos, eofque Sacerdotes folummodo, & legis Doctores, à quibus populus cum interpretatione congrua traditas acciperet.

Neque minùs ex Divinis eloquiis indocti,

cti, & simplices proficiunt: sed longè melius & securius, dum quæ intellectui suo & profectui magis accommodata sunt, vel in concionibus cum fervore spiritus proponi audiunt, vel à piis collecta scriptoribus, & debito illustrata Commentario in libellis legunt asceticis, quàm dum in Divino Codice, sublimibus, atque intellectu difficilibus offendunt permixta mysteriis. Sic herbæ & succi morbis & vulneribus sanandis perquam idonei, non omnes tamen crudè applicati prosunt; sed arte frequenter, & studio, seu coctione opus est, & mixtione, cujus capax minimè est incondita simplicium turba, atque idiotarum.

10 Denique adducitur contra nos Cæsarius Arelatensis Serm.141. in Appendice tomi 5. S. Augustini; alias 46. de tempore: „ Certissimè Scitote, Fratres charissimi, quia qualis est caro, quæ post multos dies percipit cibum, talis est anima, quæ assiduè non pascitur Dei verbo & quomodo caro per famem & inopiam tenuis & sicca, velut quoddam simulachrum efficitur, ita & anima, si verbi Dei cibo non pascitur, arida & inutilis, & ad nullum opus bonum congrua invenitur. „

Quæro ex adversariis an Concionatores non rectè & appellatione propria dicantur præcones *verbi Dei*? An illud non contineant opuscula ascetica, scripturarum referta sententiis, quale est aureum illud & celeberrimum *De imitatione Christi*? Num quisquis illud sibi reddiderit familiare, atque ex illo quotidie caput aliquod decerpens, piâ ruminat & decoquit meditatione; abstinens interim ab ipso Divino Codice legendo: quia sacri idiomatis ignarus est, neque afficitur versionibus vernaculis; Quæro, inquam, num istiusmodi laicus dici debeat animam circumferre aridam, inutilem, & ad nullum bonum opus congruam?

Si ea foret Cæsarii Arelatensis sententia adeò non mereretur locum in Tomo Hipponensis Antistitis, ut ejus dogmati adversaretur certissimè. Sic nempe Augustinus lib.1. de Doctrina Christiana cap.39. „ Homo fide, spe, & charitate subnixus, eaque inconcussè retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instituendos. Itaque multi per hæc tria, etiam in solitudine sinè codicibus vivunt „. Rursus adversarios interrogemus eum S. Irenæo lib.3. cap.4. „ Quid autem si neque Apostoli Scripturas quidem reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderant iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt sinè charactere, vel atramento scriptam habentes in cordibus suis per spiritum salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes.

Illisne omnibus necessariò anima est arida, inutilis, & ad nullum opus bonum congrua? Nihilne boni operis est *fides*, *spes*, *charitas*, & *inconcussa* in iisdem constantia, *eas inconcussè retinens*? Ut non semel aliàs monui, stetit mundus in Dei cultu absque sacro volumine duobus annorum millibus, ab Adam scilicet usque ad Moysem: fuerunt ne interim Adam, Abel, Seth, Enoch, Noë, Abraham, Melchisedech, & aliis omnibus *anima arida*, *inutiles*, *& ad nullum opus bonum congrua*?

A Moyse usque ad Christum fuere Divina eloquia scripto mandata; sed cùm illud in Sacerdotum solummodo & Scribarum manibus versaretur, luctuosissima fuisset totius populi conditio, quando defectu lectionis illius Sacræ, ad omne opus bonum redderetur inutilis; proinde periret necessariò. Sed & fuisse Ecclesiam à Christi adventu annos multos sinè Scripturis novi fœderis, testatur Bellarminus lib.4. de verbo Dei non scripto cap.4.

11 Denique adversarii tribuunt Erasmo victoriam de Sorbona, quando hæc Articulum ejus tertium proscripsit asserentem: *Me authore sacros libros leget agricola, leget faber, leget latomus*. Quomodo enim omnes illi, & si quid estællioris fæcis in populo, non legerent, imò quomodo lectio non esset eis omnibus necessaria & præcepta, si absque ista redderetur *anima* omnis *arida, inutilis, & ad nullũ opus bonũ congrua*?

Dicendum itaque, verbum Dei non solo Divino Codice contineri; sed etiam probatis libris quibuslibet asceticis & concionibus, piis quoque meditationibus, quibus auditæ antea, aut lectæ Divini eloquii sententiæ attentiùs perpendantur. Quàm verò absurda sit, quæ Cæsario Arelatensi adscribitur ab adversariis, Quesnelliano intellecta sensu enuntiatio, vel inde colligitur, quòd infelicissima juxta eam foret omnium literas ignorantium conditio, cum eorum *anima perpetuò* cogeretur esse *arida*, *inutilis*, *& ad nullum opus bonum congrua*; quod erroneum indubiè, & ni fallar, manifestè censebitur hæreticum.

Iterum contra nos inducitur Chrysostomus, de quo abundè respondimus ubi expugnanda fuit Propositio 79. cap.10.

CAPUT VI.

Declaratio authoris & conclusio contra Propositionem præsentem.

1 Placet & adoptatione mihi digna videtur, quæ à Clero Galliæ approbata fuit declaratio laudati sæpiùs religiosissimi Scriptoris, & Inquisitoris Tolosani Spiritûs Roteri in Dissertatione *de non vertenda Scriptura Sacra in vulgarem linguam, deque occidente litera & vivificante Spiritu* cap. 16.

„ Nolim æstimet quisquam, me hæc „ afferre eo animo, ut quemquam [idoneum] à Sacræ Scripturæ lectione avertere aut revocare velim: non ignoramus „ enim esse illam commune pabulum animarum; sed quoniam & ratione & experientiâ didicimus, nudam literam absque verbo, aut declaratione non prodesse; sed magis officere rudibus & imperitis: Dico hujuscemodi hominum statui, curis, negotiisque exterioribus addicto, mulieribus præsertim, quæ ut faciliùs seducuntur, ita difficillimè à conceptis semel erroribus avelluntur, ad salutem sufficere auditum interpretationemque verbi, quæ fieri solita est per Pastores, Parochos, & cæteros præcones Dominicis statisque diebus; nec parum alere fidem ac pietatem solemnium festorum per anni circulum, ordinatissimam seriem.

„ Hic enim sacrorum dierum ordo simplicibus imperitisque, tacitâ quadam voce, rerumque gestarum repræsentatione, fidei articulos reducit ad memoriam: & quantum pro hominum salute peregerit Filius Dei, illiusque mundo maxima collata beneficia, signis mysteriisque non modò auribus; verùm etiam oculis subjicere videntur. Nec dubitaverim ego, quotquot pio esurienti animo, cum Christiana simplicitate verbum Dei audituri procedunt, publicâ verbi pronuntiatione, modò pronuntiantis sit sana in fide doctrina, magis erudiri, afficique his ipsis, qui interprete carentes, in solitario literæ studio plurimùm immorantur.

„ Ut enim famelicos, laboreque fatigatos cibus subrusticanus, minusque apparatus reficit, delectat, sumiturque avidiùs ab his quàm à multis delicatis, ac fastidiosis urbani cibi, & arte coquorum præparati; sic simplicium, imperitorumque animos, quia magna fide ac desiderio accedunt, vividiùs, fortiusque vegetat, inflammatque una viva verbi prædicatio, etsi ab authore non admodum perito prolata, quàm plures alios de suo studio confidentes, multa frequensque librorum vulgarium lectitatio. *Vivus est enim sermo Dei, & efficax*, inquit Apostolus Hebr. 4. *& penetrabilior gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ & spiritûs*: conterens petras, crystallum liquefaciens, quo generatur vera literæ intelligentia: quâ semotâ, litera oculos pascit, auribus tinnit; verùm ad interiorem afficiendum, erudiendumve hominem non attingit.

2 „ Ea propter, ut puto, dispofuerat Divina providentia verbum longâ temporis intercapedine, duorum, videlicet annorum millium Scripturam antecedere. Cœpit enim Scriptura unà cum Lege sub Moyse; at promissionis verbum de semine Virginis, caput Serpentis contrituro, basi utique fidei, à primi parentis lapsu, per omnes temporum vicissitudines, ex fide in fidem priorum, & posteriorum, nullâ adhuc proditâ Scripturâ decurrit. *Fide enim*, inquit Apostolus, Hebr. 11. v. 3. *credimus aptata secula verbo Dei*. Fides enim, quæ genuit in Patriarcharum familiis, & in Melchisedech Ecclesiâ, qui absque numeroso populo verbum illius audiente, Rex & Sacerdos Dei Summi dici non potuit, & in multis ex gentibus nullâ Scripturâ; sed verbo à Patribus in filios derivato, commendatoque per varios ætatum gradus, successionesque ad Moysem usque pervenit.

„ Verùm debilitato Dei verbo, & fermè suppresso, tum in domo Abrahæ per Pharaonis tyrannidem, tum in gentibus toto orbe per Dæmonum fraudes, falsaque oracula, idololatriâ repleto, ne extingueretur prorsusque interiret verbum Dei, Scripturas excitavit Spiritus Sanctus partim in populo Israel per Moysen sacrosque vates, partim in nationibus gentium per carmina Sibyllarum, novam progeniem de cœlo dimittendam, totumque orbem renovandum prædicentium. Unde liquet, verbum antiquius esse Scripturâ, fidemque per multa secula decurrisse, conservatamque fuisse absque Scriptura, & non propter Scripturam aut literam verbum; sed è converso propter verbi memoriam fuisse introductam Scripturam. Verbum in eo „ præ-

„ præstat Scripturæ; quia anima, intelligentiaque Scripturæ verbum est: fidesque, ut testatur Apostolus, est ex auditu; auditus autem non per literam; sed per verbum Christi; per vivum enim verbum, minimè per Scripturas, gentium multitudo fidem recepit, ad quas non priùs quàm ad fidem converterentur; sed postquam ad fidem conversæ sunt, Euangelistæ & Apostoli scripserunt.

„ Quantò enim majori efficaciâ præstet verbum, sive in generanda conservandave fide, sive afficiendis cordibus, vel hoc testimonio evidenti probatur, quod innumeros laicos, & simplices, omnis prorsus ignaros literaturæ, in fidei constantia, pioque in Deum affectu, mandatorumque observantiâ longo intervallo excellere videmus plures in litera peritos & versatos.

„ Antonius ille toto nominatus orbe, Monasticæ perfectionis Pater & antesignanus, solo auditu illius verbi: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me*; tanto fervore arripuit Christianæ Philosophiæ cursum & scopum, ut Augustinus magnus disputator Scripturarum, assiduusque rimator, auditâ Antonii consummata sanctitate, gestisque mirandis, sibi ipsi indignatus, sociis feratur dixisse: *Quid agimus? Surgunt indocti, & rapiunt cælum, & nos cum nostris doctrinis volutamur in carne & sanguine*.

3 „ Ægyptiorum Patrum traditur sermone vulgatum, adolescentem quemdam, qui postea dictus est Abbas Pambus, cùm missus fuisset à parentibus ad Theologicum auditorium, gratiâ comparandi sibi peritiam Scripturarum, primoque ingressu audisset explanationem duorum priorum versuum primi Psalmi Davidici; *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, in cathedra pestilentiæ non sedit; sed in Lege Domini voluntas ejus, & in Lege ejus meditabitur die ac nocte*: complicato libro scholis egressum domum revertisse, increpantibusque illum parentibus, cur tam citò scholas deseruisset; respondisse, se tam brevi tempore didicisse, quidquid pertineret ad vitam benè instituendam, æternamque beatitudinem acquirendam, nihil jam deesse, præter quam, quod auditione didicerat, moribus & actione compleret.

4 „ Hæc à me ideo replicata sunt, ut, qui benè consultum volunt laicis & imperitis, tam viris, quàm mulieribus, non sacrarum literarum Grammaticalem lectionem; sed frequentem verbi Dei auditum suadeant. Nunquam enim, ut inquit Propheta, *vacuum revertitur verbum*; sed si cum siti & patientia suscipiatur, fructum affert trigesimum, sexagesimum, & centesimum: esto, ut dixi, iste qui illud profert, non magnâ sit instructus peritiâ: ut enim semina plantæque non à manu seminantis, aut plantantis; sed ab eo qui seminibus virtutem indidit, suam fœcunditatem atque incrementum recipiunt; sic sermo Divinus non ab ore periti, aut egregii locutoris; sed ab Increato Verbo, quod *dat verbum Euangelizantibus virtute multa*, à præparata, veritatisque famelica anima illuminandi, afficiendi, perficiendi virtutem habet multò magis, quàm lectitata nuda, erudaque litera.

„ Quos enim fructus pepererit nostro seculo litera vulgaris, testatur confusa, & in sua conversa potenti viscera dextrâ Germania: Germania, inquam, olim Religione, Divino cultu, civilitate, concordia, artibus, opibus nulli Regionum secunda; postea quam terminos, quos posuerant Patres, transiliivit, solicitanteque Satanâ, se in Angelum lucis transformante, Sacras Scripturas per vulgares traductiones omnibus voluit esse communes, & unicuique permissum est abundare & loqui sensu suo, & de Sacris Literis proprio arbitrio judicare, inter ipsos, velut inter Deas pro aureo pomo certantibus, unaquæque se pulchriorem judicante, quanta discordia, quale cahos malorum, errorum, deliramentorumque inde ortum sit, quàm inversa religio, quàm immutata fuerit tota Regionis facies, absque admiratione, gemituque nullus Patriæ amator se referre posse fatetur.

„ Id certè de ea dici potest, quod de Ancyra Galatiæ Metropoli multarum Urbium lustrator Hieronymus, se vidisse testatur in Proœmio lib. 2. Comment. ad Galatas: *Est*, inquit, *qui mecum vidit Metropolim Galatiæ Civitatem, quot hucusque schismatibus dilacerata sit, quot dogmatum varietatibus constuprata, omitto. Cataphrygas, Ophitas, Borboritas, & Manichæos: nota enim jam hæc humanæ calamitatis vocabula sunt. Quis unquam Passoriacistas, & Ascrodobos, & Artotyritas, & cætera magis portenta, quàm nomina in aliqua parte Romani Imperii audivit? Antiqua*

„ *tiquæ ſtultitiæ uſque hodie remanent veſtigia*. Hæc Hieronymus, quæ Germanicæ „ Regioni quàm aptè conveniant teſtibus „ non modò auritis; ſed & oculatis, pluſ- „ quam ſatis compertum eſt. „

Utinam conveniant numquam Regno Chriſtianiſſimo! Hydra iſta pauperum de Lugduno ex maleſana Scripturarum intelligentia prodiens, quot hæreſum capita protruſit! Sectæ Baji, Janſenii, Sancyrani, peperêre Arnaldicam, & Queſnellianam. Inter novitates autem, errores, & hæreſes, quæ Romanam & Catholicam Eccleſiam corrumpere atque peſſumdare conatæ ſunt, nulla eſt cui contra Sedem Apoſtolicam, & adhærentem ei Eccleſiam defendendæ divina Scriptura non obtenditur.

Indubitatum de hoc circa Queſnellianos Articulos fidem faciunt *Hexapla*, *Collatio*, *Obſervationes*, & quidquid aliud pro illis contra Bullam UNIGENITUS vindiciarum eſt. Imò propoſitiones ſingulæ commentaria quædam ſunt, ſive animadverſiones, in aliquem Sacri Codicis Textum, atque ex eodem, ſi Queſnello ſolenniter proteſtanti credimus, ſponte profluunt: *Non enim*, inquit, *ſoleo in Obſervationibus Moralibus, dogmata Religionis attingere, niſi quouſque me Scriptura Sententia impellit atque determinat*.

5 Hic mihi objiciendum prævideo: Queſnelli, Arnaldi, Janſenii, Sancyrani, ac Baji proſcripta dogmata non fuiſſe elicita ex verſionibus Scripturarum Vernaculis; ſed ex Græcis potius textibus, ac Latinis. Et quidem errores illos non ab idiotis & ſimplicibus, ſed à Theologis aſſertos fuiſſe: proinde non apparêre, cur aut verſiones Vernaculæ aboleantur, aut earum interdicatur lectio imperitis idiomatum ſacrorum.

Quoniam ex Spiritûs Roteri Diſſertatione, à Clero Galliæ approbatâ, novitatem convellere cœpi, finire volo capite ejus vigeſimo tertio: ubi eandem ſibi difficultatem objicit, & diſſolvit „ Audio (inquit) „ magnam reclamantium, & perſtrepentium turbam: ſi, inquiunt, vulgares has „ traductiones propterea tollendas argu„ is, quia laici ſimpliceſque ex litera per„ peram intellecta in varios dilabuntur er„ rores, eâdem ratione Græcam Latinam„ que traductionem dices explodendam; „ quis enim neſcit, plurimos litteratos „ doctoſque viros non modò aberraſſe, „ imò verò & perverſa dogmata diſſemi„ naſſe, propter Scripturas grammaticali„ ter intellectas? Nunquid non hac ætate „ viri plurimarum doctrinarum & lingua„ rum, & qui videbantur eſſe columnæ, „ non ex Scripturis vulgariter, ſed ex Græ„ cè & Latinè tranſlatis, vehementer deſi„ puerunt, inque ſuis erroneis ſenſibus „ conſenuerunt, computruerunt que? Si „ itaque vulgares tollas verſiones, Græcas „ pariter & Latinas tollere te oportebit; „ utrobique enim erratum eſt, ob literam „ extrinſecus, & non ad interiorem & vi„ vum ſenſum acceptam.

6 „ Sed apage: hos enim ego viciſſim „ interrogabo: ſi ex litera non rectè con„ ceptâ literatos doctoſque in erroneos & „ pernicioſos ſenſus fatemini fuiſſe prola„ pſos, an etiam ſimplicibus idiotiſque, „ tradenda eſt anſa, occaſioque, ut & ipſi „ pariter errent, aut novos comminiſcan„ tur errores? Si litera doctos occîdit, „ quanto magis occîdet indoctos? Si viri„ de lignum litera urit, quanto magis uret „ aridum? Si litera Græca & Latina, utra„ que gravis & copioſa ſenſum verum non „ aperit legentibus, quantò minùs aperiet „ Vernacula, jejuna, & infantilis?

„ Hæc ſanè ratio perinde valet, ac „ ſi quis volenti claudere foveam, ne cæ„ ci aut cæcutientes in illam cadant, eo „ quod & videntes in eam ceciderunt, di„ ceret *ſine apertam, quoniam & ſi videntes* „ *in eam ſunt lapſi; cæci tamen aut lippi non* „ *labentur*. Nonne ille è contrario reſpon„ deret; quin potiùs obſtruenda eſt; quia ſi „ videntes, caſum ſuum minimè prævide„ runt, quomodo ægri, aut capti oculis „ prævidebunt? Si igitur Sacra Litera non „ explanata doctis ruinæ errorumque ma„ teriam præbuit, quantò magis ſimpli„ cibus indoctiſque, non enatrata præ„ ſtabit?

„ An non ſatis errorum malorumque „ per doctos aberrantes paſſa eſt Eccleſia, „ niſi etiam per indoctos & ſimplices, er„ roribus errores, & mala malis accumu„ let? Et unde quæſo hujus temporis tan„ tæ furiæ prodierunt, niſi à vulgo, impe„ ritiſque Sacrarum Literarum in ſuum „ barbaricum ſermonem deductarum ab„ utentibus? Unde tot tragœdiæ, dome„ ſtica diſſidia; quin imò & civilia bella, „ tot ſanguinei lacus, cruore nobilium „ ruſticorumque madentes? Arces demo„ litæ, Templa deſolata, tantuſque con„ citatus tumultus in multis Regioni„ bus, ut viſum fuerit in illis impletum „ Vaticinium Iſaiæ: *Corruet populus, vir* „ *ad virum, & unuſquiſque ad proxi*„ *mum ſuum: tumultuabitur puer contra ſe-*

„ *senem, ignobilis contra nobilem?*

„ Quæ medius fidius lues non mediocriter regnum hoc infecisset, penetrassetque in ejus viscera, nisi maturè per Principem, sublimesque potestates, Inquisitorumque hæreticæ pravitatis vigilantiam, virgâ ferreâ, duris, necessariis tamen remediis obviàm itum foret; Nihilosecius tamen propter disseminatas, communicatasque vulgo has Scripturæ traductiones, in non paucis hujus Regni locis adversùs fidei unitatem Ecclesiæque Decreta, vidimus impletum illud Æneidos: *Scinditur incertum studia in contraria vulgus*; dum alter è Scriptura dogma unum asserit, alter ex eadem Scriptura oppositum probat, pro suis quique opinionibus tamquam pro aris & focis dimicantes.„

Propositio damnata octogesima tertia.

Est illusio sibi persuadere, quòd notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione Sacrorum Librorum. Non ex fœminarum simplicitate; sed ex superbâ virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses. *Observat. Moral. in Joann.* 4. *v.* 26.

CAPUT I.

Propositionis pars prima gravibus digna censuris convincitur.

1 Geminas Propositio partes complectitur à veritate aberrantes; prior tamen gravioribus est obnoxia censuris. Notitia Mysteriorum ad Religionem pertinentium [inquit Quesnellus] communis esse debet, etiam fœminis, & quidem lectione Scripturarum. Ego verò non *esse necessarium omni personarum generi studere, & cognoscere mysteria Sacræ Scripturæ* evici superiùs contra Propositionem 79. Illic & frivolam depulì Quesnelli *protestationem*, aliorumque eum defendere conantium, quasi non assereret, *lectionem* Scripturæ *esse omni hominum generi necessariam*; sed tantùm *studium & cognitionem mysteriorum*, quæ Divinis Literis continentur; utpote quorum notitia aliunde comparari valeat absque lectionis præsidio. Vel ex præsenti autem Articulo eadem nova Secta convincitur, quod suis Protestationibus & vindiciis non lucem & veritatem quærat; sed tenebras & Christiani populi deceptionem. Hic enim certissimè affirmatur necessitas in fœminis noscendi Religionis mysteria, *lectione Sacrorum Librorum*. Quæ necessitas asserta fœminis, facilè ad omne genus hominum extenditur.

Nolim hìc disceptare contentiosiùs, an mysteriorum omnium ad Religionem attinentium accurata notitia sit fœminis necessaria. Necessitas ea, quamvis juxta S. Thomam 2.2. quæst. 2. art. 6. Sanæ Theologiæ contraria, ut lubuerit, supponatur modò; sed aperta nimiùm, & minimè dissimulanda falsitas est, quâ notitia ea necessariò acquirenda statuitur lectionibus Scripturarum. Quænam Religionis nostræ sunt mysteria à fœminis necessariò cognoscenda, quæ discere illæ nequeant ex aliorum lectionibus operum, ut infinita ubique hoc tempore conspicitur asceticorum copia, quæ sententiis abundant ex Sacro Volumine collectis, & illustratis commentario, intelligentiæ omnium accommodato?

Cur sufficiens mysteriorum notitia haberi non valeat ex catechismis, concionibus, aliisque publicis institutionibus, & privatis? Ita fœminæ, ita reliqua plebs Christiana Novi Testamenti mysteria didicere annis pluribus, antequam Christi gesta atque documenta à discipulis commissa scripto & in Euangelium redacta sunt. Ita viri pariter ac fœminæ duobus annorum millibus ante Legem scriptam, traditione & vivis vocibus instituti sunt. Ita toto Legis tempore usque ad Christum, Divina Oracula scripto tradita penès solos propemodum erant Scribas & Sacerdotes, à quibus erudiretur populus. Fuisse autem in manibus fœminarum, etiam vulgarium, nescio an vel ipsi adversarii ausi fuerint affirmare.

2 *Quid autem*, inquit S. Irenæus, lib. 3. cap. 4. *si neque Apostoli Scripturas quidem reliquissent nobis, nonne oportuit ordinem sequi* tra-

traditionis, quam tradiderant iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt sine charactere vel atramento scriptam habentes in cordibus suis per Spiritum, salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes. S. Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 39. *Homo*, inquit, *Fide, Spe, & Charitate subnixus, eaque inconcussè retinens, non indiget Scripturis, nisi ut alios doceat*. Quos autem puellæ & innuptæ mulieres habent quos instituant, quos matres præter liberos & forsitan ancillas? Istis sufficere possunt, quæ concionibus traduntur & catechismis: supplere cætera ad maritos pertinet, velut capita familiarum.

Inter fœminas paucissimæ quoque sunt Latini idiomatis peritæ: in gratiam itaque illarum, oportebit in linguas omnes vulgares, etiam maximè barbaras Sacrum Codicem vertere, versum publici ubique juris facere, & venum exponere omnibus: fœminis passim ejus lectionem non permittere solùm; sed etiam velut necessariam modis omnibus suadêre, imò præcipere; quia juxta novæ Ecclesiæ mandatum *Notitia Religionis debet communicari fœminis lectione Sacrorum Librorum*. Quo fructu? Discimus ex Bellarmino lib. 2. de Verbo Dei cap. 15. „ Populus [comprehendens & fœminas] „ non solùm non caperet fructum ex Scri- „ pturis; sed etiam caperet detrimentum. „ Acciperet enim facillimè occasionem „ errandi, tum in Doctrina Fidei, tum in „ præceptis vitæ ac morum; nam ex Scri- „ ptura non intellecta natæ sunt omnes „ hæreses, ut ostendit Hilarius in extremo „ Libro de Synodis; quod etiam Lutherus „ agnovit, qui Scripturam *Librum hæreticorum* vocavit.

3 „ Experimento idem comprobatur. „ Refert enim Cassianus collatione 10. ca- „ pit. 2. 3. 4. 5. Antropomorphitarum „ absurdissimos errores, ex sola imperitia „ esse natos: & Æneas Sylvius Libro de „ origine Bohemorum refert errores crassissimos Thaboritarum, Orebitarum, & „ aliorum, qui Scripturas maternâ linguâ „ legebant, & non intelligebant. Quod „ idem accidit Davidi Georgio, qui nul- „ lam linguam noverat, nisi suam maternam, id est Batavorum, & tamen ex Scri- „ pturis collegerat, se esse Dei filium, & „ Messiam.

„ Præterea si populus rudis audiret lin- „ gua sua vulgari legi ex Canticis Canticorum, *Osculetur me osculo oris sui: Lava* „ *ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*: & illud Oseæ: *Vade & fac* „ *tibi filios fornicationum*: necnon adulte- „ rium Davidis, incestum Thamar, men- „ dacia Judith, & quemadmodum Joseph „ fratres suos inebriavit: Sara, Lia, & Ra- „ chel dederunt ancillas viris suis in con- „ cubinas, & multa alia eorum, quæ in „ Scripturis (ad instructionem nostram) „ commemorantur, vel provocaretur ad „ ejusmodi imitanda, vel contemneret „ Sanctos Patriarchas, ut olim Manichæi; „ vel putaret mendacia esse in Scriptu- „ ris: Et cùm tam multas apparentes con- „ tradictiones in Scripturis esse videret, & „ solvere non posset, periculum esset, ne „ tandem nihil crederet. „

Confirmantur hæc à reliquis passim Scriptoribus polemicis; qui hæreticos, velut præcipuos translationum vulgarium promotores, validissimè impugnarunt. Et quidem à tribus seculis Joannes Gersonius Academiæ Parisiensis Cancellarius prima parte Tractatu contra hæresim de communione laicorum sub utraque specie regula 8. „ Ex hac præterea [inquit] radice „ pestifera orti sunt, & quotidie crescunt „ errores Beggardorum, & pauperum de „ Lugduno, & omnium similium, quorum „ multi sunt laici [& inter hos fœminæ] „ habentes in suo vulgari translationem „ Bibliæ, in grande præjudicium & scandalum Catholicæ veritatis, quale propositum est in Reformatorio esse tollen- „ dum. „ Sustulere reipsa illud Concilia, etiam Gallica, ut Narbonense anni 1609. cap. 3. de Libris vetitis. Tolosanum præcesserat quatuor seculis anno scilicet 1228. cap. 4. in Italia quoque Duce S. Carolo Concilium Mediolanense: Leodiense, Cameracense, & Mechliniense &c.

Rursum Gersonius parte 4. lect. 2. quæ incipit *pœnitemini*: „ Sequitur (inquit) ex „ præmissis prohibendam esse vulgarem „ translationem librorum sacrorum nostræ „ Bibliæ præserrim extra moralitates & hi- „ storias „. Sermone 1. de Nativitate: „ Periculosissima res est, dare hominibus „ simplicibus, qui non sunt docti libros „ Sanctæ Scripturæ in Gallicum translatos, „ quia per malam intelligentiam continuò „ cadere possunt in errores. Debent audire „ per prędicatores, qui aliàs essēt frustrà.„

4 Ratio ulterior ab eodem Cancellario redditur Tractatu decem considerationum, contra adulatores Principum. Consideratione 4. „ Non sufficit intelligere Sanctam „ Scripturam sic, ut dumtaxat grammati- „ calis,

„ calis, & vulgaris dictionum sciatur significatio; verum etiam requiritur ingens „ & longum studium, tam in aliis scientiis „ Philosophiæ & Logicæ, quàm in Sanctis „ Doctoribus, qui inspiratione Divina, & „ unum alteri comparando Sanctam exponere Scriptnram. Alioquin simplex „ grammaticus.... per se ipsum sciret omnem Latinè conscriptam scientiam: quod „ verum est minimè; sed est occasio maxima in hæreses labendi, ut omnes ferme „ hæreses ex ista præsumptione prodierunt. „ Quia sæpenumero dictiones sunt æquivocæ, & aliter sumuntur in uno, quàm „ in alio loco, aut quàm in communi sumuntur grammatica: & est necesse unum „ concordareScripturæ locum per alterum: „ aliàs inveniretur contradictio. „

Hæc ex Gersonii Scriptis colligi Sorbona jussetat, & approbavit die 4. Januarii anno 1661., ut opponeret Novatoribus Sancyrani & Arnaldi discipulis. Inter hos. primum sibi mox locum vindicavit Paschasius Quesnellus, suo refractarius ordini, & quodammodo desertor, usque dum Jansenianis eum conspicatus est partibus reconciliatum. Sed & memorata Parisiensium Academia multo tempote ante, scilicet anno 1527. die 17. Decembris, eamdem præsentis articuli doctrinam celeberrimâ contra Erasmum censurâ repulit & condemnavit.

Dogmata nempe Erasmi variis distincta titulis, subjecta Sorbonæ judicio fuerunt: A qua maturo præmisso examine, flagellis acribus excipiuntur. Titulus duodecimus censurarum contra hunc Novatorem legitur *De traductione Sanctarum Scripturarum*.

Propositio autem ejus prima excerpta est ex præfatione In Matthæum: *Sacras literas cupiam in omnes verti linguas*: quod certè necessarium est, si, ut Quesnellus statuit, *Notitia Mysteriorum religionis debeat communicari fœminis lectione Sacrorum librorum*.

Ex eadem Erasmi præfatione desumpta est propositio secunda: *Exclamant indignum facinus si mulier, vel coriarius loquatur de sacris literis*. Quid Sorbona? *Rectè perpensâ*, inquit, *multorum hujus temporis impudenti temeritate, indignum facinus existimandum est, quod idiota & simplices* [tum viri, tum fœminæ] *suo judicio sacras literas legant, in suam linguam conversas, & de illis differant, aut disceptantes de earum difficultatibus tractent*. Si juxta Quesnelli articulum 79. *utile & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi* [etiam muliebri] *studere & cognoscere spiritum, pietatem & mysteria Sacræ Scripturæ*, cur *impudens temeritas & indignum facinus existimandum est, quod idiota & simplices*, etiam fœminæ, *suo judicio Sacras literas legant in suam linguam conversas, & de illis differant, aut disceptantes de earum difficultatibus tractent*? Nonne maximè fieri natum est, ut qui omni tempore, omni loco studet cognoscendo spiritui, & detegendis *mysteriis* sacro volumine contentis, de iis differat, &, si dissentientes offenderit, disceptationis quidpiam oriatur?

5 Ex eadem præfatione propositio Erasmi tertia à Sorbonicis condemnata est, *Me Authore sacros libros leget agricola, leget faber, leget latomus*. Cur autem hos à lectione arceas; si legere debeant fœminæ, sive ut Quesnelli verbis utar, sit *illusio sibi persuadere, quòd notitia mysteriorum religionis non debeat communicari fœminis lectione Sacrorum librorum*? Consecutionem libens amplectitur Quesnellus quia, Inquit, Propositione 8., *lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus*. Imò juxta eundem Propositione, ut jam diximus, 79. *utile & necessarium est omni tempore, omni loco, omni personarum generi studere & cognoscere Spiritum, pietatem, & mysteria Sacræ Scripturæ*.

Erasmi propositio 4. ex eadem præfatione est *Neque Ezechielis Prophetæ, neque Cantici Canticorum, aut cujusquam librorum veteris Testamenti lectionem ulli homini interdico*. Neque in universis suis observationibus moralibus interdicere usquam deprehenditur Quesnellus, ne fœminis quidem, utpote quibus *notitia mysteriorum religionis communicari debeat lectione Sacrorum librorum*. Et quis istiusmodi liber est qui non aliqua religionis mysteria complectitur?

Non tunc solummodo; sed aliis quoque & valde dissitis temporibus Sorbona promiscuam Divini Codicis in linguis vulgaribus lectionem, propter pericula, & mala gravissima censuit in Ecclesia minimè tolerandam: Ideo quoque laicis omnibus, nisi obtentâ prævIè facultate, prohibuit Joannes Franciscus de Gondy Archiepiscopus Parisiensis decreto publico anni 1650. 2. Septembris. Anno sequenti D. le Maire qui Regi Christianissimo erat à Consiliis, Eleemosynis, & Concionibus, librum edidit hac epigraphe *Sanctuarium profanis clausum, sive Biblia vulgo interdicta*; ubi Archiepiscopi sui edictum stabiliens, ejusdem pariter defenditur authoritate.

Septuaginta & ampliùs annis ante, videlicet 1577. die 17. Novembris Doctorum multitudinem convocaverat Petrus de Gon-

Gondy Parifienfium Antiftes ut eorum exquireret fententiam, effetne annuendum precibus Bibliopolarum petentium à Rege, ut quædam fieret correctiffima Bibliorum in linguam Gallicam translatio, quam typis edere ipfi poffent, ac divendere. Verùm Epifcopus determinationem fuo ftatuit judicio refervandam, in qua, ut fecurius procederet, Doctores fibi cenfuit confulendos.

Ab his autem conclufum eft, juxta veterem Sorbonæ fententiam, effe rejiciendam penitùs Bibliopolarum petitionem, omnemque impediendam quantumlibet fidelem Divini Codicis in Gallicum translationem, ne imperitæ plebi, etiam fœminis, occafio præbeatur legendi magno fuo periculo, & pernicie plurimorum, cum ipfius regni atque Ecclefiæ turbatione. Incommoda plura & mala graviffima inde aliàs oritura deduxit erudito opere Mauritius Poncetius ex Benedictinorum ordine Doctor Sorbonicus, & Parochus Parifienfis anno 1578.

Gallicanorum decus Cardinalium Jacobus Perronius in Refponfionibus contra Regem Angliæ cap. 6. rationem reddit, cur „ lectionem vulgarium Verfionum à Ca„ tholicis prodeuntium, non permittat Ec„ clefia omnibus; fed iis tantummodo qui „ tali facultate à Paftoribus digni fuerint „ judicati .... quia (inquit) fatis fuper„ que conftat, res innumeras in fcripturis „ Sacris inveniri, quas fatius eft ab infir„ mis ex ore Ecclefiæ cum ejufdem inter„ pretationibus accipi, quàm legi in Scri„ ptura, finè ullo alio explicationis adju„ torio, præter illud quod ignorantia, aut „ præfumptio lectoris, fæpè cum incredu„ litatis, fcandali, vel hærefeos periculo „ fubminiftrat: Quod ideo Ecclefia in fe„ laborem recipiat, Scripturam fuis con„ cionibus elucidatam rudi populo propo„ nendi, nec eam finat finè explicatione„ legi, nifi à validioribus, qui fraudulen„ torum interpretum, Scripturâ Sacrâ ab„ utentium, non tam facilè illufionibus de„ cipi poffunt. „

6 Ridiculi autem funt adverfarii; fi ad devinciendas fibi mulieres, annumerent eas *validioribus*, qui fraudulentorum interpretum non facilè poffint illufionibus circumveniri. Veniam itaque mihi dabunt novi Apoftoli; fi eos hic Pelagii, cujus fe hoftes aliàs implacabiles profitentur, dixero fectatores, nam contra Hæreticum hunc fcribens Hieronymus libro 1. Sic ei ridendo exprobrat: „ Verùm tu tantæ es liberali„ tatis, ut favorem tibi apud Amazonas „ tuas concilies, ut in alio loco fcripferis, „ fcientiam legis etiam fœminas habere de„ bere, cùm Apoftolus doceat, effe tacen„ dum mulieribus in Ecclefia, & fi quid „ ignorant, Domi viros fuos debere con„ fulere.

In Ecclefia nova omnes tam mulieres, quàm viri *fcientiam legis habere debent*. Sive juxta articulum 80. *Lectio Sacra Scripturæ eft pro omnibus* Art. 79. *utile & neceffarium eft omni tempore, omni loco, & omni perfonarum generi ftudère & cognofcere fpiritum, pietatem, & myfteria Sacræ Scripturæ.* Sub omni perfonarum genere vulgus comprehenditur, etiam fœminarum. Denique apud Quefnelli affeclas locum obtinet quod S. Hieronymus de fuorum temporum queritur temeritate Epift. ad Paulinum: „ Sola „ Scripturarum ars eft, quam fibi omnes „ paffim vindicant ... Hanc garrula anus, „ hanc delirus fenex, hanc Sophifta ver„ bofus, hanc univerfi præfumunt, lace„ rant, docent, antequam difcant. Alii „ adducto fupercilio, grandia verba truti„ nantes inter mulierculas, de Sacris lite„ ris philofophantur.

7 Innocentius 3. Epiftola ad Metenfes: „ Significavit nobis Venerabilis Frater no„ fter Metenfis Epifcopus, quòd laicorum „ & mulierum multitudo non modica, tra„ cta quodammodo defiderio Scriptura„ rum plures earum libros fibi fecit Galli„ co fermone transferri, translationibus „ adeò lubenter intendens, ut fecretis „ quæftionibus talia inter fe laici & mulie„ res eructare præfumant, & fibi invicem „ prædicare .... quos cùm aliquis Paro„ chialium Sacerdotum fuper his corripere „ voluiffet, ipfi eis in faciem reftiterunt, „ conantes rationes inducere de Scriptu„ ris, quòd ab his non deberent aliquate„ nus prohiberi. „

Quefnellus non alicui Parochialium Sacerdoti; fed Epifcopis & Archiepifcopis; fed ipfis Summis Pontificibus Innocentio III Pio IV. Clementi VIII., & ut plures ætate medios prætercam Innocentio XII. & CLEMENTI XI. in facie totius Ecclefiæ exprobrat, velut *Illufionem*, quâ *fibi perfuadeant quòd* præter facilia quædam & moralia *non debeat notitia myfteriorum religionis communicari fœminis etiam lectione Sacrorum librorum*: Imo inquit *neceffaria eft omni tempore, omni loco, omni perfonarum generi*, virorum ac mulierum, *ftudere & cognofcere myfteria Sacræ Scripturæ*.

Perniciofiffimè itaque delufere Ecclefiam

ſiam tot Romani Pontifices qui cum Pio IV. uſque in hodiernum diem approbavere Regulam quartam Indicis Tridentini, qua decernitur. „ Cùm experimento manifeſtum „ ſit, ſi Sacra Biblia vulgari lingua paſſim „ ſinè diſcrimine permittantur, plus inde „ ob hominum temeritatem, detrimenti, „ quàm utilitatis oriri, hac in parte judicio „ Epiſcopi, aut inquiſitoris ſtetur, ut cum „ conſilio Parochi vel Confeſſarii Bibliorum à catholicis authoribus verſorum „ lectionem vulgari lingua eis concedere „ poſſint, quos intellexerint ex hujuſmodi lectione non damnum: ſed fidei, & „ pietatis augmentum capere poſſe: quam „ facultatem in ſcriptis habeant. Qui autem abſque tali facultate ea legere ſeu „ habere præſumpſerit, niſi priùs Bibliis „ Ordinario redditis, peccatorum abſolu„ tionem percipere non poſſit. „

Deluſus juxta Adverſarios fuit cum ſuo Mediolanenſi Concilio anni 1555. S. Carolus, inſtructione *de libris vetitis* ſtatuens ut „ Epiſcopi regulas Indicis de libris ve„ titis ab iis qui illi negotio à Sacroſan„ cta Tridentina Synodo præfecti fuerant „ ex authoritate Sanctiſſimi Domini Noſtri „ Pii IV. editas ab omnibus librorum im„ preſſoribus, ac Bibliopolis, cæteriſque „ omnibus laicis & Eccleſiaſticis perſonis „ ſervari jubeant „. Neque ſolùm provinciæ ſuæ fidelibus hoc modo turpiter illuſerit S. Carolus, ſed reliquis paſſim in Eccleſia catholicis, quibus Sancti Caroli authoritas ſummo in pretio eſt, atque univerſa ejus doctrina & inſtitutio Chriſtianæ vitæ ducitur norma ſecuriſſima. Ita ab ipſis magnificè prædicatur adverſariis, ſed non niſi ad fallendos ſimplices, quibus perſuadeant ſe tutiotis Ethicæ magiſtros, quos ubique detegimus atque convincimus, nihil bonæ fidei habere, nihil religionis; ſed omnem affectationem rigoris larvam eſſe inaniſſimam pietatis, & veriſſimam hypocriſim.

Quapropter Queſnellum ejuſque Socios credemus potius ab innovandi ſpiritu & ſuperbia deluſos, quàm S. Carolum, cum ſuo Concilio, & tot Romanis Pontificibus illuſiſſe Eccleſiæ. Aliàs fefellerit quoque Eccleſiam tribus ferè ſeculis antea Concilium Toloſanum, à me citatum ſæpius & nullis à Queſnello fraudibus declinandum. *Prohibemus* (inquit Synodus) *ne libros novi & veteris Teſtamenti laicis permittatur habere; niſi fortè pſalterium ſive Breviarium pro Divinis officiis; ſed ne præmiſſos libros habeant in vulgari translatos, arctiſſimè prohibemus*. Similiter Concilium Narbonenſe cap. 3. de libris vetitis *Biblia*, inquit, *Sacra idiomate Gallico conſcripta legere aut domi retinere nemini liceat; niſi ab Epiſcopo, aut ejus Vicario Generali expreſſa in ſcriptis obtentâ licentiâ*.

8 Conciliis iſtis jungantur alia quæcumque tum Gallica, tum Belgica cum Leodienſi. Jungatur & univerſus Gallicanorum Præſulum & Comitiorum generalium cœtus, ad Alexandrum VII. ſcribens anno 1661. die 7. Januarii *omnes Lutetiæ congregatos Patres, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ veſtigiis inhærentes, omnium Auguſtiſſimi Sacrificii, Ritualium ac Miſſalium librorum in vulgarem linguam translationes damnaviſſe*. Cujus Decreti ſui rationes præmiſerant ſolidiſſimas, inter quas illud Petri Apoſtoli Epiſt. 2. cap. 3. teſtimonium, *eſſe* in Pauli Epiſtolis *quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant ad ſuam ipſorum perditionem*, ubi, ut rectè antiſtites obſervant, *indocta plebecula ac præſertim fœminæ ſignificantur, quarum non nulla tamquam infelicis Evæ filia, ſerpenti antiquo credulam nimis aurem præbentes, & inſitâ levitate, cæcaque cupiditate ducta ſciendi bonum & malum, altiùs quàm par eſt, volantes in præceps facilè ruunt, & ſcrutatrices facta majeſtatis, opprimuntur à gloria; ut non immeritò conqueratur D. Hieronymus, Cùm tractent fabrilia fabri, ſolam Scripturarum artem eſſe, quam ſibi paſſim omnes vindicant, quam garrula anus, quam delirus ſenex* pro libitu interpretantur.

9 Denique contra novitatem proferatur anthoritas quæcumque ſacratiſſima: multiplex & nullis diſſolvenda cavillationibus ratio exhibeatur, malorum gravium è nova praxi orientium infinita congeries, minimè his moventur novi Theologi, penès quos omnia non niſi *illuſio* ſunt. Illuditur Apoſtolicæ Sedi, atque hæc illudit Eccleſiæ: Illuſit plutibus ſeculis Galliæ Clerus: illuſit Sorbona: maximè illuſère Cardinales pietate, & eruditione Clariſſimi, Bellarminus, Perronius, Hoſius qui Tridentino Concilio veluti Legatus Apoſtolicus præfuit. In illuſione ſunt tota Italia, Hiſpania, Luſitania, totum Belgium Auſtriacum, ubi Regula IV. Indicis religioſiſſimè ſervatur: Imò totius Eccleſiæ catholicæ cum ſuis gregibus Antiſtites: Verbo dicam Eccleſia univerſa à præſentis atticuli impugnato hactenus errore aliena.

Quis enim præter Queſnellum cum Sectatoribus ſuis obſtinatis, quos non ſola rebellio, ſed etiam hæreſis ab Eccleſia ſeparavit, aſſerit neceſſariam eſſe fœminis Di-

Divini Codicis lectionem, non tantummodo quoad partes aliquas faciliores, sed etiam abdirissima quæque religionis *mysteria* continentes, ut nullas excipit damnatus Articulus: *Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum religionis non debeat communicari fœminis lectione sacrorum librorum.*

Nam licet alicubi invaluerit abusus, ut Scripturæ etiam vulgari idiomate à plebe & fœminis promiscuè legantur, dissimulantibus Episcopis: nemo tamen imbutus utcumque dogmatibus Catholicis; multò minus Episcopus crediderit necessariam esse fœminis notitiam mysteriorum, & quidem istiusmodi quæ ex concionibus & libris asceticis hauriri nequeat, nisi lectio accesserit Scripturarum. Lectionis hujus in fœminis necessitas revera fictio novatorum insanissima est; non autem velut illusio habenda, necessitatis adeò ridiculæ denegata credulitas.

CAPUT II.

Pars posterior damnatæ propositionis expenditur.

1 Quamquam pars hæc historica ad fidei aut morum dogmata non pertineat; perniciosa tamen & mendax adulatio minimè nobis silentio prætereunda est, ut à Christi Vicario sapientissimè condemnata. *Non ex fœminarum simplicitate* (inquit Quesnellus) *sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses*; quasi verò nihil aut perparum fœminis à lectione promiscua Divini Codicis, & quidem vernacula metuendum sit: Si hæresim ipsæ passim, ut ingenii tenuioris sunt, non primæ excogitent, attamen illis, ubi semel seductæ fuerint, ut frequens docuit experientia, nihil est ad promovendam hæresim magis idoneum. Profectò longè frequentiùs contingere ubique compertum est, quod uxor hæretica pervertat virum, quàm ipsa ab illo ad fidem catholicam convertatur. Nam licet initio facilis & nimiùm credula mulier fuerit, eàdem tamen, ubi errorem conceperit, nihil est in eo mordicus retinendo pertinacius, & fortius in persuadendo, non rationibus sed blanditiis & solicitationibus, ubi nactæ fuerint sui amantes nimiùm conjuges, ut ipsa mundi primordia luctuosissimè demonstravêre.

Hieronymus ad Ctesiphontem contra Pelagium scribens, historiam texit ab initio Ecclesiæ usque ad sua tempora, quâ plerasque hæreses subsidio præcipuè mulierum stabilitas fuisse propagatasque commemorat. „ Quid volunt (inquit) miseræ mulierculæ oneratæ peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis pervenientes; & cæteri mulierculorum socii, prurientes auribus, & ignorantes quid audiant, quid loquantur: qui vetustissimum cœnum, quasi novam suscipiunt temperaturam: Qui juxta Ezechielem linunt parietem absque temperamento & superveniente veritatis pluviâ dissipantur.

„ Simon magus hæresim condidit Helenæ meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum repertor choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos animos præpararet. Apelles Philumeneo suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritûs prædicator multas Ecclesias per Priscam & Maximillam nobiles & opulentas fœminas, primùm auro corrupit, deinde hæresi polluit.

„ Dimittam vetera, ad viciniora transcendam: Arius ut orbem deciperet, sororem Principis ante decepit. Donatus per Africam, ut infelices quosque fœtentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adjutus est. In Hispania Agape Elpidium, mulier virum, cæca cæcum duxit in foveam, successoremque sui Priscillianum habuit, Zoroastris magi studiosissimum, & ex mago Episcopum: cui juncta Galla non gente, sed nomine, Germanum huc illucque currentem, alterius & vicinæ hæreseos reliquit hæredem. Nunc quoque mysterium iniquitatis operatur. „

Memorata quidem illa ab Hieronymo Agape, quæ Elpidium dicitur in foveam duxisse non insaniit à se ipsa; sed à Marco Gnosticorum Apostolo fuerat dementata: Tuncque ab Elpidio pariter & Agape institutus Priscillianus artem sibi velut hæreditariam fecit pelliciendi in errorem fœminas, quarum lenociniis viros corrumperet.

Audiatur de hoc Severus Sulpitius lib. 2, Historiæ Sacræ: „ Ab his (Elpidio & Agape) Priscillianus est institutus familiâ nobilis, prædives opibus, acer ingenio, facundus, multa lectione eruditus, disserendi ac disputandi promptissimus .... Multa in eo animi & corporis bona cerneres: vigilare multum, famem & sitim ferre poterat, habendi minimè cupidus, „ uten-

„ utendi parcissimus; sed idem vanissimus
„ ... is ubi doctrinam exitialem aggressus
„ est, multos nobilium pluresque popula-
„ res authoritate persuadendi,& blandien-
„ di allicuit in societatem. Ad hoc mulie-
„ res novarum rerum cupidæ, fluxâ fide,
„ & ad omnia curioso ingenio, catervatim
„ ad eum confluebant; Quippe humilitatis
„ speciem ore & habitu prætendens, ho-
„ norem sui & reverentiam cunctis inje-
„ cerat.

A Gnosticis illis mulieribus periculi plurimum passus aliquando fuerat Sanctus ipse Epiphanius, ut ingenuè testatur hæresi 26. *Verùm*, inquit, *Dei benignitate ac misericordiâ perniciosas illarum manus effugimus, ac Sanctissimo Deo gratulatorium carmen cecinimus: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est*.

2 Franciscus Simonis *de Fraudibus Hereticorum* parte 1. fraude 6. ait „ Specie
„ virtutis,ac præcipuè charitatis, simulque
„ blanditiis & lenociniis linguæ, styli,mo-
„ rum, quæ mulier clam circumventa non
„ capiatur? Hanc igitur Ecclesiæ partem
„ sequiorem præ cæteris sibi delegêre ad-
„ jungendam plerique hæretici, atque isto
„ præsidio utendum ad ampliorem stra-
„ gem.... Sed nescio quo pacto sacras
„ Virgines & lubentiùs, & faciliùs in
„ casses suos pellexêre jam olim hæretici.
„ Pietatis species piis & flexilibus animis
„ quid mirum si imponat?

„ Expertus est Hæresiarcha Arius, qui
„ ut primum Alexandriæ in celebri consi-
„ ctatione Presbyterorum, coram Alexan-
„ dro Patriarcha hæreticum animum de-
„ texit, nihil moratus est hoc sibi præsi-
„ dium adjungere. Brevi enim septingen-
„ tas ferè Deo consecratas Virgines ab
„ Ecclesia abstractas in unum coëgit, te-
„ ste Epiphanio hæresi 69. Has inter illc
„ solabatur curas suas: Hæ defessum ex
„ vario certamine suscipiepant: Hic velut
„ in portu quodam commentabatur eas
„ tempestates, quas Ecclesiæ suscitatum
„ ibat. Porrò virus Arianum tam altè re-
„ ceperunt illæ, ut tenacissimè adhæserit,
„ neque ulla Doctorum arte discuti aut
„ Ecclesiastico fulmine dissipari, excutive
„ potuerit. „

Diceres describi hic *Portum Regium*, Infatuatarum à Sancyrano & Arnaldo Monialium domum, quæ cum profanato tot sacrilegiis templo, citiùs everti ab imis potuit fundamentis, quàm mulierum pertinacia superari. Arianæ illæ non adeò simplices fuere; sed nimiâ tumidæ superbiâ, volentes sapere supra trecentos & octodecim Nicæni Concilii Patres, nullis subjici legibus & mandatis, quibus Arianæ blasphemiæ anathema dicere juberentur.

Non fuere proinde è Virginum illarum numero, de quibus in Psalmo 44. legimus *Adducentur Regi Virgines post eam.... adducentur in templum Regis*; sed quales Augustinus enarratione in hunc locum indicat. *Sunt*, inquit, *Virgines extra templum Regis hæreticæ Sanctimoniales: sunt quidem Virgines; sed quid prodierit eis, nisi adducantur in templum Regis? Templum Regis in unitate est: Templum Regis non ruinosum, non discissum, non divisum. Junctura lapidum viventium charitas est.... illæ quæ Virgines esse voluerunt, nisi adducantur in templum Regis, Sponso placere non possunt*. Imò inquit Origenes homilia 7. *Est quædam castitas Diaboli id est decipula humanæ mentis, ut per istiusmodi castitatem, & mansuetudinem & justitiam possit faciliùs capere, & falsis sermonibus irretire*.

3 Collectio Gallica documentotum quorumdam concernentium Constitutionem UNIGENITUS parte 3. pag. 228. „ Quis
„ (inquit) enarrare valeat fœminas omnes
„ sacro Codice abutentes, quasque in er-
„ rorem lectio egit præcipites? Ne prima
„ repetam Ecclesiæ secula, nonne Anto-
„ netta de Bourignon superiore seculo ere-
„ xit se in novæ caput Ecclesiæ? Nonne
„ secta derivato ab ea nomine appellatur;
„ & serpit hodiedum? Nonne mulier illa
„ complures libros composuit, doctrinâ
„ plenos fanaticâ, quam stabilire conatur
„ textibus Scripturarum? inter hæc ejus
„ opera est, quod inscribitur *Lux mundi*,
„ aliud *Testimonium veritatis*, utrumque
„ Gallicum. Verè fanatico mulier ageba-
„ tur spiritu, vocata meritò in Dictionario
„ Bayle *Flagellum Divinæ providentiæ*. Non-
„ ne temporibus nostris vidimus Domi-
„ nam Gujon constituere se interpretem
„ Scriptutarum, & ad disseminandam
„ Quietismi hæresim percurrere provin-
„ cias? „

Anno 847. Mulier cui Thiota nomen, prophetidem agens, Constantiensem Diœcesim non parum turbaverat: fingebat Deum sibi revelasse inter cætera futurum eo anno mundi terminum. Condemnata est à Moguntino Concilio, ut cæderetur virgis publicè, propterea quòd prædicationis ministerium contra Ecclesiæ regulas usurpasset.

Anno 1022. Mulier Manichæa complures Aureliæ in Gallia Ecclesiasticos pervertit.

vertit. Abutebantur hi hæretici passim Divino Codice. Ex istiusmodi hæreticis, anno 1025. detecti quidam fuere Atrebati in Artesia: Tuebantur sua dogmata velut tradita in Euangelio.

Sub annum 1123. Tanchelinus Antverpiæ spargendis erroribus suis opportunum duxit adjutorium fœminarum, quo mariros corrumperet. Non exigui usûs etiam hodie Quesnelli defensoribus contra Bullam UNIGENITUS est authoritas, studium, & zelus tum Monialium, tum nobilium fœminarum. Moniales scilicet ad Concilium appellantes, sic instituunt, non solummodo puellas suæ commissas fidei & educationi; sed etiam majores natu Dominas à quibus ad colloquia & conversationes, Virginum monasteria frequentantur.

Pertractis in sensum reprobum fœminis, disponuntur viri, quorum non maxima subinde fidei & religionis cura est. Imò nec facilè semper sapientibus est resistere solicitationibus importunis, blanditiis, & lacrymis fœminarum. Indignissimum autem mihi semper visum est, tales ab Ecclesiasticis, maximè in dignitate & eminenti specula constitutis suppetias implorari, quas vel ultro oblatas contra Sedem Apostolicam ipsamque Ecclesiam admittere, foret turpissimum.

Inter cætera mirabilis apparet Epistolà Mirapincensis ab illo, ut præfertur, Antistite, inter *Appellantes* ardentissimo scripta Parisiis die 5. Aprilis anno superiore ad Marchionissam N. N. Et quod fortè magis mirabere, contra Eminentissimum de Noailles. Textum accipe Gallicum suppressis solùm trium nobilium fœminarum nominibus, quæ exhibebo cuilibet postulanti, uti & textum epistolæ Gallicum, prout à duobus Summi nominis & meriti Præsulibus, huc transmissa est.

„ Exclamas meritò adversùs scandalum, & horrificum Cardinalis Noaillii lapsum deplotas. Verùm non inde me movendum existimes ad sequendum. Nunquam acriores mihi addi stimulos sensi, ut appellarionem sustineam. Nescio quo fundamento Aurelianensis Dux jactare valeat, esse se de meo suffragio securum. Animum meum aperui Episcopo, utque Duci eximatur error, sufficeret prompta libri mei de efficaci gratiâ editio: Manuscriptus est penès N.N. cui ultimam limam adhibui.

„ Non miror quod Cardinalem Noaillium facti sui pudeat: non enim sibi solùm apud homines conscivit infamiam, sed gravem etiam Numinis offensionem. Divinæ gratiæ patrocinium abdicavit, pro quo tantis à Deo fuerat beneficiis cumulatus. Attamen adhuc potest, & tenetur sanare vulnus quod intulit. Deberet adire Principem Regentem, & declarare, quod minimè necesse sit urgere operosiùs Episcopos, ut descriptum Doctrinæ compendium approbent; istud enim, ut Constitutio admittatur, nequaquam sufficere; sed fixum sibi esse cum suo Clero prosequi appellationem.

„ Deberet Domicella N. N. ipsi (Cardinali) proponere ut consilium illud omni morâ sepositâ amplectatur. Habet illa descriptum exemplar (vulgò copiam) Epistolæ, quam ipsi prælegi in ædibus Domicellæ N. N. potestque adhibere selectas ex illa partes maximè ad movendum idoneas. Plus eæ etiam deinde accepere roboris, ex omnibus quæ Parisiis interim contigêre. Aliàs crucifer S.Thomæ Cantuariensis eum ex simili reduxit, cui se implicuerat labyrintho. Celebris ea res est in historia. Dominus de Choüet eam exponet Domicellæ N. N. Verissimum est quod Appamiensis Episcopus sit maximè constans in consiliis & propositis sanis; Parum autem honorificum est Cardinali Noaillio, à firmitate defecisse, in sententia, quam tantâ susceperat magnirudine animi, & tantâ sustinuerat cum laude. Si hæc epistola usui esse valeat Domicellæ N.N. poteris eam ipsi relinquere. Talis mutatio indubiè offenderet Principem Regentem; Verùm quidquid Cardinalem inde pari contingeret, foret aliqua commissi peccati expiatio, eique restitueret gloriam, paulò ante Regis obitum acquisitam. Hoc modo Athanasius, Hilarius, Eusebius Vercellensis, quorum virtutes cæteras Cardinalis Noaillius imitatur, sibi Sanctimoniam comparavere, resistendo Potestatibus mundi, quoties postularet veritatis defensio.

Tuus demississimus atque obsequentissimus servus Episcopus Mirapincensis. „

5 Insigni hæc epistola locum daret & materiam commentario; sed non licet pluribus immorari modò: unicè quod ad præsens attinet institutum, annoto, Quesnelli patronis & sectatoribus, non tam *simplices* videri *fœminas*, & ad sustinendam promovendamque hæresim incapaces, quæ ad tanti Archiepiscopi pervertendum animum censentur præ viris omnibus Presbyteris & Docto-

Doctoribus maximè idoneæ. Cuicumque lubuerit viro periculum facere cum devotis Quesnello, Arnaldo, Jansenio fœminis colloquendo de gratia & prædestinatione, deprehendet eas in Apostolo & Augustino, juxta Calvini & Jansenii sensum, non mediocriter versatas.

In testimonio quod anno 1638. die 11. Julii Episcopus Lingonensis supremo Galliæ Cancellario, authoritate Regiâ interrogatus de Sancyrano tradidit, inter cætera sic legitur: „ Maria Angelica (Arnaldi „ soror) Superior monasterii cui nomen „ *à Sanctissimo Sacramento* est: Ita rapieba- „ tur colloquiis Sancyrani, ita iis imple- „ verat mentem, ut non loqueretur, nisi „ de Ecclesia primitiva, de Canonibus, de „ consuetudinibus primorum Christiano- „ rum, de Conciliis, de Patribus, præci- „ puè S. Augustino. Hæc ingeminabat fœ- „ minis se invisentibus, quæ sermonis „ istiusmodi minimè sibi convenientis ine- „ ptias exploserunt.

„ De tam incongruâ cum proximis „ agendi ratione edoctus, monebam Ma- „ riam Angelicam; sed profectu exiguo; „ quia & me ipsum iisdem sermonibus de- „ tinebat, ubique identidem memorans „ S. Augustinum de gratia, & S. Paulum „ de prædestinatione; sed tam insulsè, ut „ satis pateret, loqui eam rantùm temerè „ audita, minimè intellecta.

Alteri sorori Arnaldinæ Agneti à Sancto Paulo tribuitur *Corona Sanctissimi Sacramenti*: quod opusculum priùs credebatur compositum à Sancyrano, ut pluribus ab ipso meruit contra censuram Sorbonicam lucubrationibus propugnari.

Verùm consultius dein visum est Sancyrani sociis, *Coronæ* illius seu gloriam, seu invidiam transferre in eam Arnaldo dignam Amazonem. Tunc autem impingunt in opprobrium à Sancto Hieronymo objectum Epistola 103. *Discunt proh pudor à fœminis, quod viros doceant*. Fraudem ipsa præfert inscriptio *Corona Sanctissimi Sacramenti*: à qua quid aliud expectes, quàm ut excitetur in legentium animis, ardens salutiferæ communionis desiderium? Contra autem in illa fingitur Christus *inaccessus, à communicatione, atque ad nostram tenuitatem applicatione alienissimus*; proindeque suæ solitudini relinquendus. Plura ex hoc opere aliàs distinctiùs retuli: de quo hic sufficiat æquissimum Sorbonæ judicium anni 1633. 18. Junii, quòd *scateat ineptiis, erroribus, blasphemiis & impietatibus, quæ eò tendunt ut animos à virtutum, præsertim Fidei, Spei, & Charitatis exercitio avertant, modum orandi à Jesu Christo institutum destruant, & introducant opiniones contrarias effectibus Divini erga nos amoris, quem Deus præcipuè elucere voluit in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, & mysterio Incarnationis*.

6 Easdem nihilominus opiniones instaurare partim visus postea fuit frater ejus Antonius Arnaldus opere grandiore, magis compto & subdolo ut Doctores aliquot etiam Sorbonicos & Episcopos nactum fuerit approbatores. Nomine illud insignivit ambiguo & fallaci *de frequenti Communione*, cùm revera de ratissimâ sit, ac penè nullâ. Verùm ea fallacia etsi non nullos cum Doctoribus circumvenit Episcopos; Sedem tamen Apostolicam decipere non potuit, neque à pluribus libri articulis avertere anathema quod Alexander VIII. inter Propositiones 31. tacito authorum operumque nomine inflixit.

Neptem quoque Arnaldus habuit ad libros edendos non minus idoneam, cui in Portus Regii monasterio nomen fuit *Angelica à S. Joanne*. Hæc suum aliquot mensium exilium, quod vocare maluit captivitatem, trecentarum paginarum volumine descripsit, & Janseniani proceres, post ejus obitum, Portûsque Regii subversionem typis publicè divulgarunt.

Non sola Arnaldi familia, neque solus Portus Regius sciolas istiusmodi fœminas orbi dedit; sed universa Jansenistarum Ecclesia talibus abundat; quas nulla veri speciе affirmare valeas esse *simplices*, neque sacri Codicis abusum, neque hæreseos promotionem ab iis ullatenus metuendam.

Tertullianum aliàs doctissimum mulier hæretica secum reddidit insanientem. Specimen insaniæ non leve refero ex libro ejus de anima cap. de effigie animæ. *Est*, inquit, *hodie soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter Dominica solemnia per ecstasim in spiritu patitur: Conversatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt, & audit Sacramenta, & quorumdam corda dignoscit.... Fortè nescio quid de anima disserueramus, cùm ea soror in spiritu esset; post transacta solemnia, dimissâ plebe, quo usu solet nobis renuntiare quæ viderit: inter cætera, inquit, ostensa mihi est anima corporaliter. &c.* Sic à muliere ecstasim visionibus sacram mentiente, Tertullianus animam didicit esse corpoream.

Quam à Sancyrano ejus discipuli & discipulæ non acceperint sapientiam, qui, ut legitur in testimonio jurato Joannis de Jovaud Abbatis Cisterciensis, *jactavit sæpius, quod*

quod quæ enuntiaret dogmata, non ex libris didicerit; sed legerit in ipso Deo, qui est veritas æterna: quodque in omnibus sequeretur ductum interiorum illuminationum, inspirationum, documentorum, quæ sibi à Deo identidem suggeri sentiebat. Nicolaus le Tardif in Senatu Regio causidicus, qui & sororem habuit in Portu Regio, & Sancyranum pridem sibi delegerat directorem, jurejurando etiam testatur, se ab eo edoctum, quod *justi in omnibus sequi debeant interioris gratiæ instinctum, qui eis legis instar sit, non curando leges externas; quamvis ejusmodi motus interiores externis legibus adversentur.*

An non ignoscendum itaque Sancyrani etiam hodie sectatoribus, quod neque à Jansenii, neque à Quesnelli proscriptis dogmatibus divelli se hactenus patiantur; si ita ipsis interior spiritus dictaverit? Inde eos veluti exleges conspicimus, omnisque potestatis sibi oppositæ contemptores.

7 Addit superiori testimonio Abbas ille Cisterciensis & totius Ordinis Secretarius, Sancyranum asseruisse, *tantâ se præditum esse discernendarum prærogativâ animarum, ut quas semel observaverit, dignoscat, electæne à Deo sint, an reprobatæ.* In posteriore ordine collocabat Monialem quamdam Monbuissonii Conventûs, suis ecstasibus non consentientem; Jansenianæ autem communiter velut sanctæ à novis istiusmodi Apostolis prædicantur. Talibus sanctis plena est Portûs Regii historia. Prophetides etiam nova Ecclesia habet, Montani vatibus utcumque similes.

Una insidias struxit tum præclarissimo nuper apud Belgas Antistiti, tum mihi ejusdem tunc Theologo. Insidias, inquam, struxit; verùm successu longè dissimili ei, quo infatuata olim, ut vidimus, cecidit Tertulliani sapientia. Monialis quædam juvenis perhonestis orta parentibus, & cujus frater authoritate pollebat in Curia, videbatur Quesnelli sectatoribus ad novitatis susceptionem, introductionemque in monasterium aptissima. Quapropter eam invisere frequenter & non verbis solummodo, sed & libris quoque Gallicis eleganter compositis ad prætensam instituere reformationem. Unde tempore perexiguo tantum profecit in spiritu, ut Directorum istiusmodi judicio deberet Monasterio præfici, exauthoratâ doctrinæ & disciplinæ communis tenaci Præside.

Sed executio difficilis apparebat, propter Antistitem novitatibus maximè infestum. Nihilominus ut dominandi pariter & innovandi ambitio ingeniosa est, nihil quoque in excogitandis fraudibus diabolo callidius, statutum fuit ad sacrilega revelationum visionumque confugere figmenta. Initium verò ducendum videbatur ab hypocrisi; in qua juvenis illa mox reddita est reformationis magistra. Nihil illâ apparebat demissius, nihil modestius, atque ad omnem religionis normam magis compositum. Tum stabilitâ satis famâ Sanctimoniæ, cæterarum cœpit ingemiscere dissolutioni, & religiosi spiritûs deplorare defectum. Hunc literis aperiebat Episcopo; lacrymis magis, ut ajebat, quàm verbis, obtestans pro remedio, eoque efficaci, & non nimiùm procrastinando.

Me quoque fraudibus irretire conabatur, satis conscia, ab Antistite consulendum. Quotidiana novatorum ad eam concursatio, suspectam mihi statim reddidit illam pietatis & modestiæ affectationem. Interim volitabant schedulæ anonymæ, & sub monasterii janua noctibus intrudebantur. Revelabant illæ dictante, ut dicebatur, Numine, quidquid defectuum, etiam ipso die à Monialibus commissum fuerat. Communicatum pariter cœlitus visionibus sanctis remedium unicum suggerebatnt, mirabilis illius juvenis ad regimen promotio. Angebant hæc initio pium Antistitem, maximè ex eo quod schedæ illæ viderentur non unius; sed plurium, in eundem collimantium scopum. Singulæ testabantur aliud se non referre, quàm Divini Spiritûs dictamina in piis contemplationibus & visionibus revelata. Universam chartarum congeriem tandem mihi Præsul tradidit examinandam.

Quærebam ex Illustrissimo, nihilne literarum in scriniis reneret devotulæ illius scriptum manu, suspicionem meam non dissimulans, omnia unius esse ipsiusque. Habeo, inquiebat Antistes, Epistolas ejus aliquot; sed adeò characteribus à schedis anonymis differenres, ut nihil in illo genere dari possit dissimilius. Neque videtur facinus adeò detestabile in Monialem regularum observantissimam, & pietate omnibus prælucentem cadere potuisse; dolosa enim istiusmodi mendacia, & apparitionum visionumque cœlestium figmenta, totidem sacrilega sunt. Nihilominus diligentissimo res digna examine est. Tum quorquot servaverat Sanctimonialis illius epistolas, mihi simul eum schedis anonymis consignavit.

Singulare istud habet lingua Belgica, quod ejus orthographia apud omnes passim, si paucos exceperis sui idiomatis studiosos, sit maximè varia; apud fœminas præ-

præsertim, quarum ne unamquidem reperies cum altera convenientem. Ecce autem conferens schedas singulas anonymas, cum Monialis epistolis, ubivis conspicio unam, eamdemque orthographiæ methodum, accuratissimè retentam; in duorum quoque triumve characterum expressionibus, ubique tractûs quidpiam singularis, & cuivis alteri insolitum. Quibus indiciis prætensam novæ reformationis Apostolam convici, quæ suam mox confessa nequitiam, castigationem jussu Antistitis publicam in monasterio subiit, veluti malevola turbatrix pacis; tacito tamen fictitiarum apparitionum visionumque sacrilegio.

8 Num igitur tanta fœminarum istiusmodi credenda est, & tam innocua simplicitas, ut tutò illis Biblia Vernacula sinè abusûs periculo committantur? Historias plures, & magis lepidas refert liber recentior *de vero Spiritu novorum discipulorum Sancti Augustini*, ubi Jansenianarum indoles mulierum conspicitur, arrogans sibi intelligentiam controversiarum, quibus Scholæ personant Theologicæ, & Magistrorum ingenia fatigantur. Tot fœminarum hodie contra Constitutionem UNIGENITUS notissima rebellio, & veluti rabies; simplicitatis innoxiæ, qualis in Quesnellianis vindiciis obtenditur, minimè signa sunt. Imò quisquis novitatibus atque earum præconibus non addictus; sed supremo in terris Ecclesiæ Capiti obediens, cum Janseniana versari cogitur muliere, experietur nihil nimis asperum à Spiritu Sancto dictatum, & ab Ecclesiastico scriptum fuisse cap.25.v.17. *Omnis malitia, nequitia mulieris*. V.22. *Non est ira super iram mulieris*. V.23. *Commorari leoni, & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam*. V.24. *Nequitia mulieris immutat faciem ejus, & obcæcat vultum suum, tamquam ursus*. V.26. *Brevis omnis malitia super malitiam mulieris*. V.29. *Mulieris ira, & irreverentia, & confusio magna*. V. 30. *Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo*. Denique v.33. *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur*.

De Quesnello autem, & cæteris passim novæ Sectæ Scriptoribus, non incongrua est Viri docti observatio, quod blandiri fœminis, & adulari putidè soleant: contra omnes novitatibus obsistentes, etiam Sacerdotii & imperii Principes Supremos amarissimi. Erga fœminas sermones novatorum molliti sunt super oleum; sed ipsi sunt jacula, quibus incautæ animæ configuntur, & pereunt. Proinde optandum, ut omnibus, præcipuè mulieribus, altè infixa animo Sancti Leonis conclusio hæreat, Serm. de Jejunio, & Eleemosyna decimi mensis: *Hos itaque homines dilectissimi, per omnia execrabiles atque pestiferos, quos aliarum gentium perturbatio nobis intulit crebriores, ab amicitia vestra penitùs abdicate. Vosque præcipuè mulieres, à talium notitia, & colloquiis abstinete, ne dum fabulosis narrationibus, incautus delectatur auditus, in diaboli laqueos incidatis: qui sciens quod primum virum mulieris ore seduxerit, perque fœmineam credulitatem omnes homines à Paradisi felicitate dejecerit, vestro nunc quoque sexui securiore insidiatur astutiâ, ut eas, quas sibi potuerit per ministros suæ falsitatis illicere, & fide spoliet, & pudore*.

CAPUT III.

Damnato Errori Scriptura Sacra nullibi suffragatur.

1 Videtur Quesnellus similis quibusdam Ephemeridum Scriptoribus, qui ex concursu vario, ac dispositione siderum, pluvias, ventos, ac cæteras auræ vicissitudines conjecturâ adeò temerariâ colligunt, ut, cùm gloriosæ memoriæ Archidux Leopoldus olim Belgii Sapientissimus Gubernator, accepto in futurum annum istiusmodi libello, notari curasset in dies singulos oppositum, evoluto anni circulo deprehensæ fuerint Archiducis notæ veritatem attigisse frequentiùs, quàm inepta Ephemeridum divinatio.

Tomi quatuor à Quesnello editi sunt Observationum in novi fœderis Volumen; ne verò de Observationum fide dubitare cuipiam liceret, *Protestationem* nuper addidit solemnem, *non se solitum sacro textui jungere Observationes de religione, nisi ad quas Scriptura ipsa induceret, at determinaret*. Ita imponit Author subdolus Lectori simplici, & nimiùm credulo. Quis igitur vel in damnatis ejus animadversionibus quidpiam suspicetur sinistri? at quisquis novitatum fuligine non obcæcatus, textum ubique sedulò cum observationibus contulerit, reperiet adeò nihil esse in Divino Codice quod istiusmodi exigeret commentarium, ut potiùs interpres fidus non semel oppositum elicuisset.

Et quidem pro articulo præsenti à Quesnello remittimur ad illud Christi in Euangelio Joannis cap.4. v.26. *Dicit ei Jesus: ego sum qui loquor tecum*. Hîc igitur si Quesnello credimus, Christus ipsum *inducit, at determinat*, ad monendum quòd sit *illusio sibi*

fibi perfuadere, quòd notitia myfteriorum religionis non debeat communicari fœminis lectione Sacrorum librorum. Euangelifta nempe exhibet Dei filium Samaritanæ fœminæ revelantem præcipuum Chriftianæ religionis myfterium; fed revelantem vivæ vocis præconio, non fcripti lectione voluminis. Proinde fi hinc deduxero contrariam Quefnelliano dogmati affertionem, prorfus hæc videbitur Sacræ confentanea hiftoriæ: *Non eft illufio fibi perfuadere, quòd notitia myfteriorum religionis non debeat communicari fœminis lectione Sacrorum librorum*; fed poffit eis fufficere prædicatio.

2 Alter Divini Codicis locus à Collatore objicitur ex lib. 2. Efdræ cap. 8. v. 2. & 3. *Attulit ergo Efdras Sacerdos legem coram multitudine virorum, & mulierum, cunctifque qui poterant intelligere ... & legit in eo apertè ... de mane ufque ad mediam diem, in confpectu virorum, & mulierum*.

Ubique adverfarii tenebras captant, & luci cupiunt affundere meridianæ. Reticent nempe callidè quod eft v. 5. *Venerat menfis feptimus; filii autem Ifrael erant in Civitatibus fuis, congregatufque eft omnis populus, quafi vir unus ad plateam, quæ eft ante portam aquarum, & dixerunt Efdræ Scribæ, ut afferret librum legis Moyfis quam præceperat Dominus Ifrael*. Non igitur liber legis erat in manibus promifcuæ plebis, & mulierum, ut eft modò penès hæreticos, eorumque improvidos Sectatores. Unde fi adverfarii ex ufu Teftamenti Veteris regulam præfcribere voluerint hominibus fub novo fœdere conftitutis, neceffe eft corruant Quefnelliani plerique de Scriptura articuli.

Lectionis hic occafio fuit folemnitas menfis feptimi: locus non cujuslibet domus privata; fed locus publicus, & univerfi populi conventus: neque lectio, & ftudium Scripturæ committebatur gregalibus viris, ac fœminis; fed Efdræ, & aliis Scribis, ac Sacerdotibus, quorum munus erat eas populo interpretari. Hinc convellitur manifeftè Articulus 80. *Lectio Sacræ Scripturæ eft pro omnibus*; 84. *Abripere è Chriftianorum manibus novum Teftamentum, feu eis illud claufum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eft illis Chrifti os obturare*. In Teftamento veteri abripere Sacras paginas è Judæorum vulgarium, & fœminarum manibus, non erat illis os Dei obturare; damnabilis aliàs quàm maximè fuiffet hic ufus, quem à nullo catholico hactenus vidimus reprehenfum. Cur igitur in novo fœdere non paffim permittere vulgo, & fœminis novi Teftamenti codicem, idem fit, ac impedire ne eis loqui valeat Dei Filius? Denique penès Judæos, ut patet, non cenfebatur illufio, fententia ftatuens *Non debere fœminis communicari religionis myfteria lectionibus Scripturarum*.

3 Non minùs adverfarios convincit quod in eodem citato Efdræ capite fequitur; fed fide peffima ab allegautibus reticetur. V. 9. *Dixit autem Nehemias, & Efdras Sacerdos, & Scriba, & Levitæ interpretantes univerfo populo &c.* Audiunt Novatores? Non erat illa Efdræ nuda lectio, fed accedebat ejufdem, & Nehemiæ aliorumque Scribarum, Sacerdotum atque Levitarum interpretatio. Interfint mulieres frequenter Sacris concionibus, & lectionibus, ubi textibus Scripturarum conveniens jungitur explicatio: Sic illis religionis myfteria, earundem non fuperantia intellectum, communicari nullus prohibet, approbant univerfi.

Verùm lectione iftiufmodi fœminis concedendâ minimè contenti funt Sedis Apoftolicæ adverfarii, & mulierum adulatores; fed in earum gratiam decernunt, debitam eis effe pleniffimam libertatem, ut Sacrum Codicem privatim in domibus fuis legant, fuoque ingenio interpretentur. Iftud fœminis debitum, neque in Teftamenti veteris, neque in novi Sacris Paginis reperimus: neque adverfariorum diligentia, demulcendo adeò fequiori fexui intenta, invenire hactenus potuit; imò quæ velut unicè faventia prolata funt, adverfari potiùs deprehenduntur.

Fortè, & in vulgarem linguam Hebraicam lapfu temporis, & confuetudine cum extraneis, ea fuerat inducta mutatio, ut plebs infima Hebraicam primitivam finè interprete non penitùs intellexiffet. Mirum autem eft quod malefani ifti mulierum patroni, in earum favorem trahere conati non fint, quod ipfæ pridem fuæ plurimùm fuffragari infaniæ exiftimarunt. Sic nempe Humbelot Doctor Sorbonicus in Compendio Biblico lib. 4. cap. 3. fect. 2. „ Ex quo „ prodiere in lucem ejufmodi verfiones, „ mulieres quædam eò devenere impudentiæ, ut Pauli Epiftolas viris, & Sacerdotibus explicarent fuo fenfu exponentes hæc Joelis Verba cap. 2. *Effundam de Spiritu meo fuper omnem carnem, & fuper fervos meos, & ancillas, & prophetabunt filii veftri, & filiæ veftræ*. Quam „ temeritatem, ut reprimerent Principes „ catholici, & Chriftianiffimi, publico prohibuerunt edicto, ne fierent in fuis dominiis Sacrarum Scripturarum vernacu-

læ

„ læ versiones, aut venditarentur tales tra-
„ ductiones, tamquam sinceritati fidei, &
„ pacifico statui periculosæ.

Utinam illa Catholicorum, & Christianissimorum Principum edicta à subditis observata religiosiùs, & à Principibus fuissent fortiùs vindicata! Non ea in quibusdam illorum ditionibus scandala, ac dissidia, non rebellio adversùs Ecclesiam, ipsosque Principes emersissent.

CAPUT IV.

Neque traditio Patrum damnato Articulo patrocinatur.

1 PRæcipuum adversarii novitatis suæ præsidium collocant in S. Hieronymo, qui Epistola 19. aliàs 7. ad Lætam suadet, ut Paulam à tenera ætate excitet ad amorem, & lectionem, non totius simul Divini Codicis; sed initio ducto à partibus facilioribus, ad difficiliores progressu temporis, & scientiæ progrediatur. Epistola 22. aliàs 8. ad lectionem Scripturæ non solummodo quotidianam; sed per horas distributam, ferè ut nunc officium Canonicum est, hortatur.

Similiter Epistolâ 23. aliàs 10. Author est Furiæ, ut Sacras literas sibi reddat lectione assiduâ familiares. Epist. 98. aliàs 12. ad Gaudentium de Infantis Pacatulæ educatione monet, ut principio memoriter discat psalterium, inde gradum faciat ad libros Salomonis: Euangelia, Apostolos, Prophetas *thesaurum cordis faciat*. In Epitaphio Fabiolæ prædicat ejus studium discendi sacras literas; cùm & *Quæstiones proponeret, & solutas reconderet in Scriniolo sui pectoris*.

In Epitaphio Marcellæ, laudat in ea *Scripturarum ardorem incredibilem*, in quibus ita profecerit, *ut post propositionem nostram*, inquit Hieronymus, *si in aliquo testimonio Scripturarum esset oborta contentio, ad illam pergeretur*. Denique in Epitaphio Paulæ: *Scripturas Sanctas tenebat memoriter .... Hebræam linguam ... discere voluit, & consecuta est, ita ut Psalmos hebraicè caneret, quod quidem usque hodie in Sancta filia ejus Eustochio cernimus*.

Objectionem istam præoccupavit pridem, & dissolvit Ambrosius Catharinus ex Prædicatorum ordine Archiepiscopus Compsanus in Quæstione *An expediat Scripturas in maternas linguas transferri*. Negat fortiter, ne rudi populo, & fœminis eas legendi occasio præbeatur. Tum sibi objicit. „ Cur ergo B. Hieronymus, docuit
„ mulieres, & eas induxit, ut Scripturas
„ Sanctas ad suam consolationem, atque
„ ædificationem legerent, nempe Marcel-
„ lam, Paulam, Eustochium, Demetria-
„ dem, & alias complures?

„ Prompta est ad hanc objectionem
„ responsio. Nam illæ mulieres nobilissi-
„ mæ jam erant linguis eruditæ, quibus
„ minimè opus erat hujusmodi versioni-
„ bus: erant & separatæ à mundo, & dica-
„ tæ Deo, & jam veram humilitatem didi-
„ cerant, promptissimæ captivare intelle-
„ ctum in obsequium fidei. Non igitur ab
„ una, aut altera hirundine, Veris proba-
„ tur adventus. Vix ulla est tam firma re-
„ gula, quæ non patiatur exceptionem.
„ Dent autem isti nobis Marcellas, Paulas,
„ Eustochia, & nos libenter illis dabimus
„ lectionem, & meditationem Scriptura-
„ rum.

„ Etenim mulieres illæ Divino timore
„ præditæ, numquam sibi arrogassent cen-
„ suram, ac judicium Scripturarum, ut nunc
„ multæ vanæ, & arrogantes mulierculæ
„ faciunt. Nam, & illa Paula, etsi esset do-
„ ctissima, cùm tamen à quodam Hæretico
„ subdolè circa articulum resurrectionis
„ semel tentaretur, non ausa est illi respon-
„ dere; sed loco sui suffecit B. Hierony-
„ mum, qui paucis eum disputando devi-
„ cit. Optimè enim intellexerat pruden-
„ tissima illa, & Sanctissima mulier illud
„ Beati Petri dictum *Parati semper ad sa-*
„ *tisfactionem de ea, quæ in vobis est fide, ac*
„ *spe*, non promiscuè pertinere ad om-
„ nes; sed propriè, ut B. ipse Hierony-
„ mus declarat, ad Sacerdotes Dei, à qui-
„ bus id exigit Dominus Deus, non à mu-
„ lieribus, & idiotis.

„ Novi ego, novi heu! quasdàm, &
„ sanguine nobiles, & ingenio, & linguâ,
„ & nonnullis etiam literis pollentes, &
„ fortunis, & seculi principatibus claras;
„ & nihilominus facilè à Diabolo per Scri-
„ pturarum lectionem deceptas; in hypo-
„ crisi abscondentes superbiam, atque hæ-
„ reses imbibentes. Hæ Sectas more Jeza-
„ bel mirificè diligunt, & favore ac sum-
„ ptibus amplis fovent, & libenter à viris
„ eâdem farinâ compactis, audiunt hono-
„ rificam sui nominis mentionem crebrò
„ fieri, & laudibus in Cœlum se efferri,
„ quo magis sibi ipsis placeant, & inflen-
„ tur, & ita inanis gloriæ funiculis, & pro-
„ prii amoris dulcedine illaqueatæ, infeli-
„ citer cum multis pereant.

„ Quo circa meo periculo omnibus di-
ctum

„ ctum velim, longè præstare, & omnino conducibilius esse, servare obedientiam, & fidem in simplicitate, quàm operosiùs investigare mysteria, & sectari novitates, ac peregrinas doctrinas. Hac curiosa sciendi cupiditate, exstimulata prima mulier corruit, quæ dum plus sapere, quàm oportebat gestivit, insipientissima reddita est, & jumentis comparata.

„ Ex his igitur, quæ hactenus dicta sunt, potest facilè non somniculosus lector respondere cunctis argumentis, quæ à contradicentibus objectantur. Nolunt quemquam cibo suo, & refectione, ac medicinâ fraudati: sed nullus certe his fraudatur, qui ordinem Dei servare studuerit. Positi sunt in Ecclesiâ eximii Doctores, & Prædicatores catholici non suspecti, qui ad eum sunt finem ordinati, ut quæ de Scripturis ad salutem pertinent, ea publicè, & privatim exponant, & quasi præmansum cibum in os infirmorum inserant. Ab his enim veriùs, clariùs, & tutiùs intelligent tabulas testamenti, & conditiones sub quibus instituti sunt hæredes, & ita quæ cuique faveant, & necessaria sint ad salutem, quàm si per se quisque inquirere conetur: Quoniam suâ linguâ commodiùs loquentes audit, & faciliùs, quæ per illos viva voce explicantur, percipit; sicut ab initio discipulorum Christi auditores solebant.

2 Non in solo Adversarii sistunt Hieronymo: proferunt etiam Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, ac tandem Concilium Aquisgranense anni 816.

Sic nempe Gregorius tract. 1. in psalm. cap. 3. *Tam facilem captu* [psalmorum doctrinam] *Effecit* (Spiritus Sanctus) *ut non modò viri perfecti, & quibus jam animi sensa perpurgata sunt, eruditionem hanc assequantur; sed ut eamdem, & mulieres tamquam sibi propriam vindicent.*

Ambrosius Tract. de hortatione ad Virginitatem cap. 9. *Quærite illum* (Christum) *in Scripturis Divinis: ibi meliùs invenitur.* Augustinus ad Antoninū Epist. 20. alias 126. *Illud sanè admonuerim religiosissimam prudentiam tuam, ut timorem Dei non irrationabilem, vel inseras infirmiori vasi tuo, vel nutrias Divinâ lectione, gravique colloquio.*

Concilium Aquisgranense lib. 2. qui est de Institutione Monialium Cap. 2. *Ama Scripturas Sanctas, & amabit te Sapientia.* Cap. 3. *De Scripturis Sanctis habeto fixum versuum numerum; istud pensum Domino tuo redde.* Cap. 22. *Pro gemmis, & serico, Divinos codices amet, discat primò Psalterium: erudiatur in parabolis Salomonis ad vitam: consuescat in Ecclesiaste calcare quæ mundi sunt: sectetur in Job virtutis, & patientiæ exemplum: Ad Euangelia transeat, numquam ea positura de manibus: Apostolorum acta, & Epistolas tota cordis imbibat voluntate, & sic per ordinem seriem Novi, Veterisque Testamenti.* Ita Patres illi.

3 Quod è Græcis Patribus Gregorius Nyssenus ait de facili intelligentia psalmorum, *ut eam, & mulieres tamquam sibi propriam vindicent*, si locum habuerit in Græcis mulieribus psalmos Græcè legentibus, ea claritas, & facilis intelligentia, non apparet in editione Latinâ ejusque in linguas vernaculas translatione. Istud ante centum & quinquaginta annos Jacobus Ledesma Controversiarum peritissimus, approbante postmodum Galliæ Clero, animadvertit libro *de Divinis Scripturis quavis passim linguâ non legendis* cap. 21. „ Parva, inquit, vel nulla utilitas (ex tali lectione) proveniret populo; non enim intelligeret ea, etiamsi vulgari sermone sint conscripta, & vulgariter dicantur, ut modò etiam non omnes, qui Latinè sciunt, ea facilè intelligunt Latinè dicta, aut recitata.

„ Quotus enim quisque est, qui Psalmos, Apocalypsim, Ecclesiasten, Job, Prophetas, Pentateuchum, & Epistolas Pauli intelligat, quamvis in literis humanioribus, & philosophia non mediocriter sit versatus? Imo verò si non dicendæ sunt, nec audiendæ precationes, nisi quas omnes intelligant, indè facilè consequetur, non futurnm in Ecclesia prorsus Psalmorum usum, quos David conscripsit: Vix etenim, ut diximus, ex Doctoribus quemque reperias, qui Psalmos, quavis linguâ proferantur, intelligat.

„ Ita etiam nec Prophetæ legendi essent cum reliquis supradictis Sacrarum literarum libris Ecclesiaste, Apocalypsi, Canticis &c. imo neque D. Pauli Epistolæ, in quibus ut ait D. Petrus 2.Ep. cap.3. sunt multa difficilia intellectu, quæ quidam depravant ad suam ipsorum perditionem. Jam verò, quæ alia nobis precandi formula frequentior, aut qua alia magìs nti fas est, qnàm quæ ab ipsomet Christo est proposita, quæ ob id oratio Dominica vocatur? Habemus eam vulgari lingua conversam: Quàm multos inveniri credis, qui vel tertium illius verbum saltem ad literam intelligant? Sanè ex vulgi imperiti,

„ periti multitudine vix centesimum quemque repeties, ut interim de sensu taceamus, quem neque ii assequuntur omnes, „ qui sibi doctiores præ ceteris esse videntur.

„ Rursus etiamsi intelligere possent & Sacra Biblia, & quæ in Divinis Officiis „ in Ecclesia dicuntur, at plerique vel contemnerent, vel negligerent, ut fieri videmus, etiam nunc, cùm in vulgari lingua hæc plerique habent conversa. Nam vel potiùs cives mercaturam exercent, „ vel artem aliqnam, vel militiam, vel negotia domestica, vel politica gerunt, vel „ aliud denique quidquam agunt, quàm „ ut iis addiscendis vacent, ut interim Agricolas, & rusticos omittamus, qui „ ne verbum quidem, aut legunt, aut audiunt, aut intelligunt. At doctiores, si „ velint habere, facilè Latinè poterunt.

4 „ Præterea experimento comperimus „ ab iis ferè civibus legi tantùm sacras literas vulgari sermone versas, qui errore „ aliquo depravati, & infecti sunt; non item à reliquis: & ad id tantùm legi: aut certè ad id potissimum, vel ut errorem illum confirment, vel ut videri „ possint scioli, in cæteris verò ab eisdem „ negligi videmus, nec valde expeti eorum lectionem, quæ ad mores, vel ad „ alias fidei partes, vel rectè vitam constituendam spectant. Hoc itaque experientiâ hodie deprehendimus, & plus „ quàm vellemus.

„ Quare hæc sola esset utilitas, ut catholici non legerent; populus verò hæreticus in suo errore confirmaretur, ut „ certè fit: præterquam, quod hanc nimiam intelligendi, & plus quam oportet, „ sciendi populi avidam curiositatem eundem prope nostra ætate fructum attulisse „ videmus, quem attulit primis nostris parentibus, ille ligni scientiæ boni & mali „ infelix esus. Nam nt illi à dæmone decepti, in eam curiositatem scientiæ vetitæ, ut essent Deo similes inciderunt; sic „ populus ab iis concionatoribus, Satanæ ministris, illectus, talis scientiæ promissione capitur atque decipitur.

„ Jam fac ut & legant, & intelligant, „ profectò facilè vellent videri ipsis Sacerdotibus doctiores; Imo illos planè contemnerent, ut apud hæreticos videmus. „ Si quis enim judicio suo male sano fisus, „ putaret se doctiorem esse Sacerdote, „ quod hæc vnlgari linguâ melius illo intelligere arbitraretur; statim illum irrideret ac flocci penderet, nt experientiâ „ didicimus, & olim tempore Innocentii „ Tertii apud Lotharingos contigit, ut „ idem supra epistolâ citatâ refert. Et cùm „ Divus Paulus dicat 1. ad Cor.12. & ad „ Ephes.4. Deum in Ecclesia posuisse quosdam Doctores, quosdam Prophetas, „ quosdam habentes genera Linguarum, & „ interpretationes Sermonum. Et ibidem: „ Numquid omnes doctores?

„ Tandem hæc Scripturarum & Divinorum Officiorum profanatio veriùs quàm „ translatio nobis, si Deo placet, effecit „ sutores, sartores, lanios, bajulos, sartores & pistores, subitâ metamorphosi „ Apostolos, Doctores, Prophetas. Imò „ quod ridiculum magis est sutrices & sartrices, & lanias, & bajulas, ac pistrices „ Prophetissas, Apostolas, Doctrices: Nuper contigit qnamdam vetulam ipsum „ concionatorem in media concione publicè coram omnibus reprehendisse, „ quòd non bene citasset Scripturam; cui „ concionator egregiè respondit, ex Divo „ Paulo, Mulierem in Ecclesia docere non „ permitto; sed domi, si quid scire vellet, „ virum suum interrogaret.

5 Unde nihil difficultatis est in sententiâ Augustini, qui neque de vulgo mulierum loquitur; sed de una Principe: neque eam jubet Sacrum Codicem manibus teneri, sed à *religiosissimâ* viri sui *prudentiâ* instituti, *Divina lectione, gravique colloquio*, quo dubium, si quod lectio pareret, dissolveretur. Alienissimus autem fuit, ab imponenda mulieribus legendi Sacras paginas necessitate; cùm asserat lib.1. de Doctrina Christiana capite penultimo: *Hominem fide, spe, & charitate subnixum non indigere Scripturis, nisi ad alios instruendos*; tum subjungit, *multi per hæc tria, etiam in solitudine sinè codicibus vivunt*.

Majorem objectionis speciem præfert sententia Ambrosii, & Concilii Aquisgranensis. Verùm & facillima est utriusque solutio; ut enim scriptores omnes Polemici observant, in iis, quæ ad disciplinam attinent, ineptissimnm disputandi genus est, ex iis quæ olim permisit, suasit, imò præcepit Ecclesia, argumentum deducere veluti necessarium ad tempora quævis secutura, etiam ubi circumstantiæ & dispositiones fuerint longè dispares. Suaderi olim poterat Divina lectio viris etiam vulgaribus, & fœminis; quia penès paucissimos erat ea temeritas divinis eloquiis abutendi, quæ modò frequentissima est, & fuit tempore Alphonsi à Castro, qui anno floruit 1555.

Is

Is lib. 3. *De justa hæreticorum punitione* cap. 6. statuit quintam hæresum causam *translationem Sacræ Scripturæ in linguam vulgarem*. Cap. 7. objectionibus respondens de primis Ecclesiæ seculis ait: „ Etsi „ Scriptura Sacra tunc per omnium manus „ ut nunc volitaret; non tamen ideo po- „ pulus disputare audebat; sed plebs à Sa- „ cerdotibus docebatur juxta id, quod Do- „ minus per Malachiam prophetam ait: *La-* „ *bia Sacerdotis custodiunt scientiam, & le-* „ *gem requirent de manu ejus; quia Angelus* „ *Domini exercituum est*. Si dubitatio ali- „ qua oriebatur, Sacerdotes interrogari „ poterant, quorum responsis omnes obe- „ dire tenebantur juxta præceptum Domi- „ ni quod de hac re per Moysen in Deute- „ ronomio dederat. Nunc verò procaci „ temeritate populus Sacræ Scripturæ in- „ telligentiam sibi vindicat, & de illa cum „ doctissimis Viris contendere non veretur: „ & ob hanc causam, etsi olim Sacras li- „ teras toti populo traditas esse constaret, „ ut à quolibet vulgari homine sine ullo „ discrimine legi possent, quod ego con- „ stantissimè nego, nunc tamen aliter fieri „ expediret propter impudentem populi „ temeritatem, atque arrogantiam.

„ Multa enim scimus olim fuisse licita, „ quæ nunc minimè expediunt, & si quis „ ea nunc facere tentaret, non solùm ut- „ cumque malus; sed impius & infidelis „ censeretur. Olim corpus Domini daba- „ tur cuique petenti in manus, quod quis- „ que secum Domum portabat, ut cum ei „ libuisset, Domi suæ accipere posset, quæ „ res ex lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ Euse- „ bii cap. 33. facillimè colligi potest, quod „ tamen olim licuit hoc seculo facere non „ expediret; quia experientiâ docente, „ meritò timetur, ne aliqui sint, qui tra- „ ctent indignè, & ad magicas artes abu- „ tantur. Non est igitur consequens, ut li- „ teræ Sacræ in linguam vulgarem trans- „ latæ nunc populo legendæ tradantur, „ quamvis illas olim in linguâ vulgari to- „ ti populo traditas esse constaret „. Ita doctissimus Alphonsus suffragante Galliæ Clero, cujus jussu liber hic post annos centum typis Parisiensibus iterum divulgatus est; uti & lucubratio Spiritûs Roteri apud Tolosanos contra pravitatem hæreticam Quæsitoris dicata Henrico Secundo Galliarum Regi anno 1548.

6 In ea cap. 30. exemplis pluribus dejicitur argumentum, quo Adversarii ex usu veteri contendunt, fœminas & plebem infimam arceri minimè debere à lectione Sacrâ, cùm ea omnibus familiaris fuerit, imò & subinde à Patribus commendata. Quid enim, ait Roterus, „ si ea quæ quãdoque utilia fuêre, „ per abusum multitudinis effecta sint per- „ iculosa, & damnifera, rejiciuntur & ab- „ rogantur: Si serpentem æneum ad sanan- „ dos igneorum morsus à Moyse in deser- „ to exaltatum, in irreligiosum usum con- „ versum, confregit Rex Ezechias: Si no- „ cturnæ vigiliæ ad martyrum corpora diu „ ab utroque sexu celebratæ, & à Divo „ Hieronymo commendatæ, Sacro Sena- „ tus consulto, postmodum interdictæ sunt: „ Si cœnæ Dominicæ vespertinum convi- „ vium, si communionem calicis priscis „ temporibus laicis concessam, ob nonnul- „ las hinc contingentes indecentias abstu- „ lit Ecclesia: Si conjugium Sacerdotum, „ pluraque aliàs olim recepta, observata- „ que, propter indecorum incautumque „ usum multitudinis explosa, sublataque „ fuere; multo magis expedit vulgares has „ translationes, [& earum lectiones pro- „ miscuas] etsi aliquando visæ fuerint per- „ mittendæ, nunc tamen facessere, & ex- „ plodi à populari theatro; cùm tot per- „ iculis & experimentis compertum sit, „ populum & imperitos (etiam fœminas) „ his abuti in suam perniciem, hacque viâ „ plebem immutatam, perturbatamque „ Ecclesiam.

„ His enim in locis, quibus ignotæ sunt „ hæ translationes, magna cum pace, fi- „ dei unitate, Ecclesiæque obedientiâ vi- „ vitur (ut in Italia, Hispania, Lusitania, „ Belgio Austriaco) ubi verò lectitantur, „ & in manus omnium revolvuntur, cer- „ nere est populum infrunitum, & conten- „ tiosum, errorumque ac perversorum „ dogmatum variis formis contaminatum, „ sacrorumque ut plurimùm contempto- „ rem, subque hypocrisi meriti, & sangui- „ nis Christi, peccatis laxare habenas, & „ in [Libertinorum] Sectam induci.. Hæ „ sunt causæ quibus adductus sum in fini- „ stram partem de vulgaribus his versioni- „ bus [& lectionibus promiscuis] judica- „ re, existimareque ipsas à Satana, seip- „ sum in Angelum lucis transfigurante fuis- „ se suggestas. Ut enim prælocutus sum, „ & rursum moneo, hanc inter multas ani- „ madvertendam esse rationem, callidum „ nimis & mille malorum artificem Sata- „ nam, his novissimis & nimiùm periculo- „ sis temporibus, hunc ad perturbandam, „ &, si posset, subvertendam Ecclesiam, „ excogitasse dolum, primo aspectu magna „ specie religionis fucatum. „

Superiùs dixeram aliqua non solummodo laudata olim & commendata; sed præcepta etiam fuisse quæ ob justas postea rationes Ecclesia abrogavit, imò vetuit. Exempla plurima in promptu sunt. Diem Sabbati, non Dominicum sanctificari jusserat Decalogus Exodi cap.20. attamen post Christi obitum ab Apostolis, ne communicare cum Judæis videremur abrogatus est Sabbato cultus, & in diem Dominicum translatus, teste Augustino lib.19. contra Faustum: & fuerat olim ab Osea Propheta prædictum cap.2. cessare debere festa Judæorum Neomeniam & Sabbatum. Paulus quoque Sabbatum abolitum & in figura præcessisse ait Epist. ad Coloss. cap.2. & ad Hebræos 4. Dicens, *Nemo vos judicet in parte Neomeniæ, aut Sabbati*. Hæretici quidam, quos postea secuti sunt Manichæi, statuebant die Dominico & Sabbato jejunandum. Contra illos S. Ignatius Epist. ad Philippenses ait, interfectores esse Christi qui jejunant die Dominico vel die Sabbati; nunc tamen die Sabbati jejunamus, non solum licitè; sed necessariò, Ecclesiâ præcipiente quoad abstinentiam ab esu carnium; imò in quibusdam regionibus censerentur Judaismi notam incurrere qui die Sabbati non jejunarent.

Christus Paschatis tempus celebraverat cum Judæis; Apostoli tamen canone 8., ut discerneretur Ecclesia à Synagoga, statuerunt, ut *si quis ante vernale æquinoctium Sanctum Pascha diem celebraret, Episcopus aut presbyter, abjiceretur*. Cùm Manichæi crederent non verum Christi corpus, sed exangue fidelibus communicari, ideoque in unâ solum specie videlicet panis Eucharistiam sumerent; Leo Primus sub medium seculi quinti Sermone 4. de Quadragesima & speciali decreto edito & in altero Gelasius Papa sanxerunt, ut communio daretur omnibus sub utraque specie.

Verùm hæresi illa ad interitum vergente, & deprehensis abusibus occasione communionis ejusmodi emergentibus, species vini laicis detracta est. Ebionitarum hæresis docebat legalia Christianis servanda necessariò, ideoque non posse Christi Corpus nisi in azymo consecrari, quem errorem ne Ecclesia approbare videretur aliquamdiu adhibuit fermentatum, quâ hæresi extinctâ, ad azymum Ecclesia rediit. Exortâ sub Ecclesiæ initium hæresi contra Trinitatem, & Christum solummodo hominem affirmante, ab ejus sectatoribus, non in Trinitatis nomine; sed mortis Christi commemoratione, & mersione unica conferebatur baptismus.

Contra quam hæresim condidere Apostoli hunc canonem: *Si quis presbyter aut Episcopus non trinam mersionem unius mysterii celebret; sed semel mergat in baptismate, quod dari à quibusdam dicitur in morte Domini, deponatur. Non enim dixit nobis Dominus in morte mea baptizate, sed in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Refertur hic canon de Consecratione distinctione 4. Postea succedentibus Schismaticis & Hæreticis rebaptizantibus, decreta in Concilio Toletano quarto cap.5. est unica immersio his verbis: *Propter vitandum Schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi immersionem*; idem à Gregorio Magno sancitum est lib.1. epist. 41. in Registro.

8 Vident itaque adversarii multa aliàs licuisse, quin & fuisse præcepta quæ mutatis postea circumstantiis Ecclesia vetuit: Quapropter etsi constaret Sacri Codicis lectionem, etiam rudi populo & passim fœminis communem fuisse, imo à quibusdam Patribus commendatam, fingamus etiam imperatam, illegitima prorsus deductio fieret ad præsens tempus corruptissimum, quo manifesta nimiùm est hominum temeritas, in abusu Divini Voluminis ad confirmandam in erroribus pertinaciam.

Discrimen inter primitivæ Ecclesiæ homines & vicinorum nobis temporum traditur ab Illustrissimo Lizetio in Dialogo *de sacris libris in vulgare eloquium minimè vertendis*: „ Licet (inquit) primitivæ Ecclesiæ Christianos unctio doceret de omnibus, ut Divus Joannes in sua Canonica inquit, hoc tum ut Chrysostomus super Matthæum homilia 1. explicat, faciebat Sanctæ inculpatæque vitæ dignitas, candidas, ab omni maculâ detersas carneâ, cordis tabulas efficiens, ut in eis dignè S. Spiritûs leges conscribi, conscriptæque retineri possent. Sed è munditiæ calle plerique se detorsere, ut idem Chrysostomus subjungit: quibus proinde & literis & magistro opus fuit, ut Divinas intelligerent leges. Unde & Hieronymus Epistola ad Paulinum ait: Quidquid enim aliis exercitatio, & quotidiana in lege meditatio tribuere solet hoc illis Spiritus Sanctus suggerebat, nascentis scilicet Ecclesiæ fidelibus. Igitur in posterioribus exercitatione & quotidiana in lege meditatione opus est, ut Sacras intelligant Scripturas; Quæ cùm in rudi vulgo, secularibus negotiis occupato, minimè offendi possint, facilè in sacratum literarum intellectu cæcutien-

„ tes

„ tes in varios prolabi errores possunt...

„ Divus Augustinus lib. de catechizandis rudibus nusquam idiotas literarum „ expertes monendos censuit, Sacrarum „ literarum lectioni, & meditationi intendere: quod profectò si illis vel necessarium, vel conducibile fuisset, minimè „ prætermisisset. Literatos verò, grammaticos scilicet & Oratores, quos neque „ inter idiotas numerare audet, hoc amplius illis, quam illiteratis impertiendum esse judicans, maximè monet Scripturas Divinas audire: quo palàm fit, „ cùm in eo dicat, sese plus illis tribuere, „ quàm idiotis, idiotis minimè esse conducibile Sacras audire Scripturas: tantum abest, ut legere permiserit.

9 Quod Jacobus Ledesma cap. 1. operis superiùs laudati asseruit de Lutherani & Calviniani Euangelii ministris, applicabitur meritò Quesnellianæ Sectæ ex utroque sexu discipulis quòd „ Eorum paucos videamus Scripturam legere ad devotionem, vel ad morum correctionem, vel „ ad fidei catholicæ cognitionem; sed ad „ contentionem, ad inanem jactantiam, „ ad Sacerdotum contemptum, ad superiorum irrisionem, denique ad fidei & „ religionis eversionem: Et ut gestiant ipsi „ aliorum esse aut videri doctores; doceri „ verò recusent ac dedignentur.

„ At verò olim apud Majores nostros, „ moderatè vulgus intelligere affectabat, „ nec volebat sapere plus quàm sapere „ oportet, toto verò corde ad pietatis „ opera erat intentum, & Sacramentorum „ Christi fructum avidè ac unicè quærebat. „ At nostra ætate apud hos præsertim novatores.... facti sunt homines præter „ modum suæ vitæ negligentes, sciendi „ plus quàm oportet avidi, nimiùm curiosi „ & novarum rerum improbè cupidi; ut „ quod olim in Actis Apostolorum cap. 17. „ de Atheniensibus dicitur, nunc de Germania, Gallia, & locis aliis ubi pestis „ hæc grassatur, dici meritò possit, ad nihil aliud illos vacare, nisi dicere aut audire aliquid novi. Itaque ad bona opera Christique Sacramenta reverentes & „ eum fructu suscipienda, redditi sunt negligentissimi; ad vaniloquium verò & „ inutiles quæstiones conversi....

„ Hoc potiùs curare deberet ut orationibus & piis operibus, & humilitate & „ obedientiâ Divinarum rerum vellent esse participes. Hos itaque & similes fructus, affert istud quintum Lutheri Euangelium, aut sextum Calvini [addamus & „ septimum Arnaldi, Quesnelli & illis adhærentium] ut scilicet populares homines (etiam fœminas) arrogantes & insolentes reddat, curiosos, & rectæ vitæ, „ virtutum, ac bonorum morum contemptores „. Hæc omnia Jacobi Ledesmæ, Petri Lizetii, Spiritûs Rotheri, Alphonsi à Castro, Ambrosii Catharini verbis potius, quàm meis (præter insertam parenthesim) deducere volui, quia & Authores per se gravissimi sunt, & omnia quæ ex eis protuli, à Clero Galliæ approbata fuêre, *ejusque jussu ac mandato* contra gliscentes in Galliâ novitates iterum *typis edita* Parisiis anno *1661*. Vident hic igitur Adversarii proscriptum à CLEMENTE XI. articulum pridem ante rationibus & authoritate, sibi potissimum irrefragabili, fuisse debellatum atque protritum.

10 Accedit quod in omnibus adversariorum textibus nusquam Patres disserant de versionibus in linguam vulgarem. Sic Illustrissimus Lizetius paulò ante finem Dialogi respondet ad objectas ex Chrysostomo & Athanasio sententias: „ Nusquam „ profectò (Patres illi inquit) censuere „ Divinos libros, in vernaculas & barbaras linguas vertendos esse, etsi moneant „ omnes illorum intendere lectioni; sed „ quemadmodum jurisconsulti ajunt, tametsi ea ad omnes exhortatio referatur, „ de omnibus eidem aptis, & convenientibus intelligi debet; Ita ut non idiotas „ vulgaresque passim literarum expertes, „ ad eam, quæ illis haudquaquam conducibilis fuisset, lectionem inducere voluerint. Hoc profectò ipsi aliis locis in superioribus citatis declararunt, dum Divini Eloquii margaritas omnibus passim „ & sinè delectu minimè exhibendas asserunt, quod eâ versione & invulgatione „ contingeret.

„ Eoque fit, ut dum ad Divinorum librorum lectionem etiam artifices Divus „ Chrysostomus hortatur, non de omnibus „ passim; sed de literarum charisma habentibus intellexerit. Præterea & luculentius ad Divorum Athanasii & Chrysostomi censuras respondere possumus, „ eorum tempestate, quæ inde inobedientiæ, Schismatis, & hæresis demum accidêre, pericula illis abdita fuisse: ut hanc „ sacrorum librorum lectionem vulgaribus „ & idiotis noxam potiùs, quàm adjumentum afferre posse minimè agnoscerent. „ Progrediente verò tempore, compluribus exemplis, rerumque experimentis, „ latentes eâ in re Satanicæ insidiæ, Chri- „ stia-

„ stianismi Ducibus apparere cœperunt in
„ Meteusibus, Bohemis, & Waldensibus.
„ Has si Divi Chrysostomus & Athanasius [aliique veteres] suis temporibus cognovissent, numquam commune vulgus ad Divinorum monumentorum lectionem excitassent: murassentque profectò, cognitis ejus rei periculis, priorem sententiam: Quemadmodum & de plenariis Conciliis Divus Augustinus recenset. *Ipsa etiam*, inquit, *plenaria Concilia sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo rerum experimento aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat.*

„ Major profectò longè salutaris sententiæ certitudo, & firmitas in plenariis Conciliis fuit quàm in quibuscumque Sacris Doctoribus: Quia sententia Ecclesiæ in illis relatæ Sacrorum Doctorum opinioni longè præfertur: Et tamen in illis quædam interdum statuuntur, quæ demùm postea emendantur, quum rerum experimento aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat: sicut in re de qua agitur.

„ Tempore enim Divi Joannis Chrysostomi clausum erat Satanicum commentum Sacræ Scripturæ vernaculâ linguâ lectionem, ad simplices & idiotas decipiendos esse, ut subjungemus: quod postea rerum experimento aperitur; & mali sub pietatis specie, ut latè edisseruimus, latens occasio cognoscitur. Mutasset igitur & Divus Joannes Chrysostomus, & quisquis alius, si hujus fuerit opinionis facilè sententiam, cùm antiqui hostis latentes insidias demum revelatas vidisset. „ Hæc Illustrissimus Lizetius, approbante, ut aliàs monui, Clero Gallicano.

Concilium quoque Aquisgranense de subditis sibi Monialibus & earum in fide constantiâ, humilitate, atque erga Ecclesiæ moderatores reverentiâ sensit magis honorificè, quàm experimenta nimiùm frequentia de præsentis temporis Monialibus persuadere videantur. Specimina fluxæ fidei, & superbiæ dedere nuper aliquot in Galliis monasteria, quæ pluribus non mansissent sequacibus destituta; si duces ac pastores cæci pluribus obtigissent.

Propositio damnata octogesima quarta.

Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum, seu illis illud clausum tenêre, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare. *Obser. Mor. in Matth. cap.* 5. *v.* 2.

CAPUT I.

Propositio censuris gravibus digna ostenditur.

1 SOlam Scripturam, non autem Traditionem esse Verbum Dei; sententia Lutheri, Calvini, & recentiorum istiusmodi Hæreticorum est ab omnibus damnata catholicis. Hanc nihilominus Quesnelli instaurat articulus. Si enim novi Testamenti Codicem abripere Christianis sit obturare os Christi, ne eis loqui valeat, ratio similis contendit, quod subducere fidelium oculis Testamenti veteris paginas sit obturare os Dei, ne ullum eis verbum proferat: atque ita esse verbum Dei & Christi, solis conveniet Scripturis. Quis autem hypothesim talem dixerit cum doctrina consentire Ecclesiæ, & non esse orthodoxis omnibus detestabilem?

Notissima & indubitata cunctis fidelibus est Verbi Dei divisio in scriptum & traditum. Hinc Apostolis & Evangelistis Christi discipulis non levis calumnia à Quesnello impingitur, quando differendo annis pluribus Scriptionem Sacram, Verbum Christi tamdiù subtraxerint omnibus, os Christi salutiferum obturando. Compertum verò catholicis est quantumlibet dilata fuerit scriptio, minimè defuisse Ecclesiæ Verbum Christi traditum, quo Christus usque ad finem seculi mortalibus loqui non desinet, etsi tyrannorum iniquitas, omnia Scripturæ volumina incendio aboleret.

Ideo Sanctus Irenæus lib. 3. cap. 4. ait: ***Quid autem, si neque Scripturas quidem reliquissent nobis, nonnè oportuit ordinem sequi***

Tra-

Traditionis (feu verbi traditi) *quam tradiderant iis, quibus committebant Ecclefias? Cui ordinationi affentiunt multa gentes barbarorum eorum, qui in Chriftum credunt, fine charactere vel atramento fcriptam habentes per fpiritum in cordibus fuis falutem, & veterem Traditionem fideliter cuftodientes.*

Juxta adverfarios debuerit Deus duobus annorum millibus tacuiffe, antequam Moyfes volumen facrum confcriberet; attamen ex ipfis Scripturarum teftimoniis compertiffimum eft Deum fuiffe locutum Adamo, Evæ, atque ipfi Serpenti, Caino quoque, & poftea Noëmo. Deinde à tempore Moyfis ufque ad Efdram fluxere duo alia annorum millia, quibus Scripturæ in varios difperfæ Codices nondum in unum coaluerant librum, & penès pauciffimos extabant, eofque folos propemodum Judæos, non tamen propterea prætermifit Deus cæteris etiam gentibus loqui interiùs, infpirando fidem, quibufdam etiam exteriùs, ut Jobo ejufque amicis.

Negare nullus fapiens poteft, ad juftitiam & falutem venire plurimos, etiam adultos qui fcripturas numquam legerint; venire autem neminem nifi à Deo vocatum, neminem nifi à Dei filio edoctum Matt.11. v.27. *Nemo novit filium nifi Pater, neque Patrem quis novit nifi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Sinè fide in Deum nullus ratione præditus juftitiam confequitur & falutem, neque credere quis poteft, nifi cui Dei filius loqui, atque fe ipfum revelare voluerit. Plurimis proinde Deus loquitur abfque Divini Codicis lectione: non literatis folummodo, fed rudibus quoque, ipfofque ignorantibus characteres: Omnibus denique & fingulis peccatoribus Chriftus loquitur ac denuntiat Matt.11. v.28. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eftis, & ego reficiam vos* v.29. *Tollite jugum meum fuper vos, & difcite à me quia mitis fum, & humilis corde.* In quem locum Joannes Climachus gradu 25. aptiffimè commentatur *Difcite inquit* [Chriftus] *non ab angelo, non ab homine* [qui Deus non fit] *non ex libro; fed à me, hoc eft ex mea in vobis habitatione, illuftratione, & operatione.*

2 Apocalypfeos cap.3. v.20. Deus loquitur hominibus univerfis ratione utentibus: *Ecce fto ad oftium & pulfo: fi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Non igitur folis loquitur legentibus Scripturas. Omnis Divina vocatio, indubiè quædam Dei locutio eft. Vocat autem Deus non folis literis & fcripturis; fed, ut Gregorius Magnus Hom.39. in Euangelia animadvertit: *Ecce vocat* (nos Deus) *per fe, vocat per angelos; vocat per Patres, vocat per Paftores: vocat etiam per nos; vocat per miracula: vocat plerumque per flagella: vocat aliquando per hujus mundi profpera: vocat aliquando per adverfa. Nemo contemnat, ne dum vocatus recufat; cùm voluerit intrare, non valeat.*

Neque confonum veritati eft, quod Propofitio fupponit, Conditores Regulæ quartæ Indicis Tridentini, ejufque approbatores Pontifices, & quotquot ejus promovent obfervantiam, *abripere è Chriftianorum manibus novum Teftamentum, feu eis illud claufum tenere, & auferre eis modum illud intelligendi.* Teneant Chriftiani qui voluerint Teftamentum Novum, teneant & Vetus; fed iifdem expreffum vocibus, quibus à Spiritu Sancto dictatum eft, & ab Hagiographis confcriptum, vel faltem univerfa probante Ecclefia legitimè tranflatum.

Non igitur Teftamentum five vetus, five novum prohibent Pontifices, eifque adhærentes Epifcopi; fed verfiones folummodo in linguam vulgarem, fupremo hactenus Ecclefiæ judicio non confecratas. Sed neque verfiones illas minùs fecuras eripiunt manibus omnium; fed eorum tantùm, qui Ordinario vifi non fuerint ad eas cum fructu, & finè perverfionis periculo legendas idonei. Si qui facultatem illam petere nolunt, vel petitam non obtinent, concionibus, & lectionibus facris diligenter interfint; inftitui fe curent à Paftoribus, & eorum fubfidiariis, five è Clero, five ex ordinibus Religiofis: comparent fibi ex Confeffarii, vel Directoris Confilio libros afceticos, qui Scripturarum fententias felectas, ad pietatem maximè conducentes exhibent, & modo facili abfque periculo erroris, in fide, vel moribus interpretantur.

3 Quefnellus autem Articulo præfenti & pluribus aliis animum fuum prodit reverà fchifmaticum, & ubique intentum avertendis à Summo Paftore gregibus, fuæque ftabillendæ malignantium Ecclefiæ. Quid enim ad utrumque effectum excogitari poteft accommodatius, quàm Romanum Pontificem, eique adhærentes Epifcopos velut antiChriftianos depingere, qui os Salvatoris fidelibus obftruant, quo obftructo, nulla miferis mortalibus expectanda eft falus?

Infpirando fchifmati non folus hic Articulus intentus eft; fed in hoc Quefnelli fyftema confluit univerfum; continet enim illud doctrinam fidei & morum à Romana

& Ca-

& Catholica diversum; perspicuum autem est unitatem Ecclesiæ cum diversitate fidei non subsistere. Ad defectionem pariter disponunt manifestissimè Articuli sequentes: 96. *Omnes potestates sunt contrariæ prædicatoribus veritatis*: Artic. 95. *Veritates eò devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi, est velut idioma incognitum*. 94. *Dominatus exercetur super fidem fidelium, & foventur diversiones propter res, quæ nec fidem lædunt nec mores*. Quis proinde aliud de istiusmodi scriptore, ejusque contra Sedem Apostolicam defensoribus judicium ferat, quàm esse Romanæ Ecclesiæ hostes, & in ejus perniciem subdolè cum hæreticis conspirare? Supersedeo pluribus, contra errorem tam exoticum, & temeritate plenum, congerendis censuris, ex eo profluentibus sua sponte, & à lectore quolibet Theologo, ex disputatione nostrâ, licèt brevissimâ, facilè deducendis.

CAPUT II.

Frivola Propositionis defensio repellitur.

1 Semper mihi in memoriam redit Pathetica Quesnelli & solemnis in totius facie Ecclesiæ contra Constitutionem *Protestatio*: immeritò scilicet tot Articulos condemnari, qui aliud non sunt, quàm Observationes in sacrum novi fœderis Codicem, neque studio & industriâ ex eo elicitæ, sed ultro & consecutione necessariâ promanantes. Consulendus igitur nobis locus est à Quesnello indicatus qui in Matthæo est initium capitis 5. *Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem: & cùm sedisset, accesserunt ad eum Discipuli ejus: & aperiens os suum docebat eos, dicens beati pauperes spiritu &c.* Quid ista Euangelistæ narratio continet, quod *inducere atque determinare* Quesnellum debuerit ad observationem tam odiosam, & plenam contumeliâ adversùs Regulæ quartæ Tridentini Indicis authores, adversùs Pium IV. & quotquot eum in Sede Apostolica secuti fuêre in hunc usque diem Pontifices, ejusdem Regulæ approbatores, cum universis totius Italiæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Belgii Austriaci, & quot alibi observationem Regulæ exigunt, Episcopis, Pastoribus, & Confessariis, cum Conciliis Tolosano, Narbonensi, & aliis à me superiùs indicatis, cum Gersone Parisiensis Academiæ Cancellario, cum ipsa Sorbonæ Facultate Theologicâ, cum illustrissimo Galliæ Clero: qui omnes refrænandam censuêre Scripturas vernaculè convertendi licentiam, versionum quoque jam editarum lectionem rudibus, & fœminis promiscuè non permittendam? Celeberrima de hoc extat Sorbonæ contra Erasmi Articulos censura.

Verùm adversariorum confidentia adeò his non movetur, ut abdicato Sorbonæ, Cleri Gallicani, & communissimo Ecclesiæ judicio, proscripta Erasmi dogmata restituere, & contra omnes defendere publicè præsumat. In tota relatione Euangelica ne verbum quidem est de Scripturis, aut earum lectione: nihil de ejus prohibitione, aut obturatione oris Divini. *Os suum aperiens Jesus docebat discipulos*, quid hic inducit atque determinat ad asserendum quod *Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum*, sit illis *Christi os obturare*?

2 Neque verùm est quod *Scripturam clausam tenêre* rudibus viris ac mulieribus, *sit auferre eis modum illam intelligendi*. Clausum tenebatur fœminis, pueris, & vulgari judæorum populo Testamentum Vetus, commissum manibus Scribarum, & Sacerdotum, ejusque qui ad regale Solium evehebatur; non tamen quisquam dixerit, sublatum fuisse populo modum omnem Dei eloquia intelligendi. Sufficiebat eis lectio per interpretes, Esdram, & socios Levitas. Sic etiam in novo fœdere monet Doctissimus Tridentini Concilii Theologus Petrus à Soto Ordinis Prædicatorum in *Defensione Catholica Confessionis &c.* adversùs Prolegomena Brentii cap. 23. *De transferenda Scripturâ in vulgares linguas vel non: & an expediat communem esse vulgo & idiotis?* Amplectitur sententiam negantem, quam ubi pluribus stabilivit, respondet objectioni, qua conantur adversarii contra nos suscitare plebeculam, quasi velimus ei occultare documenta fidei, & modum ad salutem maximè conducentem.

„ Quod si quis [inquit] caussetur: non „ esse æquum omni lectione Scripturæ pri„ vare populum; huic etiam respondemus, „ non hoc nos agere, ut nihil legant, ni„ hil habeant simplices Scripturæ Sacræ: „ integram quidem illam cibum dicimus „ solidiorem, quàm captui populi conve„ niat. Sed sunt in ea quàm plurima, quæ „ sufficiant ad pietatem & scientiam Chri„ stianam, & servandam, & augendam in „ fidelium animis. Hæc Doctorum dili„ gentiâ excerpta, saluberrimè credimus „ omnibus tradi posse, & in omnium lin„ guas transferri, præcipuè quæ ad mores „ pertinent, & quæ ad prima mysteria fidei:

„ fidei : Lectiones illæ, quæ per annum in „ Ecclesia leguntur, miracula Christi, „ exempla vitæ ejus captui simplicium conveniunt : imitemur antiquorum Patrum „ exempla : Augustinos ex omnibus Scripturæ Sacræ Libris, quæ ad mores pertinent tempore Novi Testamenti, in „ unum Librum collegit : quem speculum „ appellari voluit, ut Possidonius testis est „ in vita ejus,& Liber ipse ostendit: in quo „ nihil aliud est, nisi quod ad mores pertinet : & vix ullus Liber Scripturæ omissus est, unde non aliquid sit excerptum. „ Hunc tam pium laborem existimamus „ simplicibus populis futurum utilem.

„ Basilius etiam simile fermè argumentum habet in octogiota moralibus regulis, in quorum singulis per multa capita, quæ ad mores pertinent ex novo „ dumtaxat Testamento magnâ certè dexteritate collegit. Cyprianus etiam tribus illis Libris ad Quirinum hoc ipsum „ agit; ut ex Scripturâ capita quædam ad „ formandam fidem, in primis duobus ad „ disciplinam Christianam docendam, in „ tertio ex Scriptura Sacra colligens. Itaque satis hic Patres ostenderunt, quid ex „ Scriptura omnibus tradi possit.

„ Sunt & alii apud Græcos & Latinos „ hujus argumenti Libri; sed tres hos, de „ quibus diximus, & ob sanctitatem & authoritatem authorum, & res ipsas etiam „ in exemplum præcipuè adduximus eorum, quæ minori periculo & cum fructu „ etiam ex Scripturis Sacris transferri possunt in usum simpliciorum. „ Pro his infinita est asceticorum operum obique copia, qoæ selectis Scripturarum seotentiis ad omnem pietatem aptissimis referta sunt. In concionibus etiam proferuntur ex Scripturis exempla plurima, & textus, congrua comite expositione, adeò ut qui in perfectionis studio defecerint, imputare non debeant defectui notitiæ ab Ecclesiæ Rectoribus subtractæ, sed vitio negligentiæ, & socordiæ in virtutum maxime cognitarum exercitio.

3 Aliud in Scripturis, quo dogma suum exoticum, turba novatorieos confirmaret, reperire oon potuit. Duos è Sanctis Patribus Collator profert Augostinum & Gregorium. Sic prior ait serm. 85. n. 1. *Os Christi Euangelium est, in Cælo sedet, sed in terra loqui noa cessat*. Itane Os Christi Euangelium est, ut nonolsi per Euangelium Christus loqui hominibus censeatur ? Non est creatura humanis exposita sensibus, & intellectui rationali, per quam Deus suam potentiam & sapientiam non manifestat.

Proinde licèt sacræ paginæ, potissimum novi Fœderis descripta in se contineant Dei & Christi eloquia, atque hac ratione metaphorica dici valeant *Os Christi*, nihilominus ut aliis modis plurimis Servator homini loquitur, ita Os ejus non solis restringitur Scripturis; sed ad innumera se extendit ejus opera, quibus voluntatem suam & attributa mortalibus patefaciat. Breviter ac dilucidè multiplicem hunc Divinæ locutionis modum deducit *Collectio* Gallica *documentorum pertinentium ad Constitutionem &c.* Tomo 2. parte 3. pag.229. *Deus hominibus non solius Novi Fœderis Codice loquitur, sed etiam Traditione, quæ æquè Verbum Dei est ac Scriptura : loquitur ministerio Angelorum, & hominum : loquitur testimonio Cœlorum annuntiantium ejus gloriam : loquitur vocibus omnium creaturarum demonstrantium existentiam Creatoris, ejusque perfectiones; nobis autem hominibus infinitum, quo ei obstringimur propter ipsum, amoris debitum manifestat : loquitur beneficiis nullo tempore intermissis : loquitur castigationibus ac suppliciis.*

Christus autem solis loquitur Novi Testamenti seu Literis Sacris, seu Versionibus? Nonne vox Sanguinis ejus clamat melius quàm sanguis Abel? Nonne ab altitudine Cœli nobis loquitur per Ministros suos & Vicarios? Nonne per Ecclesiam, quæ veritates ejus depositas retinet, & explicat imperitis? Nonne per Spiritum Sanctum omnia nos docet, instinctibus loquens interioribus, gratia scilicet motibus in intellectu pariter & voluntate, illum erudiens monitis & suasionibus, hunc blandisiis, promissionibus, minis, & mille modis efficacissimis alliciens ac pertrahens ad assensum?

Non igitur obturatur *Os Christo* Sacri Codicis versiones Vernaculas subducendo manibus quorumdam fidelium, de quibus timor haud temerarius est, ne abutantur propter imperitiam, aut alias animi dispositiones lectioni istiusmodi minimè congruentes. An necessaria Novi Testamenti notitia hauriri non potest, nisi ex Divini Voluminis lectione, aut versionum vulgarium pro iis qui Latini idiomatis sunt ignari? Numquam auferetur fidelibus modus omnis assequendi Doctrinam in Novo Fœdere revelatam, atque in ipso expressam Scripturarum Codice, quamdio eis non deerunt Pastores, earumdem præcones ex officio, atque interpretes. Accedit obvia, ut supra monui, piorum ubique opusculorum copia, in quibus & Sacræ Senteotiæ ad pro-

profectum animorum utilissimæ collectæ sunt, & convenientibus junctæ explicationibus, non exponunt lectores simplices, errandi in fide & moribus periculo.

4 Non sic dimittere nos volunt adversarii; sed urgent authoritate Gregorii Magni Pontificis Epistolarum Lib. 4. Epist. 31. ad Theodorum dicentis: *Quid est autem Scriptura, nisi quædam Epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam?* Inauditum hactenus est, & hodie primum à Novatoribus ineptissimè excogitatum, quod os Numini occludatur, ne, dum modis loquitur quotidie innumeris & maximè variis, exponere mentem suam ulla ratione hominibus valeat; si ejus Epistola non legatur.

Luctuosissima sors foret & desperata salus omnium qui legere nequeunt; nemo enim ad Deum venire potest nisi vocatus, & per fidem: nemo credere, nisi cui filius revelaverit. Neminem autem filius vocare potest, nemini quidquam revelare, si Os Christi obturatum fuerit, quo solo, ut supponit propositio, hominibus loquitur: neque Os aliud Christo est, quàm ejus ad homines Epistola quæ legi nequeat ab iis qui literas ignorant. Hinc frustrà tot gentes barbaras Apostoli baptizassent, quibus nullum Novi Fœderis Sacrum Codicem tradiderunt.

Et quid actum fuerit Christianis omnibus tot annos, quibus post Christi ad Cœlos ascensum nulla Novi Testamenti Scriptura innotuit, nulla exarata est? Prætereo omnes, qui à mundi exordio usque ad Moysen sinè Divina istiusmodi ad homines Epistola vixerunt: & iniquissimo Quesnelli judicio neque credere potuerint, neque salvari. Eadem calamitas premere debuerit Judæos universos, exceptis paucissimis, quibus Scripturarum ante Christum copia obtigit. Durissima ea est, & omnis expers rationis sententia.

In fatuitatis proinde adeò exoticæ patrocinium frustrà conantur adversarii trahere S. Gregorium, utpote apertè nimiùm veritati Catholicæ suffragantem Textu à me superiùs allegato ex Homilia 39. in Euangelia, ubi Deum exhibet modis maximè variis loquentem & vocantem homines, etiam sinè literis: *Ecce vocat per se* [interius] *vocat per Angelos, vocat per Patres, vocat per Pastores: vocat etiam per nos: vocat per miracula, vocat plerumque per flagella: vocat aliquando per hujusmodi prospera: vocat aliquando per adversa: nemo contemnat, ne, dum vocatus recusat, cùm voluerit introire, non valeat.*

Imò tot vocibus potentiam suam, & sapientiam Deus loquitur, quot sua nobis quotidie ostendit opera. Et quæ exilis adeò & vilis creatura est, in qua non omni temporis momento se Deus conditorem enuntiat & conservatorem? Quot Christus in baptismo abluit quotidie infantes, quot ministerio Sacerdotis Patri reconciliat peccatores, tot linguis se palàm prædicat humani generis Redemptorem. Audivimus quoque superiore capite Joannem Climachum gradu 25. agnoscentem in Christo frequens magisterii exercitium, etiam absque literis. Idem Christum de se profitentem & omnibus clamantem inducit: *Discite à me, non ab Angelo, non ab homine, non ex Libro, sed à me, hoc est ex mea in vobis habitatione, illustratione, operatione.*

Apage igitur novitatem fatuam, quæ Christum obmutescere jubet, & nihil hominibus declarare, nihil eos docere absque adminiculo Scripturarum: *Abripere è Christianorum manibus Novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi Os obturare:* In similem insaniam concurrit Articulus sequens.

Propositio damnata octogesima quinta.

Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Euangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis. *Observ. Moral. in Luc. 11. vers. 33.*

CAPUT I.

Erroris absurdi convictio.

1 Supponit hic iterum Quesnellus, Apostolicam Sedem Christianis interdicere Sacri Codicis lectionem, cujus prohibitionis nullum in Regulis Tridentini Indicis à Pio Quarto approbatis, nullum usquam alibi vestigium est.

est. Sola vetatur lectio promiscua translationum vulgarium, quarum vix ulla fidelis est, nulla quæ præstare valeat lectoribus securitatem, qualem editiones sacræ ab Ecclesia approbatæ. Versionem Gallicam Montibus Hannoniæ editam anathemate profligavit Clemens IX. Catalaunensem Pontifex ejusdem nominis XI. quibus Voluminibus proscriptis, & multiplici confixis censurâ, non propterea textus sacer labem contrahit, aut læsionem. Luminis quidem aliquid præstare Lectoribus versiones istiusmodi poterant, & pollicebantur plurimum; sed ut earum lectores non leviter suspecti sunt, ipsa opera diligenti discussa examine, infida in plurimis deteguntur: similia meteoris quibusdam velut sideribus errantibus, quæ non Cœlo genita; sed fœtidis exhalata paludibus, quisquis sequitur, funesto se exponit lapsui, & exitio.

Sunt tamen & versiones aliæ neque à Sede Apostolica, neque ab inferioribus Episcopis reprobatæ, compositæ scilicet ab authoribus, de quorum fide ac religione penès nullos sinistra est suspicio; in talibus quidem versionibus minus apparet periculi: propterea quisquis ad lectionem istiusmodi satis comparatus videbitur, facultatem ab Ordinario, vel, ut rectiùs dicam, à Sacra Congregatione postulet; nam ex Observatione mandato Clementis Papæ VIII. factâ, *animadvertendum est circa supradictam quartam Regulam Indicis fel. record. Pii Papæ IV. nullam per hanc impressionem, & editionem de novo tribui facultatem Episcopis, vel Inquisitoribus, aut Regularium Superioribus concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia Vulgari linguâ edita, cùm hactenus mandato & usu Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentias legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias Sacræ Scripturæ tam Novi, quàm Veteris Testamenti partes, quavis vulgari linguâ edita: ac insuper Summaria, & Compendia, etiam historica eorumdem Bibliorum, seu Librorum Sacræ Scripturæ, & quocunque vulgari idiomate conscripta: quod quidem inviolatè servandum est.* Postulet, inquam, facultatem, & legitimæ Potestatis stet judicio, sive concedat, sive deneget.

2 Nullus enim casus evenit, in quo qualiscunque jactura luminis, quæ homini privato & Latini idiomatis ignaro, ex omissione lectionis sacræ oritur, compensari nequeat libris asceticis, & frequentium auditu concionum, piique consilio directoris. Discipulis enim Christi & Successoribus eorum ab ipsa veritate dictum est: *Vos estis lux mundi: non potest Civitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio; sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.*

Ipsius Salvatoris lumine minimè privantur idiotæ, & Bibliis destituti; cùm sit, ut testatur dilectissimus Apostolus Joannes Euangelii cap. 1. *Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: Et Senex Simeon Lucæ cap. 2. Divinum infantulum vocabat *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Verè Christus lumen ad revelationem gentium fuit, Magos evocans, eosque sine voce & literis erudiens. Priùs etiam in ipso matris utero suum illuminavit tacitus Præcursorem, ejusque Matrem; suam verò quantò etiam tunc disertiùs omni linguâ & codice edocuit? Sola desipiens novitas jubet omne Christi lumen hominibus salutiferum à lectione sacri Codicis dependere.

Zacharias in suo cantico expetit Lucæ 1. *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*; Non futurum existimans ut sua vota usque ad conscribenda postmodum Euangelia suspendantur. Filius autem ejus tanto illustratus lumine, diu ante scriptionem Euangelii morte sublatus est. Isaias cap. 49. sic loquentem inducit Patrem æternum ad Filium: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque in extremum terræ.* Illuc revera lumen fidei, justitiæ & salutis intulit, etiam quo nulla umquam Divina Scriptura aut ejus versio penetravit.

Non igitur Euangelii scripti absentia, Divini omnis luminis privatio est: unde necessariò corruit Articulus asserens quod *interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Euangelii, sit interdicere usum luminis filiis lucis.*

3 Detestabilis ex hoc maximè redditur enuntiatio, quòd quemlibet carentem sacro Codice, aut non legentem, statuat omni penitùs usu luminis destitutum, atque ita nihil boni salutiferi operantem, nihil volentem pertinens ad justitiam. Cuicumq; scilicet erepta fuerit lucerna una, si ei substituatur altera, non dicetur simpliciter & absolutè prohiberi usus luminis.

Quid autem magis horridum, & Catholicæ oppositum veritati, quàm omnem hominem cui Scripturæ, aut ejus lectio defuerit, spoliare quolibet pii operis exercitio, atque inevitabili addicere damnationi? Quid iniquius, quàm omnes Regulæ quartæ

tæ Indicis Tridentini authores, etiam Pium Quartum Pontificem, & singulos ejus in Petri Cathedra Successores, cum omnibus eos sequentibus Sanctis Episcopis, Pastoribus, & Sacramenti pœnitentiæ administris, qui Regulam illam approbant, atque in opus deduci cupiunt, tam impiâ palàm lacessere contumeliâ?

Eadem propositio manifestè schismati viam sternit, Hæreticorum adversùs Apostolicam Sedem, ipsamque Ecclesiam Romanam calumnias confirmans; quasi illa homines ab usu Divini luminis, atque adeò à vera justitia, & beatitudine averteret, simul in supplicia præcipites agens sempiterna. Si ad superni usum luminis necessaria est Scripturæ Sacræ, præsertim Euangelii lectio, evidens fit usum illum non in omnium potestate esse; non enim in potestate relinquitur ignorantium literas, & innumerabilium è barbaris conversorum ad Ecclesiam; qui præter idioma barbarum, nullum, neque Biblia habent in suum translata vernaculum.

Prætermitto in ipsis Europæ regionibus Catholicis plurimos, quibus comparandi sibi sacrum Codicem paupertas denegat facultatem. At in singulorum, maximâ fidelium potestate est lumen à Christo oblatum omnibus accipere, eoque uti ad justitiam si voluerint & salutem. Sic ab universis contra hæreticos docemur Sanctis Patribus, præcipuè Augustino libro 1. de Genesi contra Manichæos cap. 3. *Illud autem lumen* [gratiæ] *non irrationabilium animalium oculos pascit; sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum & temporalium se ad præcepta servanda convertunt, quod omnes homines possunt, si velint; quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum*. Simili modo loquitur Chrysostomus homiliâ 7. in Joannem: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: Illuminat profectò quantum in ipso est. Si qui autem sponte suâ mentis oculis conniventibus, ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerunt, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt; sed ex malitia sua, qui spontè tanto se dono indignos reddiderunt*.

Augustini etiam Magister Ambrosius libro 8. in Psalm. 118. *Mysticus Sol ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios Solis excludit non ideo Sol non est ortus omnibus, quia calore ejus se fraudavit; sed quod Solis est, prærogativam suam servat; quod imprudentis est, communis à se gratiam lucis excludit*.

4 In his omnibus, & infinitis istiusmodi sententiis Sancti Patres Ecclesiam decepissent, si luminis usus in nullius potestate hominis esset, in cujus non foret lectio Scripturarum. Lumen igitur ad justitiam salutemque conducens ac sufficiens, quo filii lucis ex benevolentia gaudent Salvatoris, non crediderunt Sancti Patres & Interpretes Scripturarum pendere à corticibus arborum, membranis, chartisve, neque ad illius usum, sacri Codicis necessariam esse lectionem, sinè qua Teste August. lib. 1. Doct. Christ. cap. 39. *Multi in solitudine vivunt, Fide, Spe, & Charitate subnixi*: Quemadmodum duobus annorum millibus absque ullo Scripturarum Volumine stetit mundus, neque lumen ejusque usus filiis lucis defuit; uti neque Judæorum populo à Moysis tempore usque ad Esdram, quando penès solos ferè Sacerdotes, & Scribas Scripturarum exemplaria servabantur, & quidem negligentiùs; cùm partes plurimæ deperditæ sint: quod minimè accidisset, si penès omnes promiscuè, ut adversariis placet, sacra Volumina fuissent. Cur autem fuissent, & cui quodammodo usui, saltem post septuaginta annorum captivitatem Babylonicam, quando lingua Hebraica, in qua solâ tunc Divini Codices extabant, Judæis desiit esse vulgaris?

Apud Chaldæos nempe Chaldaicè loqui assueverant, unde mutatione aliquâ sermo emersit Syriacus, qui etiam Christi tempore Judæis extitit vulgaris. Hebraicus plebi parum cognitus: neque præsenti tempore ulli nationi vernaculus est. Nato Redemptore non fuisse Hebraicum vulgo notum, maximè non fuisse Scripturam passim omnibus familiarem, indicat illud Joannis cap. 7. *Turba hæc quæ non novit legem*. Et quod dicitur lib. 2. Esdræ cap. 8. fuisse in omni populo *lætitiam magnam nimis, eo quod Esdras interpretaretur verba legis*, &, *quia intellexerunt verba legis* Hebraica, aliàs non percepturi; sed ideone qui tunc filii lucis in populo erant, omni destituebantur usu luminis?

5 Absque Euangelio scripto, ut monui, fuit Ecclesia annos aliquot post Domini ascensum. Neque Euangelistæ scripserunt linguis vulgaribus. Neque illis exaratæ sunt Apostolorum Epistolæ; non tamen propterea conquesti sunt illius temporis fideles è nationibus barbaris, quasi usu luminis privarentur, cùm Apostoli, utpote dono linguarum præditi, facilè potuissent singu-

singularum nationum eas exprimere idiomate. Varietatem autem linguarum non exiguam, testatur vehemens gentium admiratio in Actis Apostolicis cap. 2. *Stupebant autem omnes & mirabantur dicentes: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt, & quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi & Medi, Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Judæam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphiliam, Ægyptum, & Partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen, & advenæ Romani, Judæi quoquè & Proselyti, Cretes & Arabes: audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Stupebant autem, & mirabantur, ad invicem dicentes: Quid est hoc?*

Licèt autem tot gentibus Apostoli prædicaverint Euangelium, & Irenæus temporibus illis proximus testetur libro 1. cap. 3. fundatas tum fuisse Ecclesias in Oriente, in Libya, in Ægypto, in Hispaniis, in Germania & in mediis regionibus, nempe Italiâ & Galliâ, non tamen propriis illarum gentium linguis ullum Euangelium, ulla Epistola scripta est; sed Hebraicè solùm, aut Græcè, & fortè Euangelium Marci Latinè. Certè Epistola Pauli ad Romanos Græca fuit, non Latina, quamvis hæc, non illa tunc esset Romanis vernacula. Græca extra Græciam ubique ferè ornabat eruditos, rudibus ac plebeis non admodum usitata. Hoc sensu intelligitur dictum Marci Tullii Ciceronis in oratione pro Archia: *Græca leguntur in omnibus ferè gentibus, Latina suis finibus sanè exiguis continentur.*

Ideo Apostoli pleraque scripserunt Græcè. Quamquam non idiomate ut apparet propriè vernaculo, quod vulgi sermonibus frequentatur; sed Græco literatorum, quod in scholis studio discitur, unde neque plebis manibus terebatur. Crescente autem mox Imperio Romano Latina lingua prævalere cœpit in Occidente & saltem penès eruditos tota Hispaniâ, Galliâ, Italiâ, Africâ, aliisque regionibus magis quàm Græca propagari. Hinc & ad Divina Officia vel ut communior & nobis aptior assumpta est; non tamen propterea Apostolos vel Euangelistas quisquam calumniatur, quasi in filiis lucis impediverint usum luminis. Quod de distinctione linguæ Græcæ in vernaculam & non vernaculam tradidi, locum hoc tempore habere certissimum est, vel ex eo quod Romæ in Collegio Græcis Alumnis, fundatione Pontificiâ destinato, discatur ab omnibus Græca literalis, ut ab Italis Latina.

6 Illustrissimus Lizetius in Dialogo sic *Neoterum* inducit objicientem *Græcus sermo, quo penè novum Testamentum, scilicet exceptis Matthæi Euangelio & Pauli ad Hebræos epistolâ, conscriptum fuit, omnibus etiam Idiotis, indoctoque vulgo notus fuisse videtur, ac passim ab omnibus intelligebatur.*

Respondet Author. *Hallucinaris & planè cæcutis* Neotere: *apud Græcos cum Euangelia, & reliquum novum instrumentum conscribitur, duplicem fuisse sermonem, alterum vulgarem omnibus communem; alterum verò peculiarem, evidentissimè comprobatur: quòd apud illos verborum inflexiones, tropos, ac rectè loquendi regulas admodum exquisitas, & adventitias tum fuisse notissimum fit. Quo fit, sermonem illum artificiosum indocto vulgo neutiquam communem; sed viris literatis peculiarem fuisse, credere debeamus. Illo autem Divinos libros conscriptos fuisse & non vulgari sermone Græco, luculenter bisce libris, quos de Doctrina Christiana Divus Augustinus conscripsit, affirmare videtur.*

Pluribus id confirmat Lizetius: Dein progreditur ad linguam Latinam, circa quam *Neoterus* objicit: *Cùm utrumque Testamentum ex Hebraico, vel Græco traductum fuerit, & Latinus sermo tum etiam vulgo notus esset, quare & nunc in Gallicum etiam rudi plebi notum translatio fieri non potest?*

Cui iterum reponit Author: *In hoc ipso, Neotere, ae in reliquis duobus cæcutis. Nam etsi Pogius Ciceronis & Quintiliani testimoniis affirmare satagat, Latinum sermonem omnibus, etiam indoctis communem fuisse; Laurentius tamen Valla, longè doctrinâ superior, ac duarum linguarum Græcæ ac Latinæ apprimè peritus contra sensit, dicens, tum Latinum sermonem grammaticâ arte compositum, neutiquam indocto vulgo notum fuisse. Et ob id Jurisconsultus Paulus à tutoribus impensas eruditionis pupillarum in grammatica arte repetendas censuit: artificioso Latino sermone instruendas etiam filias esse arbitratus, non idcirco passim omnibus sermo is eruditionem requirens, notus erat.*

7 *Illo autem artificioso Latino sermone, & non vulgari, in Latina Ecclesia primùm Divina monumenta constant. Non idcirco sermo ille omnibus communis erat.... Sed quid Romani & Itali, Pœnorum, Iberorum, Gallorum, Germanorum & cæterarum nationum comparatione? Latina Ecclesia minima pars fuêre. Quibus omnibus solo Latino sermone Divini exhibentur Codices, planè indocta plebi Gallorum, Iberorum, Germanorum, & Pœnorum ignoto. Nec in earum Nationum vernaculum Divinos versos comperiemus libros.*

Instat nihilominus sub *Neoteri* nomine adversarius: *Latinus sermo, si nostræ tempestatis præclaris authoribus credamus, olim tonsoribus, & cerdonibus, ac passim indoctæ plebi apud Gallos & Iberos notus fuisse videtur: extantque ejus rei in vulgari lingua quædam vestigia.*

Respondet Lizetius: *Desipiunt planè,* Neotere, *qui hæc asseverant. Livius nempe de bello Macedonico plerumque commemorat, inter Pœnos & Romanos, vel Latinos; inter Iberos, etiam, eosdemque Romanos, dum in colloquium venirent, interpretem adhibitum fuisse; Quo manifestum fit, his nationibus diversum omnino, & longè ante Divinorum librorum in Latinam linguam traductionem, sermonem fuisse.*

Quantum verò ad Gallos attinet, idem Livius commemorat, Gallum eximiæ magnitudinis ad duellum, Romanum, per Latinum interpretem provocasse. Si sermo ille Latinus tum Gallis communis fuisset, haud quaquam interprete Gallus eguisset. Palàm igitur esse puto, Latinum sermonem, quo Divini libri conscripti fuêre, minimè Gallis, Iberis, Germanis, & cæteris Latinæ Ecclesiæ nationibus passim omnibus, etiam indoctis, notum fuisse; sed solùm viris literatis peculiarem: sed & hoc Ulpianus, Alexandri Severi Scrinii Magister affirmat, dum fideicommissa non modo Græco & Latino sermone; verùm quoque Punico & Gallicano relinqui posse censet: Hinc evidens inter Latinum & Gallicanum sermonem discrimem faciens. Fuit autem is circa initiantis tempora Christianismi.

Sed quid immoramur? Nam & Divus Augustinus libris, quos de Doctrina Christiana scripsit, Latinum sermonen, in quem primùm Divina vertuntur monumenta, minimè communem omnibus fuisse asseverat, inquiens; Si autem ipsius linguæ nostræ aliqua verba, locutionesque ignoramus, legendi consuetudine, audiendique innoescunt. Nulla sanè sunt magis mandanda memoriæ, quàm illorum verborum locutionumque genera quæ ignoramus. Non erat idcirco genuinus & vernaculus ille sermo, in quo & pleraque à doctis ipsis ignorabantur.

8 Verùm quidquid sit de tota hac eruditissimi scriptoris sententiâ merè historicâ, à qua licitum adversariis erit, si libuerit, recedere; quamvis non leve ea pondus acceperit anno 1661. ex publica Cleri Gallicani approbatione; minimè inde pendet aut censuræ Pontificiæ contra Quesnellum æquitas, aut damnati iniquitas articuli, qui præter falsitatem dogmatis & perversitatem, contumeliam continet, schismaticis & hæreticis apertissimè faventem adversùs Apostolicam Sedem, omnesque toto orbe Catholicos Regulæ IV. Tridentini Indicis approbatores, nullo extra Galliam Episcopo dissentiente; licèt aliqui usum contrarium ubi is nimiùm invaluerit, existiment permittendum; ne gravis oriatur offensio populi, & fortè complurium cum rebellione, ad hæreticos defectio.

Dixi: *nullo extra Galliam Episcopo dissentiente:* Ex ipso autem Christianissimo Regno quæcumque produxi contra septuagesimum nonum, & sequentes articulos, judicia gravissima Conciliorum Tolosani, ac Narbonensis, duorum successivè Parisiensium Antistitum Petri & Joannis Francisci de Gondy, dein & Cleri Gallicani in Generalibus comitiis Parisiis congregati, etiam Sorbonæ cum celebri suo Cancellario Joanne Gersone, & pluribus ejusdem nationis eruditissimis Scriptoribus, cum Petro Lizetio aliàs Regii Senatûs Principe, cum ipso denique Senatu, & Rege Christianissimo: Hæc inquam omnia manifestè militant contra præsentem Articulum convictum undique de falsitate, iniquissima contumeliâ, & schismaticâ temeritate. Neque tamen adversarios nostros pudet, post justum adeò inflictum à Sede Apostolica anathema, eundem suscipere, conquisitis undequaque patrociniis defendendum.

CAPUT II.

Satisfit argumentis oppositis ex Scriptura Sacra.

1 SI Quesnello protestanti credimus, ad observationem istiusmodi moralem atque dogmaticam *inducit ac determinat* ipsius Servatoris sententia, quæ in Lucæ Euangelio legitur cap. 11. v. 33. *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio; sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.* Itane Moyses edoctus à Domino sacrum Codicem in abscondito & quasi sub modio posuit; quia non omni populo, rudibus etiam fœminis ac pueris eum tradidit legendum; sed Sacerdotibus, ut eum custodirent, & certis temporibus producerent legentes ipsi coram populo, & interpretantes; ne si quilibet eum idiota pro libitu manibus tereret, & pro sua intelligeret imperitiâ, Divinas sententias prava in multis corrumperet explicatio, & quæ à Spiritu Sancto ad hominum profectum salutemque dictatæ sunt,

stulti-

stultitiâ eis abutentium converterentur in perniciem?

Neque in novo fœdere Supremus Christi Vicarius Scripturas in abscondito, & sub modio ponit, quando jubet eas in Divinis Officiis legi publicè & decantari à Ministris, in scholis à Doctoribus, in concionibus à Pastoribus, aliisque Divini Verbi præconibus, ratione dilucida ac facili ad intelligentiam & fructum omnium accommodatissimâ exponi ac declarari.

Non vult Apostolica Sedes, neque velle sapienter ullus Episcopus potest, ut in linguas quaslibet vernaculas translata Dei Eloquia vulgi manibus sinè discrimine obtrudantur; Ne, ut graviter & meritò reprehendit Hieronymus Epistolâ ad Paulinum, *Scripturarum artem sibi passim omnes vindicarent, hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumerent, lacerarent, docerent, antequam discerent*. Quod *si non est lucernam in abscondito ponere, aut sub modio*, at certè est quod Sapientia increata vetat, *margaritas projicere ante porcos*.

Neque illud est lucernam ponere super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Quod enim candelabrum, diffundendo Scripturarum lumini idoneum dixeris, Sophistam verbosum, garrulam anum, & delirum senem? Illorumne operâ fiet, ut qui domum seu Ecclesiam ingrediuntur, lumen videant? Imò per illos potiùs lumen veritatis & fidei offuscabitur, quin & in errorum gravium, atque hæresum exitiales tenebras convertetur. Unde iterum inculco, quòd istiusmodi lectoribus Divina scripta committere, non incongruè dicatur, lucernam in abscondito ponere, & sub modio.

2 Non magis adversariis suffragatur illud Psalmi 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*: Neque illud Epistolæ 2. S. Petri cap. 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco*. Etenim ut contra Hæreticos Catholici observant, non necesse est, verbum Dei literis exprimi, ut nos illuminet, sufficit esse traditum: atque hanc inconcussam totius Ecclesiæ doctrinam nulla hæreticorum machina unquam dejiciet; divisionem scilicet verbi Dei in scriptum, & traditum: Utrumque authoritatis æquè irrefragabilis. Cur nempe quod Apostoli & Euangelistæ à Christo docente acceperant, tradebantque prædicando Judæis & gentibus, non æquè verbum Dei fuerit, ac illud quod literis exararunt?

Qui neque Latini idiomatis sunt periti, neque petere facultatem cupiunt legendi translationem sacri Codicis vernaculam, supplere communiter defectum lectionis poterunt, majore in audiendis concionibus diligentiâ: cui si accesserit frequens Asceticorum lectio operum, Scriptutas, ut fieri solet, utilissimas referentium, nequaquam desinet eorum pedibus in viam justitiæ dirigendis verbum Dei, lucerna esse maximè salutifera. *Habemus* etiam in istiusmodi lectionibus & concionibus communicatum *firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, sicut lucernæ lucenti in caliginoso loco*.

Verùm hanc Petri sententiam etiam ante pro Articulo 81. ab adversariis allegatam, eorumdem minimè favere novitati, ostensum illic abundè, Lector, conspicies.

Conversos scilicet à Judaismo Petrus instituens ampliùs de Christi Divinitate; Etsi, inquit, testimonium feramus verissimum de voce cœlitus delapsâ: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; Quia tamen aliquibus videri forsitan posset relatio nostra suspecta, habemus, quæ eam confirment oracula Prophetarum. His fidem nemo derogat, & vos meritò assentitis.

3 Sed nonne satis eis attendere ad assentiendum Judæi potuere, quando à Sacerdotibus prælegebantur, quemadmodum superiùs vidimus Judæorum populum attentissimum, Esdra *prælegente*, & cum sociis Sacerdotibus *interpretante* legem Dei? Ita *benefaciunt* etiam hodie fideles, qui ad legendum Latinè sacrum Codicem idonei sunt, si eum oculis lustrent, sed bene faciunt & cæteri, verbo Dei, dum in concionibus exponitur, diligentissimè *attendentes*.

Locus caliginosus rectè intelligitur hic mundus, Adami peccato tenebras ubique gentium densissimas affundente. *Propheticus* quidem *sermo*, & quodlibet aliud verbum Dei, lucernæ instar illuminat intellectum, & tenebras depellit, non modò dum legitur, sed etiam dum ab idoneis Ministris Ecclesiæ, prædicatur.

Adversarios non lucem in Scripturis quærere; sed tenebras, discimus vel ex eo, quòd nullas illarum partes citare frequentiùs, non aliarum lectionem operosiùs commendare soleant, quàm Epistolarum Pauli, *in quibus*, ut S. Petrus ait, *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant*. Ideo exclamat Malpaix: *Episcopus Romanus, non vult ab omnibus legi Epistolas Pauli*: *Quale scandalum*!

CA-

CAPUT III.

Diluuntur argumenta desumpta ex Sanctis Patribus.

1 Augustinus Epistola 130. ad Probam. „ In iis igitur Vitæ hujus „ tenebris in quibus peregrina„ mur à Domino, quamdiu per fidem am„ bulamus, non per speciem, desolatam „ se debet Christiana anima reputare, ne „ desistat orare, & Scripturarum Divina„ rum Sanctarumque discat sermoni, tam„ quam lucernæ in obscuro loco positæ, „ fidei oculum intendere, donec dies lu„ cescat; & lucifer oriatur in cordibus no„ stris. Hujus enim lucernæ quidam fons „ ineffabilis lumen illud est, quod sic lu„ cet in tenebris, ut non comprehendatur „ à tenebris, cui videndo fide corda mun„ danda sunt „. Hactenus Augustinus, cujus sententia similis est illi, quæ passim ab Hæreticis adducitur ex Chrysostomo, cujus explicatio congrua à Bellarmino tradita, verissimè convenit textui Augustiniano.

Sic nempe Cardinalis lib.2. de Verbo Dei cap.16. cui titulus est *Solvuntur objectiones hæreticorum*, ad similem, ut dixi, locum Chrysostomi respondet; „ Quoniam „ eo tempore dediti erant homines Thea„ tris, aliisque nugis, & Divinas Scriptu„ ras numquam legebant, ne ii quidem, „ qui capaces erant, propterea Chryso„ stomus (& Augustinus) ad eam desidiam „ excutiendam, perperuò hortabatur om„ nes ad lectionem Scripturarum: non „ quod vellet omnes, etiam rudissimos id „ facere; sed ut ii saltem id facerent qui „ cum fructu poterant „. Neque de lectione alia, quàm in sacro idiomate Augustino sermo fuit aut Chrysostomo: legant proinde etiam hodie Sacrum Codicem Latinè, Græcè, vel Hebraicè, qui se idoneos existimant, nullâ prohibente Regulâ Tridentini Indicis, nulla alia lege Ecclesiastica.

Verùm postquam tot emersere versiones corruptissimæ, quæ tantam in Ecclesiâ edidere animorum stragem, atque ea invaluit temeritas populi, etiam mulierum, interpretandi sibi aliisque Divina oracula, sensu frequenter erroneo, & hæretico, ut civitates & regna integra ab Ecclesiæ fide & obedientia in rebellionem traxerit & exitium; meritò tantis malis Ecclesia censuit occurrendum: Pontifices, accedentibus votis gravissimorum Virorum & Antistitum, etiam Galliæ, & in Tolosano aliàs congregatorum Concilio, ipsiusque Sorbonæ contra Erasmi articulos censurâ, statuerunt ut versiones Scripturæ nemo legeret, nisi approbatas, & acceptâ ab Ordinario facultate: neque hæc concederetur nisi idoneis, qui cum fructu & sinè perversionis periculo lecturi viderentur: cæteris nefas esset eam sibi licentiam arrogare.

2 Prohibitionis hujus saluberrimæ prudentiam confirmant studia hæreticorum in divulgandis ubique translationibus vernaculis, atque vix aliud populo commendantium magis, quàm vernaculam Sacri Codicis lectionem. Præclarè monuit Roterus tractatu *de non vertenda Scriptura Sacra in linguam vulgarem*, quem hoc concludit Epilogo. *Clamat optima rerum magistra experientia, populum rudem & imperitum, his translationibus minimè effectum meliorem; quin imò multo deteriorem. Nam si populi statum, qualis erat ante disseminatas has traductiones recolamus, in fidei unitate, obedientiâque Decretorum Ecclesiæ conveniebant, præcones verbi piè & attentè auscultabant. Si fallente carne, mundo aut diabolo peccata admisissent, ea lustratione Sacramentali piisque operibus expiabant, delectum ciborum & ab Apostolorum temporibus observata jejunia hilariter implebant: Nulla dissidia aut factiones in his, quæ ad fidem religionemve pertinent, audiebantur. At ubi emersere hæ vulgares versiones, & coriarii, fusores, & artifices, & mulierculæ literam nudam utriusque Testamenti, suo sensu tractare cœperunt, ad nil aliud compertum est tendere hujusmodi colluviem, præterquam ad carnalem libertatem, contemptumque Sacrorum, soliusque fidei, meritique Christi jactationem, quem tamen rursus crucifigunt....*

Quemadmodum serpens primis parentibus pollicitus est apertionem oculorum, parem que Deo scientiam, modò de fructu arboris scientiæ boni & mali comederent; haud aliter callidus Satan imperitos decipit desiderio lectitandi Scripturam vulgari sermone loquentem: sciens illos in literâ occidente immoraturos, temeritatemque & elationem; non autem Spiritum vivificum ex illa suscepturos: quem vivificum spiritum, ut dixi, non præstat litera; sed litera declaratio. Interpretationem enim quocumque Sermone fiat, rursus laudo; quin & pernecessariam populo affirmo, sive per authorum approbata commentaria, sive quod longe utilius est, vivo verbo per Euangelistas, Parochos, aut quoscumque sinceros Eloquii divini præcones: potissimum autem per pastores animarum...

3 *Id igitur in primis curandum est Ovilis Chri-*

Christi prapositis per semetipsos, aut delectos sana doctrina viros, arcere greges à nuda & vulgari litera, utpote occidente; proferre autem ex tot promptuariis probatorum interpretum vivifici sensus lata & virentia gramina. Quidquid enim Paulus, Chrysostomus, saeterque Doctorum Chorus de utilitate necessitateque Sacra Scriptura intonuit, non de litera ad vulgi, aut hareticorum; sed ad verum, & vivificantem sensum interpretatâ intellexit. Hactenus Tolosanus fidei inquisitor, terminans lucubrationem suam, quam post decursum seculi, & ampliùs, Galliæ Clerus suis & Regiis typis jussit iterum divulgari.

Simile eodem tempore à Galliæ Clero præconium obtigit Tractatui Alphonsi de Castro. *De quinta haresum causâ, qua est translatio Sacra Scriptura in linguam vulgarem.* Is titulus est capitis sexti ex libro 3. *De justa hareticorum punitione.* Cujus capitis conclusio non minùs solidam, quàm facilem ac expeditam continet, ad objectam Augustini sententiam, responsionem: Quod nempe. *Etsi Scriptura Sacra tunc per omnium manus, ut nunc, volitaret, non tamen ideo populus disputare audebat; sed plebs à Sacerdotibus docebatur ... nunc verò procaci temeritate populus Sacra Scriptura intelligentiam sibi vindicat, & de illa cum doctissimis viris contendere non veretur: & ob hanc causam, etsi olim Sacras Literas toti populo traditas esse constaret, ut à quolibet vulgari homine sinè ullo discrimine legi possent, quod ego constantissimè nego, nunc tamen fieri aliter expediret, propter populi impudentem temeritatem atque arrogantiam. Multa enim scimus olim fuisse licita, qua nunc minimè expediunt.*

Quid olim populo à serpentibus læso excogitari potuit salubrius aspectu serpentis ænei? Postea tamen abutente illo populi impietate, idololatriæ occasio redditus est, & dejici debuit ac penitùs aboleri: Et quot exempla sunt in novo fœdere, in quo plurima aliàs utilia in perniciem conversa sunt. Quædam aliàs mandata, postmodum prohibita, alia ex vetitis præscribi contigit & imperari. Quorum exempla superiùs protuli clarissima, qualia sunt communio sub utraque specie aliquando laicis præcepta, mutatis circumstantiis interdicta: jejunium diei Sabbati aliquanto tempore ab Ecclesia reprobatum, dein piissimè assumptum.

Denique in omni optimè ordinata Republica, quæ ad disciplinam pertinent, vicissitudini obnoxia sunt, dictante Rectoribus prudentiâ.

Supponamus itaque, quod tanto ambitu & contentione asserunt adversarii, ab Augustino & aliis quibusdam Patribus commendatam promiscuè omnibus, etiam rudibus Divini Codicis lectionem, etiam in vulgari idiomate, si sacrum ignoraretur, vel eo descriptus codex deficeret. Hæc, inquam, supponamus omnia: vocari tamen à nemine potest in dubium, quin talis succedere possit hominum temeritas abutentium lectionibus Scripturæ Sacræ in vulgari idiomate, ut ea non ampliùs permittantur sinè discrimine; sed iis solummodo, quibus futuræ utiles, non perniciosæ videantur judicio confessarii aut Parochi; permissio autem fiat authoritate Episcopi.

4 Temeritatem istiusmodi advenisse non sola regula IV. Indicis cum suis approbatoribus Summis Christi Vicariis; sed exempla quoque innumera, & nimiùm luctuosa, duobus præsertim superioribus seculis, fecere manifestius, quàm ut ab ullo perniciosâ novitatis cupidine non obcæcato, valeat ignorari. Exemplis testimonia junximus omnium ordinum gravissima, & Gallis præsertim irrefragabilia, utpote profecta ab iis quodammodo omnibus, quorum maxima in Christianissimo Regno authoritas est, & reverentia, sive eruditionis Theologicæ, sive potestatis tum Ecclesiasticæ, tum Sæcularis.

Meridiani igitur solis radiis occludere oculos oportet eum, qui negare adhuc pertinaciter voluerit, æquissimam fuisse rationem, condendæ illius regulæ, quam reddere populis odiosam Lutheri, Calvini, & Quesnelli asseclæ tot contumeliosis declamationibus conantur. Quapropter aliqui è novatoribus mitiores, à Quesnelli passim opinionibus animum gerentes non alienum, horrent ejus contra Apostolicam Sedem, & quidquid in Ecclesia augustum est, armatam conviciis audaciam: nec diffitentur eam fuisse hominum decimo sexto seculo conditionem, tam perversas, imò hæreticas Scripturarum versiones, ut plurimorum eas legendi aviditas reprimi, atque inde facilis in hæresim lapsus, Regulis Tridentini Indicis debuerit impediri. At, inquiunt, eliminatis modò versionibus hæreticis, atque lectoribus in fide catholica meliùs confirmatis, desiit memoratæ Regulæ necessitas, & introducto usu contrario etiam obligatio.

Opto ego quidem, & indubiè votum est Sanctissimi Pontificis, ut quæcumque hodie versio simplicibus obtruditur, foret à labe hæretica penitùs immunis, neque subdolis ad eam enuntiationibus minùs cautos lecto-

ctores disponeret : nec denique junctas haberet istiusmodi observationes, quibus si absurdiores appareant Lutheranæ, cedunt forsitan arte fallendi; neque scio an venenum contineant nocentius.

Nondum quidem Novaturientium furor ad arma prorupit, & sanguinolenta prælia; à minis tamen non abstinuit Gerberoni audacia in *Reflexionibus status & religionis* in Belgio editis contra Humbertum Archiepiscopum Mechliniensem, & cæteros Belgii Austriaci Antistites novitatibus infensos.

5 Terrorem incutere nitebatur hic pseudo politicus monachus Laicis Magistratibus, ut frænum injicerent Episcopis, ne suum illi contra Jansenii discipulos, zelum prosequi sinerentur, exigendo potissimùm juramento juxta formulam Alexandri VII. Ideo jubebat eos in memoriam revocare Regni Gallici perturbationem & dissidia eruptura proximè in seditiones, & funesta schismata, nisi Pontifex, Rex ipse Christianissimus, tantorum perculsus malorum formidine, à susceptis contra Jansenistas consiliis decessisset. Neque abstinet à malesanis divinationibus; imò calumniis apertissimis contra Regem Christianissimum, ejusque administros, præsertim Legati munere in Urbe fungentem; quasi Belgii Episcopis apud sedem Apostolicam patrocinarentur, & quidem non alio, quàm Anti-Christiano consilio, ut belli quod tum flagrabat, tempore juramenti contra Jansenium executio totum turbaret Belgium, atque collideret motibus intestinis, unde facilior redderetur Gallis Belgii invadendi opportunitas.

Sub idem tempus seditio Bruxellis excitata fuerat à quadam Parochia, Pastoris Vicarium nacta præsidentem, & omnis authoritatis Ecclesiasticæ, etiam Pontificiæ, nec minùs Regiæ famosissimum contemptorem. Qua ratione à Quesnellianis meruit vix alio, quàm *Fratris Athanasii* nomine appellari, ut occultâ eorum Cifrâ expositum legimus. Seditionis occasio fuerat sententia pro Monialibus nosocomio publico servientibus, ab Archiepiscopo lata contra aliquos de Clero, qui ad parochiam quidem illam minimè pertinebant, nisi quod memorato ejus Vicario amicitiâ, & fortè sensibus seu dogmatibus essent conjuncti.

Contigit, me tum Bruxellis esse tragœdiæ spectatorem. Cumque nullum appareret Novatoribus dubium, quin Archiepiscopo incentor præcipuus essem ad exigendum ab Ecclesiasticis Alexandrinæ formulæ juramentum, denuntiari mihi eorum charitas curavit, ut Archiepiscopum ab eo consilio averterem; caverem autem maximè, nè ad juramentum adigeret illius Parochiæ Clerum; aliàs seditionem certissimè expectandam, præteritâ funestiorem.

Reverà Antistes tum progredi ausus non est; sed stetit in exigendo juramento à solis beneficiorum & sacrorum ordinum candidatis; Dein morruo Carolo II. Vicarius ille à Principe Belgium occupante ejectus tota Hispaniæ ditione; sed prævalentibus dein fœderatis, & Batavis aliquamdiu Belgium Austriacum gubernantibus, rediit. Propositum mox ei ab Archiepiscopo & Internuntio fuit juramentum contra Jansenium; sed is contumax recusavit etiam ubi mandatum Pontificis accesserat.

Reducere eum ad frugem ne intentata quidem excommunicatio potuit. Recentiora sunt alia, & toti nota Ecclesiæ neque minùs explorata Hæreticis Jansenianæ temeritatis specimina, minæ, inquam, minimè inanes seditionum & schismatis si Apostolica contra Quesnellum Constitutio authoritate Regis Christianissimi juberetur admitti, & accuratâ ab omnibus obedientiâ servari. Non incerta memoro, non obscura; sed quæ ipsi Quesnellianarum Partium fautores ad incutiendum Regi ac Senatui terrorem publicis novorum relationibus per devotos sibi Hollandiæ Gazettarios curarunt continuò inseri, atque omnibus per quas folia istiusmodi volitare solent, Europæ provinciis denuntiari.

6 Quem effectum ea comminatio, & nota aliunde audacia factionis in animis obtinuerit complurium, etiam Senatorum, magis compertum est omnibus quàm ut necesse sit, ingratâ prosequi narratione. Non igitur periculosa tempora cessarunt, nec modus positus est hominum temeritati; quin potiùs malum pestilens novitatum quò grassatur dolosiùs, eò difficilius vitatu est, magisque simplicibus metuendum. Non sicut in aliis quibusdam hæresibus, foràs statim prosilit fœditas; sed opus studio est, & auxilio cœlesti ut novitatis pernicies cum acatholicis suis consectariis detegatur.

Quare merito hic quoque Doctor Mellifluus, quod aliàs sermone 45. in Cant. precaretur: *Juvate me Socii, ut capiatur vulpes demoliens vineam: vel potiùs capite vos nobis eam, O Angeli Sancti! Versuta est valde: Operta est iniquitate & impietate sua: planè tam pusilla atque subtilis, ut facilè quidem humanos frustretur obtutus; numquid & vestros? ... Docete & suggerite, qualiter fraus*

fraus deprehendatur : hoc enim est cepisse vulpem ; quia longè plus nocet falsus Catholicus, quàm si verus appareat hæreticus.

Ut autem speciatim de Sacri Codicis versionibus Gallicis agamus, pleræque non solùm falsificationibus scatent; sed quod magis exitiale est, erroribus contra fidem subdolè insinuatis, præcipuè in annotationibus, quæ quod in Divino volumine obscurum est, adeò non exponunt dilucidè,& congruè principiis fidei, ut tenebris involvant spissioribus, ac tandem hæreticis faciant novitatibus suffragari.

Volumina 4. implevit Quesnellus tum versione Testamenti Novi,tum *Moralibus* in illud *Observationibus*, quibus & in omni penè genere dogmaticas immiscuit, non alio, ut apparet, consilio, quàm ut, quidquid hæresum à Jansenio, quidquid ferè à Bajo, & obstinatis utriusque sectatoribus traditũ fuit, simul colligeret propinaretque lectoribus, velut sacro textui ubique consentaneum. Quicumque verò opus illud accurato discusserit examine, ut me fateor discussisse minimè oscitanter, si novitatum ipse spiritu afflatus non sit, agnoscere cogetur, nullum se reperisse umquam virulentius, nullum ad circumventionem simplicium arte magis subdolâ accommodatum.

Quapropter insignis adversariorum impudentia est asserere, nullas amplius serpere inter catholicos versiones Scripturarum noxias, nullam esse populi, quam regula quarta Indicis commemorat temeritatem, nullum perversionis ex istiusmodi lectionibus periculum, quando, ut versionem Domini Hurè, famosam Montensem, & plures similes omittam, tanta pernicies detegitur in versione Quesnelli, quæ cum observationibus suis Moralibus velut perfectissima ostentatur: quando eadem pluribus quaqua versum dispersa editionibus, eos deprehenditur peperisse fructus, ut innumerabilem Christianorum multitudinem in defensionem tot exitialium dogmatum pertraxerit; tantâque animaverit pertinaciâ, ut spretâ Sedis Apostolicæ communione, in hæresi & schismate emori non vereantur. Eodem conducunt complures Quesnelliani operis articuli, quos loco magis proprio expendemus.

Hæc igitur Scripturæ versio cum annotationibus est, ob cujus suppressionem tota Jansenistarum Hierosolyma, vel potiùs Babylon commovetur. Istiusmodi Scripturarum lectionem *interdicere Christianis* Latinum ignorantibus, *est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis*, si novæ Ecclesiæ Apostolis credimus.

7 Pro posteriore Articuli parte, quæ de *specie quadam excommunicationis* est, proferunt adversarii Irenæum lib.5. adversus Hær. cap.20. dicentem *Confugere* (nos fideles oportet) *ad Ecclesiam Dei, & in ejus sinu educari, & dominicis Scripturis enutriri. Plantata est enim Ecclesia paradisus in hoc mundo. Ab omni ergo ligno Paradisi escas manducabis, ait Spiritus Dei, id est ab omni Scriptura dominica manducate.*

Locum hìc quoque obtinet allata superiùs responsio Bellarmini lib.2. de Verbo Dei cap.16. ad locum Chrysostomi à Kemnitio objectum: *Hortabatur omnes ad lectionem Scripturarum, non quod vellet omnes omnino etiam rudissimos id facere; sed ut saltem id facerent, qui cum fructu poterant; sciebat enim se cum iis agere, qui talibus amplificationibus indigerent.*

Idem ante Bellarminum respondit Eruditissimus Lizetius ex Regii Senatûs Principe Parisiis Abbas S. Victoris in Dialogo *de Sacris libris in vulgare eloquium minimè vertendis*,ubi ait, *Divi Chrysostomus & Athanasius* [idem est de Irenæo] *nusquam profectò censuere Divinos libros in vernaculas & barbaras linguas vertendos esse; etsi moneant omnes illorum intendere lectioni; sed quemadmodum jurisconsulti ajunt, tametsi ea ad omnes exhortatio referatur, de omnibus eidem aptis & convenientibus intelligi debet.*

Mox addit, quod compertissimum est, *eorum tempestate quæ inde inobedientia, schismatis, & hæresis damna accidere, pericula* (Patribus) *illis abdita fuisse, ut hanc Sacrorum lectionem vulgaribus & idiotis noxam potius, quàm adjumentum afferre posse, minimè cognoscerent; progrediente verò tempore compluribus exemplis, rerumque experimentis, latentes ea in re Satanicæ insidiæ, Christianismi ducibus apparère cœperunt in Metensibus, Bohemis, & Vualdensibus. Has si Divi Chrysostomus & Athanasius* [Irenæus quoque] *suis temporibus cognovissent, nunquam commune vulgus ad Divinorum monumentorum lectionem excitassent: mutassentque profectò, cognitis ejus rei periculis, priorem sententiam, quemadmodum & de plenariis Conciliis D. Augustinus recenset. lib.3. de Baptismo contra Donatistas cap.3. per ipsa etiam, inquit plenaria Concilia sæpe priora posterioribus emendari; cùm aliquo rerum experimento aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat*, in rebus nempe ad disciplinam pertinentibus.

Pergit Lizetius: *tempore enim Divi Joan.*

annis Chrysostomi (magis etiam Irenæi) *clausum erat Satanicum commentum*, *Sacra Scriptura vernaculâ linguâ lectionem ad simplices & idiotas decipiendos esse*, *quod postea rerum experimento aperitur*, *& mali sub pietatis specie*, *ut latè disseruimus*, *latens occasio cognoscitur*. *Mutasset igitur & Chrysostomus si hujus fuerit opinionis*, *facilè sententiam*, *cùm antiqui hostis latentes insidias demum revelatas vidisset*. Ita Lizetius, judicium ejus, & universum Dialogum Clero Galliæ approbante. Satanicas illas insidias tot compertas experimentis Quesnellus adeò non statuit declinandas, ut, quasi diabolo præstare suppetias voluisset, ad demergendam penitùs tantis agitatam fluctibus Petri naviculam, idonea maximè consilia contulerit, præter tot exitialium machinationem dogmatum, traditam hominum quorumlibet temeritati lectionem, atque intelligentiam Scripturæ.

8 Coævus Lizetio Spiritus Roterus Fidei apud Tolosanos inquisitor in dedicato opere Henrico 2. & à Gallicanis Præsulibus approbato cap.24. non minùs providè monet: *Quemadmodum necesse est naufragium pati navem*, *in qua navigantium quisque satis in re nautica se peritum arbitratur*, *& vult quilibet regi navem suo sensu*, *unius Navarchi contempto imperio*; *sic necesse est solvi fidei unitatem*, *demergique in varios errores*, *eos*, *qui pro nibilo babitâ intelligentiâ*, *quam Spiritus Sanctus peculiaribus interpretibus suis revelavit*, *literam sibi credunt sufficere*, *nec ullo ad eam bene percipiendam se egere magistro*.

Hæc temeritas dum apud vulgus invalescere deprehensa est, Ferdinandus Rex Catholicus cum Isabella Conjuge versiones Scripturæ vernaculas è suis eliminandam censuit ditionibus; *quâ*, ut Roterus notat, *provida cautione factum est*, *ut eorum subditi in fide & religione adeò unanimes*, *tranquillique permanserint*, *ut Sectarum perniciosorumque dogmatum*, *quibus totus ferè reliquus orbis turbatus est*, *ipsi vix nomina noverint*. Dein meritò quoque laudat author geminos Galliæ Senatus, Parisiensem & Tolosanum, quòd *ejusmodi traductiones vetuerint*.

Testatur autem religiosissimus author, eos ad Edicta talia inductos consilio admodum sapienti, *quòd* scilicet *constaret ab eo tempore*, *quo in publicum prodierant* (versiones illæ) *excitata esse plurima dissidia*, *& errores qui credebantur sepulti*: *Exteriorem Dei cultum*, *salutiferam pœnitentiam*, *Sacramentorum*, *fidem & reverentiam*, *Ecclesiaque decreta à multis spreta*, *&*, *ut uno verbo concludatur*, *non parvam fenestram apertam ad infidelitatem*, *& Epicuræorum placita amplectenda*.

Simili zelo contra illam versionum illuviem, & natam inde promiscuam lectionem pugnavit à duobus seculis Sorbona, præeunte celebri suo Cancellario Gersone, & antea Tolosano Concilio, sequente postmodum Clero Galliæ in Comitiis generalibus Lutetiæ congregato. Ideone illis omnibus insulsa adeò infligenda calumnia est, quasi voluerint *interdicere usum luminis filiis lucis*, *& facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis*? Aut fortè deliquerint ex ignorantia, quam dedoceri oportuerit à Quesnello, ut ipse à Calvinistis suis affinibus institutus est?

Ex allegatis probatisque hactenus manifestum est, designatos à Tridentini Concilii Patribus authores Indicis & Regularum, nominatim quartæ, non excogitasse eam temerè; sed ad sistenda errorum latè grassantium contagia fuisse necessitate urgentissima compulsos. Hæreticorum quidem est Sectæ suæ consulentium propagationi, Regulam, quibuscumque possint modis impetere, clamoribus, mendaciis, fraudibus, quoniam aliter non possunt, reddere populis odiosam; sed nulla ipsis æquè feliciter successit molitio; quàm styli in versionibus elegantia, Typorum, chartæ, & compactionis nitor studiosissimè conquisitus, distributio quaqua versus numerosa, etiam sæpe liberalis & gratuita, ut usu legentium tam frequenti desperare quodammodo cogantur Episcopi, de obtinenda à subditis observantia regulæ, atque ita hæc tandem velut usu abrogata contrario censeatur.

9 Illud sibi, suisque consilium esse non dissimulat *Ægidius Candidus*, Sectæ inter Jansenistas *Candida* princeps Dialogo 3. Parochianum inter & Theologum pag.7. *Expedit hujusmodi decreta per usum contrarium abrogare*, *ad quod conducit lectionem Sacræ Scripturæ ob decretum non omittere*, *eamque etiam aliis cura nostra creditis*, *vel nos consulentibus commendare*. Ea scilicet est doctrina *Moralis rigida* & tutior Jansenistarum, ideò legem transgredi, & transgressionem aliis suadere, ut usu contrario aboleatur.

Ne verò scrupulum moveat, quod in Tridentini Indicis Regula additur; *qui absque tali facultate ea legere*, *seu habere* (versionem Scripturæ vernaculam) *præsumpserit*, *nisi priùs Bibliis Ordinario redditis*, *pec-*

ca-

catorum absolutionem percipere non possit: Istud, inquam, ne scrupulum moveat, occurrit idem Novi systematis Theologici Doctor in Epistola typis Belgicè edita, nomine *Ostendanorum quorumdam Civium ad amicos Brugenses* circa Episcopi Decretum, de observanda eadem Tridentini Indicis Regula: *Supposito* [inquit] *quòd aliqui sustineant, Episcopi Decretum in se esse nullum, & invalidum, hæreticum, imò ab ipso Diabolo inspiratum, & propterea nolint sua Biblia tradere; sed malint absolutionem non accipere expectantes eam à Deo, nonne tales excusari poterunt, & impetrare veniam à Deo & salvari?* Quis dubitet in Novo Systemate juxta quod Art. 28. *Prima gratia quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio?* Quod cuicumque persuasum dogma fuerit, ad Libertinorum, & Epicuræorum vitam semitam pandit facilem & amplissimam.

10 Denique ut finem faciam disputationi, Articulo Quesnelli 85. propositæ, quæro ex prætensis hisce Augustini discipulis, an Doctor ille Sanctissimus non meliùs Quesnello intellexerit quanta Christianis sit legendi Sacri Codicis necessitas? Juxta Augustinum lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 39. *Homo fide, spe, & charitate subnixus, eaque inconcussè retinens, non eget Scripturis, nisi ad alios instruendos*; Itaque *multi per hæc tria, etiam in solitudine sinè codicibus vivunt*, vita non solummodo animali; sed Christiana quoque, & salutifera, quæ à memoraris tribus virtutibus Theologicis numquam divellitur.

Interdicere igitur *Christianis* aliquibus; *lectionem Sacræ Scripturæ*, neque *est interdicere usum luminis filiis lucis*: neque *facere, ut patiantur speciem quamdam excommunicationis*. Quesnelli autem opposita huic veritati catholicæ enuntiatio, ut dogmatica, & indefinita, seu nullis circumscripta terminis, sensum universali faciens æquivalentem, à Sacro textu Lucæ cap. 11. versu 33. alienissima est, horrida; sed & iniquissimè contumeliosa omnibus Italiæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Belgii Austriaci Episcopis, compluribus Conciliis etiam Gallicis, quin & universo Cleri Gallicani cœtui, in comitiis generalibus congregato Lutetiæ anno 1661. Gersoni Parisiensis Academiæ Cancellario, Sorbonæ universæ Erasmi Articulos Quesnellianis consonos, ferienti: Denique Sancto Carolo Regulas Indicis jubenti ab omnibus sibi subditis observari.

Eadem Quesnelli novitas Christianum populum concitat adversùs Apostolicam Sedem, & omnes earumdem regularum observantes Episcopos ac Pastores veluti seductores animorum perfidos, æternæ salutis aditum fidelibus obstruentes: Quos proinde ut populus Quesnello credulus detestetur, atque à se abdicet, pronissimum est: vel inde autem maximè schismatica convincitur oppugnata hactenus novatoris enuntiatio.

Propositio damnata octogesima sexta.

Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei. *Observ. Moral. in* 1. *Cor.* 14. *v.* 16.

CAPUT I.

Sensus Propositionis varius exhibetur: magis obvius ostenditur meritò condemnatus.

1 Gravibus indubiè censuris Enuntiatio Quesnelli subjacet, intellecta sensu rigido, qui apparet obvius, itaut *eripere simplici populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ*, sive in Ecclesiastico officio, sive in Missa, *sit usus contrarius praxi Apostolicæ & intentioni Dei*. Textus tamen unde propositio excerpta est, audiatur integer, & sensû Lector pro sua sapientia determinet: *Docendi*, inquit, *sunt fideles simplices, ut dispositione cordis, & applicatione Spiritûs se uniant laudibus, precibus, & Sacrificiis Ecclesiæ. Æquum est filios intelligere, quod pro eis Mater agit & petit, quodque cum illa faciunt ipsi & petunt. Laus & oratio publica in Ecclesia est etiam pro simplici populo. Eripere ei hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei*.

Sacrificiorum commemoratio videtur indicium confirmans, quod à pluribus hic intelligitur, *vocem totius Ecclesiæ*, etiam Sacrificia complecti. Sic nempe intelligunt centum Galliæ Episcopi partim authores, par-

partim approbatores Documenti Pastoralis in clarissimo Parisiensi cœtu compositi. „ Quid sibi vult (inquiunt) observationum Moralium Author asserens quod „ *eripere simplici populo &c.* ut in propositione? Num existimat nos velle abolere „ usum, seu morem laicorum uniendi vocem suam vocibus Cleri in celebrandis „ Dei laudibus? Nemo hactenus impedire populum voluit, ne divinum officium „ cum Sacerdotibus caneret.

„ Contra in votis est nobis, ut primorum Christianorum fervor reviviscat. „ Memori tenemus mente quod contra sinistras de Christianorum moribus denuntiationes Plinius Secundus Trajanum „ Imperatorem edocuit lib. 2. Epist. 97: „ *Quòd essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo dicere secum invicem, seque Sacramento non in scelus aliquod obstringere; sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent.* Scimus, fideles in Arianorum persecutione Ecclesiis Antiochenis „ expulsos, sequentes Antistitem suum „ Sanctum Eustathium, fidem suam psalmorum cantibus animasse: Scimus, Sanctum Ambrosium indigna patientem ab „ Imperatrice Justina, dies noctesque traduxisse Mediolani in Ecclesia cum universo populo, cujus in decantandis Deo „ laudibus, mirabatur ardorem.

„ Utinam, Fratres Dilectissimi, videre „ vos liceat primorum fidelium sequentes „ exempla, qui, uti refert Author Constitutionum Apostolicarum l. 2. cap. 59. & „ & lib. 3. cap. 3 t. assistebant integro Divino officio! Idem testatur S. Epiphanius lib. 3. adversùs hæreses sub finem. „ Non itaque usus tam Sanctus, tam antiquus, tantâ nixus authoritate Pontificem Maximum ad indignationem commovit. Absurda adeò, & calumnias tantummodo, ac rebellionem spirantibus „ digna ingeniis cogitatio refutationem „ non meretur. Verba quibus Propositio „ exprimitur, potiùs videntur requirere „ Divini Officii in lingua vernacula celebrationem, aut recitationem totius canonis elatâ voce æquè, ac cæterarum „ partium Sacrificii, damnatâ oppositâ consuetudine, quasi *contrariâ praxi Apostolicæ, & intentioni Dei.*

„ 2 Doctrina illa proscripta est Trident. „ sess. 22. can. 9. *Si quis dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars canonis, & verba Consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut linguâ tantùm vulgari Missam celebrari debere... Anathema sit.* Intelligi quoque propositio posset, „ ita ut commendetur populo formula „ Missæ ab eo vernaculè legenda tempore Sacrificii. Quis autem Propositionis „ etiam sic intellectæ temeritatem non „ perspiciat, quæ in usum oppositum invehitur velut *contrarium praxi Apostolicæ, & intentioni Dei*: quamvis ille pridem „ viguerit, & in multis ibi Ecclesiis hodiedum observetur?

„ Videris, Fratres Charissimi, quocumque sensu propositio accipiatur, eam vel „ Decisionibus Tridentini Concilii, vel „ antiquis Ecclesiæ usibus repugnare. Sed „ & animadversione dignum est, Scripturæ Sententiam, cui propositio (velut „ observatio) adaptatur, esse locum ferè „ unicum, quo hæretici abutuntur, ut suam „ celebrandi Vernaculè Divina officia, „ stabiliant consuetudinem, oppositamque „ catholicorum damnent. Ecclesiæ igitur „ defensionem suscipere oportuit, aut saltem loqui adeò dilucidè, ut non videretur præstari hæreticis, ac Novatoribus „ patrocinium. Locus, tempus, circumstantiæ cæteræ id postulabant, sed magis videtur Authoris consilium fuisse suffragari hæreticis eisque adversùs Ecclesiam „ arma subministrare „. Hactenus Galliarum Episcopi: Quorum adversarius impudenter deridet Eminentissimum Rohanum Argentinensium Antistitem, propterea quòd Parochos suos moneat, nè sinant promiscuè omnes, etiam cantûs penitùs ignaros efferre cum cæteris voces atque indecoram in officio Divino efficere *cacophoniam*.

Monuit Cardinalis istud meritò quia turbare alios, & offendere natum est, quod in catholico apud Batavos oratorio præsens observavi. Canebat Vesperas fidelium multitudo, inter quos multi concinnè; sed hiulcis, & stentoriis vocibus aliqui universam pessumdabant harmoniam, ut Sacerdos oratorio præfectus cogeretur post Psalmi unius terminum palàm reprehendere defectum, & monere, ut tales, vel silentio se continerent, vel canerent moderatiùs. Omnes etiam mulieres tempore Apostolorum in Ecclesiis cecinisse, nescio an assertum voluerint Galliæ Episcopi: Sanè non vetustas qnælibet ad Apostolos usque extenditur, & in ipso 1. Cor. 14. Cui Quesnellus damnabilem suam applicuit observationem, decernit Apostolus, ut *Mulieres in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui; sed subditas esse .... Turpe est enim mulieri loqui in*

in Ecclesiâ ... Omnia autem honestè, & secundùm ordinem fiant.

3 Unde verisimile est, mulieres illo tempore cum viris in Ecclesia non cecinisse. Qui scilicet cantu vocem exerit, *tacere* non dicitur. Magis quoque secundùm ordinem, & honestatem fieri videbitur, si virili cantui fœmineus in Ecclesiâ non misceatur. Ita sensit, & opere exequitur Ecclesia quodammodo universa. Cornelius à Lapide in hunc locum objiciens sibi cantum Monialium, respondet cum Cajetano, Chorum Monialium non censeri Ecclesiam, ut hìc intelligitur promiscuus fidelium conventus; *Apostolus enim non vetat mulieres loqui, aut canere inter mulieres; sed tantùm id fieri vetat in communi Ecclesia; ubi scilicet tam viri, quàm mulieres conveniunt*. Ita cum Cajetano à Lapide.

Sed Apostolorum tempore, ferventibus persecutionibus, quando nonnisi clam & ferè in locis subterraneis conventus celebrare Christianis licuit, existimo parum sonoris cantibus indultum.

Cecinerunt remoto insidiarum periculo; sed viri utcumque ad cantum comparati, minùs autem apparet credibile, inconditam multitudinem, voces incompositas junxisse; unde nec decor, nec ordo, qui præcipitur, valeat expectari. *Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant* (inquit Apostolus) Peritioribus autem canentibus, respondebat plebejorum turba infima, vocibus quoque claris *Amen*, teste Justino Apologia 2. in fine. Unde S. Hieronymus in commentario Epistolæ ad Galatas sub finem: *In Ecclesia* (inquit) *Romanâ ad instar Cœlestis tonitrui reboat Amen*. Idem indicat Apostolus 1. Cor. 14. v. 16. *Cæterum si benedixeris Spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem? quoniam, quid dicas, nescit*.

Qui supplet locum Idiotæ, sive, ut Græca exprimunt, *qui occupat locum idiotæ*: Plebs nempe rudis in conventibus sedebat loco separato à Prophetis, & Doctoribus: Ita Chrysostomus, Theodoretus, à Lapide. Nunc autem, ut posterior observat: Vitandæ confusionis gratiâ, pro multitudine in sacrificiis respondet *Amen* solus minister qui supplet locum idiotæ, seu plebis. Ita S. Thomas, Primasius, & Haymo, qui idcirco desiderant ministrum Sacrificii intelligentem: quod quidem congruum foret: Sed non esse necessarium praxis Ecclesiæ demonstrat. Neque hoc loco sensum Apostoli esse, suscipit à Lapide ostendendum, ex eo quod non agatur *de benedictione*, quam Sacerdos dat in Sacrificio; sed de orationibus quas Christiani pro sua quilibet devotione composuerant: Dein autem ad documentum, & ædificationem aliorum recitabant in conventibus. Ut iis itaque populus responderet *Amen*, oportuit eas intelligi; ne fortè erroneum, vel etiam hæreticum contingeret pro religioso dogmate approbari; quod in Psalmis, & precibus authoritate Dei, vel Ecclesiæ consecratis minimè metuendum est.

4 Ex eo etiam quod Apostolorum tempore cantus Ecclesiasticus communis esset populo, non sequitur idem modò necessarium esse, aut magis conveniens. Neque factum quidlibet, aut permissum tempore Apostolorum, tamquam praxis Apostolica atque à Deo imposterum quoque intenta debuit existimari, ejusque omissio velut Divinæ contraria voluntati: nam usus varios permittunt, ac sæpe exigunt diversæ rerum, personarum, temporum circumstantiæ, mutationem dictante ipso, qui summos Ecclesiæ Rectores, & Christi Vicarios dirigit, Divino Spiritu.

Mutationum istiusmodi exempla obvia sunt. Sacrificium initio celebratum absque illo, qui nunc est Sacrarum Vestium, & ceremoniarum apparatu. Christus Sacrificium instituit, & operatus est Vesperi, non jejunus: non jejunis etiam Apostolis Eucharistiam distribuit: Apostoli, & Discipuli etiam laicis usum calicis concessere: accepere hi species panis, & vini suis manibus. Hæc, & plura istiusmodi adversus Ecclesiam jactare solent hæretici, quasi *à praxi Apostolica, & intentione Dei* recesserit. Ab illis mutuatus videtur Quesnellus proscriptum Articulum, ejusque vindicias, non minùs temerarius Documenti Pastoralis centum Antistitum impugnator.

Plerique, inquit, *usus veteres, qui apud nos* [in Galliis] *conservantur, hoc tempore in Italia penitùs sunt aboliti*. Quod non solùm à plerisque, sed ab omnibus viris Sapientibus convitium malesanum, & calumnia impudens censebitur. Cur autem hic solam Italiam in invidiam vocat, prætereuns Hispaniam, Lusitaniam, Poloniam, Germaniam, qua parte orthodoxa est, Belgium quoque catholicum? Contumeliæ nempe suæ ineptias detexisset, si universam præter Gallias accusasset Ecclesiam velut praxi Apostolicæ, & Divinæ contrariam intentioni. Istud quoque adversarius resciat, usus aliquos potuisse olim Sanctos esse, qui modo, nec Sancti forent, nec liciti: de quo exempla jam retuli: Paulus circumcidit Ti-

Timotheum; postea tamen Galatis, & Christianis cæteris denuntiat cap.4. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*. Plura ubi opus fuerit, in promptu sunt.

5 Emergentes scilicet postea rationes, & hominum, seu infirmitas, seu temeritas, velut etiam Sacrorum freqnens nimiùm abusus, mutationem subinde Ecclesiæ suadet, non fidei; sed disciplinæ. Ab ipso Apostolorum tempore Ecclesia deprehendere cœpit, & lugere abusus communicantium in cœnâ, non jejunè 1. Cor. 11.

Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare; unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum: & alius quidem esurit; alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?

Usus tamen non jejunè communicandi in Ecclesiis nonnullis tenuisse plura secula exploratum est, Sozomenus de suo tempore testatur lib.7. Hist. cap.29. cum in multis Ægypti pagis, & urbibus servari. Idem de quibusdam aliis Ecclesiis indicat Concilium Carthaginense 3. can. 29. Poterantne Ecclesiæ istæ cæteris omnibus exprobrare, quod disciplinam susceperint *Praxi Apostolicæ, & intentioni Dei contrariam*? una eademque Dei intentio est, pro diversis circumstantiis diversum, etiam prioribus subinde oppositum, sive suadens, sive præcipiens.

Temeraria & falsa adversarii suspicio est, Pontificem ex usu Italiæ tulisse sententiam. Ecclesia ut monui extra Gallias universa, Romanam praxim sequitur; sed & morem oppositum qui in Galliis est popularis cantûs, novere pridem Pontifices, eumque, ut sanctum commendari à centum illius Regni Episcopis in Documento Pastorali legit, & absque offensione tolerat CLEMENS XI. Proinde non istud est, ut fingit adversarius, quod in Quesnelli Articulo visum fuerit dignum anathemate; Sed intolerabilis temeritas, quâ usus à Gallicano diversus, quem reliqua Christi ubique gentium sequitur Ecclesia ab ipso proscinditur publicè, velut *praxi Apostolicæ, & Dei intentioni contrarius*.

Si cantus ille popnli in Galliâ *honestè, & secundùm ordinem fiat*, ut monet Apostolus, non est cur impediatur. Alibi verò, ubi inconcinnus, vel minus conveniens videtur, quam Cleri cique assistentium musicorum, præstat communem Ecclesiæ consuetudinem retineri. Matrimonium Sanctum est: Sanctior cœlibatus; hæreticus autem sit, qui alterutrum, ut *Divinæ intentioni contrarium* reprehenderit. Concilium Tridentinum irrita jubet esse matrimonia clandestina: Quem disciplinæ articulum Gallia non recepit, neque in hoc propterea à Sede Apostolica condemnatur.

At censuram non evaderet, quisquis Tridentinæ Synodi decretum, velut *praxi Apostolicæ, & intentioni Dei contrarium* accusaret. *Qui non manducat*, inquit Apostolus Rom. 14. *Manducantem non judicet, & qui manducat, non manducantem non spernat*. Et paulò post *Alius judicat diem inter diem; alius autem judicat omnem diem: unusquisque in suo sensu abundet*. Cantus extra officium Canonicum, & Missam, etiam in Italia, & in ipsa urbe permittitur populo: videlicet cantus litaniarum, *Tantum ergo* ante benedictionem Sanctissimi Sacramenti: Alias *Te Deum laudamus. Stabat Mater dolorosa &c.* Pueris quoque, & puellis in catechismis cantus usitatissimus, & quidem etiam adultis in Missionibus quæ Romæ toto anni tempore concursu populi maximo in templis variis instituuntur pro præparatione ad *communionem* menstruam, quæ dicitur *Generalis*. Illic à populo celebrantur cantica, quæ præcipuos fidei articulos, & pia Christianæ vitæ documenta complectuntur. Talia præter psalmos perhibentur fuisse in Ecclesiis primorum exercitia Christianorum, prout ferè singulis dictabat Spiritus, vel suggerebat memoria cum nullum adhuc esset Ecclesiasticum officium, cui istiusmodi cantica prælusere.

CAPUT II.

Impugnatur Secundus Propositionis sensus de celebrando Missæ Sacrificio in lingua vulgari.

1 CEntum Galliæ Episcopi, ut in eorum documento Pastorali, supra vidimus, ita propositionem intelligunt, ut *Divini Officii celebrationem, postulet fieri in idiomate vulgari, aut recitationem canonis elata voce*, utque consuetudinem oppositam rejiciat, velut *praxi Apostolicæ, & Dei intentioni contrariam*. Pars prior, quæ Divinum Officium fieri exigit in lingua vulgari, hic mihi exagitanda est: altera, quæ elationem vocis requirit in Canone, postea convelletur.

Notum omnibus est, Apostolos varias nactos esse excolendas doctrinâ Euangelicâ provincias. Juxta Eusebium lib.3. Eccle-fia-

siasticæ historiæ cap. 1. *Divus Thomas fortitus est Parthos, Matthæus Æthiopiam, Bartholomæus Indiam citeriorem, Andreas Scythiam, D. Joannes Asiam, ubi apud Ephesos commoratus est, & sepultus: D. Petrus Pontum, Galatiam, Bithyniam, Capadociam, cæterasque confines Provincias, & ad ultimum in Urbe Româ commoratus, ubi & Crucifixus est deorsum capite inverso. Divus Paulus, ut de se ait ipsemet ad Rom. 16. à Jerusalem usque ad Illyricum extendit Euangelium Christi, & ad ultimum Romæ sub Nerone Martyrio coronatus est.* Ita Historicus.

Quot autem in regionibus tam multis linguas arbitrabimur fuisse vulgares? Viginti duæ referuntur in solo Mitridatis imperio. Ex Pauli comitibus Crescens, & Dionysius in Gallias missus est. Marcus Petri discipulus in Ægypto primus Euangelium prædicavit, & ibidem Alexandrinæ Ecclesiæ à se constitutæ præfuit. Jacobus minor fuit Episcopus Hierosolymitanus. Philippus quoque Samariæ, & Eunucho Candacis Reginæ Euangelinm annuntiavit, ut habetur actuum Apostolorum cap. 2. Jacobus major Scythis prædicavit, & apud Traces, & in Hispania. Divum Thomam Germaniæ fuisse Apostolum, eique Euangelium intulisse asserit Divus Hieronymus in catalogo: Sempronius quoque, & ante eum S. Martyr Dorotheus Tyrius ante Nicænum Concilium in Synopsi.

2 Attamen Testamentum novum non linguis earum regionum, & Provinciarum omnibus conscripsêre Apostoli; sed Græcè solum, Hebraicè & Latinè. Neque illorum tempore ulla versio vulgaris facta legitur; quamvis, ut erant dono præditi linguarum, illis facilè scribere potuissent, ut Sermonibus prædicarunt. Non est igitur traditio Apostolica, quod Biblia vulgari idiomate, Græcum, Latinum, Hebraicum ignorantibus, legenda sint, vel quod illo Divina officia celebranda. Praxis illa quidem hæreticorum hoc tempore est, & familiaris in Ecclesiam calumnia, quasi hæc ab usu Apostolico recesserit.

Calumniæ autem superadditur à Quesnello etiam blasphemia, si celebrationem Divini officii vulgari idiomate statuat necessariam, praxim verò oppositam redarguat velut contrariam intentioni Dei; quasi Christus Ecclesiam suam, cui se promiserat adfuturum usque ad consummationem seculi, neque prævalituras adversùs eam portas inferi, in tanti momenti errore noxio tot seculis reliquisset. Hæc considerans Jacobus Ledesma jam à sesqui seculo, anno scilicet 1573. in opere erudito à Clero Galliæ approbato iterumque edi jusso Parisiis cap. 7. *Si*, inqnit, *oportebat vulgari Sermone passim Sacra Biblia tradi necessariò, & Sacrificium Christi celebrari, & Officia Divina peragi, ut hæretici ajunt, haud dubiè condemnantur, & reprehenduntur ab eis Apostoli, & eorum discipuli, qui id non fecerunt: condemnantur, inqnam, impiè, & flagitiosè ingenti impudentia ab eis omnes Apostoli, & eorum discipuli. Ipse Thomas non eis Germanicè conscripsit Euangelium, aut transcripsit, vel officia eis tradidit Divina Germanicè; at ipsi D. Thomam & factis, & dogmate reprehendunt.*

3 Prosequamur in examine Traditionis Apostolicæ, quam nobis confidenter occinunt hæretici, veriùs nacti damnatam hanc Quesnelli propositionem suis erroribus subdolè patrocinantem; si fides est centum Galliæ Episcopis talem ei tribuentibus significationem.

S. Hieronymus libro de Viris illustribus, de Bartholomæo Apostolo scribit, quod Indis Euangelium prædicaverit, tradideritque quod habebat Matthæi, quod & Alexandriam reversus secum retulerit Hebraicè scriptum, non Indicè, aut Ægyptiacè. Barnabas quoque teste Eusebio usque ad Indos orientales citeriores penetrans, reliquit eis Matthæi Euangelium Hebraicè. Ipse Matthæus, ut ait Hieronymus in prologo Matthæi, & Eusebius lib. 3. Hist. Eccles. cap. 24. Scripsit Hebraico, non Indorum, Parthorum, aut Medorum, ad quos proficiscebatur, idiomate.

Epistolas etiam suas Apostoli scripsere linguâ Sacrâ, & dialecto unicâ, licet ad quos illæ dirigebantur, populis lingua, & dialectus esset varia: Et quidem Epistola Jacobi destinabatur duodecim tribubus, quæ erant in dispersione, & earum homines plurimi inter Assyrios, & Chaldæos, alii inter Afros, alii inter Latinos, alii inter Græcos! Sanguine tamen Hebræi. Una ex Petri epistolis scribitur electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ, quas Provincias latè patentes dialectos habuisse diversas, verisimillimum est. Joannis epistola Parthis mittitur, ut Augustinus asserit lib. 2. qnæst. Euang. q. 39. Pauli ad Romanos epistola Græca est quamvis lingua eis propria non Græca foret, sed Latina.

Epistolæ Pauli reliquæ ad variarum Provinciarnm populos sunt; Corinthios scilicet, Galatas, Ephesios, Philippenses Thessalonicenses, & universæ eâdem pariter

ter dialecto. *Debuisset autem*, inquit Ledesma, citato capite, *Paulus tot linguis Epistolas conscribere, quot nationibus diversarum linguarum tradidit Euangelium. Cæteri denique Apostoli tot linguis Euangelium conscribere, in quot linguis prædicarunt, secundùm novorum istorum pseudo Apostolorum decretum: præsertim quia Apostoli acceperunt linguarum donum, & ita poterant in quavis linguâ facilè conscribere: & tamen noluerunt. Manet ergo perspicuè probata Apostolica traditio adversùs hos* [hæreticos, eisque consonos Novarores.]

4 Audiri hic etiam meretur Nicolaus Sanderus natione Anglus, qui eruditione, & vitæ integritate conspicuus, scriptis & laboribus Apostolicis ad mortem usque pro Ecclesia certavit, Romanis Pontificibus Pio IV. V. & Gregorio XIII., à quo in Hiberniam cum potestate Nuntii Apostolici missus fuit Confessor Christi, atque pro fide catholica à Patria exul.

Is lib. 7. de visibili Ecclesiæ Monarchiâ: „ Si nulla (inquit) Sacra officia ritè peragerentur, nisi quæ ab adstante plebe intelliguntur, Summus Sacerdos noster Jesus Christus, in Summi Sacrificii quod in altari Crucis obtulit Deo pro totius mundi salute, celebratione errasset; tunc enim exclamavit ardentissimâ prece, & devota voce: *Eli Eli lamma sabacthani*: & ideo non modò non à Romanis, verùm nè à Judæis quidem intellectus, ut putarent eum vocasse Eliam. Desierant enim Judæi post captivitatem Babylonicam Hebræa dialecto uti: & Syriacam potiùs proprietatem sequebantur. Officia tamen Sacra in Synagogis Judæorum passim fiebant linguâ Hebraicâ, & eâ doctâ, ut longè verisimilius sit, officia Sacra, nec ante captivitatem Babylonicam, à plebe Judaica potuisse intelligi quia linguæ vulgares, à puritate originis suæ, quæ in solis libris conservatur, ubique deficiunt.

„ Deinde Apostoli, cùm Eucharistiæ celebrationem, itemque Psalmorum in Sacris officiis decantationem, & lectionem Prophetarum gentibus ad fidem conversis traderent, Authore Justino in Apologia 2. numquam has illis in vulgari lingua peragendas tradiderunt. Nam Scripturæ non erant ab Apostolis translatæ in linguas vulgares; sed tantùm in lingua Græca legendæ fidelibus relinquebantur. Quis autem nescit, in tot ac tantis Asiæ Provinciis innumerabiles interim vulgares linguas extitisse, in quarum nulla tamen officia Sacra fierent, vel Sacramenta administrarentur. Nam si Parthi, Medi, Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Judæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphiliam diversas vocum proprietates habuerint, ut habuisse cap. 2. actorum traduntur, nec tamen Psalmi, & lectiones in officiis Ecclesiasticis vel ex vetere, vel ex Novo Testamento sumptæ, in aliâ, quam Græca lingua, & eâ non vulgari; sed vel Atticâ, vel certè doctâ ex Apostolorum Traditione proponebantur, utique certissimum est, jam inde Apostolorum temporibus officia Sacra legitimè potuisse in ea lingua peragi, quam rude vulgus ignorabat.

Hactenus Sanderus in lucubratione à Clero Galliæ approbatâ anno 1661. Dum autem adversarii ingeminant, quod *Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, sit usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei*, ipsos interrogo, an saltem Apostoli Christo in Cœna ultima consecranti voces junxerint, verba consecrationis pariter pronuntiando, ut pronunciari ea novatores volunt in quotidiano Missæ Sacrificio à rudi populo, etiam à fœminis quibus propterea Missale Romanum promiscuè obtrudunt idiomate Gallico translatum? Sed de eo mox plura. Nunc de officiis Divinis linguâ vernacula non necessariò celebrandis, traditionē prosequamur.

Non censuisse Apostolos praxim, qualis in Romana Ecclesia passim hoc tempore observatur, esse contrariam intentioni Dei, jam vidimus, cum eandem ipsi opere comprobarint. Dispiciendum superest, num deducta à tempore Apostolos subsecuto, nobis Traditio adversetur. S. Augustinus Libro 4. contra Donatistas cap. 24. *Quod universa* (inquit) *tenet Ecclesia, neque à Conciliis constitutum; sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum, rectissimè creditur*. Idem confirmat lib. 2. contra eosdem, & Epistolâ ad Januarium. Pontifex quoque S. Leo Primus sermone 2. de Pentecoste Augustino consentiens ait: *Dubitandum non est, quidquid ab Ecclesia in consuetudinem est devotionis retentum, de Traditione Apostolica, & Sancti Spiritus prodire doctrinâ.*

Ut autem ab Ecclesia ordiamur Latina, constat, in Germania, Gallia, Anglia, Hispania, Italia, & cæteris Occidentis Regionibus Latinè celebrari, & celebrata fuisse, Missæ Sacrificium, & alia Divina officia, absque eo, quòd ulla extet memoria ejus ini-

initii: unde meritò censetur non posteriorem habere originem, quàm earundem gentium ad Christum conversionem.

Idem est de Officiis Græcè celebrari solitis in Ecclesia Græca, quæ etsi Provincias plurimas complectatur diversi idiomatis; Græco tamen passim utitur in Sacrificio & Officiis cæteris. Idem statue de iis qui lingua Hebraica seu Chaldaica Divinum obeunt cultum, ut aliqui hodie in Judæa, Mesopotamiâ, & ut dicitur in Armeniâ, atque Æthiopia, in India etiam Orientali propè Flumen Indum in sacris Officiis lingua Hebraica perseverat: Hebraicis quoque fideles illi utuntur Bibliis; quamvis longè alius, ac diversissimus sit sermo eorum Vernaculus. Christianis illis à Sancti Thomæ nomine appellatio est, à quo se accepisse Euangelium profitentur: neque multum dissiti sunt à Calamine, in qua Urbe Apostolus martyrio est coronatus.

6 Provinciæ paucæ à Pontificibus obtinuêre Privilegium peragendi Sacrificia idiomate suo vulgari, propterea quòd nulli, aut vix ulli ibi forent linguæ sive Græcæ, sive Latinæ, sive Hebraicæ, periti, qui obire Divina Mysteria decenter possent, eaque pro concionibus explicare. Quod Privilegium nihil authoritatis derogat usui communi ab Apostolis, eorumque Discipulis ad hæc usque deducto tempora. An omnes Ecclesiæ Doctores, Summi Pontifices, Episcopi quantumlibet scientiâ & sanctitate conspicui, atque ipsi Apostoli & instituti ab eis Discipuli ignoravêre *intentionem Dei*, aut quod deterius est eam impiè contempserunt? Luthero scilicet atque istiusmodi hæreticis ea primùm veritas revelata est, & gratia efficax obtigit ad exequendum. Pudeat itaque potiùs adversarios, deserto Sanctorum agmine, spurcissimum sequi Apostatam, & Hæresiarcham qui se à Diabolo edoctum minimè diffitetur.

Traditio nostra confirmari potest plurimis Sanctorum Patrum Testimoniis, quibus partes aliquæ ex Missa & Divinis Officiis referuntur iisdem verbis, quibus hodie in Missa & Officiis utimur. S. Augustinus Libr. 2. de Bono perseverantiæ cap. 13. & alibi citat illud quod in Missæ Præfatione dicitur *Sursum corda*: Resp. *Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro*: Resp. *Dignum & justum est*. Idem producitur à S. Cypriano in expositione Orationis Dominicæ. Uterque autem Sanctus Africanus erat, & lingua vulgaris Africana seu Punica. Idem habet Sanctus Ambrosius in suo Mediolanensi Missali.

Simili modo Græci eadem Græcè referunt: Basilius nempe & Chrysostomus in liturgiis. Chrysostomus iterum Homilia de Encæniis. *Pater noster* in Missa recitari ait S. Hieronymus lib. 3, adversùs Pelagianos. Illa Canonis; *Qui pridie quàm pateretur &c.* Usque ad finem consecrationis, cum alia Canonis parte non exiguâ leguntur in Ambrosio lib. 4. de Sacramentis capit. 5. 6. & in ejus Missali. Partes etiam Canonis variæ referuntur à pluribus Patrum. Ab Irenæo vicino Apostolorum temporibus, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Cypriano. Græcus Canon Basilii & Chrysostomi non multum dissimilis nostro est.

7 Hymnos aliquos ex iis quos canimus, à Sancto Marco in Conventibus Alexandriæ compositos ait Eusebius lib. 7. Histor. Ecclesiasticæ cap. 18. Alexandriæ autem neque Græco, neque Latino idiomate vulgus utebatur. Illis S. Hilarius natione Gallus, & D. Ambrosius hymnos alios addiderunt, ut ait Isidorus lib. Officiorum cap. 6. Apud Græcos antiphonas, & hymnos initium duxisse à Sancto Ignatio in Antiochena Ecclesia, refert Historia tripartita libr. 10. cap. 9.

In Africa cantatos Psalmos Latinè in Ecclesiæ Conventibus, noscitur ex Augustino lib. Expositionis inchoatæ in Epist. ad Romanos. Kyrie eleison pro Latina Ecclesia suscepit Pontifex Silvester circa annum 320., ut ait Hugo de Officiis Ecclesiasticis. Ut novies diceretur statuit Gregorius Magnus in Concilio Romano sub initium seculi septimi. Antea tamen usus ille fuerat apud Græcos ut habent liturgiæ Basilii & Chrysostomi.

Vel ex eo liquet populum non semper intellexisse quidquid in Sacrificio enuntiatur. Introitus Missæ passim desumitur ex Psalmis. Sic etiam Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. ait *Initium celebrandæ Synaxeos ex Psalmodia desumi solitum fuisse: quodque Pontifex ad sanctum Altare Psalmorum incipit melos; concinentibus secum sacra Carmina omnibus Ecclesiastici Ordinis gradibus*; non autem laicis. Hugo lib. 2. de Ecclesiasticis Officiis cap. 11. refert, quod olim in Missæ Introitu Psalmus integer decantatus fuerit; postea verò ad levandum populi tædium nonnisi versiculus retentus sit.

Nullus autem Psalmus olim aut Gallicè, aut Germanicè translatus legitur: *Alleluja* cantari solitum in Ecclesia ait D. Augusti-

gustinus in Psalmum 106. & Tractat. 8. in Epistolam Joannis. Idem testatur Hieronymus Epistola 52. ad Pammachium, in Epistola ad Damasum. Est tamen *Alleluja* vox Hebraica, ejusque significatio Latinis rudibus ignota. Iterum Hieronymus Epist. ad Damasum impetravit ut in fine Psalmorum adderetur *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*.

Tempore Leonis Primi, Concilium Vasense in Gallia constituit ut ad *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*, adderetur *Sicut erat in principio & nunc & semper &c.* atque in omnibus Missis etiam Quadragesimalibus, & pro defunctis dicatur *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Telesphorus Pontifex seculo secundo in Missis, quas nocte Nativitatis cantari voluit, poni jussit *Gloria in excelsis Deo &c.* Postea S. Hilarius Pictaviensis Episcopus addidit *Laudamus Te, benedicimus Te, glorificamus Te &c.* contra hæresim Arii. Symmachus quoque Pontifex Maximus præscripsit ut *Gloria in excelsis Deo* caneretur in diebus Dominicis, & Festis præcipuis Martyrum.

8 *Pax vobis* cum responsione, *Et cum spiritu tuo* refert S. Cyrillus in Euangelium Joannis lib. 12. cap. 54., & Chrysostomus in cap. 9. Matthæi 33. & alibi. Initio Ecclesiæ, teste Dionysio de Hierarchia Ecclesiastica cap. 3., canebatur in Missa Symbolum Apostolorum, cui contra Arianam hæresim substitutum fuit seculo quarto Symbolum Nicænum. Inter Canones Apostolorum extat Canon *Omnes fideles* ut refertur de Consecratione distinctione 1. quo præcipitur omnibus fidelibus ut *convenientes sacris solemnitatibus ad Ecclesiam Ecclesiasticas Scripturas Apostolorum & Euangelium audiant*. Eadem ut legerentur in Ecclesiâ præcepit Anacletus sub annum centesimum, quando nulla adhuc vulgatis versio comparuit.

Si ad posteriora secula nos convertimus, recentiores Ecclesiæ Patres & Doctores, ut Bedam, Bernardum, Hugonem, Thomam Waldensem &c. reperiemus ab omnibus lacinias Missæ referri eodem, quo nunc leguntur idiomate. Scripturas quoque Latino, non vulgari Patriæ suæ legi sermone solitas, testatur Beda in prooemio Historiæ Ecclesiasticæ Anglorum: ubi situm Insulæ Britannicæ describens: *Hæc* (inquit) *in præsenti juxta numerum Librorum, quibus Lex scripta est, quinque gentium Linguis, unam eamdemque summæ sublimitatis scientiam scrutatur & confitetur; Anglorum videlicet, Britonum, Scotorum, Pictorum, & Latinorum, quæ meditatione Scripturarum omnibus est facta communis*. Ubi juxta quatuor Nationum numerum totidem idiomata recenset singulis vulgaria nationibus, addens Latinum *meditatione Scripturarum factum omnibus commune*.

Dicesne Patres illos ex vulgarium linguatum versionibus ita scripsisse? ineptissima ea est & facile convellenda suspicio; fieri enim minimè potuisset, ut in suis versionibus ita inter se & nobiscum omnes vocibus convenirent, quemdmodum adamussim convenisse perspicimus. Apostolica igitur & certissima Traditio est de Sacrificiis atque officiis Divinis in Occidentali seu Latina Ecclesia, Latino idiomate celebratis. Ubi aliud postea concessum non ex institutione primæva, aut praxi Apostolorum est, sed Posteriorum quorumdam indulgentiâ Pontificum, propter singularem in istiusmodi natione omnis Sacri idiomatis imperitiam.

Ex hactenus allegatis arbitror satis manifestum, non requiri necessariò, in rudi populo intelligentiam omnium quæ in Divino recitantur Officio, aut Missâ; quamquam Pastoribus imponitur onus, præcipua illic contenta in concionibus exponendi. Necessitatem ab adversariis, vel hæreticis confictam quasi praxis nostra sit *intentioni Dei contraria*, proinde illicita & perniciosa, licèt ex superioribus lectori admodum facile sit subvertere; juverit tamen ad infringendam ampliùs pertinaciam, probationibus abundare.

CAPUT III.

Ad utilitatem populi non est necessaria ipsi intelligentia, potissimum distinctæ orationis publicæ, quæ pro ipso fit in Divinis Officiis.

1 CAlvini dogma necessitatem illam adstruens, omnes semper Catholici, velut erroneum detestati sunt. Subruitur autem ex Testamento tum vetere, tum Novo. Nam Levitici cap. 16. ingrediente Pontifice Sancta Sanctorum, ut pro se & universo Israel precaretur Dominum, nemini manere in Tabernaculo licuit; ita ut neque videret Populus, neque audiret quid intus à Pontifice ageretur. Sciebat solummodo generatim Pontificem orare pro omnibus, cui pia vota sua & preces jungebant singuli. Refertur etiam Lucæ cap. 1. quod foris stante universa multitudine ingressus Zacharias Templum Domini po-

ponet et incensum; atque ita solebat clam omnibus Pontifex die expiationis in Sancto Sanctorum offerre Sacrificium pro suis & populi peccatis.

Paralippomenon lib. 1. cap. 16. & 23. præcepit David Levitis & cantoribus, non universo populo, ut quotidie, festis præcipuè canerent, & laudarent Dominum, etiam instrumentis musicis. Sic cap. 23. dicitur *Levitæ stent mane ad confitendum, & canendum Domino, similiterque ad Vesperam tam in oblatione holocaustorum Domini, quàm in Sabbatis & Kalendis & solemnitatibus reliquis, juxta numerum & ceremonias uniuscujusque rei jugiter coram Domino.*

Orationes illæ indubiè proderant populo, pro quo fiebant: non tamen omnes singula poterant distinctè intelligere, præsertim cùm psalmos canerent, prout à Davide fuerant compositi; quia idioma vulgi postmodum fuit in plurimis immutatum. Minùs etiam intelligebat rudis populus mysteria in psalmis contenta, quæ hodiedum vix assequuntur Theologi, & Sacrorum periti idiomatum.

2 Constat quoque ex Dionysio de Hierarchiâ Ecclesiasticâ, & historiâ celebri de S. Ambrosio, & Theodosio Imperatore, quod pridem in Ecclesia chorus, in quo Clerus caneret, separari cœperit à frequentia populi. In Concilio etiam Laodiceno quod seculo quarto celebratum est, cap. 15. statuitur, ut *nemo psallat præter Canonicos psaltas*, concinnè scilicet & juxta regulas canendi peritos. Quomodo autem Clero à multitudine separato, præsertim in magnis Urbibus, & Ecclesiis intelligere omnes poterant, quæ à Clero eminus canebantur?

Initio quidem, ubi exiguus erat fidelium numerus, & Clerus vix ullus, canere potuit etiam populus; at crescente postmodum multitudine ordo decentior constitutus est, ut Divina celebrare officia, & docere atque exhortari populum ad Ecclesiæ ministros pertineat, quos populi est audire & privatis vacare Christiani hominis exercitiis. Sic dicunt Apostoli Act. cap. 6. *Nos orationi & ministerio verbi instantes erimus.*

Ministerium Verbi impletur concionibus, hortationibus, & institutione publicâ ac privata. Ex his satis populus comparatus est ut noverit, orationes publicas Sacerdotum, & Sacrificia pro se, & suo nomine fieri ad Deum per Christum, Caput, Mediatorem, & Servatorem omnium hominum, maximè fidelium, qui ad dexteram Patris sedet, Sponsæ suæ Ecclesiæ orationes exaudiens. Notum fidelibus est, quòd Ecclesia suis filiis per ministros à Deo petat gratias, justitiam, beatitudinem, bona quoque temporalia ad eam potissimum conducta: & quamquam id quispiam ignoret, non desinit tamen ex Ecclesiæ precibus fructum consequi: Moniales quoque etsi quod canunt officium, non intelligant; effectu tamen ejus bono minimè destituuntur. Sciunt enim saltem se orare, & bona à Deo salutifera, ipsamque petere salutem, quod ad inflammandam pietatem sufficit, fructumque consequendum.

3 Elegans de hoc, & passim à Doctoribus probatus discursus est Origenis Homiliâ 20. in Josue „. Si [inquit] creditum est „ à Gentibus, esse quædam carmina, quæ „ precationes appellantur, quibus istud „ artis est, ut nominibus quibusdam compellatis, quæ ne illi quidem, qui invocant, norunt, solo vocis sono vel sopiantur Serpentes, vel etiam de cavernis „ protrahantur abstrusi; sæpe etiam in corporibus humanis tumores, aut alia hujusmodi voce sola reprimere dicuntur; „ interdum etiam animæ stuporem quemdam sensûs infligere, ubi tamen Christi „ non resisteret fides: Quantò magis precationibus & carminibus validiorem, „ & potiorem dicendam credimus quemcumque illum Scripturæ Sanctæ vel Sermonem, vel nominum appellationem?

„ Sicut enim apud Infideles contrariæ „ virtutes audientes illa, vel illa nomina „ in carminibus, vel præcantationibus adsunt, & exhibent famulatum, & dant „ operam in hoc, ad quod vocati se ex illo, vel illo nomine senserint, officii sui „ rem quodammodo, ac ministerii, cui semetipsos mancipaverint, dependentes; „ eo magis utique cœlestes virtutes, & „ Angeli Dei, qui nobiscum sunt, sicut & „ Dominus de parvulis Ecclesiæ dicit: quia „ Angeli eorum semper assistunt in conspectu Domini, videntes faciem ejus libenter & gratè accipiunt, si semper verba „ Scripturæ, & horum nominum appellationes, velut carmina quædam, & præcantationes ex nostro ore promamus. „ Quia etsi nos non intelligimus, quæ de „ ore proferimus, illæ tamen virtutes, „ quæ nobis adsunt, intelligunt, & velut „ carmine quodam invitatæ, adesse nobis „ & ferre auxilium delectantur.

„ Quod autem sint non solùm circa nos „ multæ divinæ virtutes, sed etiam intrà „ nos, indicat Propheta, cùm dicit in „ Psal. 102. *Benedic anima mea Dominum, „ & omnia interiora mea nomen Sanctum „ ejus*

,, *ejus* : hoc est, omnia, quæ intrà me sunt.
,, Constat ergo multas esse virtutes intrà
,, nos, quibus, vel animarum nostrarum
,, cura, vel corporum permissa est, quæ
,, utique, si Sanctæ Scripturæ leguntur à
,, nobis, delectantur, & validiores ergà
,, nostri diligentiam fiunt, si linguis loqua-
,, mur, & Spiritus noster oret, *sensus au-*
,, *tem noster sinè fructu sit*. Dixit enim &
,, hoc Sanctus Apostolus, & mirum quod-
,, ammodo mysterium humanis auribus
,, protulit, dicens, aliquando fieri posse,
,, ut Spiritus, qui in nobis est, oret, & sen-
,, sus noster sinè fructu sit. Intellige ergo
,, ex hoc, quia fit aliquando, noster qui-
,, dem sensus sinè fructu, Spiritus autem,
,, id est, virtutes illæ, quæ animæ nostræ in
,, adjutorium datæ sunt, pascuntur, & re-
,, ficiuntur ex auditu Scripturæ Sanctæ, vel-
,, ut ex Divinis & rationabilibus cibis.

,, Quid dico, quia Divinæ virtutes pa-
,, scuntur & epulentur in nobis, si nos ver-
,, ba Divinæ Scripturæ proferamus ex ore?
,, Ipse Dominus noster Jesus Christus, si
,, nos inveniat iis vacantes, non solùm
,, pasci & refici dignatur in nobis, verùm
,, etiam, si has epulas apud nos viderit ap-
,, paratas, patrem secum dignatur adduce-
,, re; *Ego & Pater* [inquit] *veniemus & cœ-*
,, *nabimus apud eum*, sed sicut ex hujusce-
,, modi meditationibus, Divinarum ergà
,, nos virtutum officia, & consortia provo-
,, camus: ita etiam è contrario, maligna-
,, rum virtutum insidias & pessimorum Dæ-
,, monum incursiones ex hujusmodi Ser-
,, monum appellationibus effugamus: ver-
,, bi gratia, ut si quis nostrûm aliquando
,, perspexit, præcantationibus sopitum
,, Serpentem portari in manibus, vel pro-
,, trahi de cavernis, nihil valentem noce-
,, re venenis, utpote incantationis virtute
,, torpentem: ita etiam lectionis Divinæ
,, virtute, si quis intrà nos est contrariæ
,, potestatis Serpens, si quis ad insidian-
,, dum coluber latet, si patienter feras, si
,, non tædio fatigatus avertas auditum,
,, Scripturæ canonibus, & divini Sermonis
,, assiduitate depellitur.

,, Si ergo vides, ô Auditor, aliquando
,, legi Scripturam in auribus tuis, quam
,, non intelligis, & sensus ejus tibi vide-
,, tur obscurus, interim hanc primam scias
,, te suscepisse utilitatem, quod solo audi-
,, tu, velut præcantatione quadam, noxia-
,, rum virtutum, quæ te obsident, & quæ
,, tibi insidiantur, virus depellitur & fu-
,, gatur. Observa tantùm, ne efficiaris sic-
,, ut aspides surdæ, & obturantes aures
,, suas, ne audiant voces incantationis &
,, venefici, quo incantantur à sapiente.

,, Hæc autem idcirco diximus, ne fasti-
,, dium capiamus, audientes Scripturas,
,, etiamsi non intelligimus; sed fiat nobis
,, secundùm fidem credentibus: quia om-
,, nis Scriptura Divinitus inspirata est, &
,, utilis; etiamsi non sentiamus, credere
,, tamen debemus, quia utilis est. Solent
,, medici interdum præbere cibum aliquem,
,, interdum etiam potum aliquem dare, v.g.
,, ad discutiendum caliginem visûs; nec
,, tamen in edendo ipso cibo, vel in po-
,, tando sentimus, quia utile est, & prodest
,, oculis; sed cùm transierit visum cibi il-
,, lius & poculi virtus, paulatim purgat
,, aspectum, & tum demum sentire incipi-
,, mus, quia cibus ille & potus profuit ocu-
,, lis. Hoc ergo modo credendum est etiam
,, de Scriptura Sancta, quia utilis est, &
,, animæ prodest, etiamsi sensus noster ad
,, præsens intelligentiam non capit: quo-
,, niam & bonæ virtutes, quæ nobis adsunt,
,, reficiuntur, & contrariæ torpescunt his
,, meditationibus & effugantur ,,. Hacte-
nus Origenes.

4 Imò juxta Augustinum etiam erroneæ preces à rudibus, & non intelligentibus audiri, & recitari possunt non solùm fide innoxia; sed etiam cum pietatis sensu, & inclinatione voluntatis in Deum undequaque Sanctâ, atque ad impetrandum quidpiam à Deo & merendum maximè idoneâ. Sic lib. 6. de Baptismo contra Donatistas cap. 25. ait:
,, Plerumque precis vitium superat dicen-
,, tis affectus, & quia certa illa Evangeli-
,, ca verba, sinè quibus Baptismus non po-
,, test consecrari, tantum valent, ut per il-
,, la sic evacuentur, quæcumque in prece
,, vitiosa contra regulam fidei dicuntur,
,, quemadmodum Dæmonium nomine Chri-
,, sti excluditur &c.

Ibid. inferiùs: ,, Multi irruunt in preces
,, non solùm ab imperitis loquacibus; sed
,, etiam ab hæreticis compositas, & per
,, ignorantiæ simplicitatem non eas valen-
,, tes discernere, utuntur eis, arbitrantes,
,, quòd bonæ sint; nec tamen quod in eis
,, perversum est, evacuat illa, quæ ibi recta
,, sunt; sed ab eis potiùs evacuatur: sicut in
,, ipso homine bonæ spei, & probabilis fi-
,, dei; sed tamen homine, si quid aliter
,, sapit, non inde evacuantur, quæ rectè
,, sapit, donec ei Dominus revelet, quod
,, aliter sapiat.

Iterum Augustinus lib. 3. contra Donatistas cap. 15. ,, sub iisdem verbis [scilicet
,, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus San-
,, cti]

„ cti] non solùm Marcion, aut Valentinus, „ aut Arius, aut Eunomius; sed & ipsi car- „ nales parvuli Ecclesiæ, quibus dicebat „ Apostolus 1. Corint.3. Non potui loqui „ vobis, quasi spiritualibus; sed quasi car- „ nalibus, si possent singuli diligenter in- „ terrogari, tot diversitates opinionum „ fortassis, quot homines numerarentur; „ animalis enim homo non percipit ea, quæ „ Spiritus Dei sunt; accipit tamen unus- „ quisque secundùm fidem suam; seu quan- „ tum capit, gubernante illâ misericordiâ „ Dei, de qua præsumens idem Apostolus „ dicit: si quid aliter sapitis, id quoque „ Deus vobis revelabit.

„ Simplicium istiusmodi turbæ hoc quo- „ que solatium præstat Augustinus contra „ epistolam Fundamenti Manichæorum „ cap.4. „ Eam non intelligendi vivacitas, „ verùm credendi simplicitas tutissimam fa- „ cit „: Et Epist.102. ad Evodium: „ Si „ propter solos eos Christus mortuus est, „ qui certâ intelligentiâ possunt, quæ ad „ fidem pertinent discernere, penè frustra „ in Ecclesia laboramus. Non quantum „ intelligas; sed quantum credas, & quan- „ tum credendo ames, quærit Deus. Fit „ non rarò, ut qui intelligunt, contemnant, „ qui non intelligunt, afficiantur.

Unde si quis ita dispositus animo ad Divina accedat officia, vel Sacrificio inter-sit, ut Deum colere, & laudare, ei pro acceptis beneficiis agere gratias, & pro obtinendis novis, qua potest devotione precetur, licet non intelligat, quæ ab Ecclesiæ Ministris pro se, & cæteris fidelibus petuntur, canuntur, recitantur, placebit illud simplex animi exercitium, hominemque participem reddet fructuum magis, quàm alios maximâ instructos intelligentiâ; sed minùs humili, piâ, & fervidâ affectione.

5 Quocunque igitur idiomate, Officium, & Sacrificium celebretur ab Ecclesia pro fidelium salute, sive hi intelligant, sive non intelligant, orationis effectus, & impetrata ad eos beneficia derivantur, quod gemina similitudine aptissima Serpentium & medicinæ superiùs illustravit Origenes, quibus & hanc addere possumus præsenti materia viciniorem: Quisquis per Aulicos beneficium à Principe expetit, minimè solicitus est de idiomate, quo illud ipsi propositurі sint, num vernaculo, aut quovis alio quod mediatoribus opportunius videbitur; non minùs utiliter res agitur Clientis, nec minus is redditur voti compos sive postulantes pro se intellexerit, sive non.

Quid Rei refert, quo idiomate Patronus apud judicem peroraverit, & an intellectus à Cliente fuerit, an secus, modò is veniam impetret & absolutionem? Ingentibus gravatus debitis, si benefactorem nactus fuerit, qui pro se satisfaciat, nihil sua interesse meritò arbitrabitur, qualicumque moneta, aurea, vel argentea, Gallica, Hispanica, Italica, vel etiam alia peregrina sibi incognita id præstiterit. Varii interpellantes Christum pro absentibus & minimè intelligentibus precationem pro se adhibitam, optato nihilominus beneficio donati sunt.

Ad fructum igitur capiendum ex orationibus Ecclesiæ & Sacrificiis, non est necessaria populo intelligentia verborum, minùs etiam pronuntiatione vernacula, aut istiusmodi versione. Impressum animo simplices teneant Clementis Alexandrini monitum plenum solatio lib.3. Pædagogi cap. 11. *Fides non sapientium secundùm mundum; sed eorum, qui secundùm Deum sunt sapientes, est possessio. Illa autem absque literis discitur; ejus autem scriptum, quod & ad rudes, & ignaros homines pertinet, est Divinum quod vocatur Charitas, quæ est decretum Spirituale*, & omnibus melius est Scripturarum officiorumque lectionibus, potissimum vulgaribus.

6 Denique Catholicis omnibus quales videri & quidem præ cæteris volunt nostri hic adversarii, sufficere, saltem quoad Missam debet Tridentini Concilii ubique usu recepta Sanctio sess.22. de Missæ Sacrificio capite 8. *Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari lingua passim celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusvis Ecclesiæ antiquo, & à Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre & magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit qui frangat eis, mandat Sancta Synodus Pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera, hujus Sanctissimi Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis & festis.*

Eâdem Sessione Canone 9. *Si quis dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut linguâ tantùm vulgari Missam celebrari debere, aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.*

CA-

CAPUT IV.

Tertius Propositionis sensus de Canone alta voce pronuntiando subvertitur.

1 Recitatio Canonis submissa voce *eripit simplici populo* prætensum in Articulo damnato *solatium*, *jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ* per Sacerdotem orantis, atque hic usus, juxta eundem Articulum *est contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei*; quia scilicet Christus in Divinissimi hujus institutione mysterii alta voce Apostolis omnibus audientibus consecravit. Credo equidem quod, si coram solis Apostolis, aut similibus consecrandum imposterum quoque in Ecclesia fuisset, non foret inducta vocis depressio; sed longè dissimilis est præsentium in Missa dispositio.

Imo Spiritus Sanctus præsentem ritum creditur persuasisse ab initio Rectoribus Ecclesiæ tanquam Divino cultui, ac proinde beneplacito convenientem. Quod enim in Canone peragitur consecrationis mysterium, esse inter mysteria angustissimum, Sanctissimum à Catholicis agnoscitur; ideoque si quod non vulgi cujuscumque auribus ingerendum sit, istud indubiè est Consecratio, atque ita Summis Ecclesiæ præsidibus visum fuerit.

Quædam in Sacrosanctis Ecclesiæ nostræ, & Divini cultus ritibus atque effatis esse arcana, seu mysteria, quæ rudis populi superent intellectum, eique non statim patefacienda sint, complures nos edocent Scripturæ, Patres, atque in ipsis paganismi tenebris quidam naturam illustrans Divini luminis radius demonstravit. Sic Apostolus 1. Corinth. cap. 2. *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum & hunc crucifixum: sapientiam autem loquimur inter perfectos*. 2. ad Timotheum cap. 1. & 2. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me didicisti per multos testes: hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios edocere.*

Quem locum referens Clemens Alexandrinus lib. Quintò stromatum ait: „ Hîs „ germana dicit Sanctus quoque Apostolus Paulus, Propheticam & verè anti„ quam conservans occultationem, à qua, „ quæ Græcis fuerunt pulchra profluxere „ dogmata: *sapientiam autem loquimur in„ ter perfectos. Sapientiam autem non hujus „ seculi, neque Principum hujus seculi, qui „ destruunt; sed loquimur Dei Sapientiam in „ mysterio absconditam*. Deinde pauló infe„ riùs cautionem, ne sermones in vulgus „ exeant, docet hoc modo: *Et ego, Fra„ tres, non potui loqui vobis, tanquam spi„ ritualibus; sed tanquam carnalibus: tan„ quam infantibus in Christo, lac vobis po„ tum dedi; non escam; nondum enim pote„ ratis: sed nec nunc potestis; adhuc enim „ carnales estis*. Si ergo lac quidem est in„ fantium, cibus autem perfectorum nutri„ mentum dictus est ab Apostolis, lac qui„ dem intelligetur Catechesis, velut pri„ mum nutrimentum animæ; cibus autem „ suspiciens contemplatio, quæ sunt ipsæ „ carnes & sanguis Verbi, hoc est compre„ hensio Divinæ potentiæ & essentiæ „: Ita Clemens.

2 Salvator ipse exemplis pluribus & documentis Ecclesiam instituens ostendit, non omnia doctrinæ suæ capita vulgi auribus exponenda; sed plurima involvebat parabolis, ut rudis populus non intelligeret, reservans nonnisi privatim Discipulis revelanda. Sic Lucæ 8. de seminante interrogantibus discipulis quæ esset hæc Parabola, respondit Christus: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: cæteris autem in parabolis*; & Marcus in suo Euangelio cap. 4. de Christo ait: *Talibus multis parabolis loquebatur eis verbum prout poterant audire; sinè parabolis autem non loquebatur eis; seorsum autem discipulis suis disserebat omnia*.

In priora verba sic A Lapide: *prout poterant audire* „ id est, prout digni erant „ audire, ait Maldonatus ex Beda, Euthy„ mio, & Clemente Alexandrino lib. 1. „ stromatum, quasi dicat, Christus volen„ tibus Apostolis intelligere & credere, „ sinè parabolis perspicuè loquebatur, ut „ magis & magis intelligerent: Scribis au„ tem & Judæis nolentibus credere & in„ telligere, adeò obscurè & parabolicè lo„ quebatur, ut etiamsi vellent, intelligere „ tamen non possent.

„ Simpliciùs & pleniùs Theophilactus & „ Franc. Lucas hîc, ac S. Chrysostomus in „ Matth. hom. 45. quasi dicat Christus *tali„ bus*, puta facilibus & vulgaribus, *para„ bolis*, quas vulgò omnes nossent, non „ verò abstrusis & turbæ incognitis loque„ batur, ut earum corticem intelligeret, „ ac sub eis aliquid cœleste ac Divinum „ latere cognosceret: quod licèt in parti„ culari ipsa non comprehenderet; tamen „ per parabolam notam ad rem ignotam „ sub ea latentem vestigandam & perqui„ rendam à Christo incitabatur & stimula„ batur. „. Talis quodammodo notitia est, qua-

qualis populo ex recitatione Canonis occulta & consecrationis cæterorumque rituum aspectu nascitur, obscura quidem; sed idonea ut tanti mysterii reverentiam conciliet, demissionem animi foveat, simul amorem excitans, ac desiderium ejusdem intelligendi dilucidâ in sacris concionibus interpretatione.

3 Lucæ cap. 4. de Christo dicitur: *Venit Nazareth ubi erat nutritus, & intravit secundùm consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere: & traditus est illi liber Isaia Propheta, & ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit.* In quem locum Venerabilis Beda, *Quo facto*, inquit, *nos voluit admonitos, pauca quædam esse populo evulganda de Divinis rebus; multa tamen occultanda, ut quæ captum ejus longè superent.*

Pluribus id etiam factis suis videtur Deus docuisse, qui præcipua religionis mysteria non coram populo fieri voluit, sed paucissimis, initium ducens à sacrosancto Incarnationis mysterio, quod coram solo Angelo in Virgine peractum est, ac dein Josepho paucisque Sanctis consanguineis indicatum. Nativitas à stella tribus solummodo Magis revelata est: eadem dein Angelorum cantu, non populo Hierosolymitano, non superbo Herodi; sed paucis Pastoribus super gregem vigilantibus annuntiata. Transfiguratio coram tribus tantùm Apostolis facta. Eucharistiæ mysterium coram duodecim solummodo Apostolis institutum. Resurgens Christus à mortuis non se videndum omnibus præbuit; *Sed* paucis admodum, *testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducavimus & bibimus cum illo postquam resurrexit à mortuis.* Januis clausis ad Discipulos ingressus est: janais clausis Spiritus Sanctus super Discipulos descendit. Propinquiorem cum arcana sacri Canonis oratione similitudinem præsefert oratio, quam Christus in horto Gethsemani, remotis omnibus Apostolis fudit cum sudore sanguineo.

4 Caverant quoque ab initio Ecclesiæ Patres atque Doctores, ut monere cœperam, ne sublimia religionis nostræ mysteria vulgi auribus committerentur. Præclara de hoc extat Dionysii sententia lib. de Hierarchia Ecclesiastica cap. 1. „ Sacerdotii „ quidem nostri functionem, Sanctissime „ Fili Timothee, augustioris esse, ac Di„ vinæ & divinitùs indultæ scientiæ, actio„ nisque & perfectionis iis, qui sacratioris „ doctrinæ institutionem, ex Sacerdotali„ bus mysteriis, traditionibusque accepe„ runt, de Sanctarum Scripturarum maje„ state necessariò demonstrare institui.

„ Sed observa diligentiùs, ne Sancta „ Sanctorum efferas, neve profanis homi„ nibus violanda permittas: verùm reve„ reberis magis, occultique Dei mysteria „ spiritualibus, invisibilibusque notioni„ bus honorabis: atque intemerata serva„ bis, nequaquam ea passim rudibus tra„ dens; sed Sanctis solis sanctarum rerum „ intelligentias sacratiùs pandens. Sic „ enim (ut Theologia nobis suis studiosis „ cultoribus tradidit) ipse quoque Jesus „ Divina profectò atque omni substantiâ „ superior mens, & Hierarchiæ omnis, & „ expiationis, ac Divinæ actionis initium, „ & substantia, augustissimaque virtus, bea„ tissimis illis Spiritibus, & nobis naturali „ dignitate longè præstantibus, manife„ stiùs simul, atque spiritualiùs lucet: eos„ que pro viribus ad lucis suæ similitudi„ nem transfert. Nostros item varios & in„ constantes motus honestarum amore re„ rum in eo intento, nosque intendente „ constringit, & complicat, & in unam „ ac Divinam perficit vitam. „

Et paulò post circa finem ejusdem capitis. „ Non sunt tamen opertæ Divinis „ Pontificibus signorum rationes; quas in „ eos efferre fas non est, qui adhuc fidei „ rudimenta percipiunt: sciunt enim pro„ fectò ut hi, qui de sacris rebus divinitùs „ instructi leges dederunt: constantissimis „ & omni admixtione puris inconfusisque „ sanctarum distinctionum ordinibus (di„ stribuenda cuique pro merito & captu „ suo providentissima ratione censentes) „ functionem ipsam instituerunt. Quocirca „ tuis sacris pollicitationibus inductum, „ sanctum est profectò & me admonere, & „ te earum meminisse: ut eminentissimam „ Pontificalis muneris rationem nemini „ tradas, præterquam æqualibus tuis Re„ verendissimis Præsulibus, quibus sacra „ tractare institutum est: ipsosque illos „ Pontificio jure monebis, mundi ut mun„ da contingant, solisque communicent „ divina divinis, perfecta perficientibus, „ sanctisque sanctissima. Ego enim tibi, ut „ reliquorum sacrorum, ita hujus quoque „ divini muneris consortium tradidi. „

Eodem

Eodem lib. circa finem septimi & ultimi capitis. „ Efficientes consecrationis „ preces fas non est scripto interpretari, „ neque ipsarum arcanum è secreto in pu„ blicum efferre. „ Denique Sanctis Patribus à Divino Spiritu edoctis ea insedit sacrificii nostri religio, ut illud instante Canone non celebrarent, nisi jussis priùs discedere Catechumenis, Energumenis, & publicè pœnitentibus, ac dein templi foribus obseratis. Sed neque tunc Canonem nisi voce tacita pronuntiabant. Cujus rationem reddit Ambrosius lib. 6. de Sacramentis cap. 4. *Quia ineffabilibus mysteriis nulla res magis convenit, quàm silentium*. Ideo quæ in Missa & præsertim Canone leguntur suppressa voce, à Gregorio Magno libro quarto Dialogorum cap. 56. appellantur *Sacrificiorum arcana*, & à Basilio lib. de Spiritu Sancto cap. 27. *Secreta in secretis*.

5 Qualiscumque ea mysteriorum occultatio non in novo primùm nata est Fœdere: major etiam fuerat in antiquo. Agnus typicus intrà domos & in noctis silentio manducabatur Exodi cap. 12. Capite autem 19. cùm Deus locuturus esset Moysi, jubetur hic montem ascendere cum Aarone, manentibus Sacerdotibus cum populo ad montis radicem, quem si ascendere alii præsumerent, morte luerent temeritatem. Cap. 24. Solus Moyses ad verticem montis, caliginem ingressus, ascendit. Ibi, ut narratur cap. 25. & sequentibus, solus edocetur de Tabernaculi, & Arcæ Fœderis constructione. Ibi etiam solus cap. 31. & 34. tabulas Legis lapideas bis accepit. Exodi 33. Moyses solus facie ad faciem cum Domino loquitur in columna nubis ad ostium Tabernaculi: populus à longe ex ostio quisque papilionis Moysen cum Deo loquentem conspicit; Soli Sacerdoti Summo in Sancto Sanctorum, quo cæteris aditus non patebat, nomen Jehova proferre semel annis singulis licuit.

Sanctus Hilarius super Psalm. 2. & Origenes Hom. 5. in Numeros referunt, assentientibus idem quibusdam præcipuis Rabbinorum, Moysen non solùm Legem à Domino accepisse; sed arcanam etiam illius expositionem, simul cum præcepto, ut Legem populo proponeret; occulta autem ejus mysteria soli panderet ministro suo Josue & Sacerdotibus præcipuis, indictâ illis arcti silentii religione. Gregorius quoque Nazianzenus ob singularem Divinarum rerum peritiam *Theologus* nuncupatus lib. 1. Theologiæ ait, *Non omnium esse de Deo, deque rebus Divinis disserere, quodque nec omni loco, neque omnibus, neque omnia propalanda sint*.

6 Idem naturæ lumine censuere infideles plurimi, atque in eo novaturientium hodiernorum confutata est temeritas tot seculis antequam nata: præclarè de ea, aliàs cæcorum, sapientiâ sensit inter vetustissimos Patres Clemens Alexandrinus libro quinto Stromatum: „ Etiam Ægyptii (in„ quit) non quibuslibet ea, quæ apud ipsos „ erant, committebant mysteria: neque „ retum Divinarum cognitionem defere„ bant ad profanos; sed ad eos solos, qui „ erant ad regnum perventuri, & ex Sa„ cerdotibus, iis, qui judicati fuerant pro„ batissimi, & educatione, & doctrinâ, & „ genere. „

Dein multis interpositis „ Jam ergo „ nec quibuslibet volunt omnia exponi „ temerè, nec communicari bona sapien„ tiæ iis, qui ne in somnis quidem sunt „ animâ expurgati; neque enim fas est qui„ buslibet obviis ea expetere, quæ parata „ fuere cum tot certaminibus, neque pro„ fanis verbis narrare mysteria. „ Ajunt certè Hipparisium Pythagoreum accusatum, quòd apertè scripsisset decreta Pythagoræ expulsum fuisse è schola ipsique, tanquam mortuo, decretam esse columnæ erectionem.

Paulò inferiùs: „ Non soli autem Epi„ curei, & Plato multa occultabant; sed „ etiam Epicurei dicunt quædam esse apud „ se arcana, & non permittere omnibus ut „ ea scripta legant. Quin etiam Stoici di„ cunt à Zenone primùm quædam fuisse „ conscripta, quæ non facilè permittunt „ legere discipulis, quorum non priùs fue„ rit factum ab ipsis periculum, an germa„ nè & sincerè philosophentur. Aristote„ lici quoque dicunt, ex suis scriptis alia „ quidem esse interna, alia verò commu„ nia & externa. Quin etiam ii, qui fecere „ mysteria, cùm essent Philosophi, sua „ dogmata obscuraverunt fabulis, ut non „ essent manifesta omnibus: dein illi qui„ dem humanas celantes opiniones, arce„ bant indoctos, ne ad eas adirent: eorum „ autem quæ verè sunt, sanctam & beatam „ contemplationem, nonne multò magis „ celari conferebat?

„ Rursus inferiùs: Quin etiam cum Py„ thagora consuetudo, & quæ cum fami„ liaribus erat duplex conjunctio, vocans „ quosdam Auscultatores: quosdam verò „ Mathematicos, qui sincerè ac germanè „ attingebant Philosophiam: significabat „ aliud quidem dictum fuisse; aliud verò à „ mul-

„ multis fuisse occultatum.

Non multò superiùs in eodem libro: „ Propterea certè per modum occultationis, qui est verè divinus, & maximè nobis necessarius, in adyto veritatis repositum verbum revera sacrum, Ægyptii quidem per ea quæ apud ipsos vocantur adyta; Hebræi autem per velum significarunt licere solis iis adire, qui erant ex ipsis consecrati, hoc est, Deo dicati, quibus erant circumcisæ vitiorum cupiditates, per suam in solum Deum charitatem. Non mundo enim mundum tangere, Platoni quoque videbatur esse nefarium. Hinc Prophetiæ & responsa dantur per ænigmata: nec ostenduntur mysteria iis, qui temerè & impudenter accedunt; sed cum quibusdam expiationibus & prædictionibus.

Inferiùs: „ Omnes ergo, ut semel dicam, qui de rebus Divinis tractarunt, tam barbari, quàm Græci, rerum quidem principia occultaverunt, veritatem autem ænigmatibus, signisque ac symbolis, & allegoriis, rursus & metaphoris, & quibusdam talibus tropis modisque tradiderunt, cujusmodi sunt etiam apud Græcos oracula.

Et paulò post: „ Dicit autem per Isaiam quoque Prophetam spiritus: Dabo tibi thesauros tenebrosos, occultos. Dei autem thesauri, & quæ non deficiunt divitiæ, est venatu difficilis sapientia. Quin etiam Poëtæ, qui à Prophetis didicere Theologiam, per arcana sensa multa philosophantur, Orpheus, Hesiodus, & qui ea sunt ratione sapientes. Velum autem eis apud vulgus est Poetica delectatio, somniaque & symbola, quæ sunt omnia hominibus obscuriora. „ Hæc Clemens Alexandrinus.

7 Hermes Trismegistus in Asclepio, cùm de Deo, & Divinis rebus tractaturus esset, Asclepium sic alloquitur: *Nullum voca alterum, ne tantæ rei religiosissimus Sermo, multorum interventu venientium, præsentiaque violetur. Tractatum autem totâ Numinis majestate plenissimum irreligiosæ mentis est multorum conscientiâ publicare.* Idem sæpe repetitur in libro cui titulus Pimander. Similiter Pindarus ait: *Non licet apud omnes veterem aperire orationem, præterquam fidelissimis silentii viis*; ut enim, & Porphyrius scribit lib.7. Historiæ tripartitæ cap.2. *Amat natura celari: nec Divina mysteria Deus patitur in aures vulgi introire pollutas. Aurum, & gemmas in altissimas terræ latebras natura condidit: ita magno habentur in pretio: vilescerent; si essent exposita.*

Plato scribens Dionysio de quibusdam Sacris Mysteriis, monet ut mox epistolam deleat, ne forsitan in manus vulgi eam incidere contingat. Imò Tarquinius Rex Marcum Tullium Duumvirum, propterea quòd librum arcana Sacrorum continentem, suæ fidei atque custodiæ commissum, Petronio Scabino describendum dedisset, culeo insutum, in mare projici jussit, ac justissimè id quidem, ait Valerius lib. I. de servanda religione. Sed missis profanis auctoribus, redeo ad Sacros: Basilius Magnus compendio pulcherrimo omnia complectitur lib. de Spiritu Sancto cap.27. *Patres nostri in silentio, quod curiosos, & otiosos submovet, quædam servaverunt: pulchre quidem illi, nimirum docti, arcanorum venerationem silentio conservari. Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui conveniebat horum Doctrinam publicitus circumferri scripto? Aut quid tandem sibi voluit magnus ille Moyses, qui non omnia, quæ erant in templo, passus sit omnibus esse pervia; Sed profanos extra Sacros cancellos statuit? Priora atria purioribus permittens, levitas solos dignos censuit Numinis ministerio. Mactationes autem, & holocaustomatum oblationes, reliquumque ministerium Sacerdotibus assignavit, atque unum ex omnibus selectum in adyta recepit: ac ne id quidem semper; sed uno tantùm die quotannis. Rursus, & hujus diei certam horam, qua fas esset ingredi, præstituit, quo propter novitatem, & insuetudinem cum stupore intuerentur Sancta Sanctorum, probè sciens pro sua Sapientia, res usu tritas, & undecumque parabiles, expositas esse contemptui. Cæterùm ei quod sepositum est, quodque rarum est, huic naturâ conjunctam esse summam admirationem, ac studium. Ad eundem profectò modum, & qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli, & Patres, in occulto silentioque mysteriis, suam servavere dignitatem. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares, ac vulgares aures effertur.*

8 Ut etiam aliquid ex recentioribus demus propinquiùs ad Quæstionem propositam pertinens: Ambrosius Catharinus Archiepiscopus Compsanus, qui Concilio interfuit Tridentino, in Quæstione, *An Scripturas expediat in maternas linguas transferri*, communem stabiliens Sententiam, quod non expediat, inter opinionis contrariæ absurda statuit quod sequitur; „ Lutherus ab initio edoctus à Diabolo, disputationes suas linguâ vernaculâ sparsit in vul-

„ gus, & cœpit adulari laicis, & idiotis, „ blandiens, & laudans eos, quod dociliores essent iis, qui Theologi habebantur, „ quos jam cœperat contemnere. Tunc „ quo vehementiùs eis gratificaretur, cœpit vertere in linguam patriam Scripturas, & Missam.

„ Quantum autem illa Scripturarum versio profuerit, testes sunt plurimæ „ hæreses, quas multis plebibus pessima „ interpretatione persuasit. Quod verò ad „ Missam attinet, eò tandem impietatis „ ptolapsi sunt, ut omnino negaverint Sacrosanctum Altaris officium, & secretas „ laudes, canonicasque preces atque gratiarum actiones, à Sanctis Patribus sanctissimè compositas, ut in Sacrificio demissa voce à Sacerdotibus rem Sacram „ peragentibus dicerentur, deriserint, itaut „ non capientes, quæ sunt Spiritûs Dei, „ evaserint in canes, & porcos, dentibus „ lacerantes Sanctum, & Margaritas pedibus conculcantes. Hi sunt fructus exorti „ à versionibus Scripturarum, & eorum, „ quæ à Patribus de industria, ut secretò „ dicerentur tradita sunt; quoniam profanum vulgus non potest penetrare arcana „ Spiritus: unde illi etiam, quæ sunt pretiosa vilescunt.

Tum adducta Superiore Basilii Sententiâ, hoc adversarios perstringit epiphonemate: „ Hæc magnus ille Basilius ad confutationem hujus perversitatis hæreticæ, „ & astûs Dæmonis, qui eo pacto percuperet Sacra arcana in contemptum exponere.

Eadem ferè sunt argumenta Bellarmini, quæ nihilominus juvat ipsius Eminentissimi verbis, sed compendio referre, additura pondus non exiguum, saltem penès Catholicos, Scriptoris authoritate. Sic habet Tomo 3. Controversiarum lib. 2. de Missa cap. 12. „ Primò utile est ad reverentiam „ tanti mysterii, ut non omnia altâ voce „ dicantur; nam ut S. Basilius rectè docet „ lib. de Spiritu Sancto cap. 27. Multum „ confert ad dignitatem, & reverentiam „ conservandam mysteriorum, ut non assuescant homines eadem sæpius audire, „ vel potiùs, ut non efferantur ad aures „ vulgi. Qualia enim mysteria sunt, quæ „ ad omnium aures perferuntur?

„ Secundò habemus exemplum antiquæ liturgiæ tum Græcæ, tum Latinæ. „ Liturgiæ Basilii, & Chrysostomi quædam præscribunt dicenda sub silentio... „ In Liturgia Chrysostomi, ubi legimus: „ Sacerdos orat secretò, vox Græca μυστικῶς „ non significat voce moderatâ; sed planè „ secretò; nec enim dicuntur mysteria; „ quæ moderata voce publicantur; sed „ quæ omnino celantur. Præterea ibidem „ monetur Sacerdos illas preces secretò „ recitare, dum Diaconus altâ voce canit „ Litaniam.

„ De Latina autem Liturgia habemus „ testimonium Innocentii Primi in epist. „ ad Episcopum Eugubinum cap. 1. ubi interrogatus de tempore, quo in Mysterio „ Missæ pax danda est, apertè indicat, præcipuam partem Missæ esse secretam: nec „ audet aperire quæ sint illa, quæ recitantur antequam pax detur. At si totus populus illa audire consuevisset, certè nihil „ fuisset secretum, nihil arcanum, & facilè „ fuisset literis committi, quæ erant vulgò „ omnibus nota.

„ Tertiò habemus exempla Sacrificiorum veteris legis. Nam ut omittam quod „ in Sacrificiis plerumque solâ mente orabant sinè ullis verbis, Levitici 16. describitur solemne Sacrificium incensi, ac jubetur solus Sacerdos in velum ingredi, „ & sacrificare, atque orare pro se, & populo, omnibus aliis foris expectantibus, „ & non modò non audientibus; sed nec „ videntibus Sacerdotem: quo etiam ritu „ sacrificasse Zachariam patrem Præcursoris legimus Lucæ cap. 1. „. Huc usque Bellarminus.

Denique si proscripto Quesnelli dogmate asseritur, quod asseri suspicantur centum Galliæ Episcopi, consuetudinem Ecclesiæ legendi Missæ Canonem in silentio, *esse contrariam intentioni Dei*, evidens est Quesnellum feriri anathemate Tridentini Concilii lato sess. 22. can. 9., quem retuli in fine capitis præcedentis: nempe *Si quis dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissâ voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse ... anathema sit*.

CAPUT V.

Convellitur Quartus Propositionis sensus de vertenda Missæ formula in linguam vernaculam, & à populo promiscuè legenda tempore Sacrificii.

1 Dignus omnimodè fuit Christianissimo Galliæ Clero Zelus, quo contra vernaculas Missalis Romani, & Scripturarum versiones exarsit anno 1660. mense Novembri, quo sacer ille ordo celebrans Comitia generalia Parisiis, atri-

utrique se novitati totis viribus opposuit. Missalis translati Gallicè editionem facultate suâ munierant Vicarii Generales Parisiensis Archiepiscopi Cardinalis de Rets, qui prohibitionis sententiam à cœtu Antistitum latam, authoritatis suæ, ac jurisdictionis violationem non tolerabilem censuerunt. Detulerunt autem Comitia causam, ut par erat, ad Alexandrum VII. Pontificem epistolâ non minùs forti, & solidâ contra novitatem, quàm erga Summum Christi Vicarium submissâ. Partem ejus Scripturarum versionibus adversam retuli in certamine contra Propositionem 79. Superest exhibenda pars altera, quæ ad Missalis pertinet versionem. Exordii quoque aliquid utrique partium commune necessariò repetendum.

BEATISSIME PATER.

„ Priscus laudabilis, atque perpetuus „ Ecclesiæ Gallicanæ mos est, ut sive congregati quolibet Quinquennio Præsules, „ sive qui in Curia Regia pro variis Ecclesiarum suarum negotiis degunt, juxta „ nominis, ac dignitatis suæ rationem, super Dominicum gregem vigilantes, utpote in partem solicitudinis tuæ vocati, „ illud inprimis tanquam optimi Pastores „ curent, ne in ovilia sua aut Lupus irrumpat, aut vulpes illæ parvulæ, quæ demoliuntur vineam Domini Sabbaoth, cautè „ in eam; sed perniciosè irrepant, sparsis novitatum zizaniis, tantò nocentioribus, *quanto illa*, ut haber Divus Augustinus, *sub mentito nomine servitutis Dei* „ *decipiunt*.

„ Cùm itaque prodiisset nuperis hisce „ diebus Missale Romanum, è Latino in „ vulgarem linguam conversum, ac per „ columnas divisum, habens ex una parte „ textum Latinum, ex altera verò Gallicum; ad rei novitatem continuò animum „ ereximus, reque primùm ad nos qui publica Cleri Gallicani Comitia, Pontisaræ coacta, ac deinde Lutetiam translata „ celebrabamus, accuratè perpensa, illam „ omninò improbavimus, tanquam ab Ecclesiæ consuetudine alienam, nec nisi cum „ ingenti animarum pernicie conjunctam.

„ Ne quid tamen in re tanti momenti „ festinatò, aut præcipitanter agere videremur, cæterorum etiam hujus Regni „ Antistitum, qui fortè in hac ipsa Curia „ pro emergentibus quotidie piis causis ad „ tempus morantur, numero sex supra triginta reperti, cœtum collegimus, qui „ omnes diligentissimè discussis utriusque „ partis rationum momentis, nihil ut ad „ perfectam veritatis notitiam assequendam desiderari posset, censuerunt communibus votis, non modò, qui Episcopali charactere insigniti sunt; verùm „ etiam qui secundi Ordinis in Ecclesia „ Gallicana partes tenent, qua natalibus, „ qua Doctoratus Laureâ, qua morum integritate spectatissimi, prohibendam esse, & abrogandam novam hanc Missalis „ Romani editionem, ac in nostratem linguam translationem, & alias hujuscemodi: hortandosque universos Galliarum „ Præsules Fratres, & Collegas nostros „ per epistolam encyclicam, ut eorum quilibet in suis Diœcesibus, earum distributionem, lectionem, & usum etiam sub „ anathematis interminatione, fidelibus „ interdicant: orandum præterea Christianissimum Regem, quatenus solitâ, qua „ præstat pietate, à gloriosissimis Regibus „ antecessoribus suis quasi hæreditario jure ad se transfusâ, & acceptâ, brachii „ Regalis opem, ad saluberrimum hocce „ Decretum potentiùs executioni mandandum non deneget.

2 „ Inducti autem fuimus Beatissime „ Pater, hoc est, universus iste Patrum, & „ Comitiorum generalium cœtus, multis „ iisque gravissimis rationibus, quæ Beatitudinem tuam rerum omnium encyclopædiâ, & cognitione pollentem non latent: ac potissimùm quod præter antiquitatis reverentiam, postulet ipsa Christianorum rituum, ac mysteriorum dignitas atque majestas, ut ea vulgo, & quibusvis obviis non exponantur, ne ipsâ „ suâ frequentiâ, & assiduitate vilescant, „ sintque eò magis mira, & veneranda, „ quò rariora. Neve apicum, syllabarum, „ aut verborum immutatio, quæ ex singulorum idiomatum dialecto, & proprietate oritur, scandalum aliquod, vel offendiculum in rebus fidei, & doctrinæ ponar, fiatque hinc quod est in libris Regum, ut unaquæque gens atque Provincia fabricata sit sibi Deum suum, dum „ peculiarem religionem à proprio cerebro sibi fingit ex depravatis, aut malè „ intellectis Sacris Codicibus, ut fecere „ olim Waldenses &c.

Hic multa Antistites interserunt sapientissimè deducta contra versiones Scripturarum vernaculas, propter connexionem materiæ cum versionibus Missæ, quæ præcipua sui parte è Divino Codice excerpta est. Eam epistolæ partem, ut dixi, descriptam

ptam habes contra Articulum Quesnelli Septuagesimum nonum. Quapropter referre hîc solummodo pergam, quæ propiùs faciunt contra vernaculum Missale. Sic itaque Episcopi prosequuntur „. Ex quibus „ colligere licet, PATER SANCTE, Euangelii, „ & Missæ lectionem, aliis vitam, aliis mortem afferre; prorsusque non decere, aut „ expedire, ut Missale, seu Sacerdotalis liber, qui sub sera, & sacro sigillo in plurimis nostratibus Ecclesiis clausus etiamnum religiosè custoditur, manibus omnium teratur indiscriminatim.

„ Sed quia antiqua Patrum traditio, „ & consuetudo nos admonet, ut in arduis „ Quæstionibus, quæ vel Fidei controversias, vel Ecclesiasticæ disciplinæ regulas, „ Divinique cultus, aut Sacrosancti Missæ „ Sacrificii ritus respiciunt, consulatur prima Sedes, cùm ad eam pertineat regimen universalis Ecclesiæ, ac juxta Prophetam in omni loco offeratur Divino „ Numini, ac *nomini oblatio munda*, à qua „ secundùm multos Missa nomen suum ex „ Hebraica radice, ac notatione sortita est, „ nihil nobis, Beatissime Pater fuit antiquius, quàm ut post editum superius „ hocce Decretum, quo S. R. Ecclesiæ „ Sponsæ tuæ vestigiis inhærentes, omnium tum Divinæ Scripturæ, tum Augustissimi Sacrificii Ritualium, ac Missalium, ut vocant librorum in vulgarem linguam translationes damnavimus, illud in manibus Illustris. Domini Piccolominei Cæsariensis Archiepiscopi Sanctitatis Tuæ Nuntii reverenter consignatum, protinus ad te referremus.

„ 3 Tu enim is es, Beatissime Pater; „ in quo, & per quem Episcopatus unus „ est: qui meritò inde diceris apex Sacerdotii, fons Ecclesiasticæ unitatis, Ecclesiæ vertex, & Princeps Episcopalis coronæ. Fiat ergo, per te, ut *idem dicamus* „ *omnes, & non sint in nobis Schismata. Fiat* „ *pax in virtute tua*. Floreat Ecclesia tuo „ seculo, sicuti reverà floret, sopito, diplomatum tuorum vigore, novarum „ Quæstionum, & heterodoxorum dogmatum igne, ac incendio. Sit illa non jam „ turris Babel, ob confusionem linguarum, „ quibus Divinas laudes recitari passim „ volunt perfidi Novatores; sed *Hierusalem*, idest visio pacis, *quæ ædificatur ut* „ *Civitas* concors, *cujus participatio in* „ *idipsum*.

„ Et qui in ea Cathedra dignissimè sedes, ac præsides ejus vice, cui venti, & „ mare obtemperant, seda & compesce „ Suprema authoritate tua exurgentes in „ Ecclesiæ Pelago procellas, comprime „ tumentes hæresum *fluctus feri maris*, „ *despumantes*, ut ait B. Judas Apostolus, „ *suas confusiones, sydera errantia &c.* facque ut unus Deus una voce ubique laudetur; & nostris ea de re Decretis, quibus Ecclesiæ Sanctæ usum, & consuetudinem asseruimus, ea qua in toto illius „ districtus potestate à Deo solo tibi traditâ vales, per Apostolica rescripta vim, „ & robur adde, generali Constitutione ad „ hoc ipsum, si ita Sanctitati Tuæ videbitur, sub pœnis, arbitrio tuo, in transgressores infligendis latâ; nec in Gallia tantummodo; sed etiam ubique terrarum „ valiturâ: ut quemadmodum est *à solis* „ *ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini; & potestas ejus, potestas æterna,* „ *quæ non auferetur*; ita quoque ejus Vicarii, idest, Beatitudinis Tuæ, mandato, „ quàm latè patet universus orbis Christianus, in quo illa dominatur à mari „ usque ad mare, eâdem linguâ, eodemque Spiritu, Divina cantica, mysteria, „ & officia celebrentur. Sic te nobis, & „ Ecclesiæ incolumen Dei providentia servet ad multos annos, eosque felicissimos, prout ex animo vovent, Lutetiæ Parisiorum die septima mensis Januarii anno Domini 1661.

„ Beatissime Pater, obsequentissimi, ac „ devotissimi Sanctitatis tuæ filii, ac Servi, „ Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, & „ alii Ecclesiastici viri in Comitiis generalibus Cleri Gallicani Parisiis congregati. „ Fr. Arch. Rothomagensis Præses. De „ mandato Eminentiss. Reverendissimorumque Præsulum præfatorum, totiusque cœtus Cleri Gallicani in Comitiis „ generalibus Lutetiæ congregati.

Abbas Thoreau à Secretis.

4 Quatuor diebus post expeditam ad Alexandrum VII. epistolam, videlicet die 11. Januarii, dedit idem Comitiorum generalium cœtus alteram de eadem materia ad cæteros totius Regni Antistites, ut eos actorum omnium conscios redderet, hortareturque, ut contra invalescentem perniciem, omne secum studium conferrent. Epistolam hanc Lector accipe ex Gallico translatam.

„ Felix inter Sacerdotium, & imperium „ concordia effecerat, ut crederemus sopitas in perpetuum esse nostrorum temporum novitates adeò funestas, quæ tantis „ Ecclesiam motibus, & malis afflixerant, „ fidem & animos fidelium dividendo.

Ve-

„ Verùm quando nobis de malacia, & „ tranquillitate gratulabamur, mox alias „ prosilire novitates mœsti conspeximus, „ vel ex eo ampliùs metuendas, quod „ (quidquid sit de non pravo aliquorum „ eis patrocinantium affectu) speciosis, „ sed fallacissimis, & subtilis adeò materiæ „ obducerentur nubibus, ut à maligna lu- „ ce diem verum discernere absque cœle- „ stis illustratione auxilii non potuissemus.

„ Novitates istæ sunt Missalis Romani „ translationes Vernaculæ contra praxim „ Ecclesiæ, Doctrinamque Sanctorum Pa- „ trum, obtentu præstandi fidelibus docu- „ mentum & solatium. Non hodie primùm „ fidei, & salutis nostræ hostis, ut suos in- „ troduceret errores, dolosa pietatis & „ religionis specie usus est. Hac arte calli- „ da omnes hæreses in sinum se insinuave- „ runt Ecclesiæ; non enim decipiuntur „ oculi, nisi falsâ colorum similitudine. „ Debemus itaque gratiarum actiones Di- „ vinæ Providentiæ, quod huic Comitio- „ rum generalium cœtui zelum indiderit, „ & lumen, cum Illustrissimorum suppe- „ tiis Antistitum, qui negotiorum causâ „ Parisiis aderant; conati fuimus Provin- „ ciarum omnium deliberatione & consilio „ unanimi impedire ne virus pestilens la- „ tiùs se diffunderet, neve simplicium cir- „ cumvenirentur animi, sequendo fallaces „ documentorum obtentus, & periculo „ plenas pietatis umbras; quando sacro- „ rum lectione Voluminum præsumerent „ ea scrutari Mysteria, quæ à solis opor- „ tuit tractari Presbyteris, & Pastoribus „ animorũ; non autẽ à laicis, minùs etiam „ à multitudine rudium & fœminarum.

„ Ideò Ecclesia ad celebrandum eum „ dignitate augustissimum hoc Sacrificium, „ accepit Traditione Apostolica ordinem „ & formas consecrationum, quas in Mis- „ sis & Liturgiis adhibere solita est: Libri „ quoque quibus istiusmodi ordines, & Sa- „ cræ ceremoniæ continentur, in posses- „ sione & custodia hactenus fuere Sacerdo- „ tum. Desideravere quidem Patres om- „ nium temporum, & magna solicitudine „ laborarunt, ut Divinorum istiusmodi „ mysteriorum veritas, & majestas fideli- „ bus innotesceret, ut interessent celebra- „ tioni, & veluti pars Ecclesiæ, vota sua „ jungerent ministerio Sacerdotis, qui so- „ lus & verus sub Christo sacrificator est.

„ Sed nunquam Patres laicis obtule- „ runt sacras Missæ formulas, ut iis, dum „ Sacrificio interessent, pro pietatis opu- „ sculis uterentur. Non tamen propterea „ justa ratio est accusandi Patres, quasi ne- „ glexerint fidelibus prospicere de modis, „ ad eorum in pietate & mysteriorum usu, „ institutionem necessariis; quia, etsi non „ introduxerint versiones Missæ vernacu- „ las; sanctimoniam tamen, utilitatem, & „ effectus summo eis studio & molimine „ exposuerunt. Idem modus est, quem „ Tridentina Synodus præscripsit, ut Do- „ ctrina retineatur Catholica, & pietas fi- „ delium excitetur: præcipit ut Episcopi, „ & eorum mandato Parochi, ac Concio- „ natores diebus Dominicis & festis My- „ steria Sacrificii populo explicent.

5 „ Persuasum scilicet habuere Conci- „ lii Patres, plus inde incrementi, & secu- „ riùs accepturam in animis fidelium do- „ ctrinam sanam & pietatem, quàm si Di- „ vinum Sacrificium vulgari idiomate ce- „ lebraretur; quòd erroneè jactarunt hæ- „ retici ad institutionem populi esse neces- „ sarium. Quapropter nostri muneris esse „ duximus, versiones illas proscribere, „ prætermisso examine de earum fide aut „ perfidia, insistentes Tridentinorum Pa- „ trum vestigiis, qui versiones illas nequa- „ quam approbant, sufficere rati si myste- „ rii istius maximè venerandi præciperent „ expositionem.

„ Hæc sunt, Illustrissime Domine, quæ „ Tibi perscribere, nostramque de toto „ negotio deliberationem transmittere, „ necessarium duximus, minimè dubii, quin „ omni solicitudine curaturus sis, ut in ea „ Diœcesi accuratissimè observentur, eli- „ minatis istiusmodi versionibus, earum- „ que sub excommunicationis pœna pro- „ hibeas lectionem. Sic agendo conser- „ vandoque inter nos unitatis Spiritum, „ à Paulo Apostolo Dei nomine tantopere „ commendatum, & manentes unionis „ vinculo affixi Ecclesiæ Romanæ, quæ San- „ cti Petri sedes, centrum fidei, & Thro- „ nus veritatis est, Ecclesiam, Regnum, „ nos ipsos compotes reddemus cœlestium „ benedictionum. Nihil superest, nisi ut te „ obsecremus, & exhortemur, ut hac oc- „ casione zelum tuum exerens, agas more „ tuo, & nobis fidem habeas certissimam „ testantibus, quòd simus

Illustriss. ac Reverendiss. Domine

„ Humillimi & addictissimi „ tibi servi atque Con- „ fratres Archiepiscopi, „ Episcopi & alii Eccle- „ siastici deputati in Co- „ mitiis Generalibus „ Cleri Gallicani.

Parisiis die 12. Januarii 1661.

6 Est

6 Est & perbrevis epistola ab Agentibus Cleri Generalibus scripta ad singulos absentium Episcoporum, qua significant se mandato congregatorum Antistitum literas eorum encyclicas cum deliberationibus mittere. Ex illa Agentium epistola, hoc unicum decerpo, quo testantur „ editio-
„ nem Missalis vernaculam venum exposi-
„ tam Parisiis publicè fuisse, quæ novitas
„ præter gravioris mali periculum, non
„ poterat esse nisi perniciosissima Ecclesiæ,
„ & scindere unitatem.

Delata antea fuerat Romam eadem Missalis versio, & præmissâ debitâ deliberatione, damnationis sententiam subiit eodem anno 1661., die 12. Januarii, postridie scilicet scriptæ à Clero epistolæ. Decretum solitâ Apostolicis Brevibus formâ conceptum est, in quo non Congregatio S. Officii, sed ipse Pontifex sic loquitur & definit.

„ Ad aures nostras ingenti cum animi
„ nostri mœrore pervenit, quòd in Regno
„ Galliæ, quidam perditionis filii, in per-
„ niciem animarum novitatibus studentes,
„ & Ecclesiasticas Sanctiones, ac praxim
„ contemnentes, ad eam nuper vesaniam
„ pervenerint, ut Missale Romanum, Lati-
„ no idiomate longo tot seculorum usu in
„ Ecclesia probato, conscriptum, ad Gal-
„ licam vulgarem linguam convertere, sic-
„ que conversum typis evulgare, & ad
„ cujusvis ordinis & sexûs personas trans-
„ mittere ausi fuerint, & ita Sacrosancti
„ ritus majestatem Latinis vocibus compre-
„ hensam, dejicere & proterere, ac Sa-
„ crorum mysteriorum dignitatem vulgo
„ exponere temerario conatu tentaverint.

7 „ Nos quibus licèt immeritis, vineæ
„ Domini Sabbaoth à Christo Salvatore
„ nostro plantatæ, ejusque pretioso San-
„ guine irrigatæ, cura demandata est, ut
„ spinarum hujusmodi, quibus illa obrue-
„ retur, obviemus incremento, earumque
„ quantum in Deo possumus, radices suc-
„ cidamus, quemadmodum novitatem istam
„ perpetui Ecclesiæ decoris deformatri-
„ cem, inobedientiæ, temeritatis, auda-
„ ciæ, seditionis, schismatis, aliorumque
„ plurium malorum facilè productricem
„ abhortemus, & detestamur, ita Missale
„ præfatum Gallico idiomate à quocum-
„ que conscriptum, vel in posterum aliàs
„ quomodolibet conscribendum, & evul-
„ gandum, motu proprio; & ex certa
„ scientia, ac matura deliberatione nostris
„ perpetuò damnamus, reprobamus & in-
„ terdicimus, ac pro damnato, reprobato
„ & interdicto haberi volumus, ejusque
„ impressionem, lectionem, & retentionem
„ universis & singulis utriusque Sexûs
„ Christifidelibus, cujuscumque gradus,
„ ordinis, dignitatis, honoris & præemi-
„ nentiæ, licèt de illis specialis, & indi-
„ vidua mentio habenda foret, existant;
„ sub pœna excommunicationis latæ sen-
„ tentiæ, ipso jure incurrendæ perpetuò
„ prohibemus; mandantes quod statim
„ quicunque illud habuerint, vel in futu-
„ rum quodcumque habebunt, realiter &
„ cum effectu exhibeant & tradant loco-
„ rum Ordinariis, vel Inquisitoribus, qui
„ nullâ interpositâ morâ exemplaria igne
„ comburant, & comburi faciant, in con-
„ trarium facientibus non obstantibus qui-
„ buscumque. Datum Romæ apud S. Ma-
„ riam Majorem sub annulo Piscatoris die
„ xii. Januarii MDCLXI. Pontificatus no-
„ stri anno sexto.

S. Ugolinus.

8 Breve istud aliæ secutæ sunt literæ Pontificiæ, ad Clerum Galliæ Parisiis congregatum scriptæ die septimâ Februarii eodem anno: „ Dilecti Filii nostri ac Venera-
„ biles Fratres, salutem & Apostolicam
„ Benedictionem. Accepimus literas à vo-
„ bis die 7. Januarii scriptas, & in eis insi-
„ gniter expressum Pastoralis vigilantiæ
„ studium, quo vestrarum Ecclesiarum re-
„ gimini, & præsertim conservandæ puri-
„ tati veteris disciplinæ, & antiqui moris,
„ incumbitis, non sinè Paternæ mentis
„ gaudio perspeximus. Est enim profectò
„ sapiens filius corona patris, nec alia ex
„ re ulla majorem in tantis Pontificiæ cu-
„ ræ molestiis consolationem haurire pos-
„ sumus, quàm ex tam amatorum filiorum
„ in Dei, & Ecclesiæ Sanctæ causam impen-
„ sis cogitationibus, & operibus. Porrò
„ præcipuus zelus, quem in comprimen-
„ dis, vel in ipso exortu, cunctis ab uni-
„ versalis Ecclesiæ consuetudine quoquo-
„ modo alienis abusibus, profitemini, exi-
„ miâ certè laude dignissimus est: Hunc
„ enim si Sacri Præsules diligenter adhi-
„ beant, Apostolico deposito custodito,
„ suas Ecclesias ab omnibus profanis &
„ perniciosis demùm novitatibus facilè
„ tueri, & illis primum integritatis suæ
„ splendorem illibatum usque servare, &
„ penitùs asserere poterunt.

„ Quod autem speciatim ad nuperam in
„ vulgarem linguam translati Missalis edi-
„ tionem attinet, optatis piis vestris Apo-
„ stolicâ solicitudine & cura, etiam ante
„ literas vestras acceptas, jam satisfactum
„ fuis-

„ fuiſſe planè gaudemus: nam ubi primùm „ ea res à nobis iſtinc audita fuit, illi ſta- „ tim obviàm itum eſt, expreſſa noſtri Bre- „ vis animadverſione; quod ex eodem di- „ plomate meliùs cognoſci poterit. Qua- „ re veſtrum ſtudium in hac etiam re valde „ commendamus, utque conſtanter idem „ retinere omnibus in rebus ad veſtrarum „ Diœceſium gubernium pertinentibus in „ Dei gloriam, & domus ejus decorem in „ dies magis enitamini, etiam atque etiam „ vos hortamur, idque non eò ſanè, quod „ tam egregiè currentibus, aliis quàm vir- „ tutis propriæ calcaribus opus eſſe cre- „ damus: ſed ut muneris noſtri debito, & „ ſimul pietatis filialis devotioni veſtræ, „ quam officiis paternis etiam hac in re „ carere nolle ſcimus, ſatis ſuperque fiat.

„ Cæterùm omnia pleniùs ex venerabi- „ li Fratre Archiepiſcopo Cæſareæ Apo- „ ſtolico Nuntio noſtro, & laudum veſtra- „ rum apud Nos aſſiduo teſte coram intel- „ ligetis; Interim religioſis laboribus ve- „ ſtris propitium & retributorem Deum ex „ corde rogamus, Apoſtolicamque bene- „ dictionem vobis, Dilecti filii noſtri, Ve- „ nerabiles Fratres, ac dilecti filii pera- „ manter impertimur. Datum Romæ apud „ S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcato- „ ris die 7. Februarii 1661. Pontif. noſtri „ anno ſexto.„

„ F. Florentinus.

9 Clerus Gallicanus, accepto Brevi Pontificio contra Miſſalis translationem vernaculam, & altero quod jam retuli, ad literas ſuas reſponſorio, convênit die 25. Februarii in qua Seſſione rogatus fuit Archiepiſcopus Rothomagenſis Comitiis Præfectus, ut Breve utrumque Pontificis ad Regem deferret. Interim mandatum eſt Agentibus Cleri, ut utrumque cum deliberationibus de re tota habitis, curarent typis edi, quam poſſent citiſſimè, omnibus communicandum Diœceſibus epiſtolâ encyclicâ, quam Epiſcopus Antiſſiodorenſis componendam ſuſcepit.

10 Die 4. Aprilis eodem anno 1661., Regni ſui decimo octavo Rex Chriſtianiſſimus literas patentes dedit, quas ex lingua Gallica verſas exhibeo „ Ludovicus Dei „ gratiâ Franciæ & Navarræ Rex, Dilectis „ noſtris Conſiliariis ſtatûs, Dominis Ar- „ chiepiſcopis & Epiſcopis regni noſtri ſa- „ lutem. Cùm innovationes quæ introdu- „ cuntur contra univerſalem Eccleſiæ uſum, „ nocere plurimùm valeant, ipſamque pro- „ cedente tempore contaminare fidei pu- „ ritatem, Generalia Cleri Comitia, quæ „ permiſſione noſtra modò Pariſiis cele- „ brantur, ſimul cum multis Archiepiſco- „ pis & Epiſcopis, qui negotiorum causâ „ ad Diœceſes ſuas pertinentium, in curia „ noſtra verſabantur, communi conſilio „ judicarunt Miſſalis Romani verſiones „ Gallicas nuper editas, ſupprimi debere, „ uſumque earum ab Ordinariis interdici „ ſub pœna excommunicationis.

„ De quo relatione nobis facta à Comi- „ tiorum deputatis, qui prece ſupplici „ poſtularunt, ut deliberationis ſuæ exe- „ cutionem authoritatis noſtræ fulciremus „ præſidio, ſanximus juxta memoratæ de- „ liberationis tenorem, verſiones illas in- „ tercipi debere & ſupprimi, mandantes „ noſtris ad quos id officii pertinet, ut in „ eas ſedulò inquirant, & à Bibliopolis „ aliiſque privatis perſonis eas penès ſe „ habentibus, ut eaſdem tradi curent.„

„ Simul prohibuimus, ne quis eas typis „ in poſterum edere, vendere, vel emere „ audeat ſub pœnis noſtro diplomate con- „ tentis. Cumque ab iiſdem Deputatis „ nuntiatum Nobis fuerit, Sanctiſſimi Do- „ mini noſtri Papæ reſponſum adveniſſe „ ad Cleri in Comitiis congregati literas, „ quibus hic obſecratus fuerat, ut novita- „ tes Traductionum vulgarium Miſſalis cõ- „ demnaret Generali Conſtitutione: per- „ gratum quoque Pontifici accidiſſe ſtu- „ dium, quod Comitia impenderant, ad „ ſiſtendam ſuis deliberationibus novita- „ tem: denique gaudere Sanctiſſimum Do- „ minum, quòd pios Comitiorum conatus „ prævenerit Brevi ſuo generali, quod eis „ miſerat, continens prohibitionem illam „ pro Eccleſia univerſa, ſub pœna excom- „ municationis ipſo jure incurrendâ ab eis, „ qui verſiones illas deinceps legerent vel „ retinerent.

11 „ Illud Sanctiſſimi Domini noſtri „ Breve generale Nobis exhibitum fuit, „ ut proſequendo Regiam noſtram prote- „ ctionem pro determinationum iſtarum „ executione placeret præcipere noſtris „ Officialibus, ut auxilium ferrent Archie- „ piſcopis, Epiſcopis & Judicibus Eccle- „ ſiaſticis, quando ab eorum Promotori- „ bus rogabuntur. Quapropter Nobis ap- „ paruit nihil in memorato Brevi eſſe Pri- „ vilegiis & libertatibus Eccleſiæ Gallica- „ næ, aut Coronæ noſtræ juribus contra- „ rium. Volumus ut ſinè mora procedatis „ ad illius executionem, juxta ejuſdem for- „ mam & tenorem: omnibus noſtris Offi- „ cialibus mandamus, ut, quando à veſtris „ Promotoribus rogati fuerint, manum „ præ-

„ præbeant executioni Decretorum, quæ „ à vobis eâ de re fieri contigerit.

„ Et quia præsentibus Literis in locis „ variis opus erit, volumus & decernimus, „ ut descriptis earum exemplaribus, revi- „ sis & collatis ab aliquo qui Nobis à Con- „ siliis vel arcanis est, eadem fides habea- „ tur, quæ authographo; quia tale est no- „ strum beneplacitum. Datum Parisiis die „ 4. Aprilis anno 1661. Regni nostri deci- „ mo octavo. Signatum Ludovicus: & in- „ fra, Per Regem, De Guenegaud & obsi- „ gnatum sigillo majore in cera flava.„

11 Sequitur Decretum Consilii status, quo Rex præcipit, ut Missalis Romani versiones Gallicæ supprimantur, earumque prohibeatur venditio & emptio sub mulcta mille & quingentorum florenorum, cum addicendis fisco exemplaribus.

„ Circa id quod Regi in suo Consilio „ status exhibuerant Oratores à Comitiis „ Cleri generalibus constituti prohibitam „ ab eis fuisse, juxta deliberationes habi- „ tas die septima mensis ultimi Decembris, „ lectionem & usum versionum Gallica- „ rum Missalis Romani editarum nuper à „ Domino Voisin & aliis: quæ novitas pra- „ xi Ecclesiæ adversatur; ideoque Regem „ Conventus Cleri supplex obsecraverat, „ ut suam pro Decreti adeò Sancti execu- „ tione ingereret authoritatem.

„ Cumque nec Bibliopolæ ab istiusmodi „ librorum venditione, neque populus ab „ eorum usu desisterent, oravere deputati „ Regiam Majestatem, ut abusibus istis „ obicem ponere dignaretur, quem judi- „ caverit opportunum. Rex in suo Consi- „ lio post deliberationem præcepit & præ- „ cipit, ut libri quicumque continent Mis- „ salis Romani versionem Gallicam suppri- „ mantur, juxta id quod Comitia statue- „ runt, & exemplaria omnia ubicunque „ intrà regni terminos deprehensa fuerint, „ sive in Officinis, sive in privatorum do- „ mibus, auferantur.... Quicunque verò „ istiusmodi librum penès se habuerit, cum „ tenetur tradere supprimendum sub mul- „ cta mille & quingentorum florenorum „ cum exemplarium jactura. Sub eadem „ pœna Rex omnibus prohibet, ne ullum „ vendant, & cæteris ne coëmant. Actum „ præsente Rege, in Consilio status Parisiis „ die 16. Januarii 1661. Signatum De Gue- „ negaud.„

Simile Mandatum eodem die à Rege conditum est, quod dirigitur ad eum qui Parisiis, & alios, qui cæteris Regni partibus, istiusmodi executionibus præfecti sunt.

CAPUT VI.

Judicia Sorbonæ contra versionem Gallicam Missalis Romani, S. Scripturæ, Ritualium, atque Officii Divini.

1 PRimum se offert Declaratio Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis, circa approbationes versionum Gallicarum, tam Missalis, quàm Sacræ Scripturæ & Officii Ecclesiastici, sub nomine quorumdam ejusdem Facultatis Magistrorum vulgatas anno 1661. die 4. Januarii: Cum censura Libri eujusdam precum Gallicè impressi apud Joannem le Mire viâ Jacobæâ.

„ Sacra Theologiæ Facultas quartâ No- „ vembris proximè præteriti, acceptâ gra- „ vi querimoniâ, sententiamque rogata, „ de quodam precum Gallico idiomate „ scriptarum libro, sinè ullius authoritate „ Episcopi, magnâ cum populi dissensione „ & scandalo in aliquibus Galliæ locis „ sparso in vulgus, cui titulus est: *Prieres „ pour faire en commun le matin & le soir „ dans une famille Chrêtienne, Tirees dès „ prieres de l'Eglise: avec un Abbregè de la „ vie Chretienne, & quelque Traitè de de- „ votion & de Penitence; composees par Mon- „ sieur de Laval, cinquieme edition à Paris „ chez jean le Mire, rue S. Jacques audes- „ sus de S. Benoist, au Chef S. Jean 1659. „ avec privilege & Approbation.*

„ Continet preces diversas, & alias „ etiam institutiones pro editionum varie- „ tate sæpius auctas, atque non verbis so- „ lùm, sed & sensu sive additione, sive „ detractione mutatas. Post diligentem „ illius lectionem, & toto mense accura- „ tum examen, censuit in ejusmodi libro „ *multa esse ineptè & malâ fide traducta, „ falsa, ambigua, quæ sapiunt hæresim, & „ in eam inducunt, quantum ad doctrinam „ Sacramentorum attinet, præsertim Confir- „ mationis & Eucharistiæ, renovantque „ opiniones recens damnatas de gratia, li- „ bero arbitrio, & actionibus humanis.*

2 „ Quoniam verò eadem Facultas oc- „ casione precum hujus libri in linguam „ vulgarem traductarum, rescivit multas „ alias hujuscemodi versiones editas fuisse „ cum approbatione quorumdam ejusdem „ Facultatis Magistrorum, censuit etiam „ omnibus declarandum, declaratque se „ nunquam intendisse cuiquam suorum da- „ re licentiam approbandi ullam versionem „ Sa-

„ crorum Bibliorum, Breviariorum, Ritualium, Miſſalium, ſive librorum quorumcumque de Officio Eccleſiaſtico, aut precibus arbitrariis ſinè Epiſcopi authoritate in lucem emiſſis, quorum omnium approbationem annis potiſſimum 1548. 1567. 1607. 1620. 1641. aliiſque reſpectivè prohibuit.

„ Quod autem ſpectat ad Miſſale Gallicè nuper typis excuſum, præſeferens ejus approbandi licentiam à Facultate, tantum abeſt, ut eam unquam alicui conceſſerit, cùm petita tantùm fuerit licentia approbandi: *Explicationem Miſſarum totius anni*, non verò ullam Miſſalis Gallicam verſionem; Quin potiùs eam petenti licentiam haud dubiè denegaſſet, & datam à quocumque ſuorum traductionis illius approbationem non poteſt non improbare, uti & præſenti declaratione improbat, ſicut à Magiſtris Breviarii Romani verſionem approbandi licentiam poſtulantibus denegavit anno 1655. & datam ab aliis pro novi Teſtamenti verſione approbationem improbavit anno 1649.

„ Ea de cauſa quatuor è ſuis nominavit, qui Illuſtriſſimos Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcopos Pariſiis congregatos adirent, monerentque, quantum ab ejuſmodi verſionibus Sacra Facultas abhorreat, quamque religiosè ſemper inhæſerit veſtigiis majorum, qui pullulantibus ſuperiorum ſeculorum novitatibus obſiſtendo, pruriginem illam ſubinde renaſcentem, & aliquorum animis nimiùm inſitam Sacra Biblia, & Officia Eccleſiaſtica in quamcumque linguam vertendi perdamnarunt, quemadmodum ex ſubjecta cenſura Propoſitionum Eraſmi, aliiſque locis ex Gerſone excerptis poterit cunctis inneteſcere.„

Sequitur alterum Sorbonæ judicium de ſolius Romani Miſſalis verſione Gallica, quæ occaſionem præbuit Comitiis Cleri ut zelum ſuum exerceret in iſtiuſmodi Novitatem.

3 „ Cenſura Sacræ Facultatis Theologiæ Univerſitatis Pariſienſis lata in librum quinque Tomis diſtinctum, qui inſcribitur: *le Miſſel Romain ſelon le Reglement du Concile de Trente: Traduit en françois, avec l' explication de toutes les Meſſes &c. par le ſieur de Voyſin, Prêtre, Docteur en Theologie &c. A Paris chez Simon Piget, & Rolin de la Haye.* 1660.

„ Sacra Theologiæ Facultas, poſt editam à ſe, & publicatam menſe Januario recens elapſo ad approbationes verſionum tam Miſſalis nuper editi, quàm Sacræ Scripturæ, & officii Eccleſiaſtici, ſub nomine quorumdam ejuſdem Facultatis Magiſtrorum vulgatas, declarationem, admonita, primâ Februarii ſequentis plurima eſſe in eodem Miſſali animadvertenda, illius examen aliquot Magiſtris demandavit, qui poſt accuratam ejus per menſes Februarium, & Martium Lectionem, retulerunt primâ Aprilis librum illum non ſolùm ad fidelium inſtitutionem prorſus ineptum; ſed & perniciosum eſſe, utpote cujus explicationes aliunde adſcitæ, ambiguæ, rudes, & indigeſtæ, vel ad textûs ſenſum appoſitæ non ſint, vel paſſim textu ipſo longè difficiliores, & obſcuriores, quæque alia explicatione indigeant, in quibus variæ ſunt Propoſitiones animadverſione dignæ, velut ſubjectæ.

Sequuntur non pauca ex toto opere excerpta ſpecimina, quæ Theologis Sorbonicis meritò viſa ſunt non toleranda. Ego ex illis aliquot ad totius operis noſtri inſtitutum propiùs pertinentia ex Gallico Latinè referam.

4 „ Tomo 1. pag. 380. *Iterum autem exiit... & invenit alios ſtantes, & dixit illis, quid hic ſtatis tota die otioſi? Dicunt ei, quia nemo nos conduxit*: non accepimus gratias ad eum effectum. Tomo 4. pag. 240. Fideles à Deo petunt fortem gratiæ ſuæ influxum, inſtar venti vehementis immiſſi à Spiritu Sancto, qui corda eorum ſaxea omnipotenti, & arcanâ ſuorum motuum violentiâ conterat.

„ Tomo 5. pag. 113. Fideles Deum obſecrant, ut dignetur eos ad ſe trahere vi inſuperabili ſuæ gratiæ, quemadmodum Apoſtoli attrahebant multitudinem illam piſcium virtute verborum Domini noſtri Jeſu Chriſti.

„ Tomo 5. pag. 166. *Gratia Dei ſum id quod ſum*: ideſt, ſi modò alius ſim quàm fueram, Deus ſolus fecit mutationem hanc magnam.

„ Tomo 2. pag. 189. Infirmi illi qui expectabant motum aquæ, nobis exhibent peccatores, qui expectant forrem influxum Divinæ gratiæ, ejuſque motuum arcanam violentiam. Triginta annorum infirmus repræſentat nobis peccatorem obduratum, qui ſinè prodigio ſanari non poteſt. Monitio à Deo ipſi data de non peccando ampliùs, ne quid ei deterius contingat, certiores nos facit, animam, poſtquam ſanata fuerit, relabentem in

„ peccata mortifera, deteriore in statu esse, quàm animam Pagani, aut Judæi, & „ quàm fuerit hominis illius corpus, qui „ sanari non potuit absque prodigio.

„ Pag. 410. Si mulieres patiantur mala, est quia filiæ sunt Evæ, quæ concipiunt, & pariunt in iniquitate pro qua „ debent agere pœnitentiam, & à Deo petere remissionem.

„ Tomo 2. pag. 414. ut Presbyteri, qui „ Christi successores sunt, concessâ sibi „ potestate remittendi peccata utantur sicut oportet, non debent authoritate pastorali solvere alios, quàm quos noverint à Jesu Christo gratia vivificante resuscitatos.

„ Tomo 5. pag. 334. Baptismus est complementum, & signaculum fidei. Hæc „ autem fides initium, & robur suum accipit à pœnitentia.

„ Tomo 4. pag. 231. *Tantùm erant baptizati in nomine Domini Jesu Christi*, „ idest, acceperant solummodo adoptionis gratiam, quæ dat fidem, & desiderium sequendi Christum in Sacramento „ Baptismi.

Alia brevitatis gratiâ prætermitto. Sequitur dein Censura.

„ 5 Quibus auditis, & maturiùs discussis censuit Sacra Facultas, in eo „ Missali, ut verba sonant, contineri errores contra sanam doctrinam de Christo, „ de Spiritu Sancto, de gratia, & libero „ arbitrio, de Sacramentis præsertim Baptismi, & Pœnitentiæ, aliisque capitibus, & multas versiones ineptas, & falsas, aliquas etiam quæ textui Latino, tum „ addendo, tum derrahendo inducunt in „ opiniones olim, & recenter condemnatas. Datum Parisiis in nostra Congregatione generali apud Collegium Sorbonæ celebratâ, die prima Aprilis anno „ Domini 1661. & confirmatum secundâ „ mensis Maji ejusdem anni.

„ De mandato DD. Decani, & Magistrorum præfatæ Facultatis Sacræ Theologiæ Universitatis Parisiensis.

Ph. Bouvot.

Sub idem tempus Clerus Galliæ, nempe anno 1661., ne veteres Sorbonicorum Censuræ contra Novitates suo tempore renascentes antiquitate quasi abolitæ viderentur, aut traditæ oblivioni, eas iterum suis, & Regiis typis in lucem publicam prodire jussit. Inter quas cernitur hoc „ Extractum ex Registris Facultatis Sacræ „ Theologiæ Universitatis Parisiensis: Anno Domini 1525. die Sabbati vicesimâ „ sextâ mensis Augusti, Facultati in Capella Collegii Sorbonæ congregatæ exposuit honorandus Magister noster Magister Guillelmus de Quercu, quòd die „ Mercurii ultimâ fuerat ad Supremam „ Curiam vocatus, occasione Horarum „ Beatæ Mariæ, in linguam vernaculam „ translatarum, per quemdam vulgariter „ nuncupatum *Mere-Sotte*, ut declararet „ Curiæ si videbatur ei expediens, quod „ hujusmodi translatio per impressionem „ divulgaretur: & quia, ut dicebat idem „ de Quercu, ipsa res videbatur præfatæ „ Curiæ habere difficultatem, injunctum „ est ei, ut hujusmodi negotium Facultati „ proponeret, quatenus eidem Curiæ innotesceret super hoc Sententia sua, seu „ deliberatio prædicta.

„ Quibus auditis, post maturam omnium Magistrorum deliberationem, fuit „ unanimi consensu dictum, & conclusum „ quòd insequendo Conclusiones dudum „ super hac re per ipsam factas, neque expediens sit, neque utile Reipublicæ Christianæ; imò visâ hujus temporis conditione, potiùs perniciosum, non solùm „ illam translationem horarum; sed etiam „ alias translationes Bibliæ, aut partium „ ejus, prout jam passim fieri videntur, admitti, & quod illæ, quæ jam emissæ sunt, „ supprimi magis deberent, quàm tolerari: De mandato Domini Decani ex ordinatione Sacræ Facultatis Theologiæ. „ *J. Lamel.*

6 Excerptum ex Censura in 32. titulos partitâ latâ in Propositiones quasdam Erasmi, die 17. Decembris anno 1527.

Titulus 12. de traductione Sanctarum Scripturarum in linguam vulgarem.

„ Propositio Erasmi 1. in præfatione „ ejusdem in Matthæum: *Sacras literas cupiam in omnes verti linguas.*

Censura Sorbonæ.

„ Quamvis in quamcumque linguam „ vertantur Sacræ literæ, suapte natura „ sanctæ sint & bonæ: Quanti tamen sit „ periculi permittere passim lectionem earum in linguam vulgarem traductarum, „ absque ulla explicatione, idiotis & simplicibus, eis abutentibus, nec eas piè & „ humiliter legentibus, quales plurimi „ nunc reperiuntur, satis indicarunt Waldenses, Albigenses, ac Turelupini, qui „ inde occasione sumpta, multos errores „ disseminaverunt. Quare hac tempestate, „ perspectâ hominum malitiâ, periculosa, „ ac perniciosa existit hujusmodi traductio, loquendo de omnibus Scripturæ libris

„ libris indifferenter. Nec sicubi paucis „ esset utilis, propterea temere esset om- „ nibus permittenda. In re namque ad sa- „ lutem non necessariâ, potiùs consulen- „ dum est multorum profectui, ipsam in- „ terdicendo, quàm paucorum utilitati, „ eam permittendo cum gravi multitudinis „ incommodo. Unde, & jure damnata est „ hujusmodi translatio.

CAPUT VII.

Animadversiones in argumenta utroque superiore capite exhibita.

1 EX deliberationibus Cleri Gallicani, ejusque tum Epistolis ad Alexandrum VII. & absentes à Comitiis Episcopos, tum directis ad Regem precibus, pro obtinenda Decreti sui in omnibus Regni provinciis executione, manifestum est Missalis Romani versionem anathema subiisse, non propter translationis vitium; sed abusum, si ejus lectio omnibus permittatur. Clara de hoc est Epistolæ ad Pontificem declaratio: *Omnium tum Divinæ Scripturæ, tum Augustissimi Sacrificii Ritualium, ac Missalium, ut vocant, in vulgarem linguam translationes damnavimus,* Et in literis Encyclicis ad Episcopos absentes, Comitia testantur *se versiones illas condemnasse, absque examine hactenus instituto de earum fide, aut perfidiâ.*

Parisiensis autem Archiepiscopi Vicarios generales duplex ratio impellere potuit, ad impugnandam comitiorum sententiam; videlicet prætensa jurisdictionis suæ violatio: & forsitan amor novitatis. Emicuit is in famoso diplomate sive Edicto, quo universa Jansenii doctrina subducitur condemnationi; si, quod illi asserunt, non fuerit commissa examini. Sed *falsum* istud *patensque mendacium,* ut vocare placuit Alexandro VII. reprehensione acri destruendum censuit idem Pontifex in hoc Brevi Apostolico.

2 „ Dilecti filii, salutem, & Apostolicam „ Benedictionem. Non sinè magna pro- „ fecto admiratione, justo animi Dolore, „ quo paterna viscera commoveantur pu- „ blicatum vestro nomine die 5. Junii An- „ ni hujus, edictum perlegimus: in quo sa- „ nè in primis non minùs temerariâ, quàm „ mendaci narratione profertur, tempore „ felicis recordationis Innocentii X. non „ aliud actum fuisse, quàm inquisitum, an „ propositiones illæ quinque de gratiâ „ veræ & catholicæ; an potiùs falsæ, & hæ- „ reticæ censendæ forent. Cùm eo planè „ tempore nedum de Propositionibus ipsis „ cognitio habita fuerit, verùm quòd è „ Jansenii libro, Augustinus nuncupato, „ extractæ essent, & ita in sensu ab eodem „ Jansenio intellecto damnatæ: ut nos ipsi „ Constitutione nostra 17. Kalend. No- „ vembris 1656. luculenter expressè de- „ claravimus.

„ Quod cùm adeò falsum patensque „ mendacium in re tali asserere minimè „ veriti sitis, ubique malorum zizaniorum „ in agro Dominico seminatores, Eccle- „ siæ Catholicæ perturbatores, & quod in „ vobis est, authores turpissimi schismatis „ esse deprehendimini. Porro autem etsi „ protervia in vobis dignoscitur, cavilla- „ tionibus subdolis, & circuitibus obviam „ eundi Ecclesiæ definitionibus, quibus „ etiam totius Franciæ Episcoporum, & „ Prælatorum obsequium, & zelus; & „ Christianissimi Regis pietas tam anxiè „ præsto est;

„ Nos tamen Pontificiæ charitatis man- „ suetudine, nondum sævâ viâ procede- „ re, sed paternâ clementiâ potiùs uti „ volumus, sperantes nimirum fore, ut uni- „ versalis Pastoris vocem audituri saltem „ sitis, & his literis acceptis, edictum sta- „ tim abrogaturi, ne S. hujus Sedis indi- „ gnationem, & authoritatis vim experia- „ mini, memores Verborum Domini: *Om- „ nis qui ceciderit super illum lapidem con- „ quassabitur, supra quem ceciderit commi- „ nuet illum.* Cæterum vobis, ut bene age- „ re velitis intellectum, & resipiscentiæ spi- „ ritum à Domino precamur. Datum Ro- „ mæ apud S. Mariam Majorem sub annulo „ Piscatoris 1. Aug. 1661. Pontificatus no- „ stri anno 7.

3 Quid excusationis postea, & retractationis Vicarii illi attulerint, quamque serium, & sincerum illud fuerit, non est loci hujus operosè discutere. Huc pertinet dispicere, quomodo Breve superius contra Missalis Romani versionem Gallicam Arnaldus, Quesnellus, & tertius à suis in Janseniana cifra *Pater Subprior* appellatus, eludere conati sint. Duo priores in *Difficultatibus* communi consilio, & studio in eodem Bruxellis latibulo compositis, atque, ut inscribitur, *Propositis Domino Steyaert* parte 9. pag. 19. *Evidens est*, inquiunt, *quod magnatum precibus effici possit, ut Pontifex condat leges injustas; quemadmodum certò constat Cardinalis Mazarini precibus inductum fuisse ad condemnandam Missalis versionem.*

Arnaldum, & Quesnellum latere non po-

potuit resolutio, quæ in comitiorum illorum Generalium Actis cernitur, die 7. Decembris anno 1660. decreta, ut illic notatur *communibus suffragiis*. Singulorum, qui in Comitiis aderant, Antistitum leguntur subscriptiones, ut & Cleri ex secundo ordine. Omnes isti statuerunt Epistolam supplicem ad Pontificem Maximum communi omnium nomine scribendam esse, ut contra versionem illam solemnis obtineatur Sententia pro Ecclesia universa. Sed quia in Epistolæ subscriptione ponuntur *Cardinales*, *Archiepiscopi*, *Episcopi*, *& alii Ecclesiastici Viri in Comitiis generalibus Cleri Gallicani Parisiis congregati*, & infra *De mandato Eminentissimorum Cardinalium*, *ac Illustrissimorum Reverendissimorumque Præsulum præfatorum*, *totiusque cœtus Cleri Gallicani in Comitiis Generalibus Lutetiæ congregati*; Visum est Arnaldo, & Quesnello ex tanto præsentium numero seligere solum Eminentissimum Mazarinum, cui condemnationis impetratio tribuenda sit. Verùm, si istiusmodi cavillandi ratio legitima est, quæ umquam Constitutio Pontificia, quæ Regia Sanctio eludi pariter à rebellibus non poterit? Quandonam enim è Ministris, vel ut Arnaldus ait, *Magnatibus*, reperiri quispiam, vel fingi non poterit, cujus sollicitationibus Decreti impetratio tribuatur.

4 Mendacium autem de Sententiæ Pontificiæ injustitiâ, nullo unquam argumento probabili stabilietur. Sed Arnaldi, & Quesnelli assertio in nova Ecclesiâ oraculi instar est, & rationis defectum abunde supplet authoritas affirmantium. Accedit prætensa rebellionis possessio, omnem respuens legem Pontificiam, nisi quæ Jansenianis fortè novitatibus non sit incommoda. Illud momenti maximi pro cujuscumque propagatione hæreseos effatum discimus ex Quesnelli epistola typis editâ sub nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* pag. 18. *Habemus hoc singulare præ cæteris, quo nobis bene est, & quod semper retinebimus: quod simus in possessione eamdem semper prosequendi semitam, quidquid opponant Romani Censores, aut quodcumque Decretum ab illo tribunali emanaverit.*

Quo posito fundamento nititur aliud non minùs commodum Novæ Ecclesiæ axioma in eadem epistola pag. 30. *Majore pollent Romani ingenio, quàm ut autument nos terreri Sententiâ latæ excommunicationis Pontifici reservatæ.* Hæ & similes enuntiationes, ut patet, non metaphysicæ sunt, sed inter præcipua Lutherani spiritûs germina, & praxeos Jansenianis solitæ quodammodo fundamenta. Eadem nihilominus præpostero nomine à suis sectæ authoribus appellatur *Ethica tutior*, *Moralis severa*, *Moralis rigida*. Ne à Quæstione propositâ digrediamur, exemplum huc pertinens dedit novi *Ordinis* in Jansenianâ Cifrâ *Pater Subprior*.

5 Belgii Austriaci Antistites conspicati, novitates quotidie magis gliscere, communi consilio decretum ediderant pro accuratâ Sanctionum Romanarum etiam libros prohibentium observatione. Aliquantò post Archiepiscopo Mechliniensi Humberto Piæ Mem. denuntiatur quidam è Leodiensi territorio apud Bruxellensem Curiam Novatorum Agens generalis; denuntiatur autem velut distribuens Missale gallicum fraudulento *Anni Christiani* titulo editum. Evocat ad se hominem Antistes; interrogat eum de Facto. Respondet is pro sua confidentia, non solummodo se librum istum aliquibus dedisse; sed partem etiam composuisse, additis nempe pluribus Missis recentioribus. Quærit ulterius Archiepiscopus an ipsum fortè lateat Alexandri VII. Breve, versionis istiusmodi lectionem, retentionem &c. prohibens sub pœna excommunicationis?

Brevis illius (inquit *P. Subprior*) utcumque memini.

Excommunicationis igitur, ait Præsul, vinculo constrictus es.

Reponit *Subprior*: Si me, Illustrissime Domine, excommunicas, Appello Sedem Apostolicam.

Ab ipsa, ait Archiepiscopus, excommunicatio lata est. Proinde vide quomodo te Deo, ejusque Vicario reconcilies. Ita dimissus ab Antistite, accurrit ad Pontificis Internuntium, inde etiam ad me, cùm essem Archiepiscopo à Confessionibus, & consiliis: Patrocinium implorat pro sui cum Archipræsule reconciliatione. Cui ego: oportet primum in gratiam redeas cum Deo, & Ecclesiâ: quo facto facilis erit negotii tui apud Archiepiscopum compositio. Aliàs intercessio omnis frustranea est. Verùm, addebam, quomodo tibi in mentem venit, fœminis, etiam Principibus, & pietate conspicuis obtrudere librum, quem noveras absque anathemate, & proinde peccato lethifero ab eis legi non posse? Hac lectione se occupant tempore Sacrificii, seque præparant ad Communionem. Respondet *P. Subprior* notum esse theologis, leges abrogari non usu; maximè usu contrario.

6 Næ vos, inquiebam ego, insignes Theologi estis, & contra Probabilium dissolutionem dogmatum egregii declamatores!

res! Tu cum uno forsitan alterove librum distribuis paucis nobilioribus fœminis: Episcopi omnes reclamant, prohibent, & pro vetito haberi jubent, quidquid sive dogmatum sive librorum Roma proscripsit. Eorum de hoc Decreta recentissima sunt, & ab omnibus passim Religiosorum Ordinum confessariis, & animorum directoribus, etiam è Clero; & quidem Lovanii præcipuis, accuratissimè observantur. Quem autem inter Morales Theologos, vulgari, & odioso apud vos nomine *Casuistas*, reperisti usplam eò laxitatis prolapsum, ut paucorum adeò transgressiones, & quidem superioribus ignotas, ad legis abrogationem sufficere arbitretur? Aliàs facillimum fuerit, quidquid legum sive in Ecclesiasticis, sive in civilibus est abolêre. Profectò à longè pluribus violatur lex jejunii, quàm ea, quæ Missalis vernaculi prohibet lectionem.

Paulò post Reus se Romam contulit; ubi ao ei successerit, quod Pelagio in Diospolitana Synodo, in qua, teste Augustino lib. de peccato Originali cap. 14. *Absolutionem suam fallendo furatus est*, nescio. Istud certius est, frænatâ exteriùs audaciâ, inde rediisse in Belgium; sed novitatis libidinem non deposuisse, utpote qui inter paucos illic Constitutioni *Unigenitus* præstare obedientiam renuentes, non infimus numeratur, etsi Constitutio illa etiam Supremi Senatus Regii placito, & authoritate, modo maximè legitimo ab Episcopis promulgata sit. Quod autem pergat nihilominus rebellis illic extraneus gaudere non plenissimâ solùm libertate, sed etiam Nominationis Regiæ Canonicatu, mirantur multi, & lugent; sed toleranda subinde sunt zizania; ne noceatur & tritico.

CAPUT VIII.

Depulsio objectionis præcipuæ.

1 Quemadmodum hæretici pro adstruenda linguarum vulgarium in Divinis Officiis necessitate, præcipuum sibi finxere fundamentum in Epistola 1. ad Cor. capite 14. Non potuere Quesnelli vindices, nec potuit Quesnellus ipse talium sibi facem præferentium non sequi vestigia.

Omnes itaque conveniunt in hoc nobis intorquendo Apostoli textu: *Qui loquitur linguâ, oret ut interpretetur; nam si orem* [linguâ peregrinâ] *spiritus meus orat, mens autem mea sinè fructu est. Quid ergo est, orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente? Caterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen, super tuam benedictionem; quoniam quid dicas, nescit? Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur. Gratias ago Deo meo, quoniam omnium vestrûm linguâ loquor: sed in Ecclesia volo quinque verba in sensu meo loqui, ut & alios instruam, quàm decem millia verborum in linguâ* peregrinâ, quam nullus vestrum intelligeret.

Hac Pauli sententiâ *induci* se Quesnellus existimat ac *determinari* ad huoc commentarium seu observationem: „ Docendi sunt simplices fidelium, ut se disponant tione cordis, & applicatione spiritûs, „ uniant laudibus, orationibus, & sacrificio Ecclesiæ „ Hactenus rectè, sed quæ sequuntur documentum Apostoli torquent in sensum, non à veritate minùs & ædificatione fidelium, quàm à communi Ecclesiæ consuetudine alienum, contumeliosum, atque injurium moderatoribus Ecclesiæ, disponentem denique ad seditiones & schismata. Sic ibi nempe Quesnellus prosequitur. „ Justum est filios intelligere, quod pro eis „ mater agit & postulat: quodque ipsi pariter faciunt, & rogant cum illa. Laus & „ oratio publica in Ecclesia est etiam pro „ simplici populo. Eripere illi solatium, „ hoc jungendi vocem suam voci totius „ Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ & intentioni Dei.

2 Securiorem nos interpretem audiemus Eminentissimum Bellarminum Tom. 1. lib. 2. de verbo Dei cap. 16. ubi *solvuntur objectiones Hæreticorum*: „ Vera igitur sententia est, Apostolum hoc loco non agere de „ Divinis Officiis, nec de publica Scripturarum lectione; sed de canticis spiritualibus, quæ Christiani componebant ad „ laudandum Deum, & gratias ei agendas, „ & simul ad suam, & aliorum consolationem & ædificationem.

„ Non loqui Apostolum de Scripturis vel „ Officiis Divinis, ex eo probatur, quod „ Scripturæ sinè dubio legebantur Græcè, „ & Divina Officia fiebant Græcè in Græcia, ut etiam hæretici admittunt; Apostolus autem hic loquitur de oratione, & „ gratiarum actione, quæ fit per donum „ linguarum, linguâ aliquâ maximè extraneâ, quam nemo intelligebat, ut Arabicâ, vel Persicâ, ut Chrysostomus & alii „ omnes exponunt, imò etiam quam non „ intelligebat sæpe is qui loquebatur, ut „ illa verba indicant: *Si orem linguâ, spiritus meus orat, mens autem sinè fructu*, id „ est si orem ex dono linguarum, linguâ quam

„ quam non intelligo, spiritus meus orat, „ id est affectus meus orat; tamen mens si„ nè fructu est, id est intellectus non eru„ ditur, quia non intelligo quid dicam. „ Item: *qui loquitur linguâ non hominibus „ loquitur; sed Deo: nemo enim audit*: id est „ nemo attendit, quia nemo intelligit. „ Non ergo loquitur de Divinis Officiis, „ quæ cùm Græcè fierent, à multis intelli„ gebantur, sed loquitur de oratione, seu „ laude Dei & gratiarum actione quas in„ terdum linguâ peregrinâ aliqui in colla„ tionibus illis canebant.

3 „ Porrò consuevisse Christianos can„ tica spiritualia componere, & canere in „ Ecclesia tempore collationum spiritua„ lium, certissimum est. Nam hoc docet „ Eusebius lib. 2. Hist. cap. 17. ex Philone: „ item Dionysius cap. 3. de Divinis nomi„ nibus, & capite etiam sequenti in Apo„ logia cap. 39. describens Agapen Chri„ stianorum, id est publicam cœnam, quæ „ in Ecclesia fiebat; dicens consuevisse eos, „ qui poterant, ex proprio ingenio ali„ quid canere Deo. Denique Apostolus „ ipse Ephes. 5. Coloss. 3. hortatur ut in „ psalmis, & hymnis & canticis spirituali„ bus commoneant se ipsos. Quem locum „ Haymo intelligit de canticis, quæ ipsi „ componebant. Quoniam igitur ista can„ tica fiunt ad populi consolationem, vult „ Apostolus ut fiant linguâ, quæ intelliga„ tur, ut idiotæ qui non sciunt similia „ componere, saltem possint ea confirmare „ dicendo, *Amen*.

„ At objicies: sicut Apostolus vole„ bat ista Cantica fieri lingua vulgari, ut „ populus subjiceret *Amen*, ita etiam de„ buit velle, ut Divina Officia celebraren„ tur lingua vulgari, ut populus responde„ re posset *Amen*.

„ Respondeo negando consequentiam; „ quia Officia Divina fiebant linguâ Græcâ, „ quam multi de populo intelligebant, etsi „ non omnes: & hoc satis erat; non enim „ volebat Apostolus, ut omnes possent „ respondere. Præterea tunc quia Chri„ stiani erant pauci; omnes simul psalle„ bant in Ecclesia, & respondebant in Di„ vinis Officiis; At postea crescente popu„ lo, divisa sunt magis Officia, & solis Cle„ ticis relictum est, ut communes preces „ & laudes in Ecclesia peragant. Denique „ finis præcipuus illorum canticorum erat „ instructio & consolatio populi. Fiebant „ enim in Collationibus loco exhortatio„ nis, & ideo æquum erat, ut à plurimis „ intelligerentur: & nisi linguâ notâ facta „ fuissent, vel mox secuta fuisset interpre„ tatio, periisset præcipuus fructus ipso„ rum. At Divinorum Officiorum nec est „ finis præcipuus instructio, vel consola„ tio populi; sed cultus Dei: & quæ po„ pulum scire oportet, ex Divinis Officiis „ à Pastoribus explicantur. „

4 Doctissimo Bellarmino alium jungo pariter eruditione celebrem Cardinalem Hosium Tridentini Concilii Præsidem. Is Dialogum composuit inter Hæreticum *Harpagi* nomine significatum & Catholicum nomine *Aratoris*, qui ad eundem Apostoli Textum ab Harpago objectum sic respondet.

„ Quid si Pauli præscriptum hoc magis „ ad prædicationes, quàm ad precationes „ pertinere videatur? Verùm demus hoc „ etiam, precationes publicas cum vulga„ ri linguâ fieri voluisse; num ideo statim „ peccare censenda est Ecclesia, si, quæ „ fuerunt ejus generis ab Apostolis ali„ quando decreta, probabilibus ex causis „ mutat? Neque enim omnia, quæ statue„ rant Apostoli, hoc animo ab eis fuisse „ constituta credendum est, ut ea perpe„ tuò sic ab omnibus observari, neque „ licitum esse vellent Ecclesiæ, prout tem„ pus, aut ratio postularet, ea non num„ quam variare. Jam audisti decretum ab „ Apostolis fuisse, ut à sanguine suffoca„ to, & Idolothytis abstineretur; numquid „ observatum hoc postea fuit, aut nunc „ etiam observatur? Præcipit Paulus ut „ mulier velato, vir oraret aperto capite; „ numquid & hoc apud omnes in usu est?

„ Temporibus Apostolorum cibi affe„ rebantur in Templum, & in commune fi„ deles possidebant omnia, nunc si quis id „ necessariò ab omnibus fieri sic oportère „ contenderet, alienus ab Ecclesia Catho„ lica censeretur. Scribit Ambrosius, „ quòd ut cresceret plebs, & multiplica„ retur, omnibus inter initia concessum „ fuit Euangelizare, ac baptizare, & Scri„ pturas in Ecclesia explanare. At ubi „ omnia loca circumplexa est Ecclesia, „ conventicula constituta sunt, & Recto„ tes, & cætera officia in Ecclesiis ordina„ ta sunt, ut nullus de Clero auderet, qui „ ordinatus non esset, præsumere Officium, „ quod sciret non sibi creditum vel con„ cessum, *Et cœpit alio ordine & providen„ tiâ gubernari Ecclesia; qui, si omnes ea„ dem possent, irrationabilis esset: ac vulga„ ris & vilissima res videretur*.

„ Itaque non statim oportet in exem„ plum trahi, si quid sit, aut aliter fuerit „ Apo-

„ Apoftolorum temporibus obfervatum: „ nam fides Apoftolorum neceffariò nobis „ retinenda eft; fi falvi effe volumus, nec „ minima ex parte violanda. Ritus Apo- „ ftolorum, fi vel temporum, vel loco- „ rum, vel perfonarum ratio poftulet, mu- „ tari, non modò nefas non eft, verum „ etiam expedit non numquam; dummo- „ do id non alicujus privata libidine, fed „ Ecclefiæ totius publicâ fiat authoritate. „ Unicum eft Chrifti præceptum, contra „ quod qui venerit, reus fit criminis capi- „ talis: hoc eft verbum illud abbreviatum, „ *Dilige*. Hoc falvo, quæ pertinent ad ri- „ tus, quando res ita poftulat, citra tu- „ multum Ecclefiæ mutare, numquam eft „ nefas habitum; fieri namque poteft ut „ quod expediebat ifto tempore non expe- „ diat hôc. „

5 Hic fibi objicit Eminentiffimus „Quid „ autem, an non expedit nunc quoque fic- „ ut Apoftolorum temporibus, ut intelli- „ gat populus quid precetur Sacerdos? „ Cùm enim Sacerdos benedixerit, *qui* „ *fupplet locum idiotæ, quomodo dicet* Amen, „ *fuper ejus benedictione, quoniam quid di-* „ *cat, nefcit?* „

Refpondet „ Quid fi, qui minùs intel- „ ligunt ea quæ dicuntur à Sacerdote, ma- „ jorem in eis perfæpe videre licet pieta- „ tis affectum;contra frigus in illis ingens, „ qui non verba magis, quàm fententiam „ quoque verborum affequuntur? Non „ omnia in intelligendo confiftunt. Præ- „ clarè Auguftinus de turba fcribit: *Quod* „ *eam non intelligendi vivacitas, verum* „ *credendi fimplicitas tutiffimam facit*. Qui „ etiam alio loco ait: *Si propter folos eos* „ *Chriftus mortuus eft, qui certa intelligen-* „ *tiâ poffunt, quæ ad fidem pertinent difcer-* „ *nere, penè fruftrà in Ecclefia laboramus.* „ *Non ergo quantum intelligas; fed quantum* „ *credas, & quantum credendo ames quærit* „ *Deus*.

„ Fit non rarò ut qui intelligunt, con- „ temnant; qui non intelligunt, ampliùs „ admirentur, & piè magis ad ea quæ non „ intelligunt, afficiantur; ut non fine cau- „ fa Chriftus in Parabolis locutus effe tur- „ bis, legatur. Quod fi qui eo animo vel „ ad depromenda vel ad audienda canti- „ ca & preces Ecclefiafticas accedunt, ut „ fuam Deo gloriam, laudem,& honorem „ præftare, deque perceptis muneribus „ illi gratias agere, fimul ea, quæ vel præ- „ fenti, vel futuræ vitæ conductura fint, ab „ eo cupiant impetrare, tam eft Deo gra- „ ta hæc in eis animorum affectio, nulla „ ut verborum intelligentia eum ea con- „ ferri queat.

„ Putafne tu pueros Hebræorum in- „ tellexiffe quæ agerent, cum in Templo „ clamarent *Hofanna Filio David*? Atqui „ hæc eorum quamlibet imperitorum pie- „ tas, adeò Chrifto non ingrata accidit, „ adeò non eft afpernatus non intelligen- „ tium laudem, ut cum Principes Sacer- „ dotum & Scribæ indignati dixiffent: „ audis quid ifti dicunt? Non obfcurè ru- „ lerit fe laude eorum delectari, ac jam „ pridem à Propheta fuiffe prædictum ad- „ monuerit: *Ex ore infantium & lactentium* „ *perfecifti laudem*. Qui vel folus Scriptu- „ ræ locus docere nos poteft, non quod „ ab eorum fupercilio proficifcitur, qui „ fibi nihil non arrogant; fed infantium & „ lactentium laudem gratam effe Deo.

„ Experientiâ magiftrâ didicimus, quid „ fructûs ea res attulerit, quod in plerif- „ que locis officia Divina in linguam ver- „ naculam ad verbum translata decanten- „ tur. Tantum abeft ut accefferit ad pie- „ tatem aliquid plus, ut etiam diminutum „ effe videatur: ut non temere fuerit, ac „ fit etiam nunc apud quofdam populos „ moribus receptum, ut qui privatas ad „ Deum preces funderent, non vernacu- „ lâ, fed Latinâ linguâ tantùm, ipfam „ etiam Dominicam orationem & mares „ & fœminæ pronuntiarent.......

6 „ Nunc tu vide, dum plus nimio de „ eo folicitus es, ut omnes omnia intelli- „ gant; fi fortè conceffum tibi fit quod „ optas, ne, qui capiti potiffimùm mederi „ debebis, non fine magno capitis difcri- „ mine reduviam tantum curare videaris. „ Caput enim eft, ut verum Scripturarum „ fenfum retineamus, quod ita multis & „ variis translationibus vix rectè provide- „ ri poterit...... Præterquam quod ifta „ omnium omnia intelligendi, ac plus- „ quam oportet fapiendi, nimia quædam „ aviditas, eundem prope noftris tempo- „ ribus fructum attuliffe videtur, quem „ attulerat primis parentibus noftris efus „ ligni fcientiæ boni & mali; dum ex bo- „ nis Latinis mala Germanica fecit Marti- „ nus Lutherus: Sacris Bibliis vertendis, „ plus eum quàm fexcentos errores com- „ mififfe, à Catholicis animadverfum eft. „ Nec id à Catholicis tantùm: confer „ Zuinglii translationem eum ea quam „ Lutherus edidit, non parvis de rebus „ magnam difcrepantiam, vel pugnam „ potiùs invenies: ut, fi nulla alia, vel „ hæc fola caufa deterrere nos deberet, à „ Di-

„ Divinis Oraculis in vernaculam linguam „ vertendis .....

„ Nunc hæc Scripturarum profanatio „ veriùs, quàm translatio , non solum Zonarios , Bajulos , Pistores , Sartores , „ Sutores ; verum etiam Zonarias , Bajulas, Pistrices, Sartrices , Sutrices , fecit „ nobis Apostolas , Prophetissas, Doctrices , & omnem propemodum ordinem „ ex Ecclesia sustulit.... Hunc fructum & „ apud finitimos , & apud nos quibusdam in locis videmus nunc & ingemiscimus ex hac Divinarum Scripturarum in „ vernaculam linguam versione . „

7 Sic Hosius Cardinalis: qui tamen, ut existimo , numquam in animum inducere potuisset, ut crederet mulieres ex Scripturarum , Missalis, & controversiarum lectione vernaculâ eo usque promovendas, ut ad Archiepiscopum & Cardinalem adversùs Constitutionem Summi Pontificis dogmaticam concitandum , nihil sexu illo magis idoneum videretur . Videretur , inquam, non levis & malè sanæ plebeculæ judicio; sed Episcopi Mirapineensis supra omnes Christiani Orbis Præsules , ipsamque Sedem Apostolicam sapere præsumentis. Nihil scilicet in tota Facultate Sorbonica , nihil in universo refractariorum sive Sacerdotum, sive Antistitum ordine tam eruditum , tam eloquens est , quàm Domicella N.N. ut Cardinali persuadeat Constitutionem UNIGENITUS adeò esse Divinis Eloquiis , Traditioni Patrum , Augustini præcipuè , contrariam , Christianæ simul Ethicæ & Gallicanis libertatibus inimicam , ut nulla eam valeat verisimilis interpretatio excusare, nulla reddere tolerabilem .

Quomodo tantæ authoritati,tanta confidentiâ asserenti fidem deneget Eminentissimus ? Denegavit tamen . Hæreticos ridet Hieronymus , quod eos à fœminis discere non pudeat, quod postea viros doceant .

Unde etiam hîc confirmatū conspicimus, *nihil esse sub sole novum*; sed quod ad Ctesiphontem contra Pelagium scribit Hieronymus , intelligi de omniū arte hæreticorum, primò mulieres dementantium , ut earum illecebris & velut incantationibus viri faciliùs capiantur , concluditque dolens de suo tempore, *nunc quoque mysterium iniquitatis operatur* . Idem diebus nostris reviviscere experimentis funestis nimiùm & frequentibus lugemus. Audiatur iterum Eminentissimus Concilii Tridentini Præses Hosius , qui istud etiam suo nimiùm invaluisse ævo, luxit in Dialogo , cujus fragmentum non exiguum jam retuli ; neque prætereundum quod sequitur . „ Nunc translationibus istis in linguam vernaculam factum esse cernimus, ut quas lanas texere „ sub id tempus magis expediat , ex docendi sibi potestatem quoque arrogaverint, ac , si quis eas ad officium sanitatemque reducere velit , plus cum illis , „ quàm cum ipsis viris negotii sit habiturus, cum ne viris quidem per uxores catholicis esse liceat, & sæpe quod credit „ uxor , maritus credere cogatur . „

CAPUT IX.

Dissolvuntur argumenta adversariorum reliqua .

1 Author Constitutionum , quæ Apostolis tribuuntur , libr. 2. capit. 57. *Alius* (inquit) *Davidis Hymnos psallat , & populus extrema versuum succinat* .

S. Athanasius Apologia pro fugâ suâ : „ Residens in sede præcepi , ut Diaconus „ Psalmum legeret , populi responderent „ *Quoniam in æternum misericordia ejus* . „

S.Cyrillus Catechesi Mystag.5. „ Postea Sacerdos clamat : *Sursum corda* : „ & respondetis : *Habemus ad Dominum*. „

S. Basilius Epistola 63. *De nocte populus consurgens antelucano tempore , domum precationis petit : itaque labore & tribulatione ac lacrymis indesinentibus factâ ad Deum confessione , tandem ab oratione surgentes , ad psalmodiam instituuntur . Et nunc quidem in duas partes divisi , alternis succinentes psallunt ..... Deinde uni ex ipsis hoc muneris dato , ut quod canendum est , prior ordiatur , reliqui succinant* .

S. Augustinus lib.2. contra Epistolam Parmen. cap.7. „ Cùm Episcopus intus est, „ [in Ecclesia] populus & orat cum illo , „ & quasi subscribens ad ejus verba respondet: *Amen*. „

S.Gregorius Magnus Epistolarum lib.9. Epistola 12. novæ editionis : „ *Kyrie eleison* „ autem nos neque diximus , neque dicimus, sicut à Græcis dicitur ; quia in „ Græcis simul omnes dicunt , apud nos „ autem à Clericis dicitur , & à populo respondetur,& totidem vicibus etiam *Christe eleison* dicitur . „

2 Hactenus objectæ Patrum sententiæ , quas plurimum veneror ; sed nullum hinc adversariis præsidium est juxta observatio-

tionem Cardinalis Hosii, in Dialogo exemplis pluribus & ineluctabilibus confirmatum. *Non statim oportet talia in exemplum trahi* inquit idem Tridentini Concilii Præses. Et iterum paulò inferiùs, *quæ pertinent ad ritus, quando res ita postulat, citra tumultum Ecclesiæ mutare, nunquam est nefas habitum; fieri namque potest, ut quod expediebat illo tempore, non expediat hòc*, ut rectè ante monuerat, *si quid sic aut aliter fuit Apostolorum temporibus observatum: nam fides Apostolorum necessariò nobis retinenda est*...:.. *Ritus Apostolorum, si vel temporum, vel locorum, vel personarum ratio postulet, mutari non modo nefas non est; verùm etiam expedit non numquam*.

Aliquanto superiùs de Paulo Apostolo ait: *Demus hoc etiam, precationes publicas eum vulgari linguâ fieri voluisse* (idem est de cantu fidelibus omnibus communi.) *Num ideo statim peccare censenda est Ecclesia; si, quæ fuerunt ejus generis ab Apostolis aliquando non* solùm deducta in praxim; *sed etiã decreta, probabilibus ex causis mutat? Neque enim omnia, quæ statuerunt Apostoli, hoc animo ab eis fuisse constituta credendum est, ut ea perpetuò sic ab omnibus observari, neque licitum esse vellent Ecclesiæ prout tempus aut ratio postularet, ea non numquam variare. Jam audisti Decretum ab Apostolis fuisse, ut à sanguine & suffocato abstineretur: numquid observatum hoc postea fuit, aut nunc etiam observatur?*

Plura ibidem exempla Cardinalis accumular, atque mos iste quidem, de quo nobis cum Quesnello contentio est, quemque is in Italiæ accusat Ecclesiis, non solùm in tota extra Gallias Latina Ecclesia communis est, sed etiam in Græca, quemadmodum in Laodiceno pridem Concilio legimus constitutum Canone 15. *Non oportet præter Canonicos cantores qui suggestum ascendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in Ecclesia*.

3 Si verò in Galliis usus aliter obtineat, & decenter Divina Officia peragantur, non istud est quod Apostolicæ Sedi visum fuerit reprehendendum; sed Quesnelli temeritas universis extra Galliam Ecclesiis calumniam inferens, quasi usum intentioni Dei contrarium tot seculis retinuerint. Contumeliæ istius infamiâ juxta Quesnellum asperguntur omnes Episcopi, ipsique Pontifices Maximi, qui abusum non substulerint; sed foverint potiùs, & suâ confirmaverint præsentiâ atque authoritate.

Temporibus Apostolicis & vicinis exiguus erat in singulis Christianorum conventibus numerus Clericorum, neque maxima multitudo fidelium; in his autem summa erat Sacrorum reverentia, & Divino cultui devotio, ut celebrandis Ecclesiæ Officiis & cantibus neque solus Clerus sufficeret, neque laicorum Clericis concinentium officeret frequentia: At multiplicatâ postmodum Ecclesiâ, & imminuto in pluribus devotionis affectu, visum est Ecclesiæ moderatoribus ad Divini cultus Majestatem decoremque magis conducere, si Clericis, & aliis psalmodiæ artem edoctis id Officii committeret, cæteris in silentio orantibus, Deoque non minùs exaudiente preces, affectus, & vota silentium, quam voces canentium maximè sonoras.

Quod de honesta, utili, & prudentiæ legibus omnino congruâ quorumdam rituum, ac disciplinæ Ecclesiasticæ mutatione asserentem superiore capite vidimus eundem Hosium Cardinalem eruditissimum, invictissimis ibidem ipse stabilit argumentis; frequentiâ scilicet exemplorum, quæ nullus umquam reprehendit Catholicus. De allegato quoque ab adversariis libro Constitutionum Apostolicarum, notari juverit, eum multa quidem complecti utilia; sed in Ecclesiâ Latinâ nullius ferè nominis esse, teste Bellarmino lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi de Clementis Romani operibus disceptatio fit: Et Posteriores Græci in Concilio Trullano Canone 2. Constitutiones illas rejiciunt velut ab hæreticis depravatas. Addit Bellarminus sibi referri, *Æthiopes his Constitutionibus uti, ut verè Apostolicis, & ea de causa in erroribus versari circa cultum Sabbati, & diei Dominicæ, & circa Ministrum Sacramenti Baptismi, & in aliis quibusdam dogmatibus; nam lib. 7. cap. 24. jubent servari diem Sabbati & Dominicæ. Lib. 5. cap. 10. prohibetur absolutè ne laici baptizent. Lib. 6. cap. 15. jubent rebaptizari eos qui baptizantur ab hæreticis, ea de causa quia hæretici non sunt Sacerdotes.... Habentur in iisdem Constitutionibus alia non pauca, quæ abhorrere videntur à veritate, ut quod lib. 3. cap. 2. quartas nuptias appellent manifestam fornicationem. Lib. 8. cap. 14. Jacobum fratrem Domini nolunt esse Apostolum. Eodem libro cap. 32. dicunt Exorcistas non ordinari.*

4 Psalmus cujus meminit S. Athanasius, quædam litaniæ species est, in qua post versus singulos, repetitur *quoniam in æternum misericordia ejus*. Qua propter sicut ex eo quod populus etiam Romæ in litaniis publicis, respondeat *ora pro nobis &c.* non sequitur idem fieri circa totum Ecclesiasticum Of-

Officium: Ita neque ex illa Ambrosii litania deductio fit legitima ad preces alias minùs faciles, etiam sacrificii, & cantum Ecclesiæ universum. Eadem ratio est de *Amen* quòd à populo juxta Augustinum ad orationem Episcopi respondetur; uti & de *Christe eleison*, quod populo tribuitur à Gregorio Magno, & denique de responso populi, penès Cyrillum *habemus ad Dominum*.

Longiùs verò se extendit sententia Basilii, non tamen ad quoslibet de populo rudes, & decoro cantui minimè accommodatos; sed de quibusdam agitur diligentioribus, magis piis & idoneis, qui *in labore & tribulatione, ac lacrymis indesinentibus, facta ad Deum confessione, tandem ab oratione surgentes, ad psalmodiam instituuntur*. Talisne hoc tempore in cunctis passim fidelibus dispositio est? Nequaquam proinde sapiens adversariorum consilium est; magis autem malesana præceptio reprehendens Ecclesiam præsentis temporis, & plurium seculorum, quasi praxim in Divinis Officiis sectetur *Divinæ contrariam intentioni*.

Quod ex Tridentina Synodo producitur, Quesnelli articulum minimè juvat; sed indubiè reddit ampliùs damnabilem; prodit enim apertiùs, quod aliàs adversarii obscuratum voluissent, agi à Quesnello etiam de voce populi jungenda voci Ecclesiæ in omnibus, quæ Missæ sacrificio continentur. Sic nempe Tridentinum sessione 22. cap. 8. *Ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit, qui frangat eis, mandat S. Synodus Pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent*.

Istud contra nos adversarii proferunt, quasi confirmans quod Propositione traditur damnatâ: *Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei*. Patet igitur Propositionem ab adversariis intelligi, quemadmodum & à centum Galliæ Episcopis exponitur, de jungenda voce simplicis populi voci Ecclesiæ etiam in Missâ & sanctissimo ejus sacrificio: cumque Propositio illimitata sit, exigit ut totius Missæ formula populo concedatur, & Sacerdos nihil amplius pressâ voce; sed totum elatâ pronuntiet, quæ *secreta* etiam in Canone sunt, in publica convertendo. Non itaque, ut persuadere nobis voluit Collator, *de jungenda voce populi & Ministrorum in Divinis decantandis laudibus*, unicè agit Quesnellus, sed etiam de jungenda voce in sacrificio. Si autem opposita praxis Ecclesiæ sit *contraria intentioni Dei*, in gravi hactenus errore versatur cœtus fidelium, labiturque prædicata ab Apostolo *Columna veritatis*, ut solet mendax hæresis gloriari.

Nihil obesse praxi Catholicæ Concilium Tridentinum, evidens est. Cùm longè aliud sit, explicari populo in concionibus Missam, quod unicè Patres illi desiderant, aliud populum in Ecclesiis Divina cantare Officia, & Missam, etiam ejus secreta cum Sacerdotibus recitare. Verumtamen, ut jam monui, istiusmodi objectio non inutilis est, ut pravam nobis adversantium mentem ampliùs detegat. Eodem concurrit, quod ab iisdem ex Cyrillo superius adducitur: „ Sacerdos clamat *sursum corda*: „ & respondetis *habemus ad Dominum*. „ Quod ut ex Missa depromitur ad stabiliendum Quesnelli articulum, velut digito monstrat, hunc quoque de jungenda voce populi voci Ecclesiæ in sacrificio intelligendum. At semper lepidi sunt novi hi Dialectici, qui ex responsione una brevissimâ *Habemus ad Dominum*. Quâ etiam à pueris sacrificio ministrantibus respondetur, indefinitam inferunt assertionem, de *voce populi simplicis jungenda voci Ecclesiæ*, nullis Divinis Officiis aut sacrificii partibus exceptis.

CAPUT X.

Dejicitur fraudulenta Collatoris observatio.

1 „ DE jungendâ (inquit adversarius) voce populi, & Ministrorum in divinis decantandis „ laudibus unicè agit author, aut si ita vis, „ etiam de procuranda simplici populo, sive per explicationes, sive per fideles versiones, notitiâ eorum quæ in Ecclesia „ cantantur linguâ non amplius vulgari, „ quatenus non spiritu solùm, sed & mente psallat: quæ omnia & *praxi Apostolicæ* „ *& intentioni Dei* sunt quàm maximè consentanea; ut mirum sit, innocentissimam „ propositionem damnari potuisse. „ Ita Collator.

Sola quæ in concionibus fit, ut à Tridentinis Patribus decernitur Divinorum Officiorum, & inter cætera sanctissimi Sacrificii explicatio non sufficit, ut simplex populus in significatione obvia dicatur vocem suam jungere voci Ecclesiæ; sed necessarium

farium est, Officiorum etiam Missæque ei tradi volumina. Non enim plebs rudis potest omnia solo auditu mandare memoriæ: neque solius spiritûs & mentis interna psalmodia Quesnello potest facere satis, urpotè qui *Voci Ecclesiæ vocem etiam simplicis populi jungi* postulat. Quod ait Collator de *fidelibus versionibus*, de Quesnelliana & Montensi, similibusque intellige corruptissimis.

Suppone tamen versionis vernaculæ fidem quantamlibet, & accurationem maximam, atque istiusmodi voluminibus instructum ad Ecclesiam accedere *simplicem* & illiteratum *populum*, ideone is poterit vocem suam juugere voci Ecclesiæ? Vox hæc in Divinis Officiis Latini idiomatis est, eine populus concinet Gallicè? Necesse igitur videtur in Quesnelliano principio vernaculam quoque linguam assumi ab Ecclesia. Non satis momenti penès Tolosanum Concilium anni 1228. cap. 4. habuit versionum vulgarium fides, ut Scripturas vel Divinum Officium passim laicis permitteret: *Prohibemus*, inquit, *ne libros Veteris & Novi Testamenti laicis permittatur habere; nisi fortè Psalterium aut Breviarium pro Divinis Officiis, ac horas Beatæ Virginis aliquis ex devotione habere velit; sed ne præmissos libros habeant in vulgari translatos, arctissimè prohibemus.* Concilium Narbonense anni 1609. cap. 3. de libris vetitis *Biblia verò Sacra idiomate Gallico conscripta legere aut domi retinere nemini liceat, nisi ab Episcopo, aut ejus Vicario Generali expressa in scriptis obtentâ licentiâ.*

2 Ipsa quoque Cleri Gallicani comitia generalia Parisiis habita anno 1661. Missalis Romani versionem Gallicam, præscindendo ab ejus fide, atque perfidia, sub excommunicatione à singulis Galliæ Episcopis prohibendam censuere datâ hoc fine encyclicâ ad singulos epistolâ. Illic novitas ista meritò perstringitur, velut *praxi Ecclesiæ, statutis Conciliorum Patrumque dogmatibus repugnans*. Accessit, ut supra monui, gravissima prohibitio Alexandri VII. sub excommunicatione latæ sententiæ, diplomate in universa admisso Ecclesia, nullo usquam Antistite, nullâ academiâ, nullo Catholico Principe adversante, ipso Rege Christianissimo cum supremo Galliæ Senatu præcipiente omnibus obedientiam.

Verùm impudentes Quesnelli asseclæ, omnis penitùs, quæ sub cœlo est potestatis contemptores, novam procudere ausi sunt editionem Gallicam, eamque viris ac fœminis promiscuè obtrudere, ut ad percipienda Divini corporis & sanguinis mysteria aperto se sacrilegio, & excommunicatione disponerent. Adversùs Romani Pontificis anathemata, nihil adeò Gallis Novatoribus communiter in promptu est, quàm allegatio non præstiti à Rege Senatuque, & Episcopis consensûs. Hic autem contra Novatores illos omnia concurrunt. Quod igitur patrocinium implorabunt, quo se contra anathema clypeo munient?

Aliud non superest, quàm mendax Arnaldi & Quesnelli authoritas in difficultatibus Steyaertio propositis parte 9. cap. 19. ubi *evidens est* [inquiunt] *quod Magnatum precibus effici possit, ut leges condat Pontifex injustas; quemadmodum certò constat, Cardinalem Mazarinum precibus suis induxisse Alexandrum VII. ad condemnandam Missalis versionem.*

Antistites Galliæ cum præcipuis è secundi ordinis Clero in comitiis generalibus congregati, concordibus suffragiis nemine dissentiente censuerunt librum illum velut noxium proscribendum, inflicto tum legentibus, tum retinentibus eum anathemate. Confirmari suam sententiam à cæteris Regni Episcopis, atque in primis à Summo Pontifice Alexandro VII. literis maximè urgentibus postularunt, ut exceranda novitas, totius Ecclesiæ finibus exulare juberetur. Placet nihilominus Arnaldo & Quesnello condemnationis Apostolicæ flagitatorem facere solum Mazarinum, quem in Belgio scribens, satis noverat Belgis odiosum propter bella continua quibus, cùm Gallias regeret, vicinas Provincias afflixit.

3 Sed & Arnaldus & Quesnellus pridem excommunicationibus latæ sententiæ assueti, callum obduxere, quæ solita Quesnelli gloriatio est in Epistola, *Abbatis* nomine *ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* editâ *se suosque minimè terreri sententiâ latæ excommunicationis Pontifici reservatæ*, atque illud *Romanis esse notissimum, utpote ingenio pollentibus non obtuso*. Præclarum istud Quesnelli testimonium habetur in eadem Epistola pag. 30.

Ita Quesnellus & Arnaldus suos instituêre discipulos atque inter illos famosum Malpaix, qui de Alexandri VIII. Decreto quo feriuntur Articuli 31. scribit in Epistola anni 1691. 2. Februarii: *Versa est cithara in luctum. Mira catastrophe! Quando nobis abblandiebamur, quasi Roma faveret veritati & justitiæ, fulmen Vaticanum ad nostras usque terras auditur, & nos percussisset, nisi ad Alpes fuisset feliciter allisum. Quale scan-*

dalum, & qualis horror tironibus, præsertim ejusmodi tonitru nondum assuetis! Assuescent autem Magistrorum talium proficiente disciplinâ.

At quis *Decretum*, ut Malpaisius vocat, *scandalosum* adeò impetravit, *Factio*, inquit *Monachalis, & nigra Escobarii turba*. Quesnellus verò in Epistola memorata sub nomine *Abbatis* pagina 50. *Decretum istud procuratum est à factione Ministrorum Hispaniæ, ad fovendas discordias, quæ erant inter Gallicanam Curiam & Romanam*. Sicut juxta Gerberonum Quesnelli socium in reflexionibus religionis & statûs circa formulam juramenti ab Alexandro VII. præscriptam contra quinque Jansenii Articulos, ait, *Ministros Regis Galliæ voluisse, eam introducere in Belgium Hispanicum, ut illud dissentionibus conturbatum faciliùs invaderent*.

4 Denique quidquid umquam contra Jansenianam hæresim, & annexas ei novitates à Pontificibus, vel aliis constitutum est, totum fuit juxta Jansenistarum somnia, subdolis artibus, atque injustis molitionibus extortum. Tunc autem solùm justitiæ legibus consona sunt Sedis Apostolicæ Decreta, quando nullum adferunt suis novitatibus detrimentum. Ita Arnaldi in Hollandia discipulus accepto Innocentii XI. contra morales 65. Articulos diplomate exclamabat *Os Domini locutum est!* At, inquit Quesnellus in memorata Abbatis epistola pag. 4. *Censura* nomen præferens Alexandri VIII. contra Articulos Jansenistarum triginta & unum, *non potest haberi tamquam opus Sanctæ Sedis, sed velut Inquisitionis Decretum, id est Theologorum duodecim aut circa*.

Ne autem à propositâ hic nobis materiâ divertamur, Quesnellus in Colloquiis circa Decretum Romanum, contra novum Testamentum (suum) Catalaunense cum Reflexionibus Moralibus, ubi de versione Montensi loquitur: *Hæc*, inquit, *translatio renitente frustrà Decreto Romano, celebratur velut opus præstantissimum. Apologia pro ea edita prorsus eamdem vindicant ab adversantium calumniâ; maximè autem triginta & forsitan plures ejusdem versionis editiones, quæ spatio annorum quadraginta comparuere*, in manifestum Sedis Apostolicæ contemptum, & Jansenianæ specimen audaciæ.

Attamen videri subinde Quesnellus desiderat, velut qui cura tangatur anxia famæ Pontificiæ, & Sacrarum Congregationum; sic in pseudonyma *contra Melchiorem Leydecherum defensione Ecclesiæ Romanæ & Summorum Pontificum* pag. 169. *Est*, inquit, *Pontificibus & Sacris Congregationibus, inferre injuriam, eosque hæreticorum exponere insultibus, talia eis decreta attribuere, quæ fidelem excommunicent, quia vel legisset, vel retinuisset, distribuissetve Novi testamenti Codicem vernaculum* (vulgo Testamentum Montense) *vel Missalis Gallicam versionem*.

Sic hypocrita se defendere simulat Romanam Ecclesiam, & Apostolicam Sedem contra hæreticum, cui utramque prodit fisibilis excipiendam, quasi injusta præcipiat, & eliminet Sancta, lato anathemate in lectores & retentores operum, quæ sinè dispendio honoris Pontificii & religionis nequeunt prohiberi. Et quidem hæ mites nimiùm Gerberonio visæ fuerant Arnaldi, atque Quesnelli furiæ contra Missalis Gallici condemnationem. Superare eas voluit in *strena* Schismatica, & *Monitis*, quæ vocat *charitatis directis ad Dominos Inquisitores pro anno* 1703. *Vultisne*, inquit, *ut vos agnoscamus Missæ Sacrificio inimicos? quia condemnatio Missalis* (Gallici) *est ipsius Altaris impugnatio*. Sic humilis Monachus & quidem Ordinis reformati.

5 Ad promovendam præcipuè versionum istiusmodi distractionem faciunt tot superiores Quesnelli de Sacrorum Voluminum lectione promiscuâ enuntiationes, etiam præsens, *Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ & intentioni Dei*. Subdolè *Collator* praxim communi usui Ecclesiæ oppositam, in *observatione* vocat, *praxi Apostolicæ & intentioni Dei quàm maximè consonam*: Unde concludit *mirum esse, innocentissimam propositionem damnari potuisse*.

Ego autem dissimulando tantisper, & minimè concedendo, quod in antecedente asseritur, ajo conclusionem esse fatuam, quandoquidem cum antecedente simili & quidem maximè catholico consistat conclusio certissimè hæretica. Exemplum evidens est in virginitate, quæ indubiè maximè consentanea est intentioni Dei, ideone matrimonium & ejus usus virginitati oppositus, est intentioni Dei contrarius? Illatio affirmans foret hæresis Manichæorum. Sic olim Sanderus Anglus à patria suâ propter fidem gloriosus exul atque in Hibernia Vicarius Apostolicus, orationem Lovanii recitans Polemicam anno 1565. 14. Kalendas Januarii de Pauli sententiâ primo loco nobis superius objecta ex Epist. 1. Cor. cap. 14. *Si orem linguâ spiritus meus orat &c.* „ Si Apostolum, inquit, de publicis precibus loqui concedimus, illud primùm statui potest,

„ test, publicas preces, quamvis non tam „ utiliter ad populi ædificationem, tamen „ absque omni peccato Pontificum & Sa- „ cerdotum, in ignota lingua fieri posse. „ *Nam tu*, inquit Apostolus, *bene gratias* „ *agis*.

„ Quod autem ab Apostolo dicitur bene „ fieri, qua tandem temeritate, ab istis „ Neotericis tamquam ineptum aut inutile „ (à Quesnello ut contrarium *intentioni* „ *Dei*) reprehenditur? Non enim si melio- „ ra præferuntur bonis, ut matrimonio „ virginitas, 1. Cor. cap. 7. non idcirco „ bona continuò evadunt mala. *Æmulami-* „ *ni* ait Apostolus 1. Cor. 14. *Spiritualia*, „ *magis autem ut prophetetis*. De quo Chry- „ sostomus homilia 35. ait *Majus & minus* „ *verum est, non contrariarum; sed excel-* „ *lentium: ex quo liquet, donum linguarum* „ *non reprehendi, sed illos ad excellentiam* „ *vocari*. Prophetare autem est per lin- „ guam intellectam Dei mysteria propone- „ re. *Qui loquitur linguâ, Deo loquitur*, „ *Spiritu loquitur mysteria, semetipsum ædi-* „ *ficat*.

„ Quæ omnia Dei optimi maximi magna „ quædam dona existunt, sed hoc illis „ deest, quod alios non ædificant ..... „ Nunc autem ne id quidem verum est, Ec- „ clesiam in precibus Ecclesiasticis ulla ex „ parte Sanctum Apostoli consilium, aut „ superiorem illum linguæ gradum negle- „ xisse; partim quia de alio genere pre- „ cum Apostolus in priore epistola ad Co- „ rinthios agit, quàm quod nunc in so- „ lemni usu est: partim etiam quia tametsi „ de ordinariis precibus agat, non eas „ vulgares linguas in illis ubique præscri- „ bit, quas adversarii putant eum intelle- „ xisse. Erat in prima illa Christi Ecclesia „ donum, ut curationum, & prophetiæ „ sic etiam *precandi*, cujus apud Divum „ Joannem Chrysostomum & Oecumenium „ fit mentio.

„ Id autem non erat literis comprehen- „ sum, ut nunc sacra officia conscribi, ac „ scripta legi solent; sed postquam Eccle- „ sia in unum convenisset, unus aliquis à „ Spiritu Sancto excitatus est, *qui* ut monet „ Chrysostomus in Epistolam ad Rom. Ho- „ milia 14. *Quod communiter universitati* „ *Ecclesiæ conducebat, id tum ipse pro omni-* „ *bus postulans staret, tum autem alios edo-* „ *ceret* .... Quatenus autem postulabat, „ non erat necesse illum ab adstantibus in- „ telligi: quin imò, ut dicitur ad Rom. „ cap. 8., gemitibus id efficiebat & Secre- „ tis interdum vocibus. At quatenus eum- „ dem oportebat alios postulata docere, „ hic aut lingua precantis ipsi populo no- „ ta, aut interpretis præsentia omnino de- „ siderabatur.„

Tandem post deductionem admodum eruditam, sed pro instituto nostro nimiùm prolixam, sic meritò concludit: „ Jam si „ necessitas linguæ vulgaris in publicis „ precibus nulla demonstrari potest, cer- „ tè multò minùs utile hoc cuiquam aut „ opportunum videri debet.„

6 *De jungenda voce populi & ministrorum in Divinis decantandis laudibus*; Si Collatori credimus, *uniceè agit Author*, à cantûs idiomate præscindens, proinde dum Latinè canitur ut usus obtinet, liceat eidem populo eâdem linguâ concinere, modò saltem eorum quæ cantantur notitia sive per explicationes, sive per fideles versiones eidem populo procuretur.

Verùm ea Collatoris & fallax observatio est, & ad declinandum anathema minimè sufficiens. Si enim Quesnellus aliud non voluerit, quàm populi in Divinis laudibus concentum cum Ecclesiæ Ministris, quare restrictionis istiusmodi nullum fecit indicium, sed usus vocibus indeterminatis, occasionem præbuit opinandi voluisse etiam ipsum de Missæ intelligi Sacrificio, ut centum intellexêre Galliæ Episcopi? Cur ejus vindices in Apologiis proferunt textus manifestè agentes de Sacrificio, qualis est Cyrilli Hieros: *Sacerdos clamat: SURSUM CORDA, respondetis HABEMUS AD DOMINUM*? Clarissimum est illud Tridentini Concilii ab ipso nobis oppositum Collatore ex Sess. 22. cap. 8. *Ne Oves Christi esuriant nec parvuli panem petant, & non sit qui frangat eis, mandat Sancta Synodus Pastoribus & singulis curam animarum gerentibus ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera Sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent*.

Iterum Quæro, si non de jungenda voce populi voci Ecclesiæ in Sacrificio Missæ agitur; sed tantummodo de ejus concentu in psalmis & Divinis laudibus; cur pro damnato articulo sententiam producis Tridentini Concilii quæ tota de Missæ Sacrificio est, ejusque mysteriis? Exploratum toti Galliæ & vicinis provinciis est ab anno superioris seculi sexagesimo, non segnia vestrorum studia eò collimasse ut universus populus, mulieres æquè ac Viri totum Sacrum dicerent cum sacerdote, etiam Canonem, ipsamque consecrationem. Hunc in fi-

finem Missale Romanum integrum Gallicè versum, & pluribus vulgatum editionibus promiscuè obtruditis.

Usum istum velut maximè laudabilem sustinet solitâ sua impudentiâ Quesnellus contra Clerum Galliæ, ut superiùs vidimus, contra Regem, ejusque Senatum, contra Summum Christi Vicarium versionem illam atque ejus usum gravissimis sanctionibus prohibentes. Evidens itaque apparet damnatum Quesnelli articulum, sive verba ejus illimitata consideres, sive circumstantias Authoris, eumque vindicantium Apologias, quidquid affusis tenebris occultare fallaciter conentur, non solummodo de laudum canticis agere; sed etiam de tota Missæ formula à plebeis Viris ac mulieribus cum celebrante presbytero pronuntianda.

7 Alterum hîc animadversione dignissimum est, adversarios nugari, imò turpiter imponere, quoties aliquam Sedis Apostolicæ sententiam maximè dogmaticam rejiciunt, obtentu non præstiti à Rege, aut Regio Senatu, aut Episcopis consensûs; quasi aliqua potestatis saltem supremæ eos tangat reverentia, in quibus luculenta maximè & obvia passim conspicimus proculcatæ authoritatis quantumlibet augustæ specimina. Sed nempe omnes utriusque fori Principes non aliud penès novam Ecclesiam merentur; quia ut edicitur propositione nonagesima sexta *Omnes potestates sunt contraria Prædicatoribus veritatis*.

Veritatis autem nomine Quesnellus intelligit, quidquid tum hac, tum centum aliis justissimè damnatis propositionibus, & famosis quinque Jansenii hæresibus continetur. *Adeò enim non persuadetur, sensum ab authore* [Jansenio] *intentum esse hæreticum, ut jam demum credere cœperit orbis catholicus, nihil in ipso non esse catholicum*, si credimus Quesnelli *Notis in Epistolam Steyaertii* fol. 17. ut itaque præsens finem habeat disputatio, ex allegatis hactenus compertissimum est, Quesnelliani articuli sensum esse, quod *eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ*, tum in canendis Divinis laudibus, tum in legenda Missæ formula tempore Sacrificii, *sit usus contrarius praxi Apostolicæ & intentioni Dei*.

Præterea ex loco Apostoli à quo Quesnellus ad observationem istiusmodi *inductum* se asserit atque *determinatum*, quique ab adversariis omnibus in primo objectionum agmine collocatur, ipsi colligunt populum intelligere debere, quod voce Ecclesia pro ipso orat, & agit; ideo Latini idiomatis imperitis tradendam Missæ formulam in vernaculum translatam: Sic & pro cæteris Divinis officiis permittenda illis vulgatis linguæ biblia, quantumvis liber uterque à Sede Apostolica prohibitus sit, prior etiam sub excommunicatione latæ sententiæ ipso jure à transgressoribus incurrenda.

8 Frustra à Quesnellistis obtenditur usus alicubi introductus legi Ecclesiasticæ contrarius circa Scripturæ vernaculæ lectionem; nam quidquid sit de istiusmodi locis, in quibus usus ille invaluit adeò, ut dissimulantibus Episcopis, neque reclamantibus Nuntiis Pontificiis, quasi concessa tacitè venia censeatur; at nulla hinc excusatio est Quesnelliano dogmati, quod nullis locorum, temporum, aut alterius circumstantiæ terminis restringitur; sed ad quascumque extenditur ditiones & provincias, etiam ubi nihil est consuetudinis contrariæ præcepto; sed antistitum, Pastorum, plurimis quoque in locis Inquisitorum vigilantia illud est in maximè rigida observatione. Missalis autem Romani versio est, quam, ut Alexandri VII. sententia declarat, *in Regno Galliæ quidam perditionis filii in perniciem animarum novitatibus studentes, & Ecclesiasticas Sanctiones ac praxim contemnentes, conatu temerario*, imo *insigni vesaniâ typis evulgare, & ad cujusvis ordinis & sexûs personas transmittere ausi fuerant*.

Eadem pariter infelix machinatio est, quam statim Ecclesia catholica, præ cæteris Gallia horruit, ac detestata est. Quomodo in eam mox Cleri Gallicani comitia generalia communibus Sententiis nemine penitùs dissentiente insurrexerint, accenso etiam contra eam zelo cæterorum Regni Antistitum, ipsius Regis Christianissimi, ac Regii Senatûs, superiùs à me documentis authenticis demonstratum est. Quæ verò Cleri Gallicani contra Missale vernaculum gravissima conspicitur ad Alexandrum VII. Epistola, eadem vehementem continet querimoniam, contra versionem Scripturæ vernaculam, ejusque promiscuam lectionem, plebi imperitissimæ ac mulieribus communem.

Contra protuli concilia complura, etiam Gallica & cum S. Carolo Mediolanensi clarissimos dedi ex omnibus Nationibus Scriptores, præcipue Gallos Gersonem Parisiensis Academiæ Cancellarium, Lizetium ex Senatus Parisiensis Principe Abbatem S. Victoris, Cardinalem Peronium, Ponceium, Spiritum Roterum Tolosæ contra hæreticos Inquisitorem, ipsam Sorbonam cum celebertimo suo contra Erasmum ju-

judicio, contra quod clamitent, ringantur Quesnelliani quantum voluerint, ridiculos se præbent quoties credere nos jubent *censuras illas excusationibus indigere*, nullum præstante authoritatis præsidium: Catholici illas semper ut celeberrimâ academiâ dignissimum monumentum prædicabunt, uti & Cleri Gallicani testatum superioribus quoque seculis zelum contra nascentes hæreses, & novitates iterum à Clemente XI. proscriptas.

9 Ne verò antiquata quodammodo & obsoleta temporum longitudine viderentur illa Tolosani Concilii, aliorumque successivè Antistitum, etiam Sorbonæ ac Senatus Regii pro fide & religione studia, Clerus anni 1661. Quidquid versionibus vernaculis Scripturarum & Missalis, earumque promiscuæ lectioni tamquam abusuum novitatumque pravarum Seminario adversum, à se & suis majoribus actum atque à gravissimis Nationum omnium Theologis scriptum hactenus fuerat, in unum colligi volumen, suisque ac regiis typis, ut in ipsa operis fronte legitur, edi iterum *jussit ac mandavit*. Utinam istiusmodi providentia, & vigilantia utroque toto superiore seculo quin & tempore Albigensium, ac Pauperum de Lugduno fuisset in omnibus Præsulibus, & Pastoribus animarum, non tantam Ecclesia stragem in rudi populo fuisset passa, neque tantos fecissent hæreses progressus, ut superiùs vidimus à sapientibus animadversum:

Et pace quorumdam Gallorum Antistitum in cæteris rectè sentientium dixero, verisimile est, non tantam futuram fuisse ex plebe virorum ac mulierum, etiam fatuarum Virginum ac Monialium contra Constitutionem UNIGENITUS appellantium multitudinem; si non eos malesana Scripturæ vernaculæ intelligentia pervertisset. Turbationibus quidem & offensionibus populi obnoxia videbitur alicubi executio Regulæ 4. Indicis Tridentini, vulgo nimiùm prætensis suis libertatibus assueto; sed amplius metuendum autumo, ne diuturnior indulgentia, ut seculi 16. experimenta nimiùm luctuosa docuêre, motus longè graviores funestioresque Regno & Ecclesiæ paritura sit.

Propositio damnata octogesima septima.

Modus plenus sapientiâ, lumine, & charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequã reconcilientur. *Obser. Moral. Act. 6. v. 9.*

CAPUT I.

Propositionis iniquitas compendio exhibetur.

1 Modus indubiè plenus sapientia, lumine, charitate, religione, & quidem necessariâ est differre absolutionem, quoties confitenti peccata deest *Spiritus pœnitentiæ, & contritionis*; si eum confessarius cum divina gratia in eo suscitare non valuerit. Non enim quoties aliquis non satis ad absolutionem dispositus initio apparuerit, statim repellendus absque reconciliatione est; sed Charitas exigit, ut propositis cum fervore & mansuetudine rationibus, quæ movendo ad pœnitentiam peccatori idoneæ sunt, dolorem de peccatis, quem ad Sacrum tribunal non attulerat, in ipso concipiat, dignusque absolutione reddatur, qui ante non fuerat.

Verùm minimè probanda est ea in quibusdam pœnitentiæ præsidibus sive socordia, sive inclementia, qui pœnitentes quoslibet, de quorum sufficiente dispositione non penitùs sibi securi videantur repellunt protinùs, nullo adhibito conamine, ut, si quid ante forsitan defuerit, Confessarii instructione & piis monitis, cum Dei gratia suppleatur. Dignissima autem præconio, & imitatione est ea Sacerdotum erga miseros prudens charitas, & plena pietate industria, qui

qui corda aliàs saxea emollire, & saluberrimos ex eis lacrymarum fontes, indubitatamque norunt elicere pœnitentiam.

Facessant verò maximè immites illi, & iniquissimi Confessionum auditores potiùs, quàm medici animorum, qui passim ignotos sibi, & pauperes primâ vice, etsi dispositos, rejiciunt, obtentu largiendi *tempus, quo cum humilitate portent & sentiant statum peccati, petant* [ardentiorem] *contritionis & pœnitentiæ spiritum, & incipiant ad minùs satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.*

Dixi ignotos & pauperes; nam erga familiares, vel quorum opibus, operâ, patrocinio indigent, quosque partibus suis student adjungere, non minùs benignos reperies, neque in absolutionis impertiendo beneficio minùs liberales, quàm illos passim è Religiosis mendicantibus, quos veluti laxos, & reconciliationis prodigos apud vulgus credulum traducunt. Ita testantes audivimus complures, qui pietatis specie ab hypocritis circumventi, ad ipsos, à catholicis defecerant; incessit malè sanos transfugas admiratio, quòd tales rigoris exotici infamiâ laborarent, in quibus nihil ipsi deprehendere potuerint à præcedentium Confessariorum methodo alienum.

Verùm Propositio Quesnelli dogmatica regulam statuit universali similem, ita ut censendus sit, quodammodo semper *Modus plenus sapientia, lumine & charitate, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minùs satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.* Sensu itaque accepta, ut in rigore & obviâ significatione sonat propositio, non à veritatis solùm tramite aberrat; sed plurimam quoque animis nata est afferre perniciem; attritis videlicet, quos cœlo transcripsisset absolutio; ejus autem procrastinatio imprudens, morte interim oppressos subitaneâ demergit ad inferos, ubi est fletus & stridor dentium: maxima simul; sed non profutura desperantibus pœnitentia. Hic miseri illi æternùm damnati, præposteram Sacerdotum sapientiam, lumen fatnum, fictitiam charitatem, veriùs crudelitatem amarissimis questibus detestabuntur, & divinam contra eos provocabunt furore rabidi ultionem.

2 Credat Quesnellus Augustino epist. 180. ad Honoratum. *An non cogitamus, cùm ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem? ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto seculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati! Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum, in vita æterna requie non habebunt!* Augustino scilicet evidens est, perire plurimos defectu Sacramenti, qui ejus subsidio ad superos evolassent.

Hinc præcluduntur inania Novatorum effugia: quale est istud *Speciminum Moralium* pag. 144. & 145. *Hæc objectio: quid si morerer non absolutus, frivola est: vel enim peccator efficaciter intendit converti, vel non: Si efficaciter intendit converti, pœnitentiam implebit; & si moriatur ante absolutionem, solâ voluntate efficaci conversionis salvabitur: Si non intendit, absolutio ipsi oberit; quia ad illam non est dispositus, sicque addit peccatis suis sacrilegium ad majorem sui damnationem.* Ratio nostra à Novatore frustrà exploditur, ut frivola, quam facilè prudens Lector animadvertit laqueum ipsi inextricabilem esse, neque responso isto inanissimo dissolvendum. Intendit enimverò peccator converti, & efficaciter quidem; sed solâ hactenus attritione pœnitens; quâ ad absolutionem disponitur, absque eâ minimè salvandus.

Neque censuram abstergit à dogmate, neque perniciem ab operatione excusatio alterius in famosa *Methodo remittendi, & retinendi peccata* pag. 127. & 128. *Si hoc pacto foret dispositus, nonne res foret in primis demiranda, quòd Divina Providentia sineret eum vitâ defungi tam infeliciter, eo, inquam, tempore quo Confessarii id suadentis obsequitur judicio? Sed hoc magis demiraberis, si perpendas, quòd ut talis damnaretur, debuisset Providentia Divina destinato consilio decrevisse, ipsum in vindictam ante acta vita in flammas infernales præcipitem dare.* Sic Medicus quilibet imperitissimus, infirmi, quem suâ, seu negligentiâ, seu ignorantiâ occidit, mortem gravitati morbi immedicabilis, vel Divinæ Providentiæ, ac dispositioni attribuere consuevit.

3 Nos igitur authori *Methodi* reponimus illud Ezechielis 18. v. 23. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur, & vivat?* 2. Petri 3. v. 9. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti:* & lib. 2. Regum cap. 14. v. 14. *Nec vult Deus perire animam; sed retractat cogitans, ne penitùs pereat, qui abje-*

abjectus est. Quapropter tuâ, Spiritualis medice, culpâ, non Dei Providentiâ infelix Frater periit. Providentia quidem novitatem tuam permisit, ut mala quævis alia; sed minimè voluit: tua verò exitialis imprudentia miserum æterno addixit incendio. Illic portabit perpetuò, & plusquam volueris, sentiet infelix anima statum peccati; at sinè spe, sinè fructu, pœnitentia prorsus inutili. Neque ad liberationem illi proderit qualecunque satisfactionis initium, quod ante reconciliationis gratiam requisivisti.

Si verò usque ad absolutionem supervixerit, an opera extra statum gratiæ, etsi mandato Confessarii exercita, accedente dein absolutione vitam, & merendi virtutem accipiant, quidquid aliquibus pro benigniore parte probabile videatur, non probat Angelicus in Supplemento quæst. 14. art. 2. *Sinè charitate opera facta non sunt satisfactoria*. Art. 3. *Quidam dixerunt, quòd opera extra charitatem facta vivificantur* [sequente charitate] *quantum ad hoc, quòd sunt satisfactoria; sed non quantum ad hoc quòd sunt meritoria vitæ æternæ; sed hoc non potest esse ... sicut charitas adveniens non potest opera extra Charitatem facta, grata facere quantum ad unum, ita nec quantum ad aliud*. Saltem non sunt satisfactoria, & meritoria propriè, sive de condigno; ad quod requiritur dignitas agentis, sive status gratiæ. De hoc etiam inposterum intelligendus sum; non autem de satisfactione, aut merito improprio, quod vocari solet tantùm *de congruo*.

Incommodum aliud minimè leve, & periculum ex adversariorum rigore consequens suggerit S. Leo Epist. 87. ad Episcopos per Viennensem Provinciam: *Nulli Christianorum facilè communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quòd in magni reatûs ultionem invitus, & dolens quodammodo debet inferre animus vindicantis. Cognovimus enim pro commissis, & levibus verbis, quosdam à gratia communionis exclusos, & animam pro qua Christi Sanguis effusus est, irrogatione tam sævi supplicii sauciatam, & inermem quodammodo exutamque omni munimine, diabolicis incursibus, ut facilè caperetur, objectam*. Ubi *magni reatûs* nomine, non quodlibet delictum lethiferum solâ fortè cogitatione perpetratum, intelligitur; sed istiusmodi, cui excommunicatio, aut præscripta peccatis quibusdam gravibus, & publicis pœnitentia publica deberetur. Quanto autem magis locum obtinet, quod memorat S. Pontifex periculum, ubi non sola Communio, sed etiam absolutio denegatur, atque ita anima relinquitur in odio Dei, & privata copiosioribus gratiarum subsidiis, quibus filii Dei solent, non hostes usque adeò præveniri!

4 Apostolus 1. Cor. 7. ait: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaque virum suum habeat*. Ibid. *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego. Quòd si non se continent, nubant. Meliùs est enim nubere, quàm uri*. At rigidiorum turba pœnitentiariorum contra Apostolum docet, quòd quicunque se non continent, debeant dilatâ absolutione ab ineundo arceri matrimonio. Cùm enim hoc Sacramentum Vivorum sit, suscipere extra statum gratiæ non licet. Quandonam autem absolutio impertietur? Respondet adversarius, quando multo tempore *portaverint cum humilitate, & senserint statum peccati, & satisfacere ad minus inceperint Justitiæ Dei*.

Sed quid si interea *urantur*, & ex infirmitate *non se contineant*? Differri juxta illum absolutio, atque ita susceptio matrimonii debebit, donec extra matrimonium non uri, sed se continere didicerint: sive, ut aliàs Quesnello devotissimus in Thesibus Mechliniensibus anni 1690. 26. Januarii ajebat: *Lapsum ex infirmitate tunc demum absolves, cùm per amorem Dei prædominantem peccata infirmitatis superaverit, ac dimiserit*. Atque ita lapsos ex infirmitate fines tunc demum ioire matrimonium, cùm peccata infirmitatis superaverint penitùs, ac dimiserint; proindecùm ad ea superanda, ac dimittenda matrimonio opus ampliùs non habebunt. Sic Christus instituerit remedium solummodo sanis, quibus uti juxta Servatoris sententiam, non est opus medico; ita nec medicamine. Quicumque igitur hic se non continent, vel, ut versio Montensis damnata, & nihilominus à Quesnello sæpius defensa habet, qui se *continere non possunt*, in aliam vitam, quando Deo teste neque nubent, neque nubentur, matrimonium differant necesse est. Nunquid & in aliam vitam reservanda plerisque absolutio, si conferri nequeat, antequam *peccata infirmitatis superata* prorsus fuerint, atque *dimissa*?

5 Denique damnata Propositio resuscitat decimam septimam inter 31. ab Alexandro VIII. Pontifice Maximo profligatas: *Per illam praxim mox absolvendi, Ordo pœnitentiæ est inversus*: & decimam octavam: *Consuetudo moderna quoad administrationem* Sa-

Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu; sed abusu. Dubitari scilicet non potest, quin ordo pœnitentiæ à Christo institutus fuerit plenus sapientiâ, lumine, & charitate: talis ordo juxta authorem rigidum, non est conferre absolutionem illicò post Confessionem: sed absolutionem hebdomadis, & mensibus differre. Ordo igitur, quem Christus instituit, acceleratis absolutionibus inversus est; sicque consuetudo hodierna abusus potiùs reputabitur, quàm usus legitimus, & à Dei Ecclesia approbatus. Damnata novitas comparabitur cum hæresi Petri d' Osma cap.13.

Hactenus errorem oppositione veritatis impugnavimus; superest, ut eundem cum aliis ejusdem authoris erroribus collidamus, quò ignorantiæ suæ tenebras tandem agnoscens, ab Ecclesia, quæ columna, & firmamentum veritatis est, duci se potiùs inposterum sinat, quàm à prætenso suo *lumine*, quod fallax, ac fatuum esse, ex tot suis demonstratis lapsibus, nisi talpâ cæcior fuerit, facilè deprehendet.

Multis à Quesnello Articulis traditur, quòd omne opus sinè gratia sit peccatum: qui error, ut locis propriis notavi, damnatus pridem fuerat in Michaele Bajo Prop.27. *Liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet*; & nihilominùs à Quesnello multis observationum Moralium locis apertè defenditur. Articulo 38. *Peccator non est liber nisi ad malum sinè gratia liberatoris.* 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum: ardoris, nisi ad se præcipitandum: virium, nisi ad se vulnerandum. Est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.* Alter error exprimitur Articulo 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.*

Attendat nunc temerarius Scriptor, qualia sint opera peccatoris omnia ante reconciliationem. Juxta ipsum non minor delictorum numerus est, quàm operum; non enim fiunt ex *gratia*; quia hæc, & quidem *prima est peccatorum remissio: sinè gratia* autem, *nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*; illa ergo humilitas, cum qua *animæ portabunt*, *& sentient statum peccati*; *petitio Spiritus pœnitentiæ, & Contritionis, & inchoatio satisfactionis, antequam reconcilientur*, juxta authoris sententiam, vel esse in peccatoribus ante reconciliationem nequeunt, vel bonitatis expertes sunt, & numerum augent solummodo debitorum. Quæ verò *Sapientia*, quod *lumen*, quæ *charitas* dictare potest, tempus animabus concedere tantummodo ad peccandum? Quis modus acquirendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, priores noxas semper recentibus cumulando? Quod *satisfactionis* initium; aggravare continuò debitorum multitudinem?

Iterum ex Quesnello quærimus, qua prudentiæ, aut rationis specie *ab animabus, antequam reconcilientur*, exigat *petitionem Spiritûs pœnitentiæ, & contritionis*; atque ut *incipiant ad minus satisfacere Justitiæ Dei*, si utrumque miseris illis, quandiu in reatu damnationis manserint, impossibile est? Impossibilitas traditur disertissimè Prop.1. *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consectiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?*

In hac *generali impotentia ad omne opus bonum*, quid juverit sentire *statum peccati*? Etiam Dæmones, & quilibet apud inferos damnati, quàm maximè sentiunt; sed sinè fructu. At, inquiet Quesnellus, exigo ego non solummodo, ut animæ *sentiant statum peccati*, sed etiam ut *cum humilitate portent*, quòd nequeunt Damnati. Verùm &, ipso Quesnello judice, nequeunt peccatrices animæ in sua *generali impotentia ad omne opus bonum*, quale indubiè est postulata in Articulo *humilitas*. Hanc utinam Author ex tot suis ubique gravissimis lapsibus aliquando concipiat, atque hic in primis discere non recuset à Sede Apostolica, securissima omnium Ecclesiarum Magistra, non *esse modum plenum sapientiâ, lumine, & charitate*, in suo potissimùm systemate, semper, vel passim suspendere absolutionem; sed eam verè pœnitentibus impertiri, detestantibus scilicet commissa, & seriam præseferentibus non peccandi imposterum voluntatem.

7 Præclara itaque, non diffiteor, virtus est humilitas, salubris compunctio, & contritio cordis intima, ac diuturna; imò perpetua de peccatis, monente Scriptura, *De propitiato peccato noli esse sinè metu*: & Rex David Psal.6. *Lavabo*, inquit, *per singulas noctes lectum meum; lacrymis meis stratum meum rigabo*, etsi pridem Deo per pœnitentiam conciliatus. Verùm gratia sanctificans pœnitentibus reddita, adeò non ponit obicem humilitati, confusioni Sanctæ, & contritioni perfectissimæ, ut ad illas animum me-

meliùs, quàm multa reconciliationis procrastinatio disponat. Ex inimico enim amicus Dei redditus, & filius, ut notare superiùs cœperam, copiosioribus prævenitur gratiæ subsidiis, neque in eum ampliùs imperium tenens Diabolus, impedire potest, ut antea consueverat, piorum operum exercitia. Proinde detestabilis, & in nova semper propellens crimina, nostrumque semper spirans interitum Stygius hospes, nulli sapienti videbitur retinendus unâ hebdomadâ, ac ne die quidem, aut temporis momento, quandocunque potuerit eliminari. Reconciliatio autem cum Deo, à quo solo potens opitulatio, & securissima protectio præstari potest, ut votis maximè ardentibus semper expetenda, sic omni studio, & quàm citissimè meritò videbitur procuranda.

Hæc quidem hactenus, tanquam gravioris prænuntia certaminis, contra errorem adeò noxium præmissa velitatio est, perstringens compendio plurima, quæ in varias redacta distinctius classes, singulis merentur capitibus, copiosiore argumentorum præsidio debellari.

CAPUT II.

De mora, quam Quesnellus exigit pro acquirendo spiritu pœnitentiæ ante reconciliationem.

1 CAvet scriptor subdolus, ne dilationis tempus in plures hebdomadas, menses, quandoque annos protrahendum aperiat; sed istud suarum partium Confessariis, suæ conscius intentionis committit opere exequendum. Neque hi ab initio solent determinati à se temporis longitudinem indicare; sed blandioribus verbis ludificantur miseros, ne desperationi, aut querelis contra se, forsitan in publicum proditutis, & deferendis ad Episcopum, ansa præbeatur.

Affectatio quoque Novatoribus familiaris est, ut faciliùs decipiant, singularem ostentant moribus gravitatem, ac modestiam: atque ab invicem, ut mulus mulum scabit, in Sanctorum Canonem referuntur. Ubi scilicet Director creditur *plenus Sapientiâ, lumine, & Charitate*, dispositio non levis est, ut talis quoque censeatur ejus directio. Ita plurimi, qui dilatæ absolutionis tempore morte subitâ opprimuntur, cum *modo isto pleno Sapientiâ, lumine, & Charitate*, à Sanctis istis novæ Ecclesiæ pœnitentiariis demerguntur ad inferos, expectaturi illic illusores suos, exitiales hypocritas, quos æternis maledictis, & amarissimis; sed nil profuturis exprobrationibus, detestentur.

Non brevem absolutionis moram colligere utcumque possumus ex Articulo 89. quo dicitur *Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quòd cùm sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificiis Ecclesiæ.* Hæc juris adeò longa suspensio examinabitur loco proprio. Interim exploratum omnibus est, eò contendere adversariorum studium, ut quæcumque antiquis temporibus præscripta legitur reconciliationis Canonicæ suspensio, intelligatur ab Ecclesia hodie, quasi fuerit absolutionis in Sacramento tribui solitæ dilatio necessaria. Atque hæc administrandæ ratio pœnitentiæ ab ipsis adscribitur Christo, veluti authori; proinde etiam præsenti tempore Confessariis, ac pœnitentibus amplectenda.

2 Huc dirigitur totus liber Sancyrani, & Arnaldi *de frequenti Communione*, quem tot curarunt approbationibus Præsulum, & Doctorum elogiis præmuniri, ut ab ejus condemnatione Sedes Apostolica deterreretur. Sed non potuit ea fallacia impedire, quin, præter hæresim de bicipiti Ecclesiæ capite, quam in præfatione traditam Innocentius X. anno 1645. applaudentibus Galliæ Episcopis condemnavit, tacito authoris, & libri hujus nomine; Articuli ex illo complures decerpti fuerint, & inter 31. ab Alexandro VIII. Pontifice profligati: videlicet decimus sextus, *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ; sed ipsa Christi lex, & præscriptio, naturâ rei id ipsum quodammodo dictante.*

17 *Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.*

18 *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiam si eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesiâ non habetur pro usu; sed abusu.* Ita Arnaldus; Quesnellus autem non inultum passus est magistri sui placitis inflictum anathema; sed diris omnibus devovet in *Epistola* typis edita nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum.*

Quando itaque istiusmodi Propositiones invitis superis invaluerint, facilis videbitur Novatoribus responsio ad nostram de longitudine temporis quæstionem, quandiù, scilicet portare cum humilitate, & sentire oporteat statum peccati, antequam re-

conciliatio concedatur; remittemur ad Canones antiquos, ubi tempora determinantur, & plurium sæpe spatia annorum. Sed quid agent rigidi isti pœnitentiæ præcones reis delictorum solummodo internorum, atque istiusmodi externorum, quibus nulla pœnitentia Canonica legitur annexa?

Respondet Jansenistarum, qui se *Candidos* vocant, Primipilus in *Aureo fodino suffossa* part. 1. pag. 70. *Pœnitentiam peccatoris* (nemine excepto) *non solum multo labore; sed etiam tempore indigere, & interea debere eum Eucharistiâ privari*, atque hanc ait esse *Sanctorum Patrum Sententiam, non minùs quàm solis radios conspicuam*. Sic ante Constitutionem scripserat, qui statim post eam videtur ex *Candido* factus rabidus, in *monito ad fidelem populum*, eandem dentibus, & unguibus lacerans. Illic pag. 1. initio asserit *Constitutionem eo fine editam apparere, ut omnia Religionis nostræ Sanctissimæ, & pietatis Christianæ fundamenta subverteret*. Sic monitum ad finem usque prosequitur, declamationibus potiùs, quàm rationibus, quarum capacem non solet relinquere animum furor.

3 Alius Arnaldo, & Quesnello non minùs, quàm Jansenio devotus in *Speciminibus Theologiæ Moralis* pag. 154. & 318. *Praxis*, inquit, *mox absolvendi post confessionem criminum est praxis, & Moralis diabolica*. Quanto autem tempore oporteat pœnitentiæ opera præmisisse, non exprimunt quidem rigidi isti Ecclesiæ Reformatores; forsitan quia nondum satis multitudine, & potentiâ firmati, commodiora tempora expectant, ut Sacramento mortuorum abolito ceremoniam substituant canonicam. Hactenùs itaque malunt se terminis quibusdam obscurioribus continere, ut Quesnellus suggerit, *dondum tempus animabus*, quantum justificandis sinè absolutione peccatoribus opus esse Janseniana prudentia dictaverit.

Addictissimus Arnaldo, & Quesnello, Theologiæ aliàs in Mechliniensi Seminario Professor, antequam ab Archiepiscopo docendi munere privaretur, ita docuerat in Thesibus anni 1690. 26. Januarii, *Qui casu prorsùs extraordinario, & tentatione insolitâ in crimen labitur; vitâ alioquin probatâ, & Christiana; hujus etsi frequentior, facilior, & brevior soleat esse conversio, non tamen ei mox uno alterove, aut tertio post peccatum die absolutio impendenda est*.

Idem biennio post in *Theologo Christiano* pag. 45. *Qui cum criminibus exercitia spiritualia ingressi sunt, ne mox post octo, vel decem dierum secessum, etsi à novis criminibus abstinuerint, credant se satis probatos, ut absolutionem accipiant*.

Si tot examina conscientiæ, tot meditationes, orationes, corporis & animi afflictiones, quibus tempus illud transigitur, dirigiturque ad conversionem seriam, cum generali totius vitæ confessione, non sufficiens communiter præparatio sit, ut absolutio præstetur, meliorne speranda est dispositio, dum relictâ solitudine domus repetitur, resumuntur temporalium curæ, & animus rebus seculi distractus non poterit vacare totus operibus pietatis, ut vacaverat in secessu? Sic obeuntibus illa spiritûs exercitia præcipuus fructus perit reconciliatio cum Deo: sic frustraneæ redduntur indulgentiæ, quas Pontifices ad excitandum eorum desiderium, & accendendum amplius utentium fervorem, plenissimas largiuntur.

4 Non sufficiunt Novatoribus contritionis indicia, etiam minimè levia in pœnitentiæ exhibita tribunali; sed opera ulteriùs requirunt extra illud non panca, & tempore exercita non exiguo. Sic memoratus author *Speciminum Theologiæ Moralis Christianæ, & diabolicæ* pag. 136. §. 49. *Quamvis tales statim à peccato commisso, vel saltem eùm confitentur, essent contriti, & apud Deum justificati, nos absolvere non possumus, nisi post condignam pœnitentiam justo tempore peractam*. Quantum nomine justi temporis tales intelligant, nondum sibi satis tutum autumant declarare; attamen famosus Parisiis Gaspar Juenin in Commentario Historico Dogmatico dissert. 6. quæst. 9. cap. 4. confidenter enuntiat *Toti antiquitati fuisse persuasum, Contritionem non esse unius diei opus; sed multorum mensium, imò & non nunquam annorum*.

Oppositum nos ex divinis oraculis, & Traditione veterum conficiemus cap. 8. 9. & sequentibus.

Interim ratione nos aggrediuntur *Specimina Moralis Christianæ, & Diabolicæ* pag. 131. *Ratio*, inquiunt, *differendi absolutionem donec proportionata delictis pœnitentia peracta sit, est, quia sanatio spiritualis peccatoris de lege ordinaria, non minori tempore indiget, quàm corporalis; imò majori*. Quid expectamus ab istiusmodi Scriptoribus, nisi ut conversionem animi, quemadmodum sanationem corporis, solis tribuant naturæ vitibus, atque ita ab Augustino, & Ecclesia desciscant ad Pelagium, aut Deum *de lege*, ut loquuntur, *ordinariâ* adeò in largiendis pec-

peccatori gratiis parcum statuant, ut absque omni supernaturalis ordinis auxilio, cum communiter deserat multis mensibus, & non nunquam annis; nam aliàs, inquit Quesnellus Art. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*; quæ absque vera pœnitentia non obtingit, ac proinde necesse est Contritionem à prima gratia non separari.

5 Cui autem Catholico persuaserint Adversarii, habitum fidei, qui ut constat ex Tridentini Concilii sess. 6. cap. 15. & can. 28. non quolibet amittitur peccato lethifero, sed solo crimine infidelitatis, adeò in peccatoribus destitui omni penitùs actuali subsidio, ut nullum possit actum sibi proprium elicere, nisi post multorum mensium, & non nunquam annorum spatia? Sed & juxta Articulum 51. *Fides justificat, quando* [seu quandocumque] *operatur*: unde præter novatores ridiculos nemo non perspicit, ipsos propria sua subruere dogmata, neque tanto egere communiter tempore pœnitentiam peccatoris ad absolutionis beneficium sufficientem. In ipso siquidem antiquo fœdere, ubi longè minor erat, quàm in novo copia gratiarum; tamen Deus per Isaiam testatus est cap. 65. & iterum in novo Rom. 10. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem*: ubi manifestè de peccatoribus, nec levibus querela est, quod Deo ad justitiam, & salutem amantissimè *tota die*, quasi continuò invitanti, & paratissima ad recipiendos quoslibet extendenti brachia, pertinaciter reluctentur.

Non igitur diebus multis, minùs etiam mensibus, & annis Deus omnem gratiam subtrahit peccatoribus, dum sua peccata justificationis desiderio confitentur. *Ecce sto ad ostium & pulso; & si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum*, inquit Deus Apoc. 3. Ex hoc Apocalypseos oraculo Senonense Concilium offerri semper hominibus necessaria ad benè agendum præsidia colligens, definit Canone 15. *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio; cùm illa semper in promptu sit, & neque momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium & pulset, cui si quis aperuerit, intrabit ad illum, & cœnabit cum illo.*

6 Paulus Orosius S. Augustini Discipulus; qui ad ipsum scripsit libros septem historicos, Apologiâ pro libero arbitrio sic enuntiat: *Mea est hæc fidelis, atque indubitata sententia, Deum adjutorium suum non solùm in corpore, quod est Ecclesia; verùm etiam universis gentibus subministrare: & speciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomos, & cunctis, & singulis ministrare... At verò ut adesse adjutorium Dei per singula, & per singulos probes, ex quo evidentissimè declaratum est nemini hominum deesse adjutorium*; semper videlicet oblatum, concessum sæpissimè.

Præterea si, quod certissimum est, quidquid Ægidius Candidus cum suo, ut ait, Arnaldo aliter censeat, præter Canonicum, seu publicum pœnitentiæ genus, aliud pro peccatis non publicis admittendum sit, & fuerit olim virtute præditum Sacramenti, immeritò pro peccatis omnibus, sive absolutionis eorum differendo beneficio, remittimur ad Canones. Ex his nulli agunt de peccatis, quæ cogitatione, ac delectatione libera in occultis animi recessibus, committuntur; nulli leguntur in universa, vel Romana Ecclesia admissi, qui obligent ad propalandos actus externos soli cognitos pœnitenti. Non defuit tamen etiam his semper expiandis remedium, Sacramentum Pœnitentiæ à disciplina illa publica, & canonicâ distinctum.

Quapropter pro cognitione temporis, quo portare oporteat, & sentire statum peccati cujuslibet, frustrà nobis regula præscribetur juxta rigorem Canonum, quales nunquam pro omnibus extitisse peccatis compertissimum est; neque adolescentes, neque clerici, solemni Pœnitentiâ exercebantur, & inter ipsos viros laicos paucissimi, plerisque detrectantibus, sive postmodum voto Sacræ militiæ contra infideles, sive ad eandem contributione pecuniæ, sive aliter pœnam illam redimentibus; atque his finè istiusmodi mora præstabatur reconciliatio.

Quâ igitur ratione ex Canonibus illis regulæ nobis fingentur illimitatæ, pro omni peccatorum genere, pro omni sexu, ætate, conditione hominum? Neque Canones illi ab exordio Ecclesiæ fuerunt. Præterea seculis aliquot Ecclesiæ usus fuit, ut omnes, & singuli qui Missæ interessent Sacrificio, in illo etiam quotidie communicarent: annuo autem Cœnæ Domini die, Eucharistiæ sumptio omnibus erat præcepta, etiam publicè pœnitentibus. Quis autem existimet, omnes illo tempore fuisse justos, nullos eguisse absolutionis beneficio? Qui igitur paucis ante diebus in delictum aliquod mortiferum occultum, & solius forsitan cogitationis, vel delectationis inciderat, debuitne Eucharistiâ die Cœnæ Domini abstinere cum sui infamia, & scandalo aliorum

rum, donec tempore non exiguo *portasset cum humilitate, sentiens statum peccati*?

7 Denique antiquis temporibus actum est rigidiùs ob rationes illis circumstantiis proprias, quæ ab Historicis, & polemicis Scriptoribus copiosiùs deducuntur, qualis est scandalum Montanistarum, & Infidelium, nec non ut Christiani in persecutione continuis expositi aut martyrii, aut apostasiæ periculis, contra lapsum munirentur, excommunicationis horrore, & difficultate reconciliationis. Minùs verò timendum Ecclesiæ Præpositis tunc fuit, ne populus, utpotè magis humilis, & magis docilis, pœnitentiæ rigidioris formidine ad castra deficeret hæreticorum.

Ideò convenire illi tempori poterat Disciplina severior, cujus postea mitigationem, mutatis circumstantiis, prudens Mater Ecclesia, quæ divino semper consilio, & Sancto dirigitur Spiritu, saluti animarum censuit utiliorem. Et quidem in dyscolis, & rebellibus suis filiis, qui diro adeò, & exitiali schismate, Matris suæ sinum hodie dilacerant; vehementissimè desiderat, non ut *statum peccati* diutiùs *portent*; Sed quàm citissimè se ab illo expediant, quem experientiâ constat non *sentiri* ab eis hactenus *cum humilitate*, neque ad salutiferam sui criminis erubescentiam; sed confirmandam magis in dies temeritatem. Utinam proinde moras in posterùm rescindant, atque excusso protinus schismatis flagitio, quam violavere toties pacem, tandem reddant Ecclesiæ: quâ redditâ ipsi vicissim in gratiam recepti, multo etiam deinceps tempore, cum Magdalena, Davide, Petro, & aliis istiusmodi Sanctis pœnitentibus, sentire pergant peccati præteriti, & remissi turpitudinem: pro eo semper ampliùs satisfacere Deo, & Ecclesiæ conentur: quem *modum plenum Sapientiâ, Lumine, & Charitate* approbabit indubiè Apostolica Sedes, & Universa gratulabitur Ecclesia.

CAPUT III.

De Contritionis, & Pœnitentiæ Spiritu petendo ante reconciliationem.

1 Quandoquidem Quesnellus in *Causa Arnaldina, Defensione Arnaldina*, & alibi passim est Magistri sui, atque universorum ejus dogmatum non solùm Encomiastes magnificus; sed etiam acerrimus propugnator, minùs perspicuum redditur, quid pœnitentiæ nomine intelligat, interioremne, quæ exterioris veluti anima est, an verò contentus sit exteriore, etiam quando omni penitùs dolore interius destituitur. Definitio quidem Concilii Tridentini clara est sess. 14. cap. 4. *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus necessarius*. Arnaldus autem lib. de frequenti Communione pag. 521. ait: *Possunt aliquando exteriores pœnitentiæ esse tam magnæ, ut doloris interni suppleant defectum*; ac proinde necessarius non sit animi dolor à Tridentinis Patribus requisitus. Adeò mirifici ubique Janseniani sunt Romanæ Ecclesiæ, & fidei Catholicæ reformatores.

Cum hac novitate quis facilè conciliet, quod de Arnaldi Magistro Joanne Vergerio Abbate Sancyrano, eoque præcipuo ejusdem operis authore traditur; testibus Sebastiano Episcopo Lingonensi, & religiosissimo Cisterciensis Ordinis Secretario Joanne de Jovaud aliisque anno 1638. authoritate Regiâ juridicè interrogatis, *Contritionem perfectam ad Sacramentum pœnitentiæ esse necessariam; imperfectam, sive attritionem non sufficere: Verba Concilii Tridentini explicanda esse, sicut à quibusdam Lovaniensis Academiæ Doctoribus explicantur: aut dicendum quòd Concilium in hoc articulo erraverit*. Allegata Lovaniensium quorumdam explicatio est, quòd Attritio tantùm sit dispositio ad Sacramentum, non autem pars ejus, neque præparatio sufficiens ad absolutionem.

2 Ita, & recentior Quesnelli in Belgio assecla, *Doctoris* vulgò *intrepidi* discipulus, qui, quod à Magistro Lovanii acceperat, Namurcensis Seminarii alumnos Professor docuit Quæst. 6. de Contritione §. 4. *Minimè admittimus, quòd sententia de sufficientia attritionis in Sacramento pœnitentiæ sit probabilis*. Ita ille antequam Cathedram Antistes ei Catholicus occluderet. Quesnello quoque attritionem non sufficere, omnes ejus de Charitate Articuli faciunt indubitatum. Si enim *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas* juxta Articulum 58. Si *sola Charitas est, quæ Deo loquitur*: Si *eam solam Deus audit* 54. Si *sola Charitas facit actiones Christianas per relationem ad Deum, & Jesum Christum* 53. Si *obedientia legis*, (qualis est pœnitentia) *profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas*; Si *alioquin quod apparet exteriùs, non est nisi hypocrisis, aut falsa*

falsa justitia, patet, Charitatem solummodo exteriorem, atque istiusmodi pœnitentiam, minimè posse interiorum actuum supplere defectum. Et quidem in Jansenistarum Scriptis, ubi materia utcumque fert, charitatis, & pœnitentiæ vocabulis nihil occurrit frequentiùs, nihil magnificentiùs sonat; charitatis autem erga omnes suæ non deditos Factioni, difficile fuerit specimen reperire uti & pœnitentiæ.

Exteriores pœnitentias in novis istis, & rigidis pœnitentiæ Administris hactenùs non conspicimus. Testatus quidem fuit Illustrissimus Sebastianus Lingonensium Episcopus, cujus jurisdictioni suberat *Monasterium à Sanctissimo Sacramento*, quod *Moniales illic ex Sancyrani instructione*, *non loquerentur*, *nisi de pœnitentia*: *jacerent humi prostratæ in variis Monasterii Locis*, *in Choro præsertim*: *confiterentur rarò*, *rarius communicarent &c.* De pœnitentiis itaque exterioribus, & humiliatione exempla quædam legimus, quædam jactata vulgi sermonibus audimus, etiam maximè exotica in pœnitentibus nonnullis, fœminis præcipuè, quæ à Novatoribus diriguntur; sed ab ipsis exercita Directoribus neque legi hactenus, neque audivi.

3 Redeo ad interiorem *pœnitentiam*, & proprio appellatam nomine *Contritionem*. Quandoquidem ad omnes actus, ut innoxii sint, requirit adversarius charitatem Proposit. 46. *Cupiditas*, *aut Charitas usum sensuum bonum*, *vel malum faciunt*, quod si de usu sensuum valeat, de cæteris quoque animi facultatibus indubiè intelligendum est.

Qui in solvendis Novatorum ænigmatibus, & dignoscendis fraudibus versatus non est, hærebit indubiè, neque facilè enim cæteris Quesnelli dogmatibus conciliabit necessitatem petendi multo tempore spiritum Contritionis, & pœnitentiæ, antequam reconciliatio concedatur. Quomodo enim diuturni temporis necessitatem compones cum Articulo 28. *Prima gratia*, *quam Deus concedit peccatori*, *est peccatorum remissio*? Ut scilicet nescit tarda molimina Spiritûs Sancti gratia; nec morâ temporis opus est, ut prima gratia infundatur; Sed spiritus, ubi vult spirat: imò primæ gratiæ petitio, qualis ad impetrandum à Deo supernaturale beneficium requiritur, est impossibilis, cùm ipsa oratio salutaris necessariò sit ex gratia juxta Catholicam fidem contra Semipelagianos. Asseruerant illi nempe initium salutis esse ex nobis sinè gratia, quæ operibus naturali virtute exercitis, tanquam merito tribuenda sit.

Si igitur *prima gratia*, *quæ conceditur peccatori*, juxta Quesnelli Sapientiam *est peccatorum remissio*, quid opus est, velle tempore non exiguo reconciliationem suspendere, quæ eum prima gratia præstatur: imò ipsa prima gratia est? Sed & quomodo potest Confessarius in hoc suppposito reconciliationem differre? Potest ne ullus mortalium impedire, ne homini rationis compoti aliquod divinæ gratiæ obveniat auxilium? *Consentire* quidem *Vocationi Dei*, *vel ab ea dissentire propriæ voluntatis est*, ut ait Augustinus lib. de Spiritu, & littera cap. 34. Sed tamen etiam, *Misericordia Dei prævenit nos*, seu liberum nostrum consensum adeò, ut neque habere gratiam primam, neque omnem ei obstruere aditum, in hominis potestate sit.

4 At quisnam ille contritionis, & pœnitentiæ Spiritus est, quem tantoperc, & tamdiù postulare oporteat ante reconciliationem? Nequit is esse spiritus, seu gratia justificationi prævia, si quidem hæc omnis orationis principium est, sinè quo nihil petere possumus, sicut oportet, & hoc ipsum Orationis principium justificatio est, si *Prima gratia*, *quam Deus concedit peccatori*, *est peccatorum remissio*. Remissionem verò concedi absque *Spiritu Contritionis*, *& Pœnitentiæ*, veluti dispositione necessariâ, nemo Catholicus, ac ne Quesnellus quidem admiserit. Unde indeclinabilis dimanat consectio, Primam gratiam, quam Dei misericordia impertit peccatori, esse simul fidem, spem, charitatem, pœnitentiam. Sed in hac hypothesi liquet, spiritum contritionis, & pœnitentiæ, ipsamque justificationem peccatoris, nulla diuturnitate temporis indigere, quia prima gratia momento unico infunditur.

Quænam igitur contritio, & pœnitentia, quisnam *contritionis*, *& pœnitentiæ Spiritus* tanto molimine, & tempore petendus? Non is, quo ipsa jam præbita, in prima gratia, remissio peccatorum est: non potest itaque præsenti Quesnelli Articulo, quo reconciliationis suspensio decernitur, ad petendum tempore medio *spiritum*, seu gratiam *contritionis*, *& pœnitentiæ*, intelligi Spiritus ad justificationem necessarius; sed ad justitiæ augmentum solummodo: Similiter ipsa *contritio*, *& pœnitentia* significari nequit ad peccatoris cum Deo reconciliationem à Scripturis, Patribus, Conciliis omni tempore requisita; Sed quæ reconciliarum ampliùs sanctificet, & delictorum reliquias, etiam in justificatis communissimè remanentes, copiosiore eluat satisfactione.

5 De-

5 Deluditur itaque lector in damnati operis intelligentia, quando reconciliationis nomine, significari ab authore existimat, quod usu proprio, & sermone nunc communissimo intenditur, peccatoris in Dei amicitia restitutionem. Solam enim is mente concipit confirmationem amicitiæ initæ, vel reconciliationem cum Ecclesia, quæ criminum quorumdam enormium reis ob scandalum publicum offensam se exhibet, etiam postquam justificati coram Deo fuerint pœnitentiâ privatâ, donec offensionis lapis pœnitentiâ publicâ auferatur.

Quæ tandem ratio fundare potest Quesnelli regulam de peccatoribus nemine excepto, ut delicti cujuslibet etiam occulti, & solummodo interioris absolutio tanto tempore differatur? Quænam hic offensio Ecclesiæ, quod datum scandalum, absolutionis in Sacramento pœnitentiæ exigit suspensionem? Temerarium potiùs dicetur Sacerdotis, & iniquum judicium, si repulerit confitentem bonæ fidei Christianum, qui occasiones peccati fugere se paratum ostendit, neque hactenùs fidem datam confessario fefellit, seque corde intimo contritum, cum non peccandi inposterum proposito declarat. Temerarium, inquam, censebitur Confessarii judicium, si talem repulerit veluti omni penitùs divinæ gratiæ destitutum auxilio; nam si quod adesset, in nova justificaret Ecclesia; ubi *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Imò si talis alteretur veritate Articulus, difficile foret deprehendere confitentem, de quo absque temeritate asseri posset, non esse à Deo justitiæ restitutum, cùm vel nulli sint, vel paucissimi, de quibus probabilis ratio suspicionem moveat, quòd neque in peccatorum examine, neque in omni ad dolorem, reliquamque præparationem conamine, neque in ipsa confessione ullus divini luminis radius oborrus sit intellectui, nulla pia motio indita voluntati.

Non evitatur itaque in Quesnelli Systemate error, & damnata pridem hæresis Massiliensium Semipelagianorum. Dum enim tempus exigitur dandum confitentibus antequam reconcilientur; ut scilicet *petant à Deo spiritum contritionis, & pœnitentiæ*, quo se ad reconciliationem præparent, supponuntur spiritu illo nondum donati, quem petere jubentur: supponuntur pariter nullam habere gratiam, quæ aliàs, & quidem *prima* Quesnello foret ipsa *peccatorum remissio*. Proinde si verba ejus accipiantur sensu obvio, *Modus plenus sapientia, lumine, & charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate* (sed sinè gratia) *& sentiendi statum peccati* solis naturæ viribus: & rursùs *petendi* absque superioris ordinis auxilio, *spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minùs satisfacere justitia Dei, antequam reconcilientur*, quod pariter satisfactionis initium ante primam gratiam, & reconciliationem est impossibile; quia hostis Dei, & suis relictus naturæ viribus non est idoneus, ut Deo pro peccatis satisfaciat quemadmodum pluribus dicetur cap. 6.

6 Hic verò discutiendum adhuc aliquantulum, quid sit spiritus pœnitentiæ, & contritionis, qui petendo juxta novos Theologos dandum est peccatoribus tempus, antequam reconcilientur.

Spiritus ille propriè loquendo est gratia pœnitentiam, & contritionem operans: accipitur etiam pro pœnitentiæ, & contritionis habitu, denique & pro ipso exercitio, sive operatione. Quocumque autem ex tribus sensibus intelligatur authoris sententia, etiam in ipsius hypothesi, est anathemati maximè obnoxia: Si enim *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem* juxta Art. 40. quomodo sinè illa poterimus *petere spiritum pœnitentiæ, & contritionis*, sive is sit gratiæ auxilium, sive habitus, actusve pœnitentiæ?

Deberet spiritus idem peti sinè gratiâ, si, *quæ prima conceditur peccatori, esset peccatorum remissio*: Hanc præcedere etiam petitio deberet, quia in nova Ecclesia *Modus plenus sapientiâ, lumine, & charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur*. Quæ enuntiatio in sensu proprio, & obvio, veluti regula sinè limitatione proponitur, ut Confessarii postquam aures præbuerint exponentibus peccata, eos absque absolutionis solatio communiter dimittant. Istiusmodi verò doctrina non solùm usui benignissimi Servatoris ejusque Ecclesiæ contraria est; neque solùm animis perniciosa, quos æternæ damnationis periculo injustissimè exponit; sed etiam justa authoris erroneum in plurimis, atque in non paucis hæreticum systema, fatuitate scatet, & supposito impossibili, uti ex iis, quæ tum contra præsentem Articulum, tum contra superiores de gratia, & charitate duobus Tomis prioribus disputavi, ampliùs convicturus reliquo, quod sequitur, contra præsentem novitatem certamine.

CAP.

CAPUT IV.

Non sola Propositio 28. sed totum Quesnelli systema reddit impossibilem peccatoribus diuturnam, quam postulat, dispositionem, antequam reconcilientur.

1 TOtius damnati dogmatis impossibilitas aperta est; si verus supponitur Articulus 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Ut ex deductis hactenus fit manifestum.

Verùm Quesnelli vindices, licèt fateantur dogma 28. esse ipsius; negant tamen sensu rigido & obvio ab eo intelligi, videlicet de *Prima* simpliciter inter omnes gratias; sed accipi jubent de prima istiusmodi, quæ sanctificationis forma sit. Non esse evasioni idoneam excusationem ostendi Tomo 1. contra Propositionem 28. cap. 9. 10. & 11. ubi triplicem, quam sibi ad elabendum, vel eludendum adversarii januam finxerant, jam clausam conspexerint atque in perpetuum obseratam. Lubet verò hic etiam exhibere reliquum Quesnelli de gratia & charitate systema exoticum, atque inde submittere lectoris cujuslibet judicio decernendum, an non penitùs congruat Propositionis 28. sensui rigido & obvio: quod ubi argumentis dilucidis evictum fuerit, patebit totum esse subdolum, fallaciâ & ineptiis plenum, quidquid præsens comminiscitur Articulus de *modo sapientiâ, lumine & charitate pleno, quo præscribitur dandum animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi Spiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.*

2 Præmittenda est Gratiæ idea, quæ traditur Proposit. 10. *Gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*. Proposit. 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet*. Omnis itaque gratia operatur bonum, & quidem necessariò, sive ita, ut *impediri* effectus *non possit aut retardari*. Porrò nullus actus Quesnello bonus est, vel immunis à macula, nisi charitas, vel ab ea profluens juxta Articulum 49. *Ut nullum peccatum est sinè amore nostri, ità nullum est opus bonum sinè amore Dei*. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.*

Ne verò inducas in animum, quasi amor Dei quilibet tenuis ad opus bonum sufficiat præsertim in peccatoribus, de quibus præsens concertatio est, declarat Artic. 45. *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. Ut itaque in peccatoris animo reconciliationem expetentis, hoc ipsum ejus desiderium, aut quævis altera operatio sit libera à corruptione, requiritur amor Dei in corde dominans, sive regnans, qui indubiè justificationis habitum vel primùm homini obtinet, vel antea possessum novis auget graduum incrementis.

Neque amorem, qui non est super omnia benevolus, remuneratur Deus in peccatoribus, vel donat gratia sanctificante; extra quam ut nullum propriè meritum est, ita nulla in rigore remuneratio: quapropter etiam sic intellecta Quesnelli sententia, nullum agnosceret actum innoxium, nisi in homine justificato, vel seipso justificantem. Quamtumlibet autem Quesnellus intelligatur benigniùs, amoris actum ubique exigit justificantem, vel ab amore istiusmodi imperatum. De omnibus porrò in quibus Dei regnat dilectio, testatur Divinus Spiritus Proverb. cap. 8. *Ego diligentes me diligo* 1. Joannis cap. 4. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est*. Ideo Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 18. *Nullum est isto dono excellentius: solum est, quod dividit inter filios regni & filios damnationis æternæ*. Tract. 76. in Joannem: *Qui diligunt, quia diligunt, eliguntur: dilectio Sanctos discernit à mundo*. Tract. 9. in Epistolam Joannis *Anima nostra fœda est per iniquitatem: amando Deum pulchra efficitur*. Ibidem *Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo*. Tract. 2. *Talis est quisque, qualis ejus dilectio est: terram diligis, terra eris: Deum diligis, quid dicam? Deus eris? Non audeo ex me dicere: Scripturas audiamus: Ego dixi, Dii estis, & filii Altissimi omnes.*

3 Si igitur Quesnello judice, *nullum est opus bonum sinè amore Dei*, & quidem *regnante in corde*, quin & *sinè eo omnis actio corrumpatur*; si etiam Propositione 11. *Gratia non sit aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei, jubentis & facientis, quod jubet*, quod-

quæ procul dubio bonum est; patet primam peccatoris cujuslibet actionem bonam, esse præstitam Deo obedientiam; atque hanc esse ipsam gratiam, quæ à nullo duro eorde respuitur, aut respui potest juxta Proposit.10. *Gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare*.

Ita magistrum suum intelligunt & sequuntur discipuli, quorum Theologia moralis edita in Belgio Anno 1711. Sic habet Parte 1. Tractat. 5. de Gratia cap. 1. pagin. 216. *Quid est gratia actualis in hoc statu naturæ lapsæ? Resp. si illam consideres ex parte Dei, non est aliud quàm ipse Deus gratuitò in nobis operans bonum velle & perficere. Si illam consideres ex parte nostra, aliud non est, quàm effectus ipsius Dei in nobis operantis bonum velle & perficere*.

Unde si nulla est in peccatoribus gratia nisi *operans bonum velle & perficere*, imò quæ ipsa sit boni operatio; si denique *nullum est opus bonum sinè amore Dei* & quidem *regnante*, qui ut jam vidimus justificat, quomodo multum temporis exigere Quesnellus à peccatoribus potest ut *portent eum humilitate, & sentiant statum peccati, petant spiritum pœnitentiæ & contritionis, incipiant ad minùs satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur*? Primo bono opere; primæ gratiæ auxilio peccatores esse desierant, atque ità nisi iterum delinquendo, *portare statum peccati* ampliùs nequeunt aut *sentire*, præterquam ut justificati solent, noxæ præteritæ remissæque reliquias. Proinde prima gratia, vel saltem inseparabilis ab ea effectus necesse est à Quesnello statuatur sufficiens *reconciliandis* Deo peccatoribus *pœnitentia, atque contritio*.

Idem facilè conficitur ex Propositione 46. *Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt*. Eadem ratio pro cæteris animæ facultatibus militat, ut earum usus, sive actio qualibet, vel cupiditatis maculata turpitudine, vel honesta, & nobilis sit charitate. Proinde prima Peccatoris operatio bona penès Quesnellum est charitas, ideoque eodem judice sanctificat: in Epistolam 1. Joannis cap.30. v.9. *Charitas nullum secum patitur peccatum mortale*: quæ illimitata & dogmatica assertio, de qualibet intelligenda est charitate: estque Doctoris Angelici sententia, *Charitatem non posse remanere informem* 2.2. quæstion.24. Art.12.ad quintum: & quæst.45. Artic.4. Corpore: *Charitas non potest esse cum peccato mortali*, S.Bernardus Epist.107. quæ est ad Thomam Præpositum *Nemo itaque se amari diffidat; qui jam amat: libenter Dei amor nostrum subsequitur; nam quomodo redamare pigebit, quos amavit, & needum amantes?*

Augustinum dedi superiùs: suffragantur apertissimè Ambrosius Epist.7. ad Simplicianum, & in cap.23. Lucæ, Cyprianus ad Demetrianum, Chrysostomus relatus in cap. *Talis* de Pœnitentia Distinct.3. Gregorius Magnus in Psal.31. Et quis S. Patet non consentiat dicenti Christo Joann.c.14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*?

4 Frustrà confirmavero operosiùs, quod ne adversarius quidem voluerit, aut potuerit inficiari, stante quod Articulo 51. ait: *Fides justificat, quando operatur*, seu quandocumque *operatur*. Addidit quidem Quesnellus, *sed non operatur nisi per charitatem*. Verùm neque hinc prioris partis illimitato sensui inducitur exceptio: novi solummodo fit accessio erroris damnati ab Alexandro VIII. inter 31. Articulos duodecimi: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides; & etiamsi videantur credere, non est Fides Divina; sed humana*.

Patet itaque Quesnelli sententia à nullo admittenda catholico, quòd Fides divina & supernaturalis, quoties ejusdem ordinis actum elicit, justificet peccatorem. Cùm autem juxta 26. Articulum Constitutione UNIGENITUS proscriptum, *Nullæ dentur gratiæ nisi per fidem*; 27. *Fides sit prima gratia & fons omnium aliarum*, prosilit consectarium inevitabile, primam peccatoris actionem, naturæ viribus superiorem, reducere ipsum in offensi Numinis amicitiam; quin & procedere effectum istum à primo Spiritûs Sancti auxilio, cùm sit ipsa præcepti operis impletio quæ in nova Ecclesia sinè charitate non est; sicut enim Prop.10. *Gratia est operatio manûs omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare* 11. *Gratia non est aliud, quàm voluntas omnipotentis Dei jubentis & facientis, quod jubet*. Ita Prop.47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas, quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia*.

Hinc maximè elucet, cur Quesnellus Articulo 51. de fide operante, quæ semper justificet, addiderit, eam operari nunquam, nisi per charitatem; siquidem omnis actio quæ charitate destituitur, peccatum est. Istud Quesnellus pluribus antea relatis Proposi-

pofitionibus contendit. Perfpicit igitur lector è novi Theologi calamo non cafu fortuito, & præter mentem temerè profluxiffe; fed deftinato; etfi infaniffimo confilio, Articulum 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eft peccatorum remiffio*; quia omnis gratia eft bona præcepti executio, quæ nunquam à charitate divellitur:cui errori, ut videre cœpimus, ftabiliendo Quefnelliani fyftematis pars non minima confpirat.

5 Non defunt ex Lovanienfibus, etiam Conftitutionis UNIGENITUS acerrimi defenfores, qui aliquem ftatuunt amorem Dei fuper omnia, veluti charitatem imperfectam & non juftificantem, nifi in articulo mortis, quando in Catechumeno deforet Baptifmi copia, vel Sacramentum Pœnitentiæ in Baptizato. Quæ fententia, etfi aliis paffim difficilis videtur, non officit tamen Conftitutioni, neque profcripto Quefnelliano dogmati fuffragatur: proinde ejus impugnatio ad præfens minimè neceffaria eft inftitutum. Quidquid igitur fit de eorum fententia, ego contra folam Quefnelli hypothefim difputo, velut dignam anathemate, quæque fuum ipfa præfentem Articulum reddat fraude aut infipientiâ plenum; cùm dicitur *Modus effe plenus Sapientiâ, lumine, & charitate dare animabus tempus portandi cum humilitate, & fentiendi ftatum peccati, petendi Spiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minus fatisfacere juftitiæ Dei, antequam reconcilientur*. Quod ut commodiùs lector quilibet, etiam non Theologus affequatur,Quefnelliani hìcSyftematis compendium paucis capitibus complectamur.

Primo: omne opus non præditum bonitate fupernaturali, five folis naturæ viribus exercitum, peccatum eft juxta Prop.40. *fine gratia nihil amare poffumus nifi ad noftram condemnationem*. Prop.39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nifi ad aberrandum; ardoris,nifi ad fe præcipitandum; virium, nifi ad fe vulnerandum: Eft capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*.

Secundo: Nullum eft opus bonum, fupernaturale potiffimùm, nifi amor Dei, vel actus ex illo profluens Prop.44. *Non funt nifi duo amores unde volitiones & actiones omnes noftræ nafcuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor quo nos ipfos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eft non refert,& propter hoc ipfum fit malus*.Prop.49. *Ut nullum peccatum eft finè amore noftri, ita nullum opus eft bonum finè amore Dei*.

Tertio: Nullus eft amor Dei bonus & homine Chriftiano dignus nifi Charitas. Prop.53. *Sola Charitas Chriftiano modo facit (actiones Chriftianas) per relationem ad Deum & Jefum Chriftum*. 54. *Sola Charitas eft quæ Deo loquitur: hanc folam Deus audit*. Imò per Prop.58. *Nec Deus eft, nec religio ubi non eft charitas*. 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte, & hic fons eft Charitas .... Alioquin non eft nifi hypocrifis, aut falfa juftitia*. Si etiam vera fuerit Prop.46. *Cupiditas aut charitas ufum fenfuum bonum vel malum faciunt*, eadem ratio erit pro cæteris animæ facultatibus, ut omnem earum ufum vel charitas bonum efficiat, vel cupiditas malum.

Quarto: Omnis charitas juftificat Propof.51. *Fides juftificat, quando operatur, fed non operatur nifi per charitatem*. Omnis charitas eft ex gratia: per Propofitionem autem 27. *Fides eft prima gratia & fons omnium aliarum*. Proinde omnis charitas progignitur ex fide: hæc quoties aliquid imperat, vel parit, operatur, atque ita Charitas cum fua ex qua profluit fide femper juftificat. Eft enim Enuntiatio indefinita. Similis eft quæ hic fequitur in 1. Epiftolam Joan. c.3. v.9. *Charitas nullum fecum patitur peccatum mortiferum*: Quod de charitate indefinitè pronuntiatum, intelligitur. Si etiam omnis volitio & actio, ut innocua fit, nafci debeat *ex amore Dei omnia agente propter Deum quemque Deus remuneratur*, quid inde aliud intelligas, quàm ad cujuslibet actionis innocentiam requiri amorem qui juftificet vel juftitiam fupponat? Remuneratio enim propriè dicta fupponit meritum propriè nominatum, quale folùm Theologis eft condignum: neque reperitur in ftatu inimicitiæ, feu peccati.

6 Ex quatuor iftis doctrinæ Quefnellianæ capitibus, quæ perfpicuum continent totius de charitate compendium, colligitur actionem quamlibet innocuam, vel juftificantem effe, vel hominis juftificati. Quo fuppofito nemo fani judicii afferet, novatores iftiufmodi loqui feriò, dum longam bonorum actuum feriem, & multi temporis difpofitionem requirunt, velut abfolutioni neceffariò præmittendam. Abftinet hìc quidem Quefnellus à *neceffitatis* vocabulo, vocans folummodo *modum fapientiâ, lumine,& charitate plenum*; fed neceffitatem fatis indicant, quæ fequuntur de *dando animabus tempore portandi cum humilitate & fentiendi ftatum peccati,petendi fpiritum contritionis & pœnitentiæ antequam reconcilientur*. Ubi manifeftè fupponitur confitentes peccata, in iis manere donec multi tem-

potis ptæparatione, ac ptoinde complutibus pietatis actibus obtinuerint sufficientem contritionis & pœnitentiæ spititum, quo ad absolutionem reddantut idonei.

Ita qnidem sonat, talem lectoribus cogitationem communiter ingetit Propositio: sic à suis passim defensoribus contra Ecclesiæ censutam exponitut. Verùm ex genuino & clarissimo hoc totius Quesnellianæ sententiæ de Chatitate compendio, & ampliore contra eandem superiùs disputatione, abunde convincitur præsens Articulus, adeò non *plenus Sapientiâ, lumine, & charitate*, quam temere tanto sibi tribuit fastu, ut potius dicendus sit, nihil penitùs istorum, nihil candoris aut veritatis continere; insipientiæ autem, temeritatis ac fallaciæ plurimum.

CAPUT V.

De satisfactionis initio ante Reconciliationem in Quesnelli sententia requisito.

1 NUnqnam Ecclesia Dei ante Absolutionem requisivit veluti necessariam pœnalium operum impletionem, ac ne initium quidem; oppositam praxim nunquam censuit esse *modum plenum sapientia, lumine, charitate*, nunquam adhibuit circa peccatores, ut illic proponitut, univetsos; etiam extra mottis atticulum, aut alium casum minùs solitum necessitatis. Subdola verò est etiam hic Quesnelli enunciatio, dum sensus sui venenum maximè pestiferum de præmittenda necessariò absolutioni satisfactione, necessitatem callidè involvit nominibus *sapientiæ, luminis, charitatis*, ne nimis apertum latus præbeat anathemati; interim quantum sufficit, à suis intelligendus, ut modus oppositus, qui communis Ecclesiæ est, reputetur neque charitati, neque lumini, & Sapientiæ conformis, utpotè contrarius ordini divinitùs instituto, atque à Patribus tradito.

Non minùs fraudulentum est, quod additur de *satisfactionis initio*, quo *ad minus incipiat satisfacere justitiæ Dei*. Non dicitur sufficere ante reconciliationem pars aliqua pœnitentiæ sive satisfactionis initium à Confessario impositæ; sed Deo debitæ; Quis enim adeò desipiat, ut existimet, opera pœnalia, quæ passim à Confessariis præstituuntur, adæquatas esse Divinæ justitiæ pro criminibus *satisfactiones*?

Facillimè igitur dogma Novatianiens de præmittenda integra, quæ à Confessario exigitur, satisfactione, Quesnellus conciliaverit cum non præmittenda necessariò satisfactione universa, quam vindicare sibi meritò potest supremi Numinis justitia. Nihil hic de Quesnelli sententia temerè judicatum velim, neque mihi animus est scrutari mentis ejus recessus intimos; sed ex probabilibus tantùm, imò certissimis eam colligere documentis.

2 Compertum est Quesnellum duobus totis voluminibus *Causa Arnaldina*, & *Defensio Arnaldina* scopum sibi præfigere, quem utetque præfert titulus, Magistri sui vindicias, qnas ita exequitur, ut ubique appareat non solùm indubitata universorum ejus Dogmatum approbatio; sed prædicatio etiam magnifica, & encomium maximè eximium. *Correctio data Patri Payen* opusculum est Quesnello-Arnaldicum plenum tabie adversùs *Fictitium Arnaldum*, qui mirabili, etsi non in omnibus probando stratagemate, à Jansenistis hypocritis claram hæreseos suæ professionem emunxerat. Lucubrationis illius pag.8. dicitur „ Neque „ Episcopi, neque S. Sedes habuere un„ quam Arnaldum veluti suspectum de ul„ lo errore; sed contra in pluribus occa„ sionibus omnia ejus Doctrinæ capita com„ probarunt. „

Inspiciatur itaque volumen ejus sectatoribus celebratissimum „ de Frequenti Communione „ parte 2. à cap.7. usque ad 19. in primis cap.8. „ Juxta regulas san„ ctas, quas perpetua Ecclesiæ Traditio „ nos docuit, ordo, quem Presbyteri ser„ vare debent in usu potestatis à Christo „ Domino acceptæ ligandi animas & sol„ vendi, exigit ut absolutionem peccato„ ribus non impertiant, nisi postquam eos „ reliquerint in lacrymis ac gemitibus, & „ post peractam congruam delictis pœni„ tentiam. „

3 Similiter VERUS PACIFICUS, qui libet editus à Theophilo Brachet Domino de Miletiere, & à Petavio aliisque appellatur „ Novum Organum libri Arnaldici de Frequenti Communione „ sic enunciat: „ Non potest absolutio habere locum, „ neque conferri validè, & cum effectu, „ nisi præcesserit satisfactio. Impletione „ satisfactionis & pœnitentiæ impositæ, „ redditut idoneus ut Absolutionis gra„ tiam cum effectu recipiat „. Audi modò Censuram Theologicam illustrissimæ Sorbonæ: „ Hæ Propositiones, quatenus as„ serunt executionem pœnitentiæ, seu sa„ tisfactionis impositæ, necessariò, & ex „ institutione Christi, ac invariabili Sa„ cra-

„ cramenti naturâ, ita prærequiri absolu-
„ tioni, ut alioquin absolutio non sit vali-
„ da, ni si ejusmodi satisfactio priùs com-
„ pleta fuerit, temerariæ sunt & hæreticæ,
„ & à Sixto IV. contra Petrum de Osma
„ illiusque sequaces prædamnatæ Bullâ da-
„ ta anno Domini 1478.

Non est verisimile, Theophilum illum despiuisse adeò, vel à Sorbonicis sic intellectum, ut impletæ satisfactionis nomine intellexerit satisfactionem integram, quanta in rigore justitiæ debetur infinitæ Numinis Majestati; sed quantam exigit Sacramenti Pœnitentiæ administer, quæque intuitu prioris, pars est exigua, & in Propositione meritò dicitur satisfactionis Deo debitæ inchoatio, qua *ad minus incipiant satisfacere justitia Dei, antequam reconcilientur*.

Sensu itaque convenit Arnaldum inter & Quesnellum, Magistrum & discipulum, atque hujus rursus, ementito *veri pacifici* nomine, condiscipulum, verissimum Arnaldinæ *Organum* novitatis. Alterum ejusdem generis Organum sibi conflavit Arnaldi liber in Belgio, scilicet *specimina Moralis Christiana & Diabolica*. Christianæ nomine venit Moralis Janseniana & Arnaldica, Diabolicæ verò quæcumque novæ opponitur Reformationi.

Liber iste mox ubi prodiit, ingenti scandalo Belgis & finitimis populis fuit, à pluribus impugnatus acriter, etiam à primi ordinis togato viro laico, Brabantiæ Cancellario, qui opus solidum & elegans suo insignitum nomine edidit, quod debitum sibi & Catholicæ Religionis zelo encomium, adversario autem condemnationem à Sede Apostolica consecutus est.

6 *Speciminibus* dein adhibita quædam, sed minimè sufficiens correctio, accusationem novam iteratamque Romæ proscriptionem effugere non potuit. Romanam sententiam prævenerat Toletana, in qua supremi fidei per Hispanias Quæsitores *librum* illum *speciminum* confixere, *quia continet Propositiones hæreticas Michaelis Baji, & Jansenisticas, sapientes hæresim, schismaticas, erroneas, falsas, temerarias, scandalosas, malè sonantes, & injuriosas Christo Domino nostro, Conciliis, & Sanctis Patribus*.

Adeò autem Belgicum istud novitatis *Organum* Arnaldico ubique aptatum fuerat concentui, ut ex eo non sensum solummodò, sed ipsas subinde longa serie voces author improvidè mutuatus sit. Parte 2. §.35. *Sancti Patres* [inquit] *hunc ordinem in sanatione spirituali observarunt per duodecim secula, ut primò peccator accederet Sacerdotem, eique vulnera sua, seu morbum peccati detegeret: secundò ut Sacerdos peccatori pœnitentiam imponeret: tertiò ut peccator pœnitens illam impleret: ut Sacerdos pœnitentem impletâ pœnitentiâ absque relapsu absolveret*. Quod, quidquid fuerit de criminibus quibusdam enormibus, & publicis, falsissimum est de peccatis omnibus, etiam occultis, & solâ interiùs cogitatione liberâ, vel delectatione commissis, quibus nullam unquam pœnitentiam publicam Romana Ecclesia decrevit, nihilominus de peccatis omnibus concludit author paragrapho 38. *Nisi per opera pœnitentiæ* [qualia pro satisfactione imponuntur] *Sacerdoti constet de interiori contritione pœnitentis, quam in ipso operatur Deus, & per quam externis operibus indicat se eum recipere in gratiam, non erit vera absolutio Sacerdotis*: Recipi itaque in hac sententia priùs debet in gratiam, propter pœnitentiæ & satisfactionis opera, quàm vera esse valeat absolventis reconciliatio.

Eâdem parte paragrapho 42. ubi generaliter inculcat, quòd præcedere debeat satisfactio absolutionem, ita sibi objicit: *Si hæc ita se habent, cur ergo hodierna Ecclesia non curat practicari pœnitentiam pro quolibet peccato mortali ante absolutionem? Respondetur, Ecclesiam in nullo Concilio universali, aut particulari approbasse praxim mox absolvendi post confessionem criminum, nullâ pravie ad absolutionem factâ pœnitentiâ; sed refrigescente paulatim Charitate, à tribus aut quatuor seculis, antiquus rigor est relaxatus... Hanc praxim autem pia mater Ecclesia filiorum infirmitati indulgens tolerat... adeò ut non tantùm ordo pœnitentiæ sit inversus; sed penè ipsa pœnitentia subversa, & quodammodo evanida*. Traditur hic Propositio 17. inter 31. ab Alexandro VIII. prostratas anathemate: *Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus*.

3 Adeò verò *piam Matrem* statuit hic novaturiens author Ecclesiam, ut filiis propter infirmitatem indulgeat *inversionem ordinis pœnitentiæ ac pene subversionem*. Sed potestne hoc *pia Mater Ecclesia*? Imò, ni fallor, ejus pietas in imprudentiam, temeritatem, perniciem, impietatem degenerat, si præscriptum à Divina Providentia Ordinem inverterit; *Ordinem* enim *præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ; sed ipsa Christi lex & præscriptio, naturâ rei id ipsum quodammodo dictante*; ut quidem Arnaldi tradit Articulus 16. inter 31. ab Alexandro VIII. Vaticani fulmine perstrictos.

Eun-

Eundem ordinem Divinæ tribuit institutioni alius Arnaldi in Belgio discipulus, & Quesnelli Cliens ab ipso contra Sedem Apostolicam & inslictum *Compendio Theologico* anathema insigni impudentiâ propugnatus in Pseudonyma *Romana Ecclesia & Summorum Pontificum defensione*.

Sic iste Quesnelli cliens, & doctrinæ Arnaldinæ sedulus Lovanii propagator in Thesibus anni 1685. die 29. Novembris „ Sapientissimam Dei œconomiam circa lapsos imitata est Primitiva Ecclesia.... „ Idem est hodie Ecclesiæ spiritus; licet exterior disciplina immutata sit, proindeque vult, ut ministri sui in curandis peccatoribus Divinæ Providentiæ ordinem servent. Quare à Sacramentis paulisper removendi sunt lapsi, nec priùs, sepositâ necessitate, absolvendi, quàm in terra corporis sui juxta Augustinum operati fuerint, & jam per flammeum pœnitentiæ gladium ab amore seculi expurgati, & per Cherubin, id est Dei amorem cæteris ejusdem subjecti amoribus superiorem, meritum sibi redeundi compararint....

„ Facessant itaque, qui Divinam illam, atque ab ipso lapsu stabilitam pœnitentiæ administrandæ normam novitatis & rigoris accusant. Novum non est, quod ab annis quinquies mille Dei misericordia sapienter instituit: rigidum non est, quo Dei sapientia illum, qui primus formatus est, à delicto suo misericorditer eduxit, & quo tot hodie peccatores educi conspicimus. Contra si adversæ praxeos originem inquiris, nova est, quippe nec à Deo, nec ab Ecclesia instituta sit; sed nupet abundante iniquitate, velut sponte enata: rigidissima est, utpote quæ peccatores è Paradiso ejectos quasi in mediis Paradisi deliciis agerent, sinè miseriæ suæ sensu vivere crudelissimè permittit. „

4 Conspicimus hìc *sapientissimam Dei œconomiam*, *Divinæ Providentiæ ordinem*, *Divinam atque ab ipso lapsu stabilitam Pœnitentiæ administrandæ normam à Dei Misericordia sapienter institutam*, *ut*, *sepositâ necessitate*, *non priùs absolvantur* peccatores, *quàm in terra corporis sui operati fuerint*, *& per flammeum pœnitentiæ gladium ab amore seculi expurgati*, *& per Cherubin, id est*, *Dei amorem cæteris ejusdem subjecti amoribus superiorem* (proinde disponentem proximè ad recuperandam Dei amicitiam, sive quo, ut author loquitur, *meritum sibi redeundi compararint*, ipsamque justitiam, antequam absolvantur. Similia tradit idem Theologus in famosa *Methodo remittendi & retinendi peccata*, quam suprema Hispaniarum apud Toletanos Inquisitio proscripsit, *quia continet Propositiones ex condemnatis Jansenii, temerarias, & doctrinam, qua fideles revocare potest à Sacramento pœnitentiæ, & Confessarios ab administratione ejusdem*.

Si enim peccatores prius debeant aliquamdiù relinqui cum onere delictorum, atque adeò in Dei odio, & perpetuæ damnationis reatu diebus noctibusque permanere, antequam absolvantur, si Sacerdotis ministerium reconciliare Deo neminem valeat, si nemini impendi absolutio, nisi quem pœnitentiæ opera priùs restituerint sanctitati, Divinæque amicitiæ, quæ manifesta est Quesnelli sententia, ut fuerat Magistri ejus Arnaldi, estque hodiedum utriusque vestigiis insistentium discipulorum, non apparebit pœnitentibus fructus absolutionis necessarius, neque videbitur Confessariis sui necessitas ministerii ad justitiam ac salutem.

Proinde ab his maximè importuno tempore, & incommoda occasione, minùs festinabitur, ut absolutionis beneficium postulantibus, etiam moribundis impertiant; sed neque à pœnitentibus tanta censebitur ad illud ratio anhelandi. Qui Arnaldum & Quesnellum cum sociis ex Gallia profugis ad se in Hollandia invitavit, & arcto amicitiæ vinculo complexus est author famosi Operis *Amor pœnitens* appellati, eandem adamavit, quam ab Arnaldo didicerat novitatem unde pag. 196. deplorat oppositum ei *morem*, *qui* [inquit] *post tempora S. Bernardi cœpit invalescere... Dans ordine non nihil inverso beneficium absolutionis ante merita satisfactionis*.

5 Verùm Sacra Cardinalium Congregatio anno 1690. die 20. Junii, Decretum edidit, quo libet ille sub pœnis in Concilio Tridentino, & Indice Librorum prohibitorum contentis, de Mandato Sanctissimi Domini Nostri Alexandri VIII. suspenditur, donec corrigatur. Quot jaculis Quesnelliana apud Hollandos factio, maximè Arnaldus non impetivit hanc Sedis Apostolicæ dispositionem! In Difficultatibus propositis Domino Steyaert patte 9. pag. . „ Spiritus Sanctus non semper assistit Pontifici in ejusmodi casibus: non semper immotum servat. En exemplum: Non minùs vehementer rogatus fuerat Innocentius XI., quàm dein Alexander VIII., ut maculam inureret libro, cujus titulus *Amor pœnitens authore Episcopo Castoriensi*.

„ *rienſi*. Verùm Deus gratiam impertivit „ Innocentio XI. quâ importunis illis ſo- „ licitationibus reſiſteret, eaſque rejice- „ ret, hoc reſponſo: *Il libro è buono, e l' autore ſanto*. Iiſdem ſolicitationibus „ ſuccubuit Alexander VIII.

„ An tibi perſuades, nos propter unum „ *ſuſpenditur, donec corrigatur*, quod vocas „ ſolemne Decretum juſſu Pontificis edi- „ tum, debere Sancti illius Antiſtitis ex- „ cellens volumen rejicere tanquam no- „ xium? (Iterum pag. 63.) inter præcel- „ lentia opera Neercaſſelii Epiſcopi Caſto- „ rienſis plena SS. Patrum ſententiis, & „ influente in animos unctione, ultimum & „ præſtantiſſimum eſt *Amor pœnitens*. „ Ita Arnaldus apocrypho nixus vivæ vocis oraculo, qualibus plenæ ſolent eſſe Janſeniſtarum Hiſtoriæ, ut Gerberoniana, & *Diurnale* potiſſimùm *Ludovici à ſancto amore*. Quintum novæ Eccleſiæ Euangelium, Romæ & in Galliis condemnatum.

Monendi hic ſunt viri Principes, ut Janſeniſtas, qui ſemper bini ad alloquium veniunt, non facilè abſque melioris fidei teſtibus admittant, aliàs de eodem poſtea colloquio largis manibus mendacia ſparſuri ſunt & calumnias.

Libri *Amor pœnitens* dicti approbator magnificus fuerat Petrus Codde, poſtea Archiepiſcopus Sebaſtenus, quem utinam ad damnatotum etiam ſuorum operum palinodiam, ad Apoſtolicæ contra ſe ſententiæ reverentiam, Alexandrinæ contra Janſenium formulæ ſubſcriptionem, verus *Amor pœnitens* adduxiſſet! Non luctuoſum adeò paſſus fuiſſet exitum, fidelium deſtitutus ſuffragiis, & Eccleſiaſticâ ſepulturâ.

Queſnelliana præſens novitas tradebatur quoque volumine, cui titulus *Rituale Romanum Pauli V. Pontificis ad uſum Diœceſeos Alectenſis cum inſtructionibus & Rubricis*, vulgo dicitur *Rituale Aletanum*. Verùm Clemens IX. ſingulari Diplomate anno 1668. illud ſub excommunicatione latæ ſententiæ prohibuit tanquam *non ſolùm continens nonnulla ab ipſo Rituali Romano juſſu fel. record. Pauli V. edito aliena; ſed etiam doctrinas quaſdam ſingulares in praxi periculoſas, erroneas, & conſuetudini in Eccleſia communiter receptæ, atque Eccleſiaſticis Conſtitutionibus oppoſitas, & repugnantes, quarum uſu & lectione Chriſtifideles in jam damnatos errores ſenſim induci, & pravis opinionibus inſici poſſent*.

Quapropter mandat Pontifex, *ut ſtatim quicumque librum illum habuerint, locorum Ordinariis, vel Inquiſitoribus, qui verò Epiſcopo Alectenſi ſubſunt, Metropolitano, aut uni ex vicinioribus Epiſcopis exhibeant, tradant; & conſignent, qui nullâ interpoſitâ morâ exemplaria ſibi tradita, & alia quacumque habuerint, igne comburant*. Verùm Arnaldus & Queſnellus ſatis conſcii, quòd voluminis iſtius infamia in ſuas redundaret tacitè novitates, adversùs ipſum Pontificis Diploma ſtrinxere impudentem calamum nomine *Difficultatum Steyaertio propoſitarum* parte 9. pag. 48. *In materia*, inquiunt, *condemnationis librorum nihil magis peregrinum deprehenditur, quàm confixio Inſtructionum Ritualis Aletani.... Hic liber continebat collectionem omnium, quæ Epiſcopo iſti piiſſimo, & ſanctiſſimo zelus ſuus & conſcientia dictaverat*.

Inſtructiones iſtæ legi nequeunt, quin ubique ſe prodat lumen & unctio ſpiritûs, uti & doctrina moralis tam pura, ut percellere valeat omnes, qui vel rudem obligationis Euangelicæ notitiam conſecuti ſunt. Quis credidiſſet iſtiuſmodi librum umquam condemnari potuiſſe?

7 Piiſſimus ille & Sanctiſſimus Arnaldo Epiſcopus eſt, qui nullâ Romanorum Pontificum Alexandri VII. & Clementis IX., etiam Regis authoritate, nullis collegarum Antiſtitum, aut Nuntii Apoſtolici, neque totius Cleri Gallici, & Religioſorum omnium Ordinum utriuſque ſexûs exemplis adduci potuit, ut juxta Bullam *Regiminis Apoſtolici* conſtitutæ ad ejurandam Janſenianam hæreſim formulæ ſubſcriberet, niſi Janſeniani voluminis ſenſu, quem unicè deperibat, velut incolumi reſervato. Ea ſcilicet in retinendo Janſenii ſenſu obſirmatio, præcipuum Arnaldo & Queſnello ſanctitatis compendium eſt; Pontifex autem & omnes ad *Inſtructionum Aletenſium* examen adhibiti Cardinales, Conſultores & Theologi, à quibus *Moralis illa tam pura*, illud *lumen*, illa *unctio Spiritûs* in eo deprehendi non potuit, *ne vel rudem* quidem *obligationis Euangelicæ notitiam* Arnaldo & Queſnello Judicibus, conſecuti ſunt. Quæ enim extra novam Eccleſiam eſſe poteſt ſapientia & ſcientia Sanctorum, quæ pietas, quæ religio?

Ea ſemper fuit hæreticorum præcipuè recenter emergentium ad conflandam ſibi apud ſimplices authoritatem arrogantia. *Nos quidem arguunt, quaſi idiotas & nihil ſcientes: ſe ipſos extollunt*, inquiebat Irenæus lib. 1. contra hæreſes cap. 1. Franciſcus Simonis in aureo libello de Fraudibus hæreticorum, primo loco collocat *Mentiri ſanctitatem vitæ*: Decimo, *Magiſtros morum & Re-*

& Reformatores se præbere: undecimo, *Reformare Theologiam Moralem*. Partis 2. Fraus 1. ponitur: *se suosque solos magni æstimare, ipsisque Ecclesiæ ostentare formidabiles: cæteros contemnere omnes*. Secunda: *Suos præcipuè extollere patriachas ut homines Divinos*. Quarta: *Unam sonare antiquitatem; præsentis autem Ecclesiæ deplorare tenebras, & labefactam fidem*.

Hæc omnia author ille confirmans exemplis hæreticorum, & testimoniis Patrum; nullam quidem Jansenistarum faciens mentionem: sed speculum exhibens, in quo se ipsos facilè intueantur.

Illustrissimus Raconis Episcopus Vaurensis in *Examine* Vergeriani & Arnaldici *libri de Frequenti Communione* pag. 52. ait *si doctrina non creditur, quæ operibus destituta est, confido fore ut Vergeriana* [Abbatis Sancyrani] *quam tanta pertinacia Arnaldus discipulus tuetur, non diu fidem retineat, quam apud multos hactenus consecuta est, si non viderimus Magistros doctrina illius eam primos sequi in operando: & si magnus ille Pœnitentiæ Prædicator Arnaldus tempestivè non incipiat pœnitentiam agere, & quidem publicam, & valde austeram pro tot contumeliis, & tam enormibus, quas cumulans scriptis typo éditis divulgavit contra Religiosos, à quibus non aliter offensus est, quàm quod doctrina Sancyrani ab Arnaldo adoptata fuerint refragati*. pag. 47. Quæsiverat Antistes ex Arnaldo, *an à Christo, an à S. Paulo, Borromæo, Salesio, omnem illam didicerit calumniandi artem: an ex illis hauserit omnem illam bilem, omne illud virus?*

Hæc Vaurensis Episcopus ante annos ampliùs septuaginta de Arnaldo Doctore juvene, cujus cum ætate ingentia cœpit incrementa temeritas. Exempla hujus copiosissima continet memoratus liber *Difficultatum Steyaertio propositarum* qui ab annis nondum triginta prodiit occasione anathematis, quo triginta & unus Jansenistarum Articuli, & inter hos non pauci Quesnelliani atque Arnaldici, feriuntur. *Difficultates* istas *Causa Quesnelliana*, sive processus juridicus coram Mechliniensi Archiepiscopo institutus meritò vocat opus *Quesnello Arnaldicum*, quia ut aliàs monui, à Magistro susceptum, fatiscentibus senio viribus, absque discipuli contubernalis adjutorio perfici non potuit. In novem autem partes dividitur inter se pro palma audaciæ concertantes. Ego non nisi partem ultimam, quæ contra librorum & dogmatum proscriptionem est, hìc delibavi hactenus: quæ autem ex infinitis, quibus liber undique redundat, decerpsi specimina, demonstrandæ novaturienti impudentiæ abundè sufficiunt.

9 Unum tamen ad præsentem attinens materiam addo ex Partis ejusdem pag. 68. *Prohibitio libri, cui titulus: Defensio Disciplinæ, quæ observatur in Diœcesi Senonensi circa impositionem pœnitentiarum publicarum pro peccatis publicis admitti non potest; sed injusta est secundùm omnes suas circumstantias*. Pag. 61. *Quantumvis parum sani sensûs & judicii cuipiam sit, legi nequit liber iste, quin dignus censeatur omnibus elogiis, quibus eum sui approbatores Illustrissimi decorarunt*. Adeò nihil sani sensûs, aut judicii juxta Quesnello-Arnaldicas Difficultates fuit in Sede Apostolica & omnibus, seu Cardinalibus, seu Consultoribus ac Theologis, qui librum censuere intolerabilem, & dignum anathemate.

Verùm qui erga alios tam rigidi pœnitentias tantopere prædicant publicas, & absolutionibus præmittendas longi temporis satisfactiones, ullasne adhibent ipsi? Plurima de quorumdam Jansenizantium Magistrorum vita molli & percommoda, referuntur fide dignis testimoniis comprobata, at de pœnitentiis eorum seu publicis, seu privatis, de satisfactionibus longis, aut brevibus; etiam brevissimis nihil legi hactenus, præterquam in epistola manuscripta à quodam Arnaldi, ut apparet, domestico ad Abbatem Fundatorem Ordinis de la Trappe, quæ acerbissima adversùs eum invectiva est, propterea quod alicui de morte Arnaldi scripserit, eum nihil commodi prætermisisse, quo vitam suam in longævam adeò protraheret senectutem. Invehitur contra hoc mortui defensor, ac denique responsum concludit hoc Epiphonemate: *Date nobis Arnaldum alterum, nos ipsi aurum potabile propinabimus*.

10 Scribis quidem & Pharisæis Janseniana passim factio comparatur; sed Pharisæis hypocritis, non illis adversùm se durioribus, de quibus S. Epiphanius lib. 1. hæresi 16. ait *Asseres sibi ipsis parabant dodrantis tantùm latitudine, & in his se ad vesperam locabant, ut si quis dormivisset, in pavimentum decideret, & rursus excitaretur ad orationem per hoc, quòd vigilantem vitam haberet, quantum ejus fieri posset. Alii lapillos ex aquis collectos sibi ipsis substernebant, ut dum his pungerentur, non in profundum somnum deferrentur; sed vigilantiam sibi ipsis parare cogerentur. Alii spinas pro strato habebant, ob eandem causam: jejunabant bis in Sabbato secundâ & quintâ die: decimabant*

bant decimationes: dabant primitias, trigesimas, & quinquagesimas: sacrificia ac vota exactissimè exolvebant... Dicebantur autem Pharisæi eò quòd separati essent ab aliis propter spontaneam superstuam religionem apud ipsos receptam.

In solo ultimo Jansenistæ proprié Pharisæi sunt, separati ab Ecclesia, juxta solemnem Clementis XI. declarationem Bullâ *Pastoralis officii*. Superflua religio & noxia est, quam in præsenti Articulo & quibusdam aliis inseruerunt: in plùribus patentior irreligio, impietas, & hæresis est. Congruit quoque recentioribus Pharisæis, quod exprobrabat prioribus Salvator, & refertur hic ab Epiphanio. *His*, inquit, *inslamanda sunt frequentiùs & multipliciter, & non per unam vocem; sed sæpe ea, quæ à Salvatore nostro ad ipsos dicta sunt; va vobis Scribæ & Pharisæi ac hypocritæ, quia reliquistis gravia legis, judicium & misericordiam, & decimatis anethum, & menthum & rutam, & purificatis extremam poculi ac patinæ partem: interna verò plena est immunditiâ & intemperantiâ.*

Impetit quoque illos Christi exprobratio Matth. 23. *Dicunt & non faciunt: alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* Quocirca, inquit Chrysostomus, *Duplicem eorum nequitiam Christus ostendit; tum quia sinè venia exquisitissimè multitudinem vivere volunt, tum quia nimiùm sibi indulgentes, magnam assumunt licentiam: quorum opposita in optimo Principe* (Pastore) *requiruntur, ut scilicet adversùs se ipsum nullâ utatur veniâ, sed severum sui se Judicem exhibeat: erga subjectos autem mitior, & ad dandam pronior veniam sit.*

11 Illustrissimus in Gallia Lingonensis Episcopus in Testimonio, quod jussu Regis Christianissimi postulatum de Sancyrano tradidit supremo Regni Cancellario anno 1638. die 11. Julii: Moniales commemorat, quæ *ex Sancyrani instructione non loquebantur nisi de pœnitentia: jacebant humi prostratæ in variis Monasterii locis, in Choro præsertim*, ut aliàs retuli.

Eodem tempore interrogatus juridicè Alexander Colas Dominus de Pormorant, Abbas Commendatarius, per Sacros Ordines jurans declaravit, „ se coram audivisse „ Abbatem Sancyranum debacchantem ad„ versùs praxim Religiosorum, & omnium „ hominum spiritualium. Minimè, inquie„ bat Sancyranus, intelligunt Euangelium, „ & semitas Jesu Christi. Ego Euangelium „ verè possideo.... le Feron Canonicus „ in Civitate Carnorensi, magnificus San„ cyrani præco similia mihi principia occi„ nuit: inter quæ sunt sequentia: Pœni„ tentes nimis facilè & nimis citò à Con„ fessariis absolvi: debere eos multo tem„ pore relinqui in lacrymis, & singulti„ bus, donec de peccatis perfectè confite„ rantur: sinè contritione perfecta abso„ lutionem esse invalidam.

12 Denique licèt Quesnellus in damnato suo dogmate multa breviter complexus, non amet omne simul virus prodere novitatis; attamen ex ejus principiis superiùs à me luci expositis meridianæ, uti & ex enuntiationibus perspicuis utriusque ducis sui Vergerii & Arnaldi, commilitonum quoque, & quos exitialis belli socios ipse adscivit, manifestiùs aperitur, non inferiore Quesnellum satisfactionis initio esse contentum, quàm justificante. Imò necesse est, peccatorem quemlibet justificationis gratiam sæpiùs consequi, antequam Sacerdotis ei impendatur absolutio; cùm enim Quesnellianus omnis Confessarius regulam sibi à Magistro præscriptam teneat, non reconciliandi peccatorem antequam *Modum suum sapientiâ, lumine, & charitate plenum* servaverit accuratè, *tempore* scilicet non exiguo *statum peccati senserit, & portaverit cum humilitate*, quæ fit ex gratia, ne aliàs & ipsa humilitas peccatum sit per Prop. 38. 39. 40. 41. Præmitti quoque debuit oratio fidei & charitatis, qua spiritus contritionis & pœnitentiæ ardentiùs expetatur; quia juxta Prop. 54. *Sola charitas est quæ Deo loquitur: hanc solam Deus audit*: eadem autem & quælibet ex ea profluens actio justificat penès Prop. 51. *Fides justificat quando operatur; sed non operatur nisi per charitatem.* 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.*

Fallitur itaque rursus quisquis Articulum præsentem interpretationis cujusdam tolerabilis in Authoris sententia capacem existimar, quasi illo suo satisfactionis initio non requirat istiusmodi, quod per se & ante Sacerdotis ministerium gratiam obtineat sanctificantem. Texendæ quidem fallaciæ, & eludendis Romani Judicii censuris idoneum arbitratus fuerit homo subdolus illud *incipiendi ad minùs satisfacere justitiæ Dei*; sed nimis multis undique se prodit iniquitas indiciis: quanquam neque potest ulla propriè dicta satisfactio ab homine præstari, quamdiu Deo manserit inimicus, ut eum Angelico statuunt omnes doctrinæ sanæ Theologi parte 3. quæst. 91. Art. 2. ad 2. *Satisfactio confert gratiam prout est in propo-*

sito, & auget eam prout est in executione. Satisfactio prout est in proposito, aliud non est, quàm propositum satisfaciendi, quod potest esse ante justificationem, sed non ipsa propriè satisfactio, cujus in supplemento meminit q. 14. Art. 2. corp. *Oportet, quòd opera satisfactoria sint Deo accepta, quòd dat eis charitas: & ideo sinè charitate opera facta non sunt satisfactoria*. Ibid. Art. 3. *Quidam dixerunt quòd . . . per charitatem sequentem, opera extra charitatem facta vivificantur, quantum ad hoc, quòd sunt satisfactoria; sed non quantum ad hoc quod sunt meritoria vitæ æternæ; Sed hoc non potest esse . . . sicut charitas adveniens, non potest opera extra charitatem facta grata facere, quantum ad unum, ita nec quantum ad aliud*.

CAPUT VI.

Qualis potissimùm satisfactio Novatoribus placeat.

1 Missas facio quascunque satisfactiones exoticas, & humanæ infirmitati minimè congruas, de quibus multa subinde fuit populi querela, ubi rigidiores istiusmodi Novaturientes confessarii nacti sunt Episcopum suis novitatibus conniventem: non enim privatorum quorumlibet imprudentia in cæteros conjicienda est; sed istud hic satisfactionis genus adversariis attribuere & impugnare solummodò statui, quod passim à novæ Ecclesiæ Pœnitentiariis in praxim deducitur.

Quesnelli Magister, & totius, cùm viveret, novæ Ecclesiæ oraculum Antonius Arnaldus lib. *de Frequenti Communione* pag. 362. definit suis optimum pœnitentiæ, sive satisfactionis genus dicens: *Illam pœnitentiam, quæ est abstinentia ab Eucharistia, semper Ecclesia pœnitentis conditioni accommodatissimam, Christo acceptissimam, peccanti saluberrimam judicavit*.

Author *Speciminum Moralium*, ut alibi passim, ita & hìc calculum suum communi Novaturientium Doctori adjiciens pag. 161 *Quæ*, inquit, *magìs accommodata pœnitentia esse potest, quàm pro tempore separari ab Eucharistia*? Idem pag. 156. *Pœnitentia est maximè rationabilis causa differendi communionem Paschalem*. Forsitan exemplum sumpserit à Maria Angelica Arnaldi Sorore, præfecta Monasterio in Diœcesi Lingonensi, cujus Episcopus, jussu Regio de Sancyrano Angelicæ directore interrogatus, respondit inter cætera, *eam quinque mensibus à Communione abstinuisse, semel etiam festo Paschatis*. Quod testimonium scripto traditum postea typis editum est.

Extat quoque publicâ sæpius donatùm luce Testimonium Juridicum Nobilissimæ Monialis ex ordine S. Benedicti, quæ Ducis N.N. filia refert de Monasterii Superiore directâ à Sancyrano, *eam multo tempore, quale est quatuor vel quinque mensium abstinuisse à Sacra Confessione & Communione, quo tempore eam Sancyranus exercebat in operibus pœnitentiæ*. Quod si quis reprehenderit, censuram non effugiet Arnaldi in Præfatione libri *de Frequenti Communione* pag. 10. *Magnâ audaciâ negatur, nos dilatione Communionis, effici magis apparatos, & abstinentiâ plus honoris exhiberi Sanctissimo Sacramento*.

Ratio, cur ea pœnitentia, sive satisfactio communioni præmittenda tantopere placeat novis Theologis, est quòd, ut ajunt, ad ejus participationem mysterii requiratur puritas quodammodo Angelica, non tantùm à peccatis libera; sed etiam à pravis motibus, & operationibus phantasiæ, amor quoque purissimus, & omnis mixtionis expers: Denique virtus tam solidis in animo firmata radicibus, ut nullis ampliùs possit tentationibus dejici.

Si incredibilia cuipiam videor de Novatorum excessibus narrare, ipsorum verba audiat: in primis Arnaldi lib. de Frequenti Communione parte 1. cap. 5. ubi agens *de dispositione necessaria pro tam adorabili mysterio*, remittit nos ad S. Dionysium de Hierarchia Ecclesiastica cap. 2. locum referendum à se Parte 3. cap. 7. quem, prout ab Arnaldo exprimitur, hic describo: „ Non „ solùm hi, qui à statu vitæ Sanctæ & Christianæ exciderunt, debent è templo Dei „ secedere; sed etiam hi, qui à vita mala „ ad meliorem conversi, à phantasmatibus „ & imaginibus, quæ remanent in ipsis ex „ præteritis excessibus, per contrariam „ habitudinem, & amoris Divini absque „ ulla mixtione puritatem, nondùm purgati sunt, hoc Sacrificium pro se nimis sublime, suamque capacitatem superexcedens judicare debent: & proinde oporter pervenisse ad virtutem quamdam Divinam, & ex præcedenti habitu Deificam, nec non ad firmam, & insuperabilem cum rebus Divinis adhæsionem, Deique perfectam unionem. Verbo dicam, oportet perfectum & irreprehensibilem esse, ut quis tantorum Mysteriorum participatione dignus inveniatur.

2 Eundem Dionysii locum adhibet author

thor *Speciminum Moralium* Parte 1. pag. 108 itaut finè dispositionibus indicatis non possimus *fructuosè carnem Christi manducare, & Sanguinem bibere*. Nihilominus Alexander VIII. inter 31. Articulos damnavit hunc vigesimum tertium: *Similiter arcendi sunt à Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers*. Qui amor purissimus à memoratis Novatoribus gallicè exprimitur *un amour tres pur, & sans aucun meslange*.

Gabriel Gerberon Quesnelli postea concaptivus Notas conficiens in Propositiones illas, tunc recenter anathemate confixas ad vigesimam tertiam inquit, *Est Sancti Dionysii*.

Ludovicus etiam Duvaucel, Jansenistarum apud Romanam Curiam Generalis Commissarius, latens sub nomine fictitio *Vvaloni*, ad Quesnellum scripserat anno 1691. die 13. Julii *Magna devotione expecto lucubrationem adversùs Decretum 31. Propositionum*.

Dein post operis adeò desiderati adventum, deprehendit, non esse, quale optaverat, neque ipsi Quesnello Operis authori dolorem suum dissimulat, sic ei scribens: *Epistola Abbatis* (ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum) *nos hic multùm perculit. Persuaseramus nobis, fore, ut Decreti fundum discuteret, ostenderetque ejus ineptias, vindicando plerosque Articulos à Censura. Ecce autem non est nisi collectio circumstantiarum, & factorum singularium, quæ hinc subministrata acceperas. Istud Dominum Maille gravissimè affixit, qui censet, Romanos facilè assecuturos, Opus istud ex instructionibus hinc transmissis fuisse compositum ... Cur autem in* (eâdem) *Abbatis epistola actum non est de Propositione vigesima tertia excerpta ex libro de Frequenti Communione & constat verbis S. Dionysii?*

3 In citata quidem istius Sancti sententia occurrunt verba utcunque similia Propositioni damnatæ; at sensu diversissimo. Sanctus illic animat pœnitentes publicos, quibus tam diuturna excommunicatio pariebat molestiam. Divinorum illis explicat Mysteriorum excellentiam, cui, si attendatur condignitas, vix ulla potest, & fortè nulla hominis sufficere præparatio. Quod in talibus scriptum circumstantiis, fini proposito videri potuit conveniens; verùm ab Arnaldo fide pessimâ excerptum assuitur circumstantiis aliis, & multum disparibus in libro *de Frequenti Communione*, ad docendum *dispositionem necessariam pro tam admirabili mysterio*.

Quapropter ad hunc & quoscunque similes textus, qui contra doctrinam sanam, & subinde fidem Catholicam à Novatoribus objici è Sanctis Patribus solent, facilis responsio est ex S. Anselmo (lib. de Sacramento Altaris cap. 13. „ Quia ab initio „ S. Ecclesiæ usque ad nostra penè tempo„ ra, hæc ab hominibus quæstio intacta re„ licta est, Sancti Patres, quod non impu„ gnabatur non defendebant; nisi quod „ aliquando in tractatibus suis hoc unum „ proferebant, quod res postulabat, & ha„ bebatur in manibus: Quod, quia quæ„ stionibus non respondebant, quæ non„ dum erant, parum modò sufficere vide„ tur ad eas, dùm exurgunt compescendas: „ contra quas quia tunc non vigilabat eo„ rum intentio, plurima de Sacramentis in „ Scripturis suis reliquerunt, quæ loco suo, „ suo sensu bene dicta, ab iis qui conten„ dere, vel errare amant, eruta de locis, „ per se videntur aliud sonare, quàm so„ nent, unde assumpta sunt, & quàm sen„ serunt, qui scripserunt. Sed, ut multa „ de eadem re ab iis relicta sunt, quæ be„ ne dicta; sed obscuriùs, utpote ab iis, „ qui ut homines, venturas omnes erro„ rum calumnias non poterant prævidere, „ malè intellecta materiam errandi, vel „ contendendi, perditis videntur præsta„ re „. Hactenus S. Anselmus.

4 Hunc sequitur Gabriel Pennottus lib. 1. cap. 17. de Doctoribus Angelico, & Subtili, qui contra liberum arbitrium perperàm ab adversariis adducuntur: *utebantur*, inquit, Doctores ambo gravissimi, *istis loquendi modis; quia, ut dixi, à catholicis catholicè se intelligi arbitrabantur, quibus*, (forsitan) *non uterentur modò* (absque explicationibus) *post ortos errores Calvinistarum*, & his affinium Jansenianorum. Bannez quoque in primam partem quæst. 19. art. 12. citatis Apostoli verbis, *cujus vult miseretur, & quem vult indurat*, quæ sicut oportuit catholicè explicat, *Miseretur voluntate beneplaciti; indurat autem voluntate signi, quod est permissio*: additque paulò post: *Advertendum est tamen, quod hujusmodi locutiones explicandæ sunt, quando sunt à nobis inventæ in sacris literis, & in Sanctis Patribus; non autem sunt* [alibi] *frequentandæ, eo quod malè sonent*, avulsæ scilicet à circumstantiis in quibus à Spiritu Sancto & Patribus adhibentur.

Exemplum luculentissimum est in verbis S. Dionysii objectis tantâ ab Arnaldo & ejus sectatoribus confidentiâ; quæ si accipiantur, ut ab adversariis intorquentur de *Dispo-*

positione necessaria pro tam admirabili mysterio, saltem ut possimus *fructuosè carnem Christi manducare, & Sanguinem bibere*, quæ non horrida inferetur, & perniciosa animis conclusio! Sic enim homines non è vulgo solùm fidelium; sed religiosi quoque & Christianæ pietatis officiis singulariter dediti, necesse est à Sacramento tam salutifero in perpetuum avertantur. Adversarii ipsi quandonam, nisi persuasione ridicula, sibi licitam statuent divini participationem celebrationemque mysterii; si Dionysii, inter primos & Sanctissimos Ecclesiæ Antistites tantopere celebrati, judicio *debeant è templo Dei secedere, non solùm illi, qui à statu vitæ sanctæ, & Christianæ exciderunt; sed etiam ii, qui ad vitam meliorem conversi à Phantasmatibus & imaginibus, per amoris Divini absque ulla mixtione puritatem, nondum purgati sunt*, sive, ut adversarii referunt, *quibus nondum inest amor purissimus, & omnis mixtionis expers, arceri debeant à Communione: si oporteat pervenisse ad virtutem quandam Divinam, & ex præcedente habitu Deificam, nec non ad firmam & insuperabilem cum rebus divinis adhæsionem, Deique perfectam unionem: ac demùm si oporteat perfectum & irreprehensibilem esse, ut quis tantorum mysteriorum dignus inveniatur?*

5 Quis enim, nisi Sanctitatis prorsus eximiæ, vel potiùs fatuæ præsumptionis, in animum suum inducat, ut se existimet posse *cum fructu carnem Christi manducare, & bibere Sanguinem*; Si ad hoc *necessaria dispositio* sit, qualis ab Arnaldo verbis Dionysii perperàm intellectis, vel ad confirmandum errorem perfidè applicatis describitur, libertas à *phantasmatibus & imaginibus* à quibus immunis non fuit, multo post conversionem tempore, & in ipsa sanctissima solitudine Hieronymus, ut suo ipse testimonio coævis & posteris confessus est.

Neque Gentium Apostolus, etiam postquam raptus fuerat in tertium cœlum, à *phantasmatibus & imaginibus* expedire se potuit, quando de *Angelo Satana colaphizante*; de *stimulo carnis*, & *lege membrorum, legi mentis contrariâ* tanto tempore conqueritur, & frustrà postulat liberari.

Unde pluribus oborta est suspicio, Arnaldum voluisse sumptionem Eucharisticam, non solum de frequenti reddere rarissimam; sed quodammodo penitùs abolere, nisi solis novæ suæ Ecclesiæ sanctis & electis forsitan reservaret. Suspicioni huic locum præbent non solus Arnaldi *de Frequenti Communione* liber subdolus; sed etiam alter non minùs noxius, ineptiis, & erroribus scatens, qui ut lectorem specioso pariter, & fallacissimo titulo circumveniret, insignitus hoc nomine est, *Corona Sanctissimi Sacramenti*.

Creditus is aliquando fuerat compositus à Sancyrano Arnaldi magistro, sed eadein à Sancyrani sectatoribus correcta vel suppressa opinio est, & operis seu gloria, seu invidia in unam ex Arnaldi sororibus translata est, *Agnetem* videlicet *à Sancto Paulo* Portus-Regii monialem. *Fallacissimum* dixi titulum, ut solent esse in novæ Sectæ libris communiter; Quis enim primo intuitu epigraphen legens *Corona Sanctissimi Sacramenti*, non sibi persuadeat, lucubrationis scopum esse, ut commendetur fidelibus usus salutiferi adeò & amabilis mysterii? Oppositum autem toto offendet opere, ad avertendos à Communione homines nequissimè conscripto.

6 Illic legitur Num.11. *INACESSABILITAS Jesus Christus maneat in se ipso, relinquens Creaturas in impotentia ad se accedendi.* Num.13. *INDEPENDENTIA: Non respiciat JesusChristus animarum merita; sed omnia disponat pro libitu. Renuntiemus potestati, quam habemus Deo nos subjiciendi in eo, quòd existentibus in gratia se ipsum prômiserit. Non istic collocemus spem nostram; sed maneamus in beata incertitudine, quæ independentiam Dei veneretur.*

Num. 14. *INCOMMUNICABILITAS: ut non dimittat se Christus ad communicandum se nobis, inter quos & ejus infinitudinem nulla est proportio: maneamus in nostra indignitate tam Divinæ communicationis. Æstimemus nos felices, quòd Divinorum donorum nullo modo reddamur participes: gaudeamus ea tanta esse, ut eorum non simus capaces.*

Num. 16. *INAPPLICATIO: ut Jesus Christus se ipso occupetur, neque ullam in se patiatur creaturam, seu nihilum, nihil curet extra se, non offeramus nos illi, ut se nobis applicet, sed potiùs ut ab illo rejiciamur, propterea quòd se debeat nobis præferre. Amplectamur applicationis negationem: eligamus potiùs, ut Christus nostri obliviscatur, quàm ut nostri memoria, Christi erga se applicationem interrumpat, se applicando ad creaturas.* Quæ omnia operoso non indigent Commentario, aut refutatione, tantùm brevissimè animadverto, non solùm abrogari hìc Fidelibus communionem Eucharisticam; sed gradum quoque hinc facilem fieri ad dissuadendam invocationem Christi, Deiparæ, aliorumque Beatorum, ac dimittendum à nobis Angelum Custodem, ne scilicet illorum ad preces nostras & cu-

& custodiam attentio, illorum ad se suamque beatitudinem, *impediat applicationem*.

7 Ex illo Libro proficere in novitatibus suis postea potuit Michael Molinos; sed ne lues illa per Galliam serperet, Sorbona Anno 1633. die 18. Junii *Coronam Sanctissimi Sacramenti* proscripsit, veluti *scatentem ineptiis, erroribus, blasphemiis, impietatibus, quæ eò tendant, ut animos à virtutum, præsertim Fidei, Spei, & Charitatis exercitio avertant: modum orandi à Jesu Christo institutum destruant, & introducant opiniones contrarias effectibus Divini erga nos amoris, quem Deus præcipuè elucere voluit in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, & Mysterio Incarnationis*.

Ad impugnatam autem à nobis perniciosissimam novitatem præcipuè pertinet, quòd in opere illo Deus statuitur *inaccessus à communicatione atque applicatione ad tenuitatem nostram alienissimus, proindeque sua solitudini relinquendus*. Eò demùm ducit exoticus rigor, & malè sanæ affectatio pietatis.

Locus hìc videtur non incongruæ digressioni. Philosophiæ Carthesii, cui Janseniani omnes potissimùm addicti sunt, quamvis & nonnulli faveant Catholici, apparet multis per quàm difficilis conciliatio cum vera & reali præsentia Corporis & Sanguinis Dominici in Eucharistia, non solùm propter negationem accidentium distinctorum à substantia, sed vel maximè propter essentiam cujuslibet corporis in sua consistentem extensione actuali, adeò ut quantum extensionis demitur, tantum corporis detrahi necesse sit; unde fieri nequeat ut Corpus Christi, quod plurium palmorum in Cœlo locum occupat, ad minimæ in Eucharistia particulæ redigatur angustias.

In *Causa Quesnelliana*, seu Processu contra Quesnellum juridico coram Archiepiscopo Mechliniensi pagin. 303. refertur Epistola cum inscriptione *Au R. P. Provincial des Augustins*, quo notatur judicio Quesnellus in cifra, sive occultorum clavi nominum, quæ in eodem Processu describitur. Pag. 320. In Epistola illa monetur Quesnellus de Janseniano parocho *uno amicorum spectatæ in moribus probitatis, docto, honesto, modestiæ non vulgaris, qui fatebatur* [familiaribus] *se in materia Eucharistica consentire Calvino. Vir nobilis ab eo annos decem, aut fortè duodecim in spiritu directus, & iisdem imbutus opinionibus, retento tamen animo Catholico, qui proinde gratiam à Deo consecutus est, alium sibi designari postulat Directorem, sed mutatio illa difficultatibus obnoxia est &c.*

An tantum ex Carthesii principiis parochus ille profecerit, ignoro; at Petrus Jurieux Calvinianæ sectæ Minister in Libro cui titulus; *L'Esprit de Monsieur Arnaud* Tom. 2. pag. 132. ait: *Sinè ambagibus in me suscipio Arnaldum convincere, quòd non plus de Transsubstantiatione credat, quàm crediderit Calvinus, ut prosequar descriptionem ingenii Arnaldici, duplicitatem cordis, quâ comparatus est ad dissimulandos animi sensus, & negandos, etiam in rebus, in quibus maximè occurrit candoris necessitas*. Argumenta desumit hæreticus ex adamatæ ab Arnaldo Carthesianæ Philosophiæ principiis. Affectum autem erga Carthesii Philosophiam non solùm prodidit Arnaldus in scriptionibus contra P. Malabranche; sed maximè postmodùm in *Difficultatibus propositis* Domino Steyaert part. 9. pag. 85. ubi invehitur more suo impudenter in Apostolicam Sedem, propter operum Carthesii condemnationem.

8 Denique Ludovicus à Sancto-amore Jansenistarum ad Innocentium X. pro impedienda condemnatione quinque famosorum dogmatum, Legatus dum causâ infeliciter gestâ, rediret in Galliam, ab Helvetis pro opera & studio in communem de gratia causam impensis, humanissimè exceptus est solemni etiam convivio. Narrat autem ipse in Diurnali typis edito, pag. 563. quòd Basileæ in Colloquio cum Buxtorfio audiverit, unicè ab ipso desiderari gratiæ efficacis [sensu Calvini seu Jansenii] in Romana Ecclesia approbationem, quâ obtentâ facilè reperiendum modum, quo circa Mysterium Eucharisticum concordia iniretur. Summa responsionis Santamorianæ hæc traditur. *Fateor: hoc* [de gratia] *dogma palmare est, fœcundum inprimis demissione, pietate, & charitate Christiana, accommodatissimum ad excitandas utriusque partis pro altera curas & deprecationes, idoneum ad eliciendos pro fratrum errantium salute sinceros gemitus, ut in viam redeant non imposito onere credendi id, quod fides reipsa non exigit*.

Quæ omnia non ideo commemoro, quasi Jansenianos omnes circa præsentiam Christi in Eucharistia consentire censeam Calvinianis, quos pluribus editis lucubrationibus publicè insectantur; attamen & plurima sunt, quæ ubi simul concurrentia quis consideraverit, nescio an adeò certa ipsi de illorum omnium bona circa hoc My-

Mysterium Fide, securitas apparitura sit. Mihi quidem præcipuè difficultatem movet, non solùm quòd Janseniana factio tanto feratur affectu erga Philosophiam Carthesii, ut Sedis Apostolicæ contra ejus Volumina, censuras odio publico, & libellis infamibus proscindat; cujus Philosophiæ axiomata quomodo Mysteriũ salvent Eucharisticũ, extra novaturientiũ scholam, paucissimi sibi intelligere videntur hactenus: Verùm etiam plus materiæ suppeditant suspicioni arcta adeò Quesnellistarum cum Hæreticis familiaritas, necessitudo, tractatus quoque [ut dicitur] nuperrimi de Concordia; fidei præterea professio versatilis adeò, ut contra perpetuum Ecclesiæ usum ab illis censeatur mera & inanis ceremonia, nihil assensûs postulans interioris: in quam sententiam ire magnam eruditorum suorum in Galliis partem Arnaldus asserit, Epistolâ ad Fratrem suum Andegavensem Episcopum, quam Quesnellus dignam statuit, ut mendacissimæ suæ insereretur Defensioni Ecclesiæ Romanæ & Summorum Pontificum pag.491. de quo ampliora dabimus contra Propositionem 101. Adde juramentum Formulæ Alexandrinæ contra Jansenianam hæresim modò rejectum ab iisdem, oppugnatumque: modò affulgente spe officii, aut beneficii pinguioris alacrirer præstitum, etiam *juxta sensum Constitutionis Vineam Domini Sabaoth*. Nuper susceptam vidimus Bullam UNIGENITUS ut regulam fidei, mox verò ab iisdem velùt fidei contrariam abjici, interpositâ etiam ad Concilium OEcumenicum appellatione.

9 Quid dicam de Divinorum Mysteriorum in criminibus tum susceptione, tum etiam celebratione annis pluribus sacrilegè continuatâ?

Hæc, inquam, & plura istiusmodi, quæ longum, & odiosius foret singulatim persequi, efficiunt, ut mihi quidem minùs certa perspectaque videatur hypocritarum aliquot, Quesnello adhærentium, de Christi in Sacramento præsentiâ vulgaris persuasio. Fidem de hoc mysterio Divinam & Christianam ipsis non inesse, necesse est, indubitatum teneant Theologi Catholici, qui Quesnellismum esse reverà hæresim à Clemente XI. & universa ei consentiente Ecclesiâ condemnatam pro certo habent, dum nihilominus eam vident tum ab hæreseos istius progenitore, tum ab ejus asseclis in dies pertinaciter propugnari.

Discimus enim ab Angelico 2. 2. quæstion. 5. Artic. 3. Corp. *Dicendum, quòd in hæretico discredente unum Articulum fidei, non manet fides neque formata, neque informis.... Manifestum est, quòd hæreticus, qui pertinaciter discredit unum Articulum fidei, non est paratus sequi in omnibus doctrinam Ecclesiæ, si enim non pertinaciter, jam non est hæreticus. Unde manifestum est, quòd talis hæreticus circa unum Articulum, fidem non habet de aliis Articulis; sed opinionem quamdam secundùm propriam voluntatem.* Quicumque igitur ex obstinatis novæ hæreseos defensoribus Calvino circa Christi in Eucharistia præsentiam dissentiunt, ne in hoc quidem fide præditi sunt Divinâ & supernaturali; *sed opinione quadam secundùm propriam voluntatem*, unde faciliùs luxatur & corruit.

10 Redeamus ad communionis dilationem, quam novi Theologi, iidemque novi Pœnitentiarii statuunt veluti utilissimam, ac statui pœnitentis cujuslibet accommodatissimam satisfactionem. Quoties adversarii nobis ingerunt Opusculum piis omnibus familiare *de imitatione Christi*, perperàm quidem semper, nusquam fideliter! At modò istud audiant lib.4. cap.10. *Quid prodest diu tardare Confessionem, aut sacram differre Communionem? Expue velociter venenum; festina accipere remedium.... Si hodie propter istud dimittis, cras forsitan illud magis eveniet.* Clariùs Doctorum Aquila Augustinus Epistola 118. *Si peccata non sunt, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet à medicina Dominici Corporis separare.*

Concilium quidem Tridentinum Session.13. cap.7. de hoc Sacramento Sanctissimo ait: *Certè quò magis Sanctitas & Divinitas Cælestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eò diligentiùs cavere ille debet, ne absque magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat.* Ubi magnam exigi reverentiam video & sanctitatem, seu statum gratiæ; sed non sanctitatem necessariò eximiam, sive perfectionem, ut Janseniani statuunt *arcendos à Sacra Communione quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.*

Ibidem Synodus in memoriam revocans illud Apostoli 1. Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de Pane illo edat*, hanc præcepti Apostolici tradit ex communi Ecclesiæ sensu & consuetudine explicationem: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramen-*

mentali Confeſſione ad Sacrum Euchariſtiæ Sacramentum accedere audeat; non verò, ut multo antea tempore Pœnitentia peragenda ſit, donec acquiſitus fuerit *Amor Dei puriſſimus & omnis mixtionis expers*, ut nihil ex ſuperioribus exceſſibus ſuperſit ampliùs imaginis in phantaſia, ut novæ Pœnitentiariæ præſcripta à Novatoribus regula requirit.

Nos fidem habere & praxim jungere malumus relato Concilio, & S. Franciſco Saleſio, qui, ut de eo Eccleſia in Officio Canonico teſtatur, *Scriptis Cœleſti Doctrina refertis Eccleſiam illuſtravit, quibus iter ad Chriſtianam perfectionem tutum & planum demonſtrat*; non per abrupta, præcipitiis indeclinabilibus horrida, & innumeris exitialia animabus, per quæ cæcutientium duces rigidi, & ipſi ſuperbiâ, ac natâ inde pervicaciâ præ diſcipulis obcæcati, cum iis in exteriorum tenebrarum errorumque foveam corruunt, non facilè emerſuri. Saleſius igitur Introductione ad vitam devotam parte 2. cap. 21. *Si*, inquit, *mundani à te petant, cur tam ſæpe communices, dic eis, quòd id facias, ut Deum amare diſcas, ut te purges à tuis imperfectionibus, ut te liberes à tuis miſeriis ... ut te confortes in tuis infirmitatibus. Dic eis, quòd duo hominum genera ſæpe communicare debeant: perfecti, quia omnino bene diſpoſiti, injuriam inferrent, ſi ad fontem perfectionis non accederent: & imperfecti, ut juſtè ad perfectionem protendere poſſint: fortes ut non infirmentur: infirmi, ut fortificentur: agroti, ut ſanentur: ſani, ne morbo corripiantur, & quòd tu tanquam imperfectus, debilis, & ægrotus, opus habeat, ſæpe communicare cum tua perfectione, tua fortitudine, tuo medico: Dic eis quòd hoc Sanctum Sacramentum accipias, ut dignè ſuſcipere diſcas; quia raro bene fit, in quo ſe raro quis exercet.*

Si objeceris exempla aliquorum, qui in ſilvis, vel quacumque ſolitudine Pœnitentiam de peccatis egerint ſalutarem, & tamen ut ab omni hominum conſuetudine, ita & à Divini participatione myſterii multo tempore voluntariè ſegregati; reprehendere nolo, quod pauciſſimis ſpiritus bonus dictaverit; ſed ex Auguſtino, ex Angelico, ex Saleſio, & totius Eccleſiæ conſenſu aſſerere non vereor, exempla eſſe miranda potiùs, quàm communiter imitanda: neque facta iſtiuſmodi ſingularia redarguere neceſſe eſt, ſed communes regulas, quas omni peccatorum pœnitentium generi, atque in eo omnibus individuis, excepto nemine, novi apoſtoli præſcribunt: atque ita à ſaluberrimo Euchariſtiæ Myſterio, ab ipſaque Confeſſione avertunt plurimos; ne in beatitudinem, ex qua ſe excidere, niſi penitùs obcæcati, minimè ignorant, introire cæteros patiantur.

CAPUT VII.

Fraus Articuli circa Reconciliationem detegitur, & confutatur error.

1 Quot præparationis, quot ſatisfactionis opera præmittenda Queſnellus aſſerit Reconciliationi, tot ſubdolæ ſunt fallaciæ non facilè diſcernendæ, niſi ab eo cui reliquum authoris ſyſtema novaturiens exploratum eſt. Hoc ſcilicet tempore reconciliationis appellatio, ubi de peccatoribus, & Sacramento Pœnitentiæ agitur, adhiberi ſolet pro translatione hominis à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ & amicitiæ cum Deo: qui ſenſus prorſus obvius Propoſitionis eſt; nec quiſquam aliter intelliget Articulum condemnatum. „ Modus plenus ſapientiâ, lumine & charitate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minùs ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur. „

Superioribus quidem ſeculis, quibus ſolemnis viguit Pœnitentia, reconciliatio ſæpe vocabatur abſolutio quaſi ab excommunicatione, cùm reſtituerentur pœnitentes Communioni Corporis Chriſti, & reconciliarentur cum Eccleſia; quamvis amicitiæ cum Deo redintegratio antea obtigiſſet, ſive ſolâ interiore hominis pœnitudine, ſive accedente arcano miniſterio Sacerdotis. Non poſſe autem modò Queſnelli Articulum accipi in ſenſu ipſius & ſimul obvio, ex allegatis hactenus indubitatum eſt; obvia enim reconciliationis intelligentia hoc tempore juſtificationem denotat peccatoris; ſententia verò Queſnelli ſanctitatem præſupponere debet, & de ſola accipi juſtificati reconciliatione cum Eccleſia, quandoquidem juxta Articulum 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.* Neminem ſcilicet ſinè gratiæ auxilio *portare cum humilitate & ſentire* ſalubriter *ſtatum peccati*, *petere ſpiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipere ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei*, Catholicis omnibus, ipſique Queſnello compertiſſimum eſt: ſolus inficiabitur Pelagianus..

2 Præcedere igitur juxta Queſnelli dog-

dogma haud poterunt ea opera justitiam, sive à peccatoribus fieri, *antequam reconcilientur*. Audiatur Synodus Tridentina Session.6. cap.3. sic definiens: „ Si quis dixerit, sinè præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. „ Si omnem fidem, spem, dilectionem, pœnitentiam salutarem, prævenire necessariò debeat Spiritûs Sancti operatio, atque ejus adjutorium, quæ indubiè gratia quædam est, patet apertissimè, quòd vel *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori*, non sit *peccatorum remissio*, ut affirmaverat Articulus 28. vel quòd præveniente gratia credere, sperare, diligere, pœnitere salubriter homo nequeat, antequam reconcilietur, dum præveniente singulos actus gratiâ, remissio peccatorum concessa in Quesnelli sententia fuerit. Sed nempe simplicibus imponit novus Pœnitentiarius, ipsosque decipere nititur Præpositos Ecclesiæ, & fidei judices vocabulo *reconciliationis* utens in significatione à solis nunc ferè novitatis sectatoribus intelligenda. Ne igitur & nos ille circumveniat, semper meminerimus, nullum posse juxta novos Theologos actum elici bonum, & disponentem ad justitiam, quin hoc ipso, si in peccatis homo fuerit, justificetur. *Prima* scilicet *gratia*, ad istiusmodi actum necessaria, *est peccatorum remissio*.

Per Art. 26. *nulla dantur gratiæ nisi per fidem* & 27. *fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*, unde liquidò conficitur actum *humilitatis*, quo salubriter *portandus* dicitur *status peccati*, orationem, quâ *petendus spiritus pœnitentiæ & contritionis*, & quodcunque *satisfactionis* initium in Quesnelli Articulo positum, veluti prævium reconciliationis, esse hominis antea reconciliati; cùm ex gratia & fide necessariò profluant; quia, ut ex Tridentino Concilio discimus sess. 6. cap.8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis*: & ex Articulo suo 51. discere nos vult Quesnellus quod *Fides justificet quando operatur*, ut operatur certissimè, quando ex ea profluunt salutaris *humilitas in portando & sentiendo statu peccati*, oratio, quâ utiliter *petitur spiritus pœnitentiæ & contritionis*; uti & quando homo *incipit satisfacere justitiæ Dei*.

3 Altera consectarii ratio non minùs inevitabilis est, quòd nullus istorum actuum profluere ex fide valeat, nisi per charitatem, sinè qua nequit esse ulla fidei operatio; siquidem *Fides justificat quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem* Prop. 51. & in Epistolam 1. Joannis cap. 3. v. 9. non incongruè Quesnellus asserit *Nullum peccatum mortiferum posse cum charitate consistere*.

Rursus; sed non catholicè Prop. 54. *Sola charitas est, quæ Deo loquitur; hanc solam Deus audit*. Quomodo igitur spiritus pœnitentiæ & contritionis petetur, si charitas abfuerit? Si adsit, justificat. Fieri proinde non potest, ut spiritus pœnitentiæ & contritionis petatur ante criminum remissionem, cùm ipsa petitio sit charitas, vel ex ea proveniat, neque charitas esse valeat absque justitia.

Prop. 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*: atque adeò ubi non est gratia sanctificans, à charitate, etiam Quesnelli judicio, inseparabilis. Ubi autem nec Deus est, nec religio, quomodo *portabitur cum humilitate, & sentietur* utiliter *status peccati*, ita ut *petatur spiritus pœnitentiæ & contritionis*, atque homo *incipiat ad minus satisfacere justitiæ Dei*? Si verò quis non penitùs sinè Deo & religione est, necessariò juxta Quesnellum adest charitas justificans. Non igitur potest, præsertim multo tempore, *portari cum humilitate status peccati, peti spiritus pœnitentiæ & contritionis*, initiumque dari *satisfactioni*, *antequam* sit hominis cum Deo *reconciliatio*.

Propositione 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Quapropter *humilitas in portando & sentiendo statu peccati*, similiter oratio, quâ *spiritus pœnitentiæ & contritionis petitur*, ac denique *satisfactionis* inchoatio, *reconciliationi* juxta Quesnellum aliquo tempore præmittenda, si non est amor Dei omnia agens propter Deum, quemque Deus remuneratur, si neque à tali provenit dilectione, erit necessariò amor mundi malus, qui nequit esse idonea ad justificationem dispositio. Si verò, ut nullus datur in novo Euangelio charitatem inter, & noxiam cupiditatem actus medius, amor Numinis, vel ab eo profluens, qualis in Propositione 44. præscribitur, indubiè est non solùm ex gratia; sed etiam ex fide; quæ, ut non operatur nisi per charitatem, necessariò justificat juxta relatam superiùs Prop. 51. *Fides justificat quando operatur, sed non operatur nisi per charitatem*.

4 Ve-

4 Verùm quomodo Quesnellus omnem istiusmodi dispositionem in omnibus exigit peccatoribus *antequam* Sacramento Pœnitentiæ *reconcilientur*? Patet ex deductis rationibus, hunc Authorem nullam agnoscere in Sacerdotibus potestatem remittendi confitentibus peccata, nisi quæ ante absolutionem condonata fuerint pœnitentium dispositione.

Unde Sacramentum istud non ampliùs mortuorum erit; sed tantummodo vivorum: & sive Confessarius seriò absolverit, sive joco; sive peccata retinere velit, sive remittere, semper ea abolita fuerint confitentis pœnitentiâ, si fuerit ad accipiendam absolutionem sufficiens: quod neque consonat verbis Christi, potestatem clavium Sacerdotibus conferentis, *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: neque convenit sensui Ecclesiæ, neque satisfacit Tridentino Concilio sess. 14. cap. 9. anathema inferenti *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem; sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata confitenti; modo tantùm credat, se esse absolutum: aut Sacerdos non seriò; sed joco absolvat*.

Eâdem sess. cap. 4. *de Attritione* illic descriptâ, & charitatis experte definit Synodus quod per illam pœnitens, Divino adjuvante auxilio, *viam sibi ad justitiam paret, & quamvis* (Attritio eadem) *sinè Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum disponat*.

Exhibeat adversarius, si possit, attritionem ullam, quæ Spiritûs Sancti impulsus sit, & hominem ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum præparet, neque tamen eam in suo systemate conferat. Evidens nempe est, nunquam ab eo attritionem agnosci utilem, vel etiam liberam à delicto, nisi quam insigniat charitas, quæ nullum secum patitur peccatum lethiferum: imò nulla ipsi vera legis obedientia est, nulla Christiana actio Christiano elicita modo, nulla immunis à macula, quæ non sit charitas, vel ejus exercita imperio.

5 Quid clarius Propositione 46. *Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*? Quæ si integra sit actuum ad sensus pertinentium divisio, necesse erit eadem dicatur cæterorum actuum humanorum, ad quamcumque attinentium facultatem.

Hinc facilè colligitur cur juxta Prop. 47. *Obedientia legis profluere debeat ex fonte, & hic fons sit charitas*: cur, *quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum sit quod apparet exterius, alioquin non sit nisi hypocrisis aut falsa justitia*. Quid enim hypocrisis aliud, quàm falsum obedientiæ simulacrum sit, quo infinita Dei bonitas offenditur? Si autem omnis legis obedientia charitas esse debeat, vel ex illa profluere, ne inquinetur vitio, qualis erit peccatoris *humilitas*, quamdiu perrexerit *portare & sentire statum peccati*? Qualis ejus toto tempore precatio, quâ *petat spiritum pœnitentiæ, & contritionis*?

Quale operationis initium, quo *justitiæ Dei ad minus satisfacere incipiat*? Ea enim omnia ad legis spectant obedientiam; quia Deus humilitatem præcipit peccatori; jubet eum orare pro obtinendo veræ pœnitentiæ & contritionis beneficio: satisfactionem quoque exigit pro delictis.

Verùm dum ea omnia præparationis ad reconciliationem opera, *profluere debent ex fonte, & hic fons est charitas*, quæ etiam Quesnello judice, in 1. Joannis 3. v. 9. *nullum secum patitur peccatum mortiferum*; edisserat iterum nobis adversarius: Quomodo illa omnia præmitti à peccatoribus cupiat, antequam reconcilientur: & quidem præmitti non uno temporis momento, sed spatio notabili, quæ aliter quàm ex reconciliante charitate procedere nequeunt.

6 Nemo hæc alius componet, quàm qui censuerit, sobolem esse genitore & avo priorem, hoc est, ante reconciliationem debere aliquo tempore præcedere opera, quæ ex reconciliante proveniunt charitate.

Ne tamen Quesnellus appareat insulsus adeò Philosophus, quàm in Theologicis à fide Catholica devius, necesse est *reconciliatio* accipiatur non pro restitutione Divinæ amicitiæ, sive prima criminum remissione, ut passim intelligitur; sed pro pacificatione Ecclesiæ antea offensæ, & admissione pœnitentis ad Divini corporis communionem. Unde fraudulenta in Quesnelli Articulo est *reconciliationis* appellatio.

An in ejus sententia absolutio conferat saltem secundam gratiam, sive iteratam in Numinis Tribunali condonationem noxarum, minùs habeo exploratum. Fidem enim facit Joannes de Jovaud Cistercienfis Abbas & totius Ordinis Secretarius testimonio jurato anni 1638. 17. Junii de Sancyrano, se ex eo accepisse *quòd sacramentalis absolutio præsupponat remissionem peccatorum contritione impetratam, quodque absolutio non* *sit*

sit nisi declaratio remissionis. In Testimonio quoque Illustrissimi Sebastiani Episcopi Lingonensis quod eodem anno die 11. Julii misit ad Galliæ Cancellarium, legimus à Sancyrano affirmatum *verba absolutionis non operari remissionem; sed declarare tantùm*.

Hunc autem alterum Janſenianæ Eccleſiæ fundatorem, in ſummo apud novos Theologos pretio eſſe nullus controverſiarum in Galliis & in Belgio conſcius ignorat. Mihi hic quidem ſufficit Queſnelliani Articuli aperuiſſe fallaciam; nunc illum ſuſcipio majoribus copiis debellandum.

CAPUT VIII.

Propoſitio Scripturis, ejuſque SS. Interpretibus oppoſita. Fraus multiplex Novi Teſtamenti Gallici in Belgio Montibus editi.

1 PEccatores filium prodigum temerè ſecuti, inſipientiore conſilio remanere diutiùs cupiunt à Patre amantiſſimo remoti, ut quibus vitulus ſaginatus redeuntibus præparatur, ventrem implere pergant ſiliquis & ſpurcitiis porcorum. Surgendum illicò & redeundum ad Patrem: atque hic quidem ut indole benigniſſimus, diu noctuque ad filii reditum anhelans, advenienti eminus occurrit, non cum trucibus noſtris novatoribus, pœnitentem repellit: non remittit eum, ut porcos paſcendo diutiùs, *portet cum humilitate & ſentiat ſtatum peccati*; ſed extenſis brachiis ſtatim amplectitur, *miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum. Dixitque ei filius: Pater peccavi in cœlum, & coram te; jam non ſum dignus vocari filius tuus. Dixit autem Pater ad ſervos ſuos, citò proferte ſtolam primam*: quâ juxta omnes interpretes deſignatur gratia ſanctificans, quæ peccatori in reconciliatione redditur.

Indicata voce *citò* reconciliationis acceleratio, vehementer diſplicet verſionis Gallicæ Montibus impreſſæ authoribus & defenſoribus Queſnellianis: unde vocem illam ſua verſione eliminant, ne Confeſſariis argumento ſit pro non deneganda pœnitentibus abſolutione. Si Queſnellus Patri iſti Euangelico fuiſſet à conſiliis, monuiſſet eum de *modo ſapientiâ, lumine, & charitate pleno*, juxta quem differenda fuerat in multum tempus reconciliatio; ſi quidem Pater ille typus futurus erat adminiſtrantibus pœnitentiæ Sacramentum. Sed num & Chriſtum Queſnellus arguet inſipientiæ, quod talem Præpoſitis Eccleſiæ typum propoſuerit?

2 Montenſis interpres objicit, quod in textu Græco adverbium *citò* non exprimitur. At geminatur articulus dicendo *proferte illam ſtolam, illam primam*, quæ geminatio promptitudinem animi indicat, volentis accelerari quod jubetur. Unde Sanctus Hieronymus epiſt. 146. *celeriùs proferte*: Gregorius Magnus Moralium cap. 5. Ambroſius lib. 7. in Lucam, Chryſologus ſermone 3. & alii cum S. Auguſtino & vulgata noſtra totius Eccleſiæ uſu recepta, ac denique Queſnellus ipſe: *proferte citò*.

Apocalypſeos cap. 3. poſt quam Deus v. 19. dixerat, pœnitentiam age, ſtatim ſubjungit v. 20. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo*. Hæc iterùm promptitudo Dei veluti ſtantis ad oſtium, & omni momento expectantis primum peccatoris convertere ſe volentis indicium, primam ſeriæ pœnitentiæ vocem, primam januæ apertionem, ut ad eum intret illicò, & in redintegratæ ſignum amicitiæ cum eo cœnam ſumere non dedignetur, hæc, inquam, Dei clementiſſimi promptitudo minimè favet abſolutionem communiter differentium ſeveritati. Ideo nec placet Montenſi Interpreti, qui, ut nova ſecta, paſſim mallet reconciliationem in longa tempora ſuſpendi.

Quare ea verſio præſenti tempori ſubſtituit futurum: *Pœnitentiam age; quia brevi ero ad oſtium & pulſabo. Faites penitence, car je ſerai bientoſt à la porte, & je frapperay*.

Aliquibus videtur Apocalypſeos locus alludere ad illud Cant. cap. 5. v. 2. *Vox dilecti mei pulſantis: aperi mihi ſoror mea, amica mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*; ex eo videlicet quod tota nocte pulſans fores, & teporem ſponſæ excitans, humido aeri fuiſſet expoſitus.

2. Corinth. 7. v. 10. dicitur: *Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*. In quæ verba S. Chryſoſtomus, *peccavit quis, triſtatus eſt? Peccata delevit; nam quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*. Hic etiam Montenſi Interpreti eſt quod diſpliceat, quaſi peccatoris triſtitia nimis citò pœnitentiam ſalutarem operetur. Quapropter ſententiam ita vertit, ut *ſtabilem* non referat ad ſalutem, ſed ad pœnitentiam, atque ita vult non exigui, ſed

sed longi solummodo temporis pœnitentiâ peccatorem reconciliari, & consequi salutem. *Tristitia*, inquit, *quæ secundùm Deum est, operatur pœnitentiam stabilem, & quæ juxta textum Græcum, non retractatur.* Quasi nulla tristitia secundùm Deum fit, nisi quæ operatur pœnitentiam, nullo unquam peccato mortifero elidendam; ita ut, quem semel seriò pœnituerit peccati, nunquam is inposterum relabatur.

3 Sed quantumlibet Jansenistæ sacros Codices pervertere moliantur, nunquam efficient, quin Dei & Christi ejus benignitas pœnitentes statim in gratiam recipiens, ubique conspicua emicet, deque Eloquiorum suorum triomphet corruptoribus. De se testatur David Psalmo 31. *Dixi confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* In quem Psalmum Augustinus: *Attendite fratres, corde pronuntiaverat, & tu dimisisti.*

2. Regum 12. Dicenti Davidi, *peccavi Domino*, statim respondit Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.* Lucæ 18. Publicanus *percutiens pectus suum, & dicens, Deus propitius esto mihi peccatori*, statim Christum nactus est justificationis authorem pariter & testem: *Dico vobis descendit hic justificatus in domum suam.*

Lucæ 23. Culpam suam agnoscit latro: *Nos quidem justè, nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali gessit*; & ad Jesum conversus; *Domine*, inquit, *memento mei dum veneris in regnum tuum.* Cui statim Christus: *Hodie mecum eris in paradiso*; justificatus igitur jam erat; teste Augustino serm. 1. in Psalmum 34. *Neque enim injusto & non jam justificato diceret Christus, hodie mecum eris in paradiso.*

Debitori 10. millium talentorum (qui Augustino interprete lib. 1. Quæstionum Euangel. 9. 25. in universa Decalogi præcepta deliquerat) ait Dominus, *Omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me*: & verè inquit S. Chrysostomus in hunc locum, *solâ deprecatione reconciliatus est.*

Lucæ 7. v. 37. *Et ecce mulier, quæ erat in Civitate peccatrix, ut cognovit, quòd accubuisset in Domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti.* In quem locum S. Augustinus Hom. 23. inter 50. *Vidisti*, inquit, *mulierem famosam, malè utique famâ, quæ erat peccatrix, non invitatam irruisse convivio, ubi suus medicus recumbebat, & quæsisse piâ impudentiâ sanitatem: irruit quasi importuna convivio, opportuna beneficio. Noverat enim quanto morbo laboraret, & illum ad sanandum esse idoneum, ad quem venerat, sciebat.*

Simile habetur hom. 58. de Tempore. Quesnellus verò ad mulierem conversus gravi tono illam suam ingeminasset regulam: *Modus plenus sapientiâ, lumine, & charitate est, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati.*

Sapientia est & Charitas Pharisaica, de qua Augustinus homil. 23. jam citatâ sic prosequitur: *Ad illius ergo Pharisæi pedes si talis mulier accessisset, dicturus erat, quod Isaias de talibus dicit: Recede à me, quoniam mundus sum. Accessit autem ad Dominum immunda, ut rediret munda: accessit ægra, ut rediret sana: accessit confessa, ut rediret professa.* Adversarii immundam remitterent immundam, ægram remitterent ægram, & confessam ut ampliùs confiteretur, *portaret cum humilitate, & sentiret* diutiùs *statum peccati*, inimica Deo, & perpetuæ obnoxia damnationi, nisi eam pœnitentia justificasset.

4 Mulier in adulterio deprehensa confitens peccatum, statim à Christo audivit Joan. 8. *Nec ego te condemnabo*: Unde Augustinus Serm. 47. de verbis Domini, lib. de Adulterinis conjugiis cap. 6. & 7. Beda in cap. 8. Joannis: Bernardus Serm. 3. in Annuntiatione Dominica, colligunt eam fuisse à Christo reconciliationis beneficium consecutam. Idem notat Euthymius in eundem locum, Cardinalis Toletus, Jansenius Gandavensis Episcopus, Franciscus Lucas, Cornelius à Lapide & alii apud ipsum in cap. 8. Joannis: S. Ambrosius Epist. 58. *Non damnat ut redemptio, corrigit quasi vita, quasi fons abluit.*

Lucæ 5. v. 20. de Paralytico per tectum immisso, statim ut vidit Jesus fidem ejus, & eum inferentium, inquit Euangelista, *quorum fidem ut vidit, dixit: homo remittuntur tibi peccata tua.* Eodem cap. v. 12. & 13. statim ut vir plenus lepra videns Jesum, & procidens in faciem, rogavit eum dicens, *Domine si vis, potes me mundare, Jesus extendens manum tetigit eum, dicens, Volo, mundare, & confestim lepra discessit ab illo.* Plurima sunt istiusmodi, de quibus S. Leo Serm. 11. de Passione: *Christus non solùm corporis infirmitatibus medebatur, sed etiam vulnera debilium curabat animarum*: & quidem non interpositâ multi temporis morâ.

Ideo Augustinus monet in Lucæ cap. 23. *Flevit amarissimè Petrus, ut lacrymis suum posset lavare peccatum: & tu, si veniam vis mereri, dilue culpam lacrymis tuam: eodem momento, eodem tempore respicit te Christus.* Ex quo colligitur, Petrum, quamvis vix priùs flere desierit, quàm vivere, non ta-

men diu reconciliatione caruisse; sed justificatum mox ubi Christus eum misericordiæ oculis dicitur respexisse.

Chrysostomus relatus cap. *Talie* de Pœnitentia distinct. 3. *Deus quantulamcunque & quamlibet brevi tempore gestam non respuit pœnitentiam.*

Cyprianus ad Demetrianum: „ Nec „ quantitas criminis, nec temporis brevi- „ tas, nec horæ extremitas, nec vitæ enor- „ mitas, si vera est contritio, excludit à „ venia „. Gregorius in Psalmum 31. „ Attende quanta sit indulgentiæ vitalis „ velocitas, quanta misericordiæ Dei com- „ mendatio, ut confitentis desiderium co- „ mitetur venia, antequam ad cruciatum „ perveniat pœnitentia: ante remissio ad „ cor perveniat, quàm confessio in vocem „ erumpat.

5 Verùm conversiones omnes subitas, quas in Scripturis legimus, novatores haberi volunt ut miracula potiùs, quàm exempla: Quod Arnaldus lib. de *Frequenti Communione* part. 2. cap. 12. probare nititur authoritate S. Bernardi epist. 8. ad Brunonem. Arnaldum sequitur Lovaniensis author *Methodi remittendi, & retinendi peccata* pag. 80. & 149. & in Apologia pag. 101. præterea Lovaniensis alius priore non sanior in *speciminibus Moralis Christianæ* pag. 133. verùm insigni corruptione textûs S. Bernardi; quod enim de subita Conversione Pauli ex Persecutore in Apostolum Mellifluus ait *esse potiùs miraculum, quam exemplum*, infidi relatores plurali numero exprimunt; quasi juxta Bernardum omnes, quas ex Scripturis adduximus, conversiones celeres essent potiùs miracula, quàm exempla. Mutatio persecutoris in Apostolum, longè mirabilior est, quam peccatoris solummodo in justum.

Rectiùs adversarii supponerent, Christum tot absolutionibus à se benignissimè impertitis, Ministros suos, & futurorum temporum Ecclesiam edocere voluisse misericordiæ suæ magnitudinem, & auxiliantis virtutem gratiæ. Quapropter sive Chrysostomus, sive quisquis est author operis imperfecti hom. 43. ad caput 23. Matth. notat & refertur in Decreto 26. quæst. 6. „ Ubi „ Paterfamilias liberalis est, dispensator „ non debet esse tenax. Si Deus benignus „ est, ut quid sacerdos ejus austerus? Vis „ apparere sanctus? Circa vitam tuam esto „ austerus, circa alienam benignus „. Hoc te Christus exemplo docuit: oppositum Pharisæorum est, quibus ut nihil erga alios inclementius, sic nihil erga se benignius, mollius, delicatius.

6 Monendum hic aliquid de citata à me aliquoties supra versione Gallicâ novi Testamenti Montibus Hannoniæ, ut præfertur, editâ; unde & vulgo dicitur Testamentum Montense. Damnata ea versio fuerat à Clemente IX. speciali Bullâ anno 1668. tanquam *temeraria, damnosa, à vulgata editione difformis, & offendicula simplicium continens*: additâ excommunicatione latæ sententiæ ipso facto incurrendâ, si quis *librum illum legere, retinere, vendere, imprimere, vel imprimi facere audeat vel præsumat.*

Verùm quid liber ille, inquies, ad Quesnellum, qui adeò ejus author non est, ut non pauca accusationis capita, quibus ea versio gravabatur, in sua translatione correxerit? Arnaldum quoque Magistrum suum, cui Montensis versio passim tribuitur, ab ea invidia liberat, testatus nullam ipsum in eo opere partem habuisse. Credamus testimonio, quantumlibet suspecto; saltem non inficiabitur Quesnellus Arnaldum, seque ipsum etiam post condemnationem Operis fuisse ejusdem approbatores magnificos, & contra Censuram Pontificiam imperterritos defensores.

Sic enim Arnaldus in „ Difficultatibus „ propositis Domino Steyaert „ parte 6. pag. 30. „ Censores Romani fuerunt in illa „ condemnatione decepti. „ pag. 41. „ Qui „ versionem illam prohibent, præter Spi- „ ritualem, quam committunt injustitiam, „ tenentur restituere typographo omne „ damnum, quod ex prohibitione patitur. pag. 47. „ Prohibitio illa fuit abusus mani- „ festus Ecclesiasticæ potestatis, & Episco- „ pi qui censuram illam promulgant, & „ approbant, reos se plurimorum consti- „ tuunt peccatorum. „ pag. 48. „ Asseri „ nequit absque mendacio, quòd liber „ examinatus fuerit, antequam damnare- „ tur. Nunquam fuit condemnatio magis „ contraria rationi.

7 Testatur autem in Bulla Pontifex: „ Nos librum hujusmodi nonnullis vene- „ rabilibus Fratribus nostris S. R. Ecclesiæ „ Cardinalibus, aliisque viris pietate, Do- „ ctrinâ, atque sapientiâ præstantibus, „ maturè, quantum rei gravitas postulat, „ discutiendum atque examinandum com- „ misimus; quorum sententiis auditis at- „ que consideratis, eundem librum ver- „ sionis Gallicæ Novi Testamenti ut supra, „ & ubicunque impressum, sive in poste- „ rum imprimendum, tanquam temera- „ rium, damnosum, à vulgata editione „ prædicta difformem, & offendicula sim-

„ pli-

„ plicium continentem authoritate Apo- „ ftolica damnamus, & prohibemus.

Mentiti itaque juxta Arnaldum fuerint quicunque Cardinales, vel eorum Theologi, quicunque viri pietate, doctrinâ, fapientiâ præftantes, quibus cura examinis commiffa eft, quique poftea de facta à fe difcuffione teftimonium tulere, & fuam de ipfo opere fententiam.

Actum autem eft de falute illorum & præcedentium omnium Qualificatorum, Confultorum, Cardinalium, & maximè Romanorum Pontificum, qui octoginta annorum fpatio, Janfenii, Arnaldi, Quefnelli eifque adhærentium infinita Opera confixerunt, fententia, fi Arnaldo & Quefnello credimus, injuftiffima: „ Quemadmodum „ enim „ Deus Salomoni refervaverat ædifi- „ cationem templi, ita jure dixerimus ma- „ teriam de gratia, per quam Jefus Chri- „ ftus in animis fidelium, tanquam in fuo „ templo regnat, Janfenio Iprenfium An- „ tiftiti à Deo refervatam fuiffe clarius di- „ lucidandam, & tam longi operis execu- „ tionem diuturnis ipfius laboribus fuiffe „ deftinatam „ Ita Arnaldus in prima pro Janfenio Apologia pag.92. Magiftrum fequitur Quefnellus *Notis* in Epiftolam Domini Steyaert pag.17.& 18. dicens: „ Adeò „ non fuadetur, fenfum à Janfenio inten- „ tum, hæreticum effe, ut jam demùm „ credere cœperit orbis Catholicus, ni- „ hil in ipfo non effe catholicum.

8 Univerfam quoque Arnaldi, potiffimùm de gratia doctrinam, Quefnellus quodammodo in Canonem refert opere appellato *Caufa Arnaldina*. Si igitur omnes, *qui Montenfem prohibent verfionem, teneantur reftituere typographo omne damnum, quod ex prohibitione patitur*, quid cenfebitur de iis, qui prohibuere librum Janfenii; quandoquidem Jacobus Zegers Lovanienfis Typographus in *Querimonia* ad Sereniffimum Principem Cardinalem Infantem pag.3. teftatur, *Magnis impendiis, etiam uxorculæ meæ Dote in id injectâ, librum excudi*. Ibid. *Plurima adhuc exemplaria Domi habeo*, quæ nifi pretio diftrahantur, *dos uxorculæ*, fi non pereat, faltem plurimùm minuetur; in cujus proinde gratiam, juxta Janfenii vindices, qui, ipfo fatente Typographo, hanc ei *Querimoniam fupplicem* dictaverant, permitti debuiffet diftractio Operis, aut Romanis Cenforibus, maximè Pontificibus, onus incubuerit fupplendi quodcunque paffa eft *dos uxorculæ* detrimentum.

Arnaldus eâdem Difficultatum parte pag.29. *Cenfura*, inquit, *contra verfionem illam* (Montenfem) *vibrata convenire poffunt omni verfioni*: quam contra verfiones omnes calumniam, eorum, quorum intereft, examini relinquo, &, fi operæ pretium cenfuerint, confutationi. Mihi fatis eft animadvertere, Arnaldum, cùm ea fcripfit, octogenario proximum, indubiè ufum fuiffe Quefnello contubernali difcipulo, & adjutore.

Quid autem Quefnellus ipfe de verfione Montenfi, ejufque prohibitione judicet, audiatur ejus liber cui titulus: *Dialogi de Romano Decreto contra Teftamentum Catalaunenfe cum Reflexionibus moralibus*. Reflexiones illæ Quefnelli funt, ex quibus 101. Articuli à Clemente XI. condemnati. Dialogi autē ifti impetunt priorem ejufdem operis confixionem: neque in his Quesnellus folâ voluminis fui defenfione fe continet; fed de Teftamento quoque Montenfi enuntiat: „ Hæc verfio, renitente fruftrà Decre- „ to Romano, tanquam opus præftantiffi- „ mum celebratur: Apologiæ pro ea typis „ editæ eandem prorsus vindicant à calum- „ niis adverfantium; potiffimùm verò tri- „ ginta & plures forfitan editiones, anno- „ rum fpatio quadraginta „. Licet igitur Quefnellus aliqua paulò aliter verterit, vadem tamen fe etiam pro Montenfi, & contra omnes ejus adverfarios, maximè contra Sedem Apoftolicam fe conftituit propugnatorem.

CAPUT IX.

Error Conciliis & Patrum Traditioni contrarius.

1 Miffos faciamus præpofteros Ecclefiæ reformatores: & adhæreamus potiùs Tridentino Seff.6. cap.14. cui titulus de Lapfis, & Eorum reparatione, ubi fic docemur: „ Pro iis qui „ poft Baptifmum in peccata labuntur, „ Chriftus Jefus Sacramentum inftituit „ pœnitentiæ, cùm dixit: Accipite Spiri- „ tum Sanctum: quorum remiferitis pec- „ cata, remittuntur eis, & quorum reti- „ nueritis retenta funt. Unde dicendum „ eft, Chriftiani hominis pœnitentiam poft „ lapfum multò aliam effe à Baptifmali, „ eâque contineri non modò ceffationem „ à peccatis, & eorum deteftationem, aut „ cor contritum & humiliatum, verùm „ etiam eorumdem Sacramentalem Con- „ feffionem, faltem in voto, & fuo tempo- „ re faciendam, & Sacerdotalem abfolu- „ tio-

„ tionem, itemque satisfactionem, per je-„ junia, eleemosynas, & alia pia vitæ spi-„ ritualis exercitia, non quidem pro pœ-„ na æterna, quæ vel Sacramento, vel „ Sacramenti voto unà cum culpa remit-„ titur; sed pro pœna temporali, quæ ut „ Sacræ literæ docent, non tota semper, „ ut in Baptismo fit, dimittitur „. Ubi habemus absolutionem præviam satisfactioni, & peccatorum culpam cum pœna æterna remissam Sacramento Pœnitentiæ ante satisfactionem, qua solùm pœna remittitur temporalis, post absolutionem residua.

Neque ea praxis primum à Concilio Tridentino instituta est, sed teste Catechismo Romano parte 2. cap.5. *Antiquissimo Ecclesiæ usu receptum est, ut cùm pœnitentes à peccatis solvuntur, pœna aliqua eis irrogetur, cujus pœnæ solutio, satisfactio vocari consuevit*. De hoc antiquissimo Ecclesiæ usu scribit Cardinalis Baronius ad annum Christi 56. & Sozomenus lib. 7. cap. 16. uterque ad eundem annum, sive Baronius ex Sozomeno de Ecclesiæ initio restatur: *Presbyterum secretorum tenacem, & sapientem præfecerunt, cui accedentes, qui peccarunt, acta vita sua confitebantur; ille verò pro cujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oportuerit, interminatus absolvebat, ut à se ipsis pœnas exigerent*. S. Chrysostomus apud Baronium loc. cit. *Fidelibus denuntiabat: si quando contigerit ex vobis peccare aliquem, accedat ad me dormientem, ut peccatorum vinculis solvatur*, quam id remotum est à *sapientia, lumine, & charitate* Observatoris moralis, & ejus sequacium!

a Inter articulos, ob quos Chrysostomus à quibusdam Episcopis perperàm depositus; sed authoritate Apostolicæ Sedis restitutus fuit, hic erat: *Si iterum peccasti, pœniteat iterum, & quoties peccasti, veni ad me, & ego te sanabo*.

Citare pro se adversarii solent Augustinum Tract.49. in Joannem, & Gregorium hom.26. in Euangelia, sed mutilos, & contra certam Patrum Sententiam. Sic enim ibi Augustinus: *Quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occulto velut exeundo manifestari? Sed ut confitearis, Deus facit magna voce clamando, id est, magnâ gratiâ vocando. Ideò cùm processisset mortuus (Lazarus) adhuc ligatus, confitens, & adhuc reus; ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dicis Dominus: Solvite illum*: & quidem statim, ut Lazarus, qui hic peccatoris confitentis typum gessit, statim solvi jussus est.

Non minùs manifestus sententiæ communissimæ patronus est Gregorius loc. cit. dicens: *Illos debemus per Pastoralem authoritatem solvere, quos Authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare*. Huc usque Gregorium citant Adversarii, perfidè omittentes quod sequitur: *Quæ nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipsa jam cognoscitur confessione peccati*.

Joannes Monachus S. Basilii Discipulus in libello de pœnitentia: *Datâ*, inquit, *absolutione, cum pænitente sedeat Confessarius, eumque hilari facie interroget, qualem pænitentiam subire velit*. Deinde prosequens exprimit absolutionis formam: *Quæcumque declarasti humilitati meæ. Deus tibi dimittat per me peccatorem in hoc seculo, & in futuro, & te indemnatum ad tremendum ipsius tribunal sistat: de peccatis autem confessis ne sis solicitus: vade in pace*.

Nicephorus Carthophilax in Epist. ad Theodosium Monachum: *cavebit Confessarius, ne indulgentiùs, & citra omnem increpationem absolvat*: Quam increpationem Morinus, etiam adversariis eruditissimus, pœnitentiæ impositionem interpretatur lib.6. cap.24. ipse autem Morinus, quamvis criminum publicorum absolutionem, etiam Sacramentalem puret dilatam fuisse usque ad Canonicæ pœnitentiæ adimpletionem, quoad alia peccata nobis consentit: Sic enim lib.9. cap.14. ait: „ Crimina omnia, „ & peccata, quæ illis sæculis non expia-„ bantur per publicam pœnitentiam, sta-„ tim, aut paulò post editam Sacerdoti con-„ fessionem, remittebantur, pauculis ex-„ ceptis, quæ cùm publica erant, commu-„ nionis Eucharisticæ privatione non nun-„ quam à Canonibus castigabantur.

Et quidem in his eodem teste, tam frequens erat dispensatio, ut in paucissimis differendæ absolutionis rigor usum obtinuerit; nam ut monet eodem lib. cap.6. „ Cùm urgebat periculum mortis, aut re-„ formidabatur salutis æternæ pernicies, „ veluti cùm periculum erat, ne capita-„ lium peccatorum rei ad hæreticos, aut „ ad gentiles transfugerent, aut grave ali-„ quod incommodum Ecclesiæ crearetur, „ absolutio statim post confessionem pec-„ cati, & veræ resipiscentiæ demonstratio-„ nem, aut brevi exactâ pœnitentiâ con-„ cedebatur „. Alios casus similis exceptionis plurimos refert cap.7. & sequentibus.

3 Concilium Laodicenum Hæreticis converti, & Ecclesiæ reconciliari volentibus, detestationem erroris præcipit, quâ præ-

præstitâ absque alia satisfactione, absque dilatione absolutionis, Communionem Corporis, & Sanguinis Domini mox impertiendam statuit Can.9. „ De his (inquit) „ qui ab hæreticis convertuntur, id est, „ Novatianis, aut Photinianis, aut Tessaracatitis, sive baptizati sint illi, sive catechumeni, non ante suscipiantur, quàm „ omnes hæreses anathematizent, & præ„ cipuè illam, quâ detinebantur, & tunc „ demùm hi, qui apud eos dicebantur fi„ deles, nostræ doceantur fidei Symbolum, „ & uncti Sacro Chrismate sic mysteriis „ communicent sacrosanctis „: Similem disciplinæ rationem in reconciliandis hæreticis secuti sunt Episcopi antiquissimi, & Pontifices, ut Cornelius erga Trophimum, & ingentem ejus sequacium multitudinem, Melchiades erga Donatistas: Synodi quoque variæ, ut Antiochena erga Samosatenum, Nicæna erga Novatianos, Alexandrina, confirmante Liberio Pontifice, erga Episcopos Arianos.

Lex Clementina *Dudum* de Sepulturis, mandat Sacerdoti, ut *Confessiones audiat, pænitentias imponat, & absolvat*. Decretum Bonifacii Episcopi Moguntini, qui floruit Sæculo 8. statuit, ut *curet unusquisque presbyter, statim post acceptam Confessionem pænitentium, singulos datâ oratione reconciliare*.

Variis quoque miraculis refertur olim à Deo comprobata absolutio statim confitentibus concessa. De S. Malachia refert S. Bernardus in ejus vita, *sceleratissimam mulierem penè furibundam inducit, ut confiteatur: & confitetur; Malachias injungit pænitentiam: orationes super eam fundit, sive absolvit, & statim spiritum mansuetudinis consequitur*.

S. Medardus teste Baronio ad ann. Christi 527. *Regem Clotarium, reum gravissimæ deprædationis Ecclesiarum, tandem confitentem uno in momento indubitata relaxavit absolutione*, quam statim secutum est miraculum, quod ibidem amplè Cardinalis deducit.

4 In vita S. Dunstani Cantuariensis Archiepiscopi refert Surius ad diem 19. Maji de juvene possesso à Dæmone. „ Invise„ bant (inquit) eum alii; sed si quid ha„ berent gravioris culpæ intrà conscientiæ „ recessus, quòd confessi non essent, id il„ lis objiciebat, eosque se pœnarum sua„ rum apud inferos socios habiturum gra„ tulabundus jactitabat. Ea res quibusdam „ non mediocrem attulit ignominiam. „ Sed mox à pura peccatorum suorum con„ fessione remedium petebant: acceptâ „ itaque absolutione, & satisfactione redi„ bant ad Dæmoniacum: tum ille trans„ versum illos intuens, Unde, inquit, vos „ venitis? Quo lavacro tam citò expur„ gati, & à meo contubernio abstracti „ estis? & hæc furibundus spumans, & „ ejulans dicebat.

S. Eligius Seculi 7. contra nos ab adversariis proferri solet, ut ab Arnaldo lib. *de Frequenti Communione* part. 2. cap. 16. 11. 30. 4. &c. Sed plerumque truncatus, ne verus authoris sensus eluceat. Hom. 13. „ Si (inquit) hodie pariter confessus, ac „ devotè conversus fuerit peccator, ut va„ leat dignus interesse solemnitati præ„ sentis diei, quæ quia in ea Dominus cum „ Apostolis suis cœnavit, cœna vocatur, „ videat summopere, ut Sacramenta Cor„ poris, & Sanguinis Domini, dignè reci„ pere queat, quatenus potiùs salutem, „ quàm damnationem sibi acquirat „. Ubi permittitur, ut peccator *hodie confessus, hodie conversus Corpus Christi, & Sanguinem recipiat*. Non igitur differebatur ei absolutio; non dabatur tempus portandi, & sentiendi statum peccati, nec ulla mentio fit præmittendæ satisfactionis absolutioni, quæ statim confessionem secuta est.

Audiatur præterea idem Sanctus Homil. 15. „ Quod dico, omnibus dico, Cle„ ricis, Laicis, Sanctimonialibus, ut quid„ quid se recolit invidiæ, aut detractionis, „ odii quoque, & fornicationis, sive ince„ stus, vel perjurii, cæterorumve vitiorum „ contagione attactum, saltem hodie per „ divinæ salutis medicamentum, in quan„ tum prævalet, se purificare procuret; „ confiteatur adversùm se injustitiam suam „ Domino, ut remittat impietatem cordis „ sui, & reliquiæ cogitationum ejus diem „ festum agent Domino „. Ubi monet omnes criminum non levium reos, ut confitentes peccata sua *hodie per divinæ salutis medicamentum*, quod est pœnitentiæ Sacramentum, *se purificare procurent*, adeòque à criminibus eodem die, quo ea confitentur absolvi.

5 Canon 47. Concilii Cabillonensis 2. „ In Cœna Domini à quibusdam perceptio „ Eucharistiæ negligitur: quæ, quoniam „ in eadem die ab omnibus fidelibus, ex„ ceptis his, quibus pro gravibus crimini„ bus inhibitum est, percipienda sit, Eccle„ siasticus usus demonstrat, cùm etiam pœ„ nitentes eàdem die ad percipienda cor„ poris, & Sanguinis Dominici Sacramen„ ta reconcilientur.

Sanctus Theodulphus, cujus Canones

nes Baronius ad annum Christi 835. antiquitatis Ecclesiæ disciplinam vocat, sic Canonum suorum cap.44. ait: „ Sicut periculosum est, impurum quemque ad tantum Sacramentum accedere, ita etiam periculosum est, ab hoc prolixo tempore abstinere, salva ratione eorum qui excommunicati, non quando eis libet, sed certis temporibus communicant, & Religiosis quibuscumque sanctè viventibus, qui penè omni die id faciunt „. Et cap.41. „ Singulis diebus Dominicis in Quadragesima, præter hos, qui excommunicati sunt, Sacramenta Corporis, & Sanguinis Christi sumenda sunt, & in Cœna Domini, & in Parasceve, in Vigilia Paschæ, & in die Resurrectionis Domini penitùs ab omnibus communicandum.

6 Extat Decretum Soteris Pontificis, qui floruit Sæculo Secundo, quo jubet omnes, etiam publicè pœnitentes, die Cœnæ Dominicæ communicare, *eùm etiam*, inquit, *pœnitentes eodem die ad percipienda Corporis, & Sanguinis Domini Sacramenta reconcilientur*.

Alterum est Decretum Sylverii Papæ apud Ivonem Decret. part.2. cap.29. & Burchardum lib.5. cap.19. quo sic statuitur: „ Singulis diebus Dominicis in Quadragesima, præter hos, qui excommunicati sunt, & præter illos, qui in publica pœnitentia sunt, Sacramenta Corporis, & Sanguinis Christi, sumenda sunt. Et in Cœna Domini, in Vigilia Paschæ, & in die Resurrectionis Domini, & in Pentecoste, & in Natali Domini ad omnibus communicandum est.

Voluissetne tum etiam *Observator Moralis* omnibus peccata confitentibus *dari tempus portandi eum humilitate, & sentiendi statum peccati, & incipiendi ad minus satisfacere Justitiæ Dei antequam reconciliarentur*? Id neque ferebat Ecclesiæ praxis, neque præcepta Pontificum permittebant. Absoluti itaque erant in foro conscientiæ omnes publicè pœnitentes, & excommunicati, cùm festis illis majoribus Corpus, & Sanguinem Christi sumere juberentur. Non itaque pœnitentibus, etiam publicis, absolutio privata in Sacramento pœnitentiæ differebatur usque dum terminaretur satisfactio.

Sed & si festis illis peccatum quodpiam subjiceretur clavibus saltem occultum; urgente communionis præcepto, non differebatur absolutio obtentu *dandi temporis ad portandum cum humilitate, & sentiendum onus peccati*, neque obtentu implendæ priùs impositæ à Confessario pœnitentiæ, quod adversariis est initium *satisfactionis*, quam Divina sibi vindicat justitia. Verùm satisfactionis tum inchoandæ, si incboata antea non fuisset, tum implendæ penitùs incumbebat necessitas, uti & publicè pœnitentibus, qui nondum integrè satisfecerant, & excommunicatis redibat vinculum, quod nonnisi ad Eucharistiæ sumptionem suspensum, vel sublatum interim fuerat. Idem etiam hoc tempore usus fert in Officiis, Beneficiis, Dispensationibus, dum in Bullis exprimitur absolutio ab Excommunicatione *ad eum solummodo effectum*.

CAPUT X.

Catechismi, & Scholastici Doctores refragantur novitati.

1 Catechismus Lovaniensis qui à Facultate Artium Juventuti proponitur Academicæ, lect.8. Ad quæstionem: *Quare Confessarius debet aliquam satisfactionem pœnitenti injungere*? Respondet: „ Quia, etsi Deus culpam mortalem, & pœnas æternas, per Sacerdotis absolutionem remittat, quia tamen plerumque non est plenissimè satisfactum injuriæ Divinæ; sed reliquiæ quædam temporalium pœnarum solvendæ remanent, ad earum in parte saltem expiationem, pœnitentialis satisfactio pro delictorum ratione gravior, leviorque injungitur, operibus præsertim, quæ ad orationem, vel jejunium, vel eleemosynam pertinent &c. „. Non itaque satisfactio imponitur, ut satisfieri incipiat justitiæ Dei ante reconciliationem; sed post eam peragenda; „ Quia, etsi Deus culpam mortalem, & pœnas æternas per Sacerdotis absolutionem remittat, quia tamen pletumque non est plenissimè satisfactum injuriæ Divinæ; sed reliquiæ quædam temporalium pœnarum solvendæ temanent „. Satisfactio scilicet etiam minima justificationem præsupponit. Proinde in eo, qui solummodo attritus confitetur, ut mox ab Adriano VI. confirmatum videbimus, necessarium satisfactioni etiam inchoatæ fundamentum est absolutio. Quæ verò à Confessario satisfactio præscribitur, est ad extinguendas debitorum *reliquias*, non verò, ut ab adversariis intenditur, ad satisfactionis initium.

In parte 6. Edictorum Brabantiæ fol.85. inter Articulos, quos jussu Caroli V. Impera-

ratoris Academiæ Lovanienfis Profeffores delegerunt, *quibus dubia per hæreticos in controverfiam, difputationemque circa orthodoxam fidem, religionemque noftram hactenùs vocata refolvuntur, diluunturque*. Hic Sextus eft: *Satisfactio eft perfolutio pœnæ plerumque adhuc debitæ, remiffâ jam culpâ; nam omnem pœnam peccato debitam femper condonari culpâ remiffâ, erroneum eft, & Scripturis Sacris adverfatur*.

Audiant iterum Novatores *fatisfactio eft perfolutio pœnæ plerumque adhuc debitæ remiffâ culpâ*, non igitur remiffionem debet præcedere. Præcipit autem ibi Auguftiffimus Cæfar Belgii Dominus: „ Huic articulo omnes non modò in publicis concionibus fefe accommodare ftudebunt &c. „ Infuper omnibus Ecclefiafticis, & officiatis fecularibus datum in mandatis, quatenus fervent, fectentur, & adimpleant, & ab omnibus fervari, fectari, & adimpleri abfque contradictione, aut contraventione quacumque procurent: Datum Bruxellis 14. Martii 1544.

2 Adrianus VI. ex Doctore Lovanienfi Pontifex Maximus in 4. Sentent. „ Satisfactio dicit opus juftitiæ, cui ex debito refpondet relaxatio, aut remiffio pœnæ &c. Ad fatisfactionem requiritur gratitudo perfonæ, & incorporatio ejus ad Chriftum per charitatem, & gratiam &c. „ Quod autem præceptum dicitur Matth. 3. „ Facite fructus dignos pœnitentiæ: Dico, quòd Salvator intendit de fructibus veræ contritionis, quæ hominem eximit ab ira Dei, reponendo ad ftatum gratiæ; hoc enim præcepti eft in hac vita. Reliquum verò explere pro temporalis pœnæ redemptione confilium eft, nifi per Ecclefiam, vel Sacerdotem injungatur: Tunc enim ex præcepto obligatur explere, ut videtur textus ad litteram in cap. Omnis utriufque fexus „. Ubi Adrianus evidentiffimè ftatum gratiæ præexigit, ut quis fatisfacere Deo valeat: *Ad fatisfactionem*, inquit, *requiritur gratitudo perfonæ, & incorporatio ejus ad Chriftum per charitatem, & gratiam* [fanctificantem] non igitur modus fapientià plenus eft exigere paffim initium fatisfactionis ante ftatum gratiæ, qui abfolutione comparatur.

3 Joannes Lenfæus Doctor Lovanienfis fcribens de fatisfactione contra Benedictum Aretium hæreticum cap. 15. „ Cùm modò ufitatiùs poft reconciliationem injungatur, aut injuncta compleatur fatisfactio, non ei hoc nunc tribuitur, ut à morte æterna liberet, cujus per Sacramentum reconciliationis reatus fuit ante refolutus. Unde illa eft perfpicua Concilii Tridentini doctrina feff. 6. de juftificatione, faciendam effe fatisfactionem per jejunia &c. pro pœna temporali &c.

Cap. 24. „ Cum probè fciret fæculi pofterioris Ecclefia, fatisfactionem injungi folitam propter Deum propitiandum pœnitenti, neque tamen tantam difciplinæ feveritatem propter folum reatum mortis æternæ diffolvendum neceffariam fuiffe; fed quo plena, quoad poffit, peccatorum remiffio obtineretur, priftinumque in ftatum reftitueretur, aut ad id certè quàm proximè accederet: iis de caufis finè præjudicio fanæ veterifque doctrinæ fieri poffe putavit, ut fatisfactio poft abfolutionem Sacramentalem imponeretur, aut impofita compleretur. „ Neque enim fic minùs fructûs confecuti erant fideles de pœnitentia, cùm & vi Sacramenti abfolverentur à reatu damnationis æternæ, & quod reliquum erat in temporaneis pœnis, id poftea fatisfaciendi fedulitate diluerent, idque tantò efficaciùs, quantò effet pretiofior ipfa coram Deo fatisfactio, quam & filius offerret, & inhabitans Chrifti Spiritus produceret, & charitas de corde puro, confcientiâ bonâ, & fide non ficta commendaret &c. Itaque etfi pro conditione temporum, vel pro languore Chriftianorum, vel alia quapiam non prætereunda ratione mutatio quædam acciderit in hac fatisfactoriæ obfervatione difciplinæ, doctrina tamen, & fides, ratioque fatisfaciendi una atque eadem perfeverat „. Rectè quoque obfervat Lenfæus poft S. Auguftinum Serm. 42. de verbis Domini, duos animi tortores effe *timorem, & dolorem*, quam pœnitentiam cap. 32. Lenfæus meritò ait debere effe primam, *quæ fola interdum fufficere poffit, & finè qua nihil exterior profit*, de quo nullus probè Catholicus dubitat; at juxta novam Arnaldi Theologiam lib. de frequenti Communione pag. 521. *Aliquando pœnitentiæ exteriores poffunt effe tam magnæ, ut fuppleant defectum doloris interni*. Nihil fimile in fcholis, aut in Ecclefia Dei auditum hactenus.

4 Lovanienfibus citatis addi poffent ex eadem fchola Mercerus, Wiggers, Cunerus Petri Epifcopus Leovvardienfis, Janfenius Epifcopus Gandavenfis, Malderus Epifcopus Antverpienfis, quibus ex Francifcana familia accedit Guilielmus Herinx Epifcopus Iprenfis: Ex Duacena univerfitate

tate Franciscus Sylvius Supplem. quæstion. 18. de pœnitentia olim reconciliationi præmissa ait: „ Verùm sicut illa consuetudo conveniebat hominibus in disciplina retinendis, & à peccatis per difficultatem veniæ coercendis, ita justis postea rationibus mutata est, factumque, ut verè pœnitentibus impendatur absolutio ante peractam satisfactionem, partim, ut pœnitentes citiùs Deo reconciliati, possint in gratia, & meritis proficere, efficaciusque satisfacere &c.

Idem in Polonia docuit Cardinalis Hosius in Synodo Petricoviensi anni 1551. cap.45. in Hispania Alphonsus à Castro, Sotus Theologus Tridentinus, & qui Carolo V. à Confessionibus fuit.

In Italia Cardinalis Bellarminus lib.4. de Pœnitentia cap.8. „ Quamvis opera laboriosa olim pœnitentibus ante absolutionem imponebantur, & explebantur; tamen non fuisse id absolutè necessarium; sed potuisse etiam expleri post absolutionem, ut hoc tempore fieri solet, ac per hoc satisfactiones illas, non tam ad culpam, quam ad pœnam temporalem expiandam referri consuevisse perspicuum est ex Conciliis illis, quæ in articulo mortis jubent pœnitentibus Communionem dari; etiamsi nulla, aut non plena præcesserit satisfactio; Sed tamen admoneri, ut si fortè supervixerint, integre pœnitentiam sibi injunctam expleant.

5 Inter Germanos Joannes Eckius celebertimus Martini Lutheri antagonista Hom.49. de Pœnitentia. „ In hoc (inquit) stat intentio vera, & propositum Christianum: cùm jam peccator tantum gratiæ impetravit apud Deum, ut humili corde conteratur de peccatis, effundens ea coram Sacerdote per veram confessionem, sicque per Sacerdotalem absolutionem consecutus unctionem Spiritûs Sancti: adhuc tamen misericors illa Dei justitia requirit non nihil fieri, aut sustineri pro peccato. Quamvis enim jam penitùs effugit iram, & odium Dei remissâ, eique jam deletâ culpâ, pœnâ etiam æternâ conversâ in temporalem, eam scilicet adhuc dilui oportet, quod deinde fit jejuniis, orationibus, & similibus operibus bonis &c. Videre hoc ipsum licet in Principibus quoque nostris; Si enim quis, vel indignationem Principis, vel mortem commeruit, etiam indultâ jam rursus veniâ, & gratiâ impetratâ, quamvis quod majus est, Princeps ei indignationem remittit, ipsum tamen omnino impunè abire non permittit &c. „ Ubi rursus peccator humili quidem corde, sed adhuc extra statum gratiæ justificantis, tantum impetravit gratiæ actualis, ut effundens peccata coram Sacerdote per veram confessionem, per Sacerdotalem absolutionem consequatur unctionem Spiritûs Sancti, nullo præeunte satisfactionis initio.

Catechismus Canisii, quem edi jussit Ferdinandus Imperator anno 1554. hoc titulo: *Summa doctrinæ Christianæ*, sic habet de satisfactione: *Hæc à Christi membris in Ecclesia quotidie peragitur, dum pœnitentes post confessionem, ea quæ Sacerdos absolvens injunxit, perficiunt &c.* per eam dicit *Delicta nostra contra nos ipsos vindicari, residuas in nobis peccatorum reliquias dilui, Deique gratiam nobis pleniorem conciliari, & promereri*. Perficiunt igitur pœnitentes, quæ *Sacerdos injunxit absolvens*, non autem exegit perficienda, antequam absolveret.

Gloriosus Angliæ Doctor, & Martyr Roffensis Articulo 1. contra Lutherum testatur, *esse communem Ecclesiæ Catholicæ Sententiam*, quæ credit, *post solutum reatum peccatorum manere quasdam adhuc in animis hominum reliquias per satisfactionem expiandas, præsertim in quibus non antecessit tanta contritio, quanta potuit, gratiâ cooperante, totum animum penitùs expurgare. Nam si pusillus dolor antecessit, absolvitur à culpa per Sacramentum, & remanet adhuc soluto reatu rubigo quædam, quæ, & pœna peccatis debita tolli debent, priusquam anima cœlum ingrediatur*. Si soluto peccatorum per Sacramentum reatu, maneat tollenda pœna peccatis debita, non igitur satisfactio necessariò, vel passim præmittenda est absolutioni, quâ culpæ reatus abstergitur.

6 Catechismus Tridentinus num.103. „ Duo (inquit) præcipuè in satisfactione requiruntur: Primum est, ut is qui satisfacit, justus sit, ac Dei amicus; opera enim, quæ sinè fide, & charitate fiunt, nullo modo Deo grata esse possunt. Alterum, ut ejusmodi opera suscipiantur, quæ naturâ suâ dolorem, & molestiam afferunt. Cùm enim præteritorum scelerum compensationes sint, atque ut S. Martyr Cyprianus ait, redemptrices peccatorum, omnino necesse est, ut aliquid acerbitatis habeant „. Oculos hic iterum perfricent adversarii, ut videant *primum in satisfactione requiri, ut is, qui satisfacit, justus sit, ac Dei amicus; opera enim, quæ sinè Fide, & Charitate fiunt, nullo modo Deo*

Deo grata esse possunt; ac propterea nullo modo in satisfactionem accipi. Deo autem ante reconciliationem inimicus, & detestabilis peccator potestne eodem tempore *justus esse*, *& Dei amicus*? Et tamen satisfactio inde pendet necessariò. Ineptissimè igitur novi Theologi *Modum* prædicant *plenum Sapientià, lumine, & Charitate, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati ... & incipiendi ad minus satisfacere Justitiæ Dei, antequam reconcilientur*. Quod si candidè loqui volumus, aliud non est, quàm dare tempus incipiendi satisfacere justitiæ Dei, quando omnis vel minima satisfactio, & vel infimus satisfactionis gradus est impossibilis.

Adeò nova Ecclesia in sui Symboli Articulis mirifica est, exigens actus istiusmodi, qui omnem in plurimis, quibus præscribuntur, superent facultatem. Non multis ambagibus opus est, ut assertioni huic exempla teperiam convictissima. Luculentum præbet prima Quesnelli inter damnatas Enuntiatio: „ Quid aliud remanet animæ, „ quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, „ nisi peccatum, & peccati consecutiones, „ superba paupertas, & segnis indigentia, „ hoc est generalis impotentia ad labo„ rem, & orationem, & ad omne opus bo„ num?

Quomodo igitur anima, quandiu in hoc statu permanserit, portare eum poterit cum humilitate, quæ inter bona opera non minimi laboris est? Quæ in anima ante reconciliationem [si nihil *aliud remanet, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est, generalis impotentia, ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*] intelligi bona poterit, & salubris dispositio ad *portandum cum humilitate, & sentiendum statum peccati, petendum spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendum ad minus satisfacere Justitiæ Dei antequam reconcilientur*?

7 Respondet Quesnellus Prop. 4. *Ita Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo*: quod est omnia possibilia esse, cui gratia efficax conceditur, non alteri; atque ita nullum mandatum esse possibile observatu, nisi illi, qui accepto efficaci auxilio reipsa perficit, quod præcipitur: ubi manifestè conspicis hæresim Propositionis primæ, & tertiæ Jansenianæ. Sed & quamvis Deus peccatorem quemlibet omni temporis momento convertere ad justitiam possit; nondum tamen assequimur, quomodo humilitatis, vel cujuslibet alterius virtutis actus futurus sit satisfactio, quantumvis exigua, antequam peccator fuerit reconciliatus. Patet igitur pœnitentes à novis Directoribus miserè deludi, quando hi reconciliationem differunt obtentu præmittendæ satisfactionis impossibilis.

Verùm hic Adversarios nimiùm arctè constringimus, cogimusque apertè depromere mysterium, cujus revelationem in tempora voluissent magis faventia reservare. *Reconciliatio*, cujus nomine communiter intelligitur remissio peccatorum, Quesnello, & ejus asseclis non est, nisi reconciliatio Canonica, seu facultas communicandi Corpori Salvatoris, etsi dudum præcesserit justificatio. De hoc plura differo in Propositionem 88.

8 Interim caput præsens terminet, quem audire cœpimus, Catechismus Tridentini, in quo Patres ejusdem authores exprimere voluerunt, quam in Concilio tradiderant sess. 6. cap. 14. „ Satisfactionem per jejunia, „ eleemosynas, orationes, & alia pia vitæ „ Spiritualis exercitia; non quidem pro „ pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel „ Sacramenti voto una cum culpa remitti„ tur; sed pro pœna temporali, quæ, ut „ Sacræ litteræ docent, non tota semper, „ ut in Baptismo fit, dimittitur illis „. Hæc autem meliùs extinguitur post absolutionem, & in statu gratiæ, quàm ante illam in statu peccati, in quo nulla propriè dicta satisfactio exhiberi Deo potest, teste Doctore Angelico in 4. dist. 15. ubi dicit *Impossibile, quod aliquis Deo satisfaciat, nisi Deo placeat*, ideoque ut sit conveniens satisfactio, oportet esse *informatam gratia sanctificante*. Et in Supplemento quæst. 14. art. 2. *Sinè charitate opera facta non sunt satisfactoria*.

CAPUT XI.

Centum Galliæ Antistites damnato Articulo adversantur.

„ 1 MOerentes (inquiunt Episcopi) „ audivimus, nonnullos seduci „ se passos fascino propositio„ num, quæ sub specie disciplinæ veteris, „ semper fidelibus venerandæ, usum præ„ sentis Ecclesiæ in Sacramenti pœniten„ tiæ administratione condemnant. Si re„ gulas author Pastoribus tradidisset, qua„ les à SS. Patribus accepimus, & S. Ca„ rolus præscripsit, Summorum Pontifi„ cum, Cleri Gallicani in Comitiis anni „ 1656. & 1700. authoritate firmatas: Si

„ priscam Ecclesiæ severitatem, quâ gravium rei criminum adstringebantur pœnitentiæ ante reconciliationem, hodiernis proposuisset fidelibus, ut exemplo veterum excitati, ex præsenti Ecclesiæ benignitate, quâ ante satisfactionem reconciliantur, magis proficerent: Si asseruisset absolutionem in pluribus casibus, & circumstantiis differendam, zelus ejus, & doctrina mereretur encomium. Verùm non tam æquis continetur limitibus: dilationem absolutionis, & satisfactionem, aut saltem ejus partem absolutioni præmittendam statuit, velut regulam generalem, nullâ exceptione addita, aut mitigatione. Ita præsens Ecclesiæ usus damnatur, & falsæ pietatis obtentu disciplina introducitur, quæ foret pluribus, & sæpe perniciosa animabus.

„ Hanc ideam ingerunt damnati articuli. Et quidem octogesimo septimo asseritur: *Modus velut plenus Sapientiâ, lumine & charitate, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere Justitiæ Dei, antequam reconcilientur*. Nihil inter peccatores distinguitur, quamvis juxta regulas S. Caroli prorsus diversimode tractandi sint pro delictorum, & dispositionum in pœnitentibus varietate. Potestne revera de omnibus affirmari peccatoribus, dandum eis esse tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, seu, quod idem est, differendam eis semper absolutionem, & ab iisdem satisfactionem saltem inchoandam, priusquam reconcilientur? Nonne istiusmodi assertiones indicant satisfactionem absolutioni præmittendam, summumque indulgentiæ esse, quòd pœnitentibus concedatur, ut non nisi partem impositæ pœnæ impleant, antequam absolvantur?

„ Nonne istud est adversante Tridentino Concilio, confundere pœnas, quæ velut medicamina præscribuntur, in quibusdam circumstantiis necessarias, vel utiles præparando ad reconciliationem peccatori, & eas; quæ ad satisfaciendum pertinent, ut Justitiæ Divinæ debita pro peccatis, etiam remissis supplicia valeant expiari „? Hactenus Catholici Galliarum Antistites, quorum impudens Adversarius, abjectâ omni reverentia, & honestate, sic eos & simul Constitutionem Apostolicam petulantissimè adoritur.

„ Inepta ars Rhetorices, quæ fallet neminem. Si fidelium animos conturbaverit Propositionum octogesimæ septimæ, & octogesimæ octavæ condemnatio, ex eo contigit, quòd nihil illâ possit esse magis horridum, nihil majoribus obnoxium scandalis. Omnia Doctorum corruptissimorum laxa dogmata confirmantur, & quidquid reliquum esse poterat disciplinæ in administrando Eucharistiæ Sacramento, subvertitur. Frustrà laudantur regulæ à S. Carolo conditæ, à Galliæ Clero probatæ; dissolutio Magistrorum semper ad Constitutionem *Unigenitus* provocabit; & spectatis dogmatum proscriptorum terminis, nulla laxitas tam exitialis est, quam Propositionum censura non stabiliat. Præsertim cùm Constitutio Propositiones non alio sensu, quàm proprio, & connaturali intelligi, vel explicari patiatur.

„ Calumnia quoque impingitur observationum moralium authori (Quesnello) quando dicitur, satisfactionis saltem partem absolutioni præmittendam, velut regulam statuere generalem. Loquitur de peccatore, qui statum peccati nondum sentit, qui nondum habet spiritum pœnitentiæ, & contritionis. Quis autem in dubium revocare audeat, quin sit modus plenus sapientiâ, lumine, & charitate, absolutionem peccatoris istiusmodi differre, ut ei tempus detur portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis &c.? Quibus hic verbis deprehenditur damnare praxim præsentem?

„ Dici potuit, condemnate praxim, quæ nonnisi nimiùm in Ecclesia communis est, & infinitas quotidie animas barathro transcribit, non repugnabo. Verùm injuriâ majore affici nequit Ecclesia, quàm si ejus spiritus dicatur esse, quòd quibusvis promiscuè peccatoribus, & sinè discrimine absolutio impertienda sit, ut corruptorum laxorumque turba Directorum impertire consuevit. Peregrinum etiam figmentum est, quòd modus adeò plenus lumine, & charitate, obesse unquam saluti valeat animarum.

3 Ars Rhetorices, quam Augustinus, & Cyprianus, non didicerant modò, sed & aliis annos multos publicè tradiderunt, non dedecori Episcopis, sed ornamento est. Elucet hæc in Pastorali Instructione candida sinè fuco, & verborum lenociniis, quibus catholica, ab eis defensa veritas, non indiget; indiget autem maximè fæda novitatis falsitas, ut spurcities quibuscumque

que obtegatur præstigiis, ne patula omnibus horrori sit.

Et quidem in novæ hæreseos defensione à suis hactenus Apostolis omnis ars Rhetorica, & Sophistica, veluti consumpta est: neque prætermissa penitùs in vindicandis ab anathemate Propositionibus octogesima septima, & octogesima octava, quæ ad absolutionis pertinent dilationem. Utriusque censura & magno pœnitentibus solatio est, & approbationem meruit, nactaque fuit ab omnibus directoribus animorum, Divinam Christi mansuetudinem potius, quàm præposteram Rhadamantorum quorumdam sectantibus severitatem. Ab his quidem indignantibus, & obmurmurantibus Pharisæis, velut gravissimis obnoxia scandalis Constitutio reprehenditur; sed scandala istiusmodi pharisaica novæ hæreseos, qualia nec Christi doctrina, quamvis Sanctissima, evitare potuit, non nimiùm curanda esse, ipsius nos Servatoris exemplum edocuit. Theophilactus quoque in Luc. 14. *Insipientium*, (inquit) *scandalum non est curandum, ubi magna utilitas proximorum*. Et S. Gregorius hom. 7. in Ezech. *Si de veritate scandalum sumitur, utiliùs permittitur nasci scandalum, quàm veritas relinquatur*.

4 Figura Rhetorices; sed insanissima hîc est auxesis, vel potiùs cumulatissimum mendacium, quo Propositionis 87. & sequentis de differenda absolutione censura arguitur, velut *omnium instauratio laxitatum*. Si nempe non sit *modus plenus sapientiâ, lumine, & charitate* differre passim absolutionem, *ut detur animabus tempus &c.* consecutione necessaria reviviscet *contractus Mohatra etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævié inito cum intentione lucri*, redibit infamis error de *mollitie jure naturæ non prohibita*, de *copula cum conjugata* absque adulterii crimine, si maritus consenserit, de *præcepto servandi festa non obligante sub mortali*, de *Licita acceptatione duellorum, ne timiditatis nota incurratur*, & quæcumque alia ab Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. proscripta laxiora dogmata restituentur. Ridebit collectionis hujus, seu deductionis ineptias, quisquis non dico Theologus; sed rationis utcunque compos fuerit. Nihil plus sani judicii habet, quod ait adversarius, damnatione hujus, & sequentis Articuli profligari, ac destrui, quidquid reliquum esse poterat disciplinæ in administrando Pœnitentiæ Sacramento. Fluxam profectò, & inani conditam fundamento oportuerit fuisse disciplinam Ecclesiæ, si non nisi errore salvo, potuerit ipsa incolumis persistere. Verùm stare perget inconcussum quidquid pro rectâ pœnitentiæ administratione Tridentinum Concilium, & S. Carolus constituêre, & hodierna, probantibus Summis Pontificibus, conservat Ecclesia. Declamatio autem contra Constitutionem Apostolicam velut S. Caroli Instructionibus contrariam, omni penitùs destituitur ratione, ut patebit ex sequentibus.

CAPUT XII.

Iidem Episcopi contra reprehensores temerarios defenduntur.

1 INsiguis impudentia hìc adversariorum est, qui palàm audent centum Galliæ Episcopis calumniæ labem aspergere propterea, quòd asserant à Quesnello in damnato hîc Articulo legem statui *generalem*. Sic enim regulæ, quæ indefinitè & sinè limitatione enuntiant, ab omnibus intelliguntur: neque penès exiguam adversantium turbam est communis intelligentiæ & locutionis imperium. Neque Propositionis restrictio est, quod dicitur de *portando eum humilitate & sentiendo statu peccati*, de *petendo spiritu pœnitentiæ & contritionis*, & *satisfactionis incohatione*, quamvis veluti absolutionis differendæ ratio alleguetur.

Scimus enim, hanc esse Rigidorum sententiam, peccatores cùm primùm se Confessario sistunt, communiter ad absolutionem non esse satis dispositos, quia nondum satis cum humilitate portaverint & senserint statum peccati, nondum satis nacti fuerint contritionis, nondum satis pœnitentiæ, nec denique satis cœperint satisfacere Divinæ justitiæ. Sic inter novos Augustini discipulos, post Joannem Vergerium Abbatem Sancyranum, censuit ejus discipulus Antonius Arnaldus, uterque in famoso Opere, quod Magister inchoaverat, perfecit discipulus, *De frequenti Communione*, (dici oportuit de rarissima.) Ex illo inter Propositiones 31. quas Alexander VIII. ferit anathemate, excerpta fuerat 16. 17. 18. præsenti Quesnellianæ prorsus consona. A talibus Magistris mirum non est defluxisse ad discipulum dogmà rigoris adeò exotici, atque à Quesnello totius post Arnaldum novæ Ecclesiæ Directore ad cæteros dimanasse Sectatores.

2 Hinc PASTOR BONUS pag. 264. „ Ratio (inquit) & experientia persuadent,

„ dent, communiter ad absolutionem dis„ positos non venire prima vice, qui pec„ catum aliquod mortale confitentur. „ Communiter utile non videtur pœni„ tenti prima confessione post peccatum „ mortale absolutionem impendere. „ Possetne ulla verisimili æquitatis specie hic Recentior me calumniæ accusare, quasi verbis adeò perspicuis non asseruerit, communiter negandam absolutionem prima vice peccatum mortale confitentibus; sed tantùm iis, qui non sunt dispositi, & quibus eam impertiri utile non videtur?

Excusatio frivola nullo negotio refelletur respondendo, utrumque à *Pastore* affirmari, & communiter confitentes illos prima vice non esse dispositos, & ideo nec utile prima vice eis absolutionem impendere. Sic quoque damnata Quesnelli observatio duo statuit: & differendam esse passim absolutionem, & ideo differendam; quia deest cum satisfactionis initio pœnitentia & contritio sufficiens.

Sed cui usui est ista contra centum Antistites, & notissimam veritatem tam impudens vociferatio, nisi ad justitiam Constitutionis, omnium oculis patentissimam, quæ rationibus convelli non potest, saltem apud imperitos clamoribus & calumniis concutiendam? Si Quesnellus nunc saltem non censeat, communiter differendam absolutionem prima vice peccatum lethiferum confitenti, edicat clarè: gratulabimur eatenùs conversionem, nec errorem pristinum ei deinceps exprobrabimus, sicut nec Augustino errores quis quam objecerit retractatos.

Si etiam de satisfactionis parte absolutioni præmittenda nolit regulam statuere *generalem*, cur eâ scribendi ratione usus est, ex qua non solummodo centum Episcopi hanc in Propositione regulam intellexerint; sed & quicunque communem loquendi, scribendive consuetudinem, in damnati Articuli gratiam subvertere noluerit, certissimè judicabit. Neque dubium est, quin ipse Propositionis defensor, eodem, quo nos illam sensu, accipiat, quidquid ad fallendum & calumniandum aliud simulet. Fraus amplius evolvenda est.

In morali versamur materia, in qua passim dicitur, *vix ulla regula tam generalis, quin patiatur exceptionem*; sic cùm damnato Articulo tribuitur regulæ generalis assertio, non id metaphysicè, vel mathematicè, sed moraliter accipi sat exploratum est.

3 Et licèt Episcopi accusent Articulum etiam ex eo, quòd *nulla in eo exceptio, nulla limitatio* exprimatur, cujus rei oculi omnium testes sunt, non propterea tamen exceptionem aliquam ab Articuli authore forsitan subintelligi negaverim, neque negare Antistites voluerint, videlicet satisfactionem absolutioni præmittendam non esse in articulo mortis, vel fortè evidenti mortis periculo, quando neque veteres istiusmodi Canones pœnitentiæ locum habuisse dignoscitur. Verùm etsi ne talis quidem exceptio in Quesnelli regula exprimatur, ut rectè observant Antistites, nusquam tamen de ejus negatione seu exclusione Articulum arguunt.

Exceptionis istiusmodi prætermissio indubiè ansam præbet arguendæ regulæ veluti generalis, utpote illimitatæ, ut liquet, & in materia Dogmatica, in qua usus communissimus expressionibus indefinitis, sensum subintelligit generalem, quamvis & aliud in moralibus vim obtineat, ut dixi, axioma *Non dari* (scilicet communiter) *regulam generalem, qua non patiatur exceptionem*.

Supponatur itaque damnato Articulo non omnis denegari exceptio; eam tamen ad diluendam à Quesnelli dogmate iniquitatem, avertendumque ab illo justissimum anathema nequaquam sufficere, ex allegatis hactenus exploratum est: & quoniam intolerabilis adversariorum exigit pertinacia, impugnationem pluribus prosequamur. Ut autem hìc temerarios suæ contra Episcopos declamationis pudeat, meminerint, nos minimè latère quod ad dejiciendam Ecclesiæ methodum hodiernam in administrando pœnitentiæ Sacramento, duas potissimùm excogitaverint machinas. Primam, quòd debeat satisfactio absolutionem præcedere; quia ita exigit lex Christi, ipso quodammodo dictante lumine naturæ. Alteram, quòd pœnitentia & contritio sufficiens absque ulla satisfactione prævia, vel non reperiatur, vel innotescere satis Confessario nequeat.

Notus, scilicet, est Articulus 16. inter 31. ab Alexandro VIII. damnatos: „ Ordinem præmittendi satisfactionem ab„ solutioni induxit non politia, aut insti„ tutio Ecclesiæ; sed ipsa Christi lex, & „ præscriptio, naturâ rei id ipsum quo„ dammodo dictante: „ Quæ Propositio apertè repugnans Tridentino, tradita fuit ab Arnaldo lib. de Frequenti Communione, & prolixiùs inculcata ibidem parte 2. cap. 7. usque ad 19.

4 Quando doctrina hæc multis ibi ambagibus

gibus diffusa, à sanioribus Theologis impugnari palàm cœpit, & argumentis ineluctabilibus convinci, Arnaldus tergiversari, lenire invidiam, causari, ut modò *Observationum Moralium* contra Episcopos defensor, non esse verba in eo rigore, neque tam generaliter accipienda; verùm Dionysius Petavius elabi colubrum passus non est; sed doctissima dissertatione contrivit, errorem dejiciens doctrinæ, & fallaciam detegens authoris. *Observationum Moralium* author Quesnellus, si sui contra Episcopos defensor sit, non dogma solùm; sed & tergiversationis fallaciam à Magistro suo didicit successu simili; decipiens videlicet incautos; sed Apostolicæ Sedis minimè valens providentiam eludere, aut declinare censuram.

Eandem sortem subivere Arnaldi & Quesnelli asseclæ, inter quos author *Speciminum Moralis Christianæ*, qui parte 2. §.35. „ Sancti Patres (inquit) hunc ordinem in „ sanatione spirituali observarunt per duo„ decim secula, ut primò peccator acce„ deret Sacerdotem, eique vulnera sua, „ seu morbum peccati detegeret. Secundò, „ ut Sacerdos peccatori pœnitentiam im„ poneret. Tertiò, ut peccator pœnitens „ illam impleret. Quartò, ut Sacerdos pœ„ nitentem, impletâ pœnitentiâ absque re„ lapsu, absolveret.

Unde §.38. concludit: „ Nisi per ope„ ra pœnitentiæ (seu satisfactionis) Sacer„ doti constet de interiori contritione pœ„ nitentis, quam in ipso operatur Deus: „ & per quam externis operibus indicat, „ eum se recipere in gratiam, non erit ve„ ra absolutio Sacerdotis. „ Rationem reddit pag. 131. dicens: „ Ratio differen„ di absolutionem, donec proportionatè „ delictis pœnitentia peracta sit, est, quia „ sanatio spiritualis peccatoris de lege or„ dinaria, non minori tempore indiget, „ quàm corporalis; imò majori. „

Audis *de lege ordinaria*. Hac uti adversarius Episcoporum, viam sibi aperit, ut neget regulam à se statui *generalem*. Sed & de *lege ordinaria* praxim Ecclesiæ temerè molitus convellere, meruit *lege ordinaria*, eâque justissimâ ab Ecclesia condemnari.

5 Uberiùs eundem rigorem protrusit Lovanii alius Arnaldi & Quesnelli amantissimus cliens, ab utroque contra Sedem Apostolicam defensus. Hic in Thesibus anni 1685. 29. Novembris, „ A Sacramen„ tis (inquit) paulisper removendi sunt „ lapsi, nec priùs sepositâ necessitate, ab„ solvendi, quàm in terra corporis sui, „ juxta Augustinum operati fuerint, & jam „ per flammeum pœnitentiæ gladium, ab „ amore seculi expurgati, & per Cheru„ bin, hoc est Dei amorem cæteris ejus„ dem subjecti amoribus superiorem, me„ ritum sibi redeundi compararint: Facessant itaque qui Divinam illam, atque ab „ ipso lapsu stabilitam pœnitentiæ admini„ strandæ normam, novitatis & rigoris ac„ cusant...

„ Contra si adversæ praxeos originem „ inquiris, nova est; quippe quæ nec à Deo, „ nec ab Ecclesia instituta sit; sed nuper „ abundante iniquitate velut sponte enata. Ita ille cognomento *intrepidus*, qui propter novitates ab Innocentio XI. Pontifice, & Carolo II. Hispaniarum Rege Doctorum Regentium numero, quem *strictam facultatem* vocant, suspensus, & usque ad obitum exclusus fuit. Æquè ille ac præsens adversarius negare potuit regulam suam generalem esse, cùm casum necessitatis exciperet; sed istiusmodi excusationes in peccatis vanæ sunt, & uti neque satis consulunt necessariæ dogmatum sanitati, ita neque est, cur censuram impediant Ecclesiæ.

CAPUT XIII.

Confertur Propositio Quesnelliana cum damnata olim in Petro d'Osma, & nova Adversarii contra Episcopos Galliæ insultatio reprimitur.

1 Centum Galliæ Episcopi in Documento Pastorali asserunt, præsenti Quesnelli Articulo „ re„ duci errorem Petri d'Osma Doctoris „ Hispani, quem Sixtus IV. Pontifex, Al„ phonsi de Carillo Archiepiscopi Toleta„ ni Judicium confirmans, Constitutione „ anni 1428. solemniter proscripsit. Quæ „ condemnatio refertur in censura Fa„ cultatis Theologicæ Parisiensis lata an„ no 1641. 18. Julii adversùs librum *Le* „ *Pacifique Veritable*, eosdem continentem „ errores.

Contra hanc Antistitum animadversionem inverecundus sic invehitur adversarius, initium ducens à Sarcasmo „ Malum! „ quòd tam pulchra eruditio hìc prorsus „ inutilis sit: non enim Petri d'Osma er„ ror in hoc situs fuerat, quòd satisfactio „ ad minus inchoata; sed quod integre „ peracta deberet absolutionem præcede„ re, ut notat Cardinalis d'Aguirre in „ dissertatione eximia Tom. 2. Concil. His „ dis-

„ differt. 8. Præterea oportet mirabili præ-„ditum esse dono videndi ea, quæ nullius „conspectui sunt pervia, ut vel minima „detegatur conformitas errorem inter „Hispano isti seu meritò, seu immeritò „imputatum, & Propositionem solummo-„do asserentem, *Nos ignorare quid sit pec-„catum, & vera pœnitentia, quando volu-„mus statim restitui possessioni bonorum illo-„rum, quibus nos peccatum spoliavit &c.* „sed totum hoc ut dicatur, quod res est, „non est nisi mera Comœdia; sed funesta, „& horribili plena scandalo. Non enim „fieri ullatenus potest, ut Episcopi ratio-„nis utcumque compotes, reverà credant, „quod nobis Instructione sua cupiunt per-„suadere. „

Propositio ex *Observationibus Moralibus* hic relata non est 87. de qua præsens nobis quæstio, sed 88. suo loco discutienda. Episcopi autem utramque simul jungentes, de compositi hujus doctrina pronuntiant, eam damnato Petri d'Osma Articulo suffragari. Propositio illius statuebat, prout in Apostolica Sixti Constitutione exprimitur: *Non peractâ pœnitentiâ confitentes absolvi non debere*. Articulus Quesnelli octogesimus septimus à Clemente XI. damnatus exigit, ut *detur animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minùs satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur*.

Discrimen itaque in vocibus apparet, quòd prior enuntiatio requirat *peractam pœnitentiam*, ante absolutionem, posterior ut confitentes *incæperint ad minùs satisfacere justitiæ Dei*. Sed vocum potiùs, quàm sensuum discrimen est; nam etiam *peractâ pœnitentiâ*, quæ scilicet à Confessario imponitur, & de qua sola Petrus d'Osma locutus convincitur, non est integra, quæ Dei justitiæ debetur satisfactio; sed solùm ejus initium; restat enim longè uberior, & quidem æterna gravissimis exigenda suppliciis apud damnatos, si cum sola eam attritione hic peragi contigerit, & Sacerdotis defuerit absolutio. Sed & hac impertitâ, superest non parùm eluendum in purgatorio, nisi pœnitentia longè rigidior, aut Servatoris indulgentia intercedat. *Peractâ* itaque etiam integrè *pœnitentiâ*, quam Sacerdos imposuerat, & quæ sub verbis Petri d'Osma in sensu obvio intelligitur, non est integra, quæ Dei justitiæ pro peccatis lethiferis debetur satisfactio; sed minima ejus particula, & levissimum initium.

Petri d'Osma sententiam secutus est Quesnelli Magister Antonius Arnaldus libro 2. de Frequenti Communione cap. 8. ubi hunc statuit Sacramenti pœnitentiæ *ordinem, ut fiat Confessio, sequatur pœnitentiæ impositio, tertiò pœnitentiæ impositæ adimpletio: quartò denique eâ adimpletâ absolutio*, atque hunc *Ordinem* ait esse *Juris Divini*. Idem docuit, qui sub typographi Gandavensis nomine Præfationem composuit ad *Canones Pœnitentiales per S. Carolum Borromæum collectos*.

Rituale Aletense gravibus censuris à Clemente IX. Pontifice proscriptum, ab Arnaldo & Quesnello etiam post & contra censuras summis Elogiis celebratum sic statuit pag. 91. *Ideo satisfactio præmittenda est absolutioni, quia ratio naturalis ostendit non debere expectari reconciliationem ab homine offenso, nisi reparatâ priùs injuriâ, vel datâ satisfactione*: Quid ampliùs voluit Petrus d'Osma? Cujus dogmatis & totius Ritualis inculcata toties à Quesnello ejusque præceptore approbatio, satis indicat, satisfactionis initium præsenti Articulo requisitum non differre sensu à *peractâ pœnitentia*, quam Petrus d'Osma exegerat.

3 Non ignorat istud, etsi callidè dissimulet Adversarius, ideo subdolè commonefaciens *errorem Hispano isti meritò seu immeritò imputatum*. Quo nempe vafer Adversarius significat, errorem quidem esse, quo ante absolutionem exigitur integra Divinæ justitiæ satisfactio, sed hunc Theologo isti *immeritò imputatum*. Meritò autem attributum dogma fuerit, sed nullâ ratione in Quesnelli, Arnaldi, & similium sententiâ erroneum, si tantummodo postulaverit totius pœnitentiæ à Confessario impositæ impletionem.

Porrò Hispani istius enuntiatio in sensu obvio, & communi usu atque intelligentia Scholasticorum aliud non significat, aliud non exigit, quàm ut ante absolutionem *peracta sit pœnitentia* à Confessario præscripta, non qualis in rigore ad æqualitatem delicti Divinæ deberetur justitiæ; nam & ipsius vulgi familiarissimo sermone dicitur *implevisse pœnitentiam*, quisquis impositam sibi à Presbytero satisfactionem persolverit.

Neque Quesnelli enuntiatio contenta est, si satisfactionis à Confessario præscriptæ pars tantummodo absolutionem præcesserit, sed ut jam monui, de parte agit satisfactionis, quæ debetur *Justitiæ Dei*. Quis autem dubitat quin satisfactio integra, quæ à Confessario statuitur, nonnisi pars, eaque exigua sit satisfactionis, quæ Deo justissimo malo-

malorum vindici est in rigore debita? Nullo igitur hactenus apice, quoad sensum & significationem, sententia Quesnelli discernitur à damnata pridem in Theologo Uxamiensi.

Quod quidem in Quesnelli Articulo versutè ponitur de satisfactionis ad minus initio præstando *Justitiæ Dei*, antequam pœnitens absolvatur, ambiguum videretur, an non etiam parte pœnitentiæ à Confessario designatæ, parte, inquam, à reo peractâ absolutio concedenda sit, nisi tot circumstantiæ Quesnelli sententiam de prærequisita satisfactione illa integra apertiùs manifestarent.

Circumstantiæ sunt luculentissimæ; approbatio, quâ nulla potest cogitari magnificentior à Quesnello omnibus Arnaldi dogmatibus data toto Libro cui titulus est: *Causa Arnaldina*, & sæpiùs alibi. Arnaldi autem sententiam de non danda absolutione, nisi *adimpletâ Pœnitentiâ* jam dedi ex Lib.2. de Frequenti Communione cap.8.

Tres Articuli prorsus similes ex eodem Volumine excerpti sunt & inter 31.ab Alexandro VIII. Summo Pontifice condemnati; videlicet Articulus 16.cum duobus sequentibus.

4 Eidem doctrinæ consonum exhibui Rituale Aletēse ab Arnaldo & Quesnello relatum pridem in Canonem operum Sanctissimorum. Accedit famosus Arnaldi, & Quesnelli in Belgio discipulus, author *Speciminum Moralis Christianæ*, qui ait pag. 31. *Ratio differendi absolutionem donec proportionatè delictis pœnitentia peracta sit, est, quia sanatio spiritualis peccatoris de lege ordinaria non minori tempore indiget, quàm corporalis; imò majori.*

Patet igitur istud, quod in Articulo est de *dando animabus tempore incipiendi ad minus satisfacere Justitiæ Dei, antequam reconcilientur*, plenum fallaciâ esse, neque vel in minimo quoad sensum recedere à damnato Petri Uxamiensis ante tria ferè secula errore.

Aliud adhuc Arnaldus discrimen inter Theologi istius, suamque, quæ, ut ostendimus etiam Quesnelli est, sententiam allegat, sed non minùs veritatis expers, & omnino frivolum. Ait Lib.de Frequenti Communione cap.15. Articulum d'Osma generalem esse; suum autem *pati aliquam exceptionem, nempe quia in casu extremæ necessitatis, seu gravis periculi mortis potest quis absolvi pœnitentiâ non peractâ.*

Ideò & superiùs Antistitum impugnator, eos arguit, quòd Articulum Quesnellianum, velut *generaliter* enunciantem acciperent. Verùm discrimen illud merè fictitium est, cùm Petri d'Osma Propositio non aliter sonet, quàm Arnaldica, adeóque non magis in una, quàm in altera excludatur istiusmodi exceptio necessitatis.

Non propterea Petri d'Osma Propositio damnata est, quasi regula illius nullam patiatur penitùs exceptionem, quam solet saltem rarissimam regula moralis ferè quælibet indefinita admittere, ut rectè observavit pridem author probè Catholicus & legum maximè peritus Lib. cui titulus: *Aliquot Propositiones novissimorum Casuistarum in materia pœnitentiæ &c.* pag.13. *Quis hactenus audit Propositionem aliquam moralem & practicam simpliciter veram, ideo damnari simpliciter, quia aliquo casu exceptionem patitur? Alioqui damna consequenter omnes penè regulas juris; quia paucas reperies, quæ exceptionem non patiantur.*

Tum ad Arnaldum conversus, *Proba*, inquit, *Petrum d'Osma Sac. Theologiæ Doctorem adeò stolidum fuisse, ut complementum pœnitentiæ exigeret à Confitente in extremo vitæ tempore, & dum illius peragendæ foret incapax*. Non igitur in damnato suo Articulo aliud tradidit Petrus d'Osma, quàm Arnaldus & ejus approbator magnificus, & sectator pertinax Quesnellus.

5 Istud satis conspicatus ipse Arnaldus, aliam tentat evadendi viam: *Propositio*, inquit, *Petri d'Osma damnata est, quia juncta erat aliis gravibus erroribus Sacramentum pœnitentiæ totaliter destruentibus*. Quæ responsio non minùs inanis & frivola est; non enim tantummodo liber, aut complexio exceptorum ex eo dogmatum damnationem subiit; sed etiam Propositiones singulæ. Sic enim Bulla Sixti IV. enuntiat: *Omnes & singulas Propositiones prædictas falsas, & Sanctæ Fidei Catholicæ contrarias, erroneas & scandalosas, & ab Evangelica veritate penitùs alienas, Sanctorum quoque Patrum Decretis, & aliis Apostolicis Constitutionibus contrarias, ac manifestam hæresim continere, dictâ authoritate declaramus.*

Unde evidens est damnatio Propositionis istius in se, & propter seipsam; non autem solummodo, ut Arnaldus comminiscitur, propter consortium aliarum. Nemo hic nobis dissentiet ex Doctoribus, qui in Clausulis Bullarum & Legum versati sunt. Plurimos exhibet Barbosa Clausula 96. qui unanimi docent suffragio Clausulam *omnes & singulas, omnia & singula*, habere vim individuæ expressionis singulorum.

Quapropter Quesnellus satis perspiciens

Magiſtri ſui,& omnium ejus ſequacium doctrinam in eandem cum Petri d'Oſma Articulo damnationem incidere, etſi Romanorum Pontificum ſententias ſuo guſtui minùs accõmodatas flocci pendere ſoleat; declinandæ tamen invidiæ causâ, & faciliùs Librum ſuum divulgandi abſque novo periculo cenſuræ, uſus callidiore conſilio, ſuam,ſuarumque partium ſententiam involvere maluit obſcuriore termino, ut tenebrarum, ſi aliter nequiverit, beneficio elaberetur.

Non elabitur tamen, utpote notus omnibus defenſor acerrimus Ritualis Aletenſis,Libri Arnaldi de Frequenti Communione,veluti profectorum è Cœlo operum, in quibus Articuli præſentis error ſinè involucris, ſinè ambagibus apertiſſimè traditur, niſi quod Arnaldus pro ſua Conſtitutiones Pontificum in alienos ſenſus detorquendi conſuetudine, ſententiæ Sixtinæ ſenſum affingat,à mente Pontificis,ut ſupra oſtendi, alieniſſimum.

Queſnellus etiam & quicumque ejus vindices, qui de veterum rigore Canonum videri volunt non parùm remittere,neque tamen legitimam agnoſcunt inductam ab Eccleſia mutationem, interrogandi ſunt, quo jure, qua authoritate Canones iſtos, quos nobis identidem objiciunt, & quibus vetatur pœnitentium ante pœnitentiæ impletionem reconciliatio, mitigare ipſi præſumant,& eò inflectere,ut ſatisfactionis initium reconciliationi ſufficiat? Sed nempe aliud eſt ſatisfactionis initium,ut ſupra monui, quod præſtatur Eccleſiæ, ſeu Confeſſario, qui pœnitentiam impoſuit, aliud quod debetur Juſtitiæ Dei. Proinde inculcatum abundè ſtabilitumque Lector teneat, quòd ſatisfactionis complementum ſeu adimpletio integra pœnitentiæ à Confeſſario conſtitutæ nonniſi initium ſit ſatisfactionis quæ debetur *Juſtitiæ Dei*.

6 Ita facillimè diſſipatur, quidquid tenebrarum inſpergere Queſnelli induſtria ſuo tentavit Articulo, iſque ſenſu minimè diſcrepare convincitur,ab illo,qui in Petro d'Oſma proſcriptus eſt.

Denique etiamſi Queſnelli Articulus non ſolùm contentus foret initio ſatisfactionis Deo debitæ, ſed etiam initio ſatisfactionis impoſitæ à Confeſſario, Cenſuram Clementis XI. evadere non debuerat, utpote temerarius, qui communem Eccleſiæ praxim hodiernam, tot jam ſeculorum uſu firmatam, à tot ſanctiſſimis Confeſſariis adhibitam, authoritate Tridentini, & Pontificum conſecratam, ac ſimul præſenti hominum infirmitati, utilitatique magis congruam ſubruere præſumpſerit.

Addit Author Libri Typis Editi Anno 1679. quem citare ſuperiùs cœperam, hoc titulo: *Aliquot Propoſitiones noviſſimorum caſuiſtarum in materia pœnitentiæ*, paginâ 14. contra Arnaldum; proinde & Queſnellum. *Nec verò ex omnibus: textibus, quos ſæpe mutilat, aut Canonibus, quos citat toto iſto opere* (de Frequenti Communione) *unus eſt, qui vel apparenter aſſerat dilatam eſſe abſolutionem Sacramentalem, in foro interno, de quo agimus, quouſque peracta ſit pœnitentia; ſed ſolùm probant, pœnitentiam eſſe neceſſariam. Hoc admittunt omnes; quia dimiſſo per Sacramentum Confeſſionis peccato, remanet debitum pœna, & ſi injunctum à Sacerdote pro peccato mortali pœnam nolis implere, peccato mortali te regulariter ſubjicis. Vel probant denique, quod pœnitentia ſeu ſatisfactio præcederet reconciliationem publicam, ſeu reſtitutionem in plenam fidelium Communionem, quam ab abſolutione Sacramentali in foro interno, de quo agimus, toto Cœlo differre patebit infra.* Ita ille.

Etiamſi demum ſuppoſueris,Eccleſiam olim criminum aliquorum magis enormium & publicorum,ut Apoſtaſiæ,& Idololatriæ, diſtuliſſe abſolutionem etiam Sacramentalem, donec impleta eſſet pœnitentia, non ſequeretur, idem nunc à privatis authoribus præſcribendum Eccleſiæ hujus temporis, quæ rigorem illum maturo conſilio & juſtiſſimis de cauſis cenſuit mitigandum, ut plura alia circa diſciplinam, *ſolis hæreticis* refragantibus, ſapientiſſimè commutavit.

7 Neque, quantuſcunque fuerit antiquorum Canonum rigor, & quantamlibet ſupponeretur vim etiamnum pleniſſimam obtinere, nunquam poterit Petri d'Oſma Articulum, qui à Sixto IV. declaratus eſt hæreticus, nunquam Queſnellianum ei ſenſu perſimilem, ab anathemate liberare: non enim Petrus ille, & præſens Paſchaſius, de ſolis, ut olim Canones, criminibus quibuſdam enormibus & publicis regulam ſtatuunt, ſed peccatis quibuslibet, etiam occultis, & merè internis, ut non impendatur ſtatim poſt Confeſſionem abſolutio; ſed ſatisfactio præmittatur.

CA-

CAPUT XIV.

Fraudulenta Propositionis excusatio rejicitur, & Censura Apostolica amplius vindicatur.

1 Authòr *Observationum* in Propositiones condemnatas, qui creditur Quesnellus ipse pag. 307. & 308. „ Propositio, inquit, tam sapiens „ est, tam accurata, tam conformis regulis „ & praxi Directorum omnium non vulgari lumine præditorum, ut homines passim „ perculerit non leviter censura, quam in eam stringit Constitutio, nullâ adhibitâ „ expositione mitigante; non aliter, quàm „ si imperitis & depravatis Directoribus „ dissolutionis fræna remittere, & perniciosissimas Casuistarum laxitates elogio sanctitatis in Cœlum evehere Constitutio voluisset.

„ Profectò Articulum oportet clarissimè esse innocentem, cùm Author *Veneni* 101. *Propositionum* nullum hìc reperiat, nisi addendo terminum *Universim*, „ qui neque in Articulo est, neque ulli „ æquitatis amanti unquam videbitur, „ agnoscente ipso adversario, Propositionem alioqni plenam lumine, Sapientiâ „ & Charitate. Quid ad Propositionis „ commendationem desideretur ampliùs „ post tale adversarii aliàs tam virulenti „ suffragium? „

Quid dixerit, aut non dixerit author, vel potiùs detector *veneni* mihi ignotus, non inquiro; si vocem *universim* tanquam in damnato Articulo expressam recensuerit, in hoc defuit fidi officio relatoris. Verùm duo minimè dubius assero, & vocem illam in Articuli significatione obviâ subintelligi, & si vox *aliquando* fuisset apposita, quæ enuntiationem nimiùm vagam limitaret, tunc eam ab omni censura futuram fuisse certissimè immunem, dignamque elogio. Quis enim Confessarius differendam aliquando absolutionem non agnoscat, videlicet si confitenti desit saltem attritio, vel notitia credendorum necessitate medii, si nolit fugere occasionem proximam peccandi, si condonare inimico, si famam, vel bona ablata momenti non levis restituere &c.

2 Præexigi etiam potest aliquando satisfactio, saltem non nimis diuturna; si nempe confitens eam adimplere hactenus neglexerit, fidem de ea adimplenda Confessario datam fallens. Ex hac autem mea concessione ultronea, si triumphum ut supra captet adversarius, quid aliud referet à Theologis, etiam Tironibus quàm risum, & suæ contemptum imperitiæ, vel, quod deterius est, malesanæ pertinaciæ condemnationem? Omnibus enim perspectum est, innumeras Propositiones indefinitè positas, ut est præsens, censuram mereri gravissimam, etiam schismatis, erroris, & hæresos, quas si particularis nota restringeret, prorsus redderet innoxias. Sic indefinitæ hæ absurdissimæ sunt, & Ecclesiæ dogmatibus repugnantes: *Non tenemur obedire Superiori. Licitum est occidere inimicum. Non est vetitum occidere maleficos. Jus naturæ permittit surripere aliena. Furtum non est peccatum mortale. Homines non obligantur Lege Jejunii. Meliùs est manere domi diebus festis, quàm adire Ecclesiam.*

Innumeræ proferri possunt enuntiationes istiusmodi propter illimitationem perniciosissimæ, quas si comitaretur particularis nota restringens, redderet prorsus consonas veritati. Verissimum scilicet est, quòd *aliquando non teneamur obedire superiori*; quoties nempe mandat Divinæ legi contraria, ut Princeps Idololatriam, blasphemiam, cædem innocentium. *Aliquando licitum est occidere inimicum*, ubi nempe certum interitum, ab eo injustè inferendum, aliter vitare non potes, adhibito quocumque moderamine inculpatæ tutelæ. *Aliquando etiam honesta est maleficorum interemptio*, authoritate videlicet publica. *Aliquando licet surripere alienum*, videlicet panem in extrema necessitate. *Furtum aliquod* ob levitatem materiæ, *est delictum tantummodo veniale*. *Aliqui* propter infirmitatem gravem, & juxta S. Thomam tertio septennio inferiores, *non tenentur lege jejunii*, saltem quoad ciborum quantitatem. *Aliquando expedit manere domi diebus festis, quàm ire ad templum*; quando scilicet domi serviendum est infirmo graviter laboranti, vel hostis in insidiis est, à quo in via occidendus fores, vel ad inferendum ei exitium adigendus.

Quod itaque Adversarius ait vocem *Universim in damnato Articulo non reperiri*, frivolum est, cùm æquè ac in relatis à me superiùs erroribus subaudiatur, juxta legitimam interpretationum regulam ab omnibus admissam de enuntiationibus Dogmaticis indefinitè propositis, sinè limitatione accipiendis, ut censeantur æquivalere quodammodo universalibus. Dixi *quodammodo*; quia enuntiationes istæ, regulæ quædam

morales sunt, quæ licèt exceptionem nullam exprimant; subinde tamen aliquas, etsi rarissimas & in circumstantiis non vulgaribus patiuntur.

3 A veritate itaque alienum est, quòd non expresso termino *universim*, sed veluti subaudito, propositio digna laudibus censeatur; nam etiam falsa est & aliis censuris obnoxia, si pro *universim* tantùm subintelligas *passim* sive *communiter*, quem saltem suum sensum esse Quesnellus author non inficiabitur: & est omnium ipsi fœderatorum. Sic *Instructio Aletensis* adeò ipsi adamata, & sæpiùs desepsa: *Ideo satisfactio præmittenda est absolutioni; quia ratio naturalis ostendit non debere expectari reconciliationem ab homine offenso, nisi reparatâ priùs injuriâ, vel data satisfactione*. Arnaldum superiùs vidimus.

Huc quoque faciunt duo *Critici spiritualis*, aliàs Ægidii Candidi, axiomata. *Exercitium operum pœnalium non tantùm necessarium est ad satisfactionem pœnarum, quæ reliqua manent, sed etiam ad remissionem culpæ, sive ad reconciliationem cum Deo*: Et *Nihil clarius est, quàm satisfactionem planè destrui; si sequamur hoc principium: satisfactio non est necessaria ad deletionem culpæ*. Si enim satisfactio sit necessaria ad remissionem culpæ, evidens est, eam absolutioni æquè ac Contritionem Confessionemque esse præmittendam.

Hos & sequentes Articulos Archiepiscopus Mechliniensis denuntiavit Sedi Apostolicæ Anno 1692. singula denuntiationis folia muniens duorum subscriptionibus Notariorum, qui, factâ cum authographis excerptorum collatione, concordiam testati sunt; Articuli verò omnes sunt Authorum Quesnello adhærentium. Lovanii edita *Methodus remittendi & retinendi peccata* pag.200.201.202. ait: *Primâ vice veniens ad Confessionem, sive sit consuetudinarius, sive unicum tantum mortale gravius commiserit, absolvi non potest, nisi præmiserit opera pœnitentialia, quæ exæquent aut exsuperent crimen*.

Pastor bonus pag.264. *communiter utile non videtur pœnitenti primâ Confessione post peccatum mortale absolutionem impendere*. Ibid. *Ratio & experientia persuadent, communiter ad absolutionem dispositos non venire primâ vice, qui peccatum aliquod mortale confitentur*. Idem in Thesibus 1690. 26. Jan. Mechliniæ: *Peccator ex infirmitate duplicis est generis, alius qui casu prorsus extraordinario, & tentatione insolitâ in crimen labitur, vita alioqui probatæ & Christianæ. Hujus, etsi frequentior, facilior, & brevior soleat esse conversio, non tamen ei mox uno, alteroque, aut tertio post peccatum die absolutio impendenda est*.

Idem Author in Theologo Christiano pag.45. *Qui tum criminibus exercitia spiritualia ingressi sunt, ne mox post octo vel decem dierum secessum, etsi à novis criminibus abstinuerint, credant se satis probatos, ut absolutionem accipiant*. Idem in Thesibus Anni 1690. 26. Jan. Mechliniæ: *Falsum est illud quorumdam principium, qui seriam emendandi se voluntatem ostendit, potest absolvi*.

Idem in Thesibus Anni 1687. 7. Aug. *Passim absolvendi non sunt pœnitentes quique ignoti, qui in Sedem Confessionalem primò obviàm involant, dictitantes se pauca habere & levia, quæ confiteantur. v.g. aliquoties se esse mentitos, vel iratos, vel in sacro distractos fuisse*.

Systema Pœnitentiæ pag.9. *Admittenda unanimiter est hæc regula: Licitum est differre absolutionem pœnitenti, ex eo præcisè, quòd cadat in peccatum enorme; vel secundùm se, vel secundùm statum personæ, quæ peccatum illud committit*.

4 Specimina Moralis Christianæ pagina 154. & 318. *Praxis mox absolvendi post Confessionem criminum est praxis & moralis diabolica*. Idem pag.32. *Ratio differendi absolutionem, donec proportionatè delictis pœnitentia peracta sit, est quia spiritualis sanatio peccatoris de lege ordinaria non minori tempore indiget, quàm corporalis, imò majori*. Brevis & solida demonstratio, quòd in Hollandia non sit secta Jansenistarum. Pag.86. *Estne novitas, quòd aliquis qui tantùm semel in grave peccatum incidit, non se possit exiguo tempore convertere? Nonne id omnino est fundatum in Euangelio?*

Habetur itaque non solùm ex proscripti Articuli verbis sensus ejus obvius veluti communis regula, & æquivalens quodammodo universali; sed & confirmatur eadem Propositionis intelligentia ex eo, quòd videamus passim Quesnello, Arnaldo, Jansenio deditos, ad eandem alios aliis clariùs & propinquiùs convenire sententiam. Neque hunc sensum suum Quesnellus diffitebitur; si pro *universim* supponamus *communiter* & *lege ordinaria*, ut socii ejus exprimere maluerunt. Sic ergo damnata enuntiatio accipiatur benigniùs, tanquam regula quidem ab Authore proposita; sed ut solent regulæ in moralibus, indefinitè exprimi, non tamen adeò generaliter intelligi, quin alicui locus pateat exceptio-

ceptioni, in casu saltem rarissimo. Verùm & hoc sensu Propositio adversatur usui Ecclesiæ communissimo etiam Apostolicis Alexandri Octavi Definitionibus consecrato.

5 Fraudulentam superiùs dixi Adversarii excusationem, de non expressa, nec subintelligenda in Propositione particulâ *universim*; quia excusationem hanc facilè incautus lector accipiet, quasi pro *universim* substitui, vel subaudiri Quesnellus solummodo voluerit *aliquando*, quod neque sensui Propositionis obvio, neque menti Authoris ullibi indicatæ, neque totius factionis sententiæ satisfacit, ut ex allegatis modò speciminibus manifestum est. Confirmatur quoque ampliùs ex eo, quòd Apologiæ Quesnelli Anonymæ, quas hic refuto, usum Ecclesiæ hujus temporis vellicent tanquam laxitate nimiâ ducenrem animas in exitium; sensum autem proscripto dogmati à me attributum, esse obvium, calculo suo confirmant centum Galliæ Episcopi in *Pastorali* cōtra damnatos Articulos *Instructione*, quam vide à me cap. 11. & 12. contra temerarios adversantium clamores propugnatam.

Quod hic profiteor, me quoad sensum Propositionis obvium, consentire centum Galliæ Episcopis, non impedit quin attentis circumstantiis authoris, magistrorum ejus, atque sodaliū, plus aliquid in illa juxta Scriptoris nequitiam intellectâ, detexisse superiùs videar, circa illud *incipiant satisfacere Justitiæ Dei*, juxta quòd Antistites autumant, Quesnello sufficere, quòd pars pœnitentiæ à Sacerdote impositâ, ante absolutionem peragatur. Mihi verò apparet dolus in eloquio, & ab authore istud non intelligi, quasi pars illa ante absolutionem sufficeret; sed quod non debeat integrè priùs satisfieri Divinæ justitiæ, cui ne totius quidem pœnitentiæ impositæ impletionem posse in rigore satisfacere indubitatum est. Hanc autem Quesnellianæ mentis intelligentiam lectoris cujuslibet judicio libens submitto; quin & ipsius Quesnelli, quem cupio sinè fucis & ambagibus clarè edicere, an non nisi partem solutionis à Confessario præscriptæ exigat, antequam absolutio concedatur; nam aliàs si pœnitens parte præstita solutionis, absolvi expetat, sic interpretans Quesnelli sententiam, responsio semper in promptu est novaturienti Confessario, Magistrum suum Quesnellum perperam explicari; quia penès ipsum etiam totius impletio pœnitentiæ à Christi Ministro impositæ, non est, nisi initium satisfactionis, quæ Divinæ debetur justitiæ quanquam, etsi nonnisi partem constitutæ à Confessario pœnæ præstari ante reconciliationem Quesnellus jusserit; non propterea omnem novitatis & erroris notam justique pœnam anathematis effugiet; ut sapientissimè observarunt memorati Galliarum Antistites.

CAPUT XV.

Eripitur novitati fundamentum temere quæsitum in Scripturis.

1 EXaminandum superest erroris fundamentum. Allegatur caput 9. Actuum Apost. v. 9. ubi de Saulo dicitur: *Et erat ibi tribus diebus non videns & non manducavit, neque bibit*. Non videt Author, hunc errori suo locum obesse potiùs, quam patrocinari. Non enim Saulus illo triduo portavit & sensit statum peccati, qui dejectus in terram à Christo apparente conversus, & justificatus est, atque ita orationi, ac cœlestium rerum contemplationi, fortè & spiritu in Cœlum raptus triduum istud impendit. Visus autem ab Anania superveniente statim ei redditus est, statim concessa manuum impositio, & reconciliatio cum Ecclesia. At Propositio, qualiacunque pietatis aut pœnitentiæ opera spontè suscepta, & fortè immissæ à Deo castigationes præcesserint, adhuc vult à Sacerdote *dari animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati*; ut olim pœnitentes publici, etsi per gratiam interiùs justificati, affligebantur, puniebantur ut peccatores.

Quàm multis peccata remisit Christus! De pluribus testatur Euangelium; sed non omnia Christi acta scriptis committi potuere, teste ipso Euangelista, & Apostolo Joanne. Quibuscumque autem Servator in terra constitutus delicta condonasse perhibetur, ne unus quidem est, cui absolutionem distulerit: Omnes criminibus gravatos, & oneratos ad se amantissimè invitavit, indubitato simul promisso levamine; ex omnibus accedentibus repulit neminem, neminem absolvi seriò cupientem expectare voluit; donec ei *dedisset tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati*. Nonne revera congruum fuisset, aliquod saltem dilatæ à se reconciliationis specimen dari, si eum rigorem à Discipulis suis, & eorum successoribus adhiberi semper, aut plerumque voluisset?

2 Pec-

2 Peccatorem pœnitentem, & confitentem delicta exhibet Christus in Filio Prodigo Luc. 15. *Surgens venit ad patrem suum; cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum: dixitque ei filius: Pater peccavi in Cœlum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.* Non addit, quòd ante conceperat, *Fac me unum de mercenariis tuis*, quia Pater Sermonem ejus abrumpens, dixit ad servos suos: *Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu ejus, & calceamenta in pedes ejus: & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.*

Hic Christus adumbrat suam, & patris sui erga pœnitentes clementiam, qui licèt Dominus, ac judex omnium supremus, tamen, & patrem nostrum se indicat, suamque, velut patris optimi, in filios prodigos resipiscentes misericordiam. Hanc & Discipulos suos, & in Sacramentorum dispensatione Ministros imitari quodammodo voluit, ut se non solùm Judices; sed Patres quoque meminissent. Credibile est, quòd, si immites illi Confessarii, patres filii prodigi fuissent, ad eum non accurrissent obviàm; sed torvi eum expectassent, si non & obverso tergo denegassent alloquium. Saltem minimè sperandum ab eis foret paternum illud *citò proferte stolam primam, & induite illum &c.* Sed magna illi concederetur gratia, & charitas; si initio liceret inter Mercenarios admitti, ubi *daretur tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi majorem spiritum pœnitentiæ, & incipiendi ad minus satisfacere Dei justitiæ.* Quomodo Adversarii frustrà eludere conentur argumentum de filio prodigo cap. 2. ostendi.

3 Quomodo autem *Collator* in seligendis textibus minus aliàs temerarius authore Hexaplorum, hic eum sequi voluerit in objicienda nobis Ezechielis, & alterâ Jeremiæ sententiâ, miror equidem; neutra enim Prophetarum enuntiatio quidpiam continet præter justissimum improperium adversùs eos, qui mendaci fiduciâ peccatrices animas corrumperent. Ezechielis cap. 13. v. 18. & 19. *Hæc dicit Dominus Deus: Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas: & cùm caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum: & violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.*

Jeremiæ cap. 6. v. 14. *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes. Pax, pax: & non erat pax.*

Hæc & plura similia pridem ex Scripturis collecta Adversarii reperire potuerint apud Lutherum, Calvinum, & utriusque asseclas impugnantes Ecclesiæ potestatem remittendi attritis confitentibus crimina. Verùm cæca in defendendis erroribus pertinacia, & desperatio de inveniendis veris, aut etiam apparentibus in Scriptura contra veritatem Catholicam textibus, illos adigit ad congerendos locos aliquot communes, è quibus licèt adhibitâ etiam quacunque arte sophisticâ, nihil argumenti verisimilis elici valeat pro confirmatione novitatis.

Attamen ea textuum sacrorum contra laxitatem relatio decipiendis saltem simplicibus conducit, ut non inaniter proferri existiment à Scriptoribus, haberi apud suos solitis inter Doctores Theologos minimè vulgares, fidei optimæ; quin & sanctimoniâ vix inferiores pluribus in Sanctorum Canonem relatis. Nos autem qui tam creduli non sumus famæ solis fraudibus acquisitæ, jure Catholicorum & maximè Disputantium utimur postulantes ab adversariis, ut formâ argumenti qualicunque legitima ex allegatis textibus conficiant, quod „ Modus plenus sapientiâ, lumine, & charitate est, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei antequam reconcilientur.

4 Nos ex geminis Prophetarum sententiis, etiam supposito, quòd ad novum respexerint Testamentum, & in eo ad Sacramentum pœnitentiæ, colligere aliud non possumus, quàm quòd dispositione necessaria carentibus, non sit impertienda absolutio; non autem, quòd dispositione illâ præditis sit deneganda. Quoniam autem ad antiqui Fœderis oracula provocamur, quærant inde nobis adversarii, quanto possunt studio, locum aliquem, juxta quem pœnitentibus dilata fuerit, vel differenda cum Deo reconciliatio? 2. Reg. 12. vix David confessus fuerat delictum dicens *Peccavi Domino*, cùm Nathan mox Dei nomine denuntiat: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.* Dein Psalmo 31. *Dixi confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.*

mei. Hic nos commonet Augustinus, quàm prompta sit Dei ad ignoscendum pœnitentibus misericordia: *Attendite, fratres, corde pronuntiaveras; & tu dimisisti*.

Plurima istiusmodi extant in novo præcipuè Testamento, in quo potissimùm Deus clementiæ suæ & beneficentiæ Thesauros non innotescere solùm; sed & profundere mortalibus, maximè in Ecclesia sua voluit. Adversarii autem figendo Confessariis differendæ confitentibus absolutionis regulam generalem, aut generali similem, dum ea illimitatè & absque exceptione proponitur, aut quid enuntient non satis intelligunt, aut ab injustitia gravissima non liberantur exponendo miseros pœnitentes solummodo attritos æterni periculo interitûs, omniumque bonorum operum meritis privando, quæ recepti in gratiam acquisivissent. Prioris quidem atrocitatis invidiam lenire aliqui moliuntur, affingendo attritioni justificationis privilegium in mortis articulo, ubi Sacramenti susceptio est impossibilis. Verùm quis sapiens, quis pius, & æquus Confessarius salutem, damnationemve pœnitentium suspendere statuit istiusmodi veluti aranearum telâ, benignitatis, inquam, figmento in Ecclesia ante hæc tempora inaudito?

Dispiciat itaque prudens Lector, an Adversarii, qui patentissimâ calumniâ objicere audent Pontifici, omnibus damnati Articuli Censoribus, ac proinde omnibus Constitutionem amplectentibus toto orbe Episcopis, utriusque memorati improperium Prophetæ, non illud incurrant ipsi: an non *consuant* ipsi *pulvillos, & faciant cervicalia ad capiendas animas*: an non ipsi *violent Deum*, ejusque in terris Vicarium, ut *interficiant animas, quæ non moriuntur, & vivificent animas, quæ non vivunt, mentientes populo credenti mendaciis*. Jactent quantùm voluerint, *modum* suum veluti *plenum sapientiâ, lumine, charitate*, nos illum non nisi dementiâ, lumine fatuo, injustitiâ, crudelitate, hypocrisi plenum, pergemus sapientiùs ostendere cunctis fidelibus esse detestabilem; pœnitentibus quidem, qui absque necessitate retinentur in Dei inimicitia, donorum & meritorum cœlestium jacturâ, damnationis autem omni tempore imminentis discrimine: Confessariis quoque alieno periculo, tot meritorum jacturâ & plurium exitio animarum se gravantibus pro mero libitu & innovandi prurigine, spretâ sapientiâ, lumine, & charitate Sanctissimi Pontificis, omnium ei adhærentium Antistitum, Doctorum, totiusque Ecclesiæ Romanæ, Apostolicæ, Catholicæ. Nobis potiori jure contemptui sunt Schismatici, & qui eos proximè sequuntur hæretici à quibus, ne sapientiæ & luminis singularis vanissima gloriatione fallamur, præmonet Augustinus Tract. 45. in Joannem „ Innumerabiles sunt, qui se videntes non solùm jactant; sed à Christo illuminatos „ videri volunt: sunt autem hæretici. „

5. At, inquient Adversarii, si quid periculi in praxi nostra est: si quæ jactura meritorum, abundè compensatur humilitate, & conversione meliore plurium imperfectè pœnitentium, quibus apprehensa fortiùs delictorum gravitas, horrorem incutit salutiferum, quo inposterum cautiores sint, & longiùs à relapsibus arceantur. Verùm dum aliquorum conversiones adversarii magnificè prædicant, silentio prætereunt desperationes plurium, qui concepto contra Confessionem & Confessarios odio, salutis curam, & quidquid est bonorum operum, abjiciunt, libertinorum deinceps castra proniùs secuturi. Difficillimum autem est, imò impossibile, à tam præcipiti eos avertere consilio, quamdiù Quesnelli dogmatibus sibi duxerint insistendum.

Nullo hic opus subtiliore sophismate: pauca ex plurimis novæ Ecclesiæ axiomata sufficiunt. Decimum „ Gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil „ impedire potest aut retardare. 28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio. 40. Sinè „ gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem. „ Quibus suppositis evidens fit, nullum boni operis studium hominibus esse necessarium, sive pro justitia consequenda, sive pro salute; quia ad primam gratiam nulla est libera peccatori dispositio, quæ enim ante gratiam est, non alteri usui est, quàm damnationis initio vel augmento. Prima autem gratia, quam Deus pro mero suo beneplacito tribuit peccatori, ipsa ejus reconciliatio seu condonatio delictorum est, *volantas autem, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. Prop. 39.

6 Ita pariter concesso cœlesti munere, non est periculum, ne ponatur obex effectui; sed hic sequitur necessariò; si legitima Quesnelli definitio fit Art. 11. *Gratia non est aliud, quàm volantas Omnipotentis Dei, jubentis & facientis, quod jubet*. 10. *Gratia est operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil*

nihil impedire potest aut retardare.

Hinc quis non intelligat, consecutionem profluere ineluctabilem, quæ est Prop. 12. *Quando Deus vult salvare animam, quocunque tempore, quocunque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei?* Sinendus est igitur Deus agere opus suum per gratiam, quoniam ipsa est *operatio manûs Omnipotentis Dei, quam nihil impedire valeat aut retardare*. Denique Prop. 25. *Deus illuminat animam, & eam sanat solâ suâ voluntate.* Quid igitur eo nostra contribuet operatio? Prop. 23. Deus *ipse nobis ideam tradidit Omnipotentis operationis sua gratia, eam significans per illam, qua creaturas è nihilo produxit, & mortuis reddit vitam.*

Sumusne eooperati, & quidem liberè, ut è nihilo prodiremus? Quæ potestas libera mortuis, ut se resuscitent vel resurectionem impediant? Juxta ideam Omnipotentis operationis omni gratiæ convenientem, eamque Quesnello accuratissimam, utpote quam ipse Deus nobis tradidit; quomodo in dubium revocabitur; quin juxta Prop. 69. *Fides, usus, augmentum, & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei?* Undenam enim speres posse accersere verum, & propriè dictum hominis meritum, si operatio gratiæ sit, qualis tot à Quesnello Propositionibus declarata est? Si & non solùm fidei; sed etiam omni ejus usui & augmento omne meritum abrogetur, eadem sors erit necessariò cæterarum actibus virtutum; cùm nulla disparitatis ratio probabilis unquam designanda sit.

Habent itaque Libertini campum amplissimum, quo se contra novæ Ecclesiæ Apostolos defendant; non enim ostendere illi unquam poterunt, ullam seriam, ullam non superfluam; non ridiculam in suo systemate adhortationem esse ad justitiam, ad ullum opus supernaturale, ipsamque beatitudinem. Non plus rationis erit aut justitiæ in exprobrationibus & suppliciis propter conversionis ad fidem & pœnitentiam, vel cujuscumque boni operis omissionem.

7 Patet proinde, quidquid larvati hypocritæ, cum ementito suo rigore simulent, aut dissimulent, novam istiusmodi Ecclesiam aliud reipsa non esse, nisi verissimum dissolutionis, incuriæ, socordiæ gymnasium, seminariumque educationi Libertinorum à suis fundatoribus magnâ industriâ elaboratum. Patiantur ideo nostri hic præposteri reformatores, sibi jure merito applicari, quod ipsi iniquissimè audent impingere Summo Christi Vicario, Cardinalibus, & quibuscunque Sedis Apostolicæ Consultoribus, qui ad Articuli hujus censuram aliquid operæ contulerint: *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas: & cùm caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum;* ut enim quisquis ab impiis noxiæ sectæ dogmatibus alienus est, ab ea reprobus declaratur, ita quisquis finit se novitatibus initiari, statim plenus redditur *sapientiâ, lumine, & charitate*. Præbet hic quidem Jansenistarum temeritas & impudentia occasionem opportunissimam de prætensa eorum *sapientia, luminis, & charitatis plenitudine* copiosiùs disserendi; sed prosequamur nostrum potiùs de propositionibus institutum. Postea si amicis, vel etiam adversariis visum fuerit, nec locus deerit, nec materies.

CAPUT XVI.

Frustrà confugiunt Adversarii ad Sanctos Patres.

1 Liber quatuor columnarum objicit nobis S. Cyprianum, Clerum Romanum, & S. Ambrosium; singulorum sententias expendamus. Cypriani verba libro de lapsis parùm ante medium sunt: „ Emersit, Fratres dilectissimi, novum genus cladis, & quasi parùm persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum „ fallens, & blanda pernicies: contra „ Euangelii vigorem, contra Domini ac „ Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. „

Verba ab adversario allegata sunt solummodo *irrita & falsa pax &c.* si paulò prolixior describeretur sententia, mens Cypriani ad præsentem controversiam minimè pertinens, & fraus ad eam provocantis, omnium oculis patefieret. Addo igitur quæ in Cypriani textu mox nullâ voce interpositâ sequuntur: „ Pœnitentia de pectoribus excussa est: gravissimi, extremique delicti memoria sublata est. Operiuntur morientium vulnera, & plaga „ lethalis altis & profundis visceribus infixa, dissimulato dolore contegitur. A „ Diaboli aris revertentes, ad Sanctum „ Domini sordidis, & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum „ cibos.

„ cibos adhuc penè tuctantes, exhalanti-
„ bus etiam nunc scelus suum faucibus, &
„ contagia funesta redolentibus, Domini
„ corpus invadunt. „

De hoc crimine totus agit Cypriani liber; & contra eos, qui reconciliati in speciem fuerant à Presbyteris, nullam ad reconciliandos publicos tanti criminis reos, habentibus authoritatem, Episcopo non consentiente: ut vel ex hoc libri argumento, prout in editione Parisiensi anni 1603. præfigitur, manifestum est. „ Graviter increpat (Cyprianus) lapsos, quòd ad prima statim verba minantis inimici idolis sacrificaverint, & non potiùs juxta Christi consilium secesserint. Item quòd jam sacrificiis maculati, contra Euangelii legem, ante expiata delicta, ante Exomologesin criminis factam, vim inferrent corpori & sanguini Domini, & communicationem ac pacem à quibusdam Presbyteris sinè Episcopi sententia extorquerent. „ Hinc perspicax Lector objectionis vanitatem facilè detegit; sed quia insipientibus etiam debitores sumus, cam solis radiis patulam exhibeo.

S. Cyprianus ait, lapsorum istorum in idololatriæ flagitium, absolutionem irritam esse, quia casus erat Episcopis reservatus, cui annexa erat excommunicatio, etiam reservata, adeòque evidens erat, quòd absolutio excederet potestatem Presbyterorum, à quibus inanissimè conferebatur; & quidem contra dispositionem Canonum de pœnitentia publica absolutioni præmittenda criminis tam enormis, & pessimum præbentis fidelibus exemplum.

Quam, quæso, connexionem habet istiusmodi antecedens S. Cypriani cum hac novaturientium conclusione: Differenda igitur semper est, vel quasi semper, absolutio cujuscunque peccati, etiam non reservati, non adeò gravis, non publici, non perturbantis Ecclesiam, non scandalizantis proximum, cuique nulla annexa fuerit censura? Talibus [rationum fallaciis, dicam, an stolidis ineptiis] opus est ad accusandam hujus temporis Ecclesiam, & praxim tot seculorum usu probatissimam, ad damnandos passim omnium Ordinum & Regionum Confessarios, Episcopos, imò Summos Pontifices quòd cam tum adhibeant ipsi, tum minimè prohibeant cæteris; sed oppositarum potiùs opinionum proscriptione sæpiùs confirment!

2 Prorsus simile est, quod opponitur ex Epistola Cleri Romani ad Cyprianum, quæ inter hujus S. Patris epistolas refertur trigesima prima. Scripta est, Sede vacante post obitum Fabiani, contra *Libellaticos*, sive ut Clerus ipse explicat, „ Adversùs eos, „ qui se ipsos infideles illicitâ nefariorum „ libellorum professione prodiderant, quasi „ evasuri irretientes illos Diaboli laqueos „ viderentur, quo non minùs, quàm si ad „ nefarias aras accessissent, hoc ipso, quòd „ ipsum contestati fuerant, tenerentur. „ Quo nempe libello supplice Magistratibus oblato, ne idolis victimas offerre cogerentur, pecuniâ redimebant. Hanc socordiam Christiano nomini probrosam Ecclesia tunc graviter prohibuit, & contra delinquentes excommunicationem, & pœnas publicas constituit, vetans; ne priusquam illâ peractâ, reconciliationis beneficium eis quisquam concederet.

A Libellaticis procedit Clerus ad sacrificantes idolis. „ Contra illos [inquit] „ qui illicitis sacrificiis manus suas, atque „ ora polluerant, pollutis ante mentibus „ propriis, unde etiam sunt ipsæ manus, „ atque ora polluta, fidem nostram con- „ sensumque monstravimus. Absit enim ab „ Ecclesia Romana, vigorem tam profana „ facilitate dimittere, & nervos severita- „ tis eversâ fidei majestate dissolvere; ut „ cùm adhuc non tantùm jaceant; sed & „ cadant eversorum fratrum ruinæ, prope- „ rata nimis remedia communicationum „ utique non profutura præstentur, & no- „ va per misericordiam falsam vulnera, ve- „ teribus transgressionis vulneribus impri- „ mantur, ut miseris ad eversionem majo- „ rem eripiatur & pœnitentia. „ Nunc sequuntur verba ab Adversario objecta: „ Ubi enim poterit indulgentiæ medicina „ procedere: si etiam ipse medicus, inter- „ ceptâ pœnitentiâ, indulget periculis; si „ tantummodo operit vulnus, nec sinit „ necessaria temporis remedia obducere „ cicatricem? „

Si integram Cleri Romani, ut à nobis exhibita est, sententiam retulisset, quilibet Theologiæ tiro facilè percepisset, nihil inde subsidii pro damnato Articulo eliciendum. Hic enim nulla peccatorum distinctione, nulla limitatione absolutionem differendam statuit, ut *detur animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati &c.* At Clerus Romanus contra solos agit infamis libelli, aut thuris oblati crimine ab Ecclesia rescissos, nec ante recipiendos in gratiam, quàm crimen publicum publicâ pœnitentiâ expiassent.

Cui satisfactioni cùm certum tempus esset à sacris Canonibus præscriptum, nefas erat

erat extra mortis periculum pœnitentiæ tempus contrahere. Unde, licèt contritio hominem Deo reconciliasset; pœnitentiæ tamen tempus ad tollendum scandalum expleri debuit; pax verò, reconciliatio, Sacramentorum communicatio concessa priùs contra præceptionem Ecclesiæ, non modò prodesse non poterat; sed etiam ad Sacramenta accedentem novo crimine maculabat, & sacrilegio.

Patet itaque talis sceleris *obducendæ cicatrici necessaria esse statuti temporis remedia*, quæ non sunt aliis delictis cicatricem istiusmodi non inferentibus, neque Ecclesiæ Canone comprehensis. De solis istiusmodi criminibus reservatis, & excommunicationis vinculo subjectis sermonem Clero Romano esse noverat adversarius; verùm circumstantias adeò perspicuè Cleri sententiam restringentes supprimere subdolo silentio voluit, ut eum de peccatis omnibus sinè limitatione scripsisse confingeret. Quomodo enim falsitas nisi offuciis & fraudibus veritatem Constitutionis Apostolicæ auderet aperto Marte lacessere?

3 Non plus candoris auguror in Ambrosianæ Sententiæ oppositione. Affertur quasi lib.2. de Pœnitentia cap.9. dixerit; *Velle statim reddi participationem Sacramentorum, non est se velle solvere, sed Sacerdotem ligare*. Quæ sententia nec verbis, nec sensu convenit cum Ambrosiana. Sic enim S. Pater: „ Nonnulli ideo poscunt pœni-„ tentiam, ut statim sibi reddi communio-„ nem velint. Hi non tam se solvere cu-„ piunt, quàm Sacerdotem ligare. Suam „ enim conscientiam non exuunt, & Sacer-„ dotis induunt, cui præceptum est: No-„ lire Sanctum dare canibus, neque mise-„ ritis margaritas ante porcos.

Discrimen utriusque sententiæ est, quòd prior dogmatica, & generalis sit, posterior facta solummodo afficiat singularia *nonnullorum*. Illorum videlicet, qui *poscunt pœnitentiam* publicam, *ut statim sibi reddi communionem velint*, repugnantibus Ecclesiæ Canonibus, qui communionem publicis pœnitentibus denegant. Ambrosium agere de pœnitentia publica patet ex antecedentibus, & consequentibus. Sic enim illic præcedit: *Plerique futuri supplicii metu, peccatorum suorum conscii pœnitentiam petunt, & cùm acceperint, publicæ supplicationis revocantur pudore. Hi videntur malorum petiisse pœnitentiam, agere bonorum. Nonnulli ideo poscunt pœnitentiam &c.* ut supra. Dein cap. seq. „ Meritò reprehenduntur (in-„ quit) qui sæpiùs agendam pœnitentiam „ putant, qui luxuriantur in Christo. Nam „ si verè agerent pœnitentiam, iterandam „ postea non putarent: quia sicut unum „ Baptisma, ita una pœnitentia; quæ ta-„ men publicè agitur. Nam quotidiani „ nos debet pœnitere peccati: Sed hæc „ delictorum leviorum, illa graviorum. „ Faciliùs autem inveni, qui innocentiam „ servaverint, quàm qui congruè egerint „ pœnitentiam „. Denique totus liber, excepto brevi incidenti superiore, & quasi parenthesi de peccatis levioribus, est de Pœnitentiâ publicâ, à cujus legibus, & oneribus deductum ad privatam pœnitentiam argumentum, ut ex probatis liquet, non potest esse nisi inanissimum.

CAPUT XVII.

Frustrà recurrunt Adversarii ad S. Carolum.

1 HUygeniana Lovanii *Methodus remittendi, & retinendi peccata* pag.50. ex S. Caroli Instructionibus ita monet: *Consultum est, differre absolutionem adolescentibus, qui in otio vitam agunt, qui luxui dediti amores inhonestos sequuntur, & confessionem differunt usque ad ultimos Quadragesimæ dies.*

Eundem S. Caroli locum intorquent in nos Hexapla, sed inanissimè; cur enim differre illis absolutionem in S. Caroli Sententia *consultum*? An propter illimitatam hanc Quesnelli regulam de *dando animabus tempore portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, & incipiendi ad minus satisfacere Justitiæ Dei antequam absolvantur*? Nequaquam; Sed en rationem, quam S. Carolus dat tum in ipsis suis primis Instructionibus, tum clariùs in Concilio Mediolanensi quinto, tit. DE IIS QUÆ AD SACRAMENTUM POENITENTIÆ: „ Parochus singulos, „ eosque præsertim, qui perrarò confi-„ tentur, moneat, ut ne Confessionem in „ postremos illos Quadragesimæ dies dif-„ ferant, quibus Sacerdotes ob mysterio-„ rum Celebritatem, assiduâ divinorum „ occupatione ab audiendis confessionibus „ impediuntur, vel frequenti tunc fide-„ lium concursu defatigati, ita in eo ipso „ munere præstando ferè opprimuntur, ut „ tantum, tamque salutare ministerium in „ confertissima multitudine vix rectè eis „ præstare queant.

Quemadmodum in ea Belgii Civitate, quæ novitatum, & rigoris quasi Metropolis aliàs

aliàs habebatur, in omnium, cùm olim ibi degerem, oculos incurrit, & per ora vulgi vagabatur, quod præcipui à Regularibus aversi, & addicti novatoribus, Dominicâ *in Albis* unum eundemque Confessarium obsiderent, obruerentque usque & ultra meridiem: is autem minimè rigidus, sed benignissimus è Religiosa familia Seniculus, cæcus, natione extraneus, & linguæ Belgicæ vix tenuiter gnarus erat, atque hi pœnitentes non è vulgo, non adolescentes, sed viri, & ex majoribus dicebantur, quorum ora magis sonabant disciplinam S. Caroli, quàm vita, & opera sequerentur. Quæ res adeò publica, & obnoxia scandalis, plebi, ac juvenibus risum movit, cæteris, præterquam Novatoribus, indignationem.

2 Alius S. Caroli locus objici solitus est ex primis ejus Instructionibus: „ Consultum est differre absolutionem, donec „ evidens appareat emendatio in iis, qui „ tametsi dicant, & polliceantur, quòd se „ eximent peccato; tamen Confessario „ probabilem metum faciunt, ne contrarium contingat „. Verùm non de omnibus promiscuè peccatoribus agit S. Carolus, ut Propositio damnata, sed de iis, qui prava consuetudine implexi sunt; neque differendam iis censet absolutionem, donec inceperint ad minus satisfacere Justitiæ Dei; sed quia Confessario probabilem metum faciunt, quod se non eximent peccato.

Neque status peccatoris per se sufficit ad faciendum metum probabilem, juxta S. Carolum, sed ex singularibus circumstantiis metus concipiendus est, *Si*, inquit, *peccatores cum toto anno in peccatis hæserint, confessionem differant contra ejus mandata ad ultimos Quadragesima dies: si multis annis in peccatis perseveraverint, nullâ adhibitâ operâ in emendationem vitæ: si occasiones vitare non proponant: si cùm proposuerint, & promiserint, fidem in Confessione datam de illis dimittendis, fregerint, præsertim sæpiùs; si concubinam non dimittant: si contractus contra ejus consilia initos non resciderint: si Episcopali monitorio super rebus deperditis non paruerint.*

Talesne circumstantiæ reperiuntur passim in confitentibus peccata? Hunc locum pridem expendens quidam in Lovaniensi Academia zelo fidei, & legum peritiâ celebris in libello contra *novissimos Casuistas*: Tradunt, inquiebat, Jurisperiti hoc axioma quòd, *ubi legislator regulam suam multorum coacervatione exemplorum explicat, regula ista intrà istorum, & similium limites contineatur, & modificetur*. Tum contra præposterè rigidos illo S. Caroli textu abutentes addit: *Hoc illi attendant, antequam interpretandarum legum usurpent officium.*

3 Non voluisse autem Sanctissimum Mediolanensem Antistitem, ut absolutio omnibus, vel passim differretur; facilè colligitur ex variis ejus statutis, ac Decretis in Provinciæ suæ Conciliis. In primo Concilio tit. *Quæ ad Sacramentum Matrimonii* ait: *Curet pater familias, ut familia universa frequenter confiteatur, & Sanctam Eucharistiam sumat*. Quomodo paterfamilias curare poterit, ut familia universa frequenter Eucharistiam sumat, ubi invaluerit *modus* ille Quesnelli *plenus sapientiâ, lumine, & charitate, quo detur animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere Justitiæ Dei antequam reconcilientur*? Per Proposit. 89. *Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quòd cùm sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificiis Ecclesiæ.*

Minor requiritur dispositio ad assistendum Sacrificiis Ecclesiæ, quàm ad iis sumptione Eucharistica participandum. Transitus autem ille per gradus quatuordecim & ampliùs, tempore eget communiter non exiguo. Quod quantum in Theologorum istiusmodi sententia sit, non determinant illi quidem; sed saltem mensibus opus esse, facilè colligitur ex veterum Canonum, quam nobis identidem objiciunt, disciplinâ, quamque peccatis quibusdam enormibus decretam, insigni ignorantiâ, vel malitiâ applicant quibuscumque mortiferis, etiam occultis, neque in actus prodeuntibus externos.

Rationem nobis Theologi isti ingerunt naturalem, quia vulnera corporum lethifera multo communiter indigent tempore, ut curentur: non minore, imò majore vulnera animorum. Ita famosus Arnaldo atque Quesnello devotissimus author speciminum Moralis Christianæ pag. 133. *Ratio differendi absolutionem, donec proportionatè delictis pœnitentia peracta sit, est quia sanatio spiritualis peccatoris de lege ordinaria non minori tempore indiget, quàm corporalis, imò majori*. Qua igitur ratione Paterfamilias juxta S. Caroli monitum curare poterit, ut familia universa frequenter communicet? singulari solicitudine impedire utcunque poterit peccata suorum foràs prodeuntia; sed interiora quis in aliis cohibeat adeò, ut neque unius momenti delectatione, vel cogitatione libera delinquatur?

Dum igitur Quesnellianus Confessarius *plenus Sapientiâ, lumine, & Charitate* congruum suæ Sapientiæ modum adhibens, statuet non recedendum à regula, quæ finè limitatione à Quesnello præscribitur, *dandum tempus animabus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi Spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere Justitiæ Dei, antequam reconcilientur*, non frequentet; sed rarissimè fiet, spectatâ hominum in sæculo viventium fragilitate, ut *universa familia* reconciliationem à tali Confessario obtineat, sinaturque ad immaculati Agni convivium accedere.

4 Nos monita S. Caroli prosequamur: In Concilio tertio, tit. De iis, quæ ad Matrimonii Sacramentum pertinent, agens de parentum cura circa domesticos, & Indulgentiis Quadragesimæ: *Ut*, inquit, *Indulgentia concessa donum consequantur, diem Dominicum Quadragesimæ proximè præcedentem constituat* (Paterfamilias) *quo illi confessi omnes simul Sacram Eucharistiam sumant.* Tam Christiana regula familiis omnibus à S. Carolo sanctissimè præscripta, in quàm paucis, & quàm rarò poterit adimpleri, si ei jungenda fuerit Quesnelliana! Ratio jam à me ad præcedens Sancti Antistitis monitum indicata est.

In eodem Concilio tit. de Scholis: *Ut Scholares consequantur indulgentias, confessi Sacram Eucharistiam sumant, ac processionem agant solemni ritu.*

Ibid. tit. *Quædam quoad sodalitates*, agens de Indulgentiis, quæ sodalibus concessæ sunt, ait: „ Quique in oppido, locove in „ unum convenientes, primùm contriti, „ & confessi Sacram Eucharistiam sumant, „ tum solemnem processionem agant, per„ petuâ gratâque memoriâ prosequentes „ concessi sibi spiritualis doni gratiam.

Quanta hic in Sodalitatibus, & superius in Scholis perturbatio, atque multorum infamia oritura est, quando omnibus ex regula ab ipso Concilio præscriptâ, Corpus Domini simul sumentibus, omnes alicujus noxæ lethiferæ, etiam solummodo internæ, Rei, negatâ absolutione, non poterunt indulgentiæ, atque ipsius Divini corporis participes fieri: unde status eorum peccato mortifero inquinatus facilè omnibus innotesceret! Frustrà ab adversariis retorquebitur argumentum de consuetudinariis, & aliis quibusdam certò indispositis; nam & hi in Scholis, & sodalitatibus, imò & familiis Christianè educari solitis rariores sunt, & defectum dispositionis liberum tollere semper possunt; non autem omnis mortiferi delicti reatum ita, ut in Confessione exprimere non teneantur.

5 In Edicto, quo convocatur Concilium Provinciæ quartum, ita S. Carolus: *Die Dominico Provinciale Concilium proximè præcedente, primùm verè pœnitentes, & confessi Sacram Eucharistiam sumant.* In eodem Concilio quarto tit. de Peregrinationibus: *Cùm primum ad peregrinationis locum pervenerit, Confessario probato confiteatur, & Missam Sacerdos celebrare, & Sacram Communionem Clericus sumere curet.* Ibid. *Ad Sacra loca, quæ religiosè visitaturi sunt, meminerint, nihil aliud sibi propositum habeant, quàm ut aut Jubileum, Indulgentiamve consequantur, aut vota sanctè persolvant. Itaque primùm confessi, cùm Sacram Eucharistiam sumpserint, tum religiosè statas Sanctorum Ecclesias visitent.*

Non est verisimile, quòd S. Carolus supposuerit, differendum adeò passim absolutionis beneficium, quando primam voluit esse ad loca pia peregrinantium curam, ut ad consequendam in termino Indulgentiam, pieque persolvenda vota, primùm confiterentur peccata, & Sacram sumerent Eucharistiam, tum religiosè statas Sanctorum Ecclesias visitarent.

Si enim illic pœnitentiæ administri Quesnelliano fuerint imbuti principio, *Modo* scilicet illo *pleno sapientiâ, lumine, & Charitate, dandi animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere Justitiæ Dei, antequam reconcilientur*: imponendum statuent peregrinis istis, ut priùs *vota sua persolvant*, priùs *visitent Ecclesias*, vel potius ritu veteris pœnitentiæ ad fores Ecclesiarum hæreant, illic *cum humilitate portent, & sentiant statum peccati*; quia juxta Art. 88. *Ignoramus quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.* Qualis oriretur, dum ejusdem peregrinationis socii separationem ab Eucharistia, atque ita statum animæ peccato lethifero maculatum animadverterent. Patet igitur, S. Carolo minimè visum fuisse *Modum illum sapientiâ, lumine, & charitate plenum*, neque probasse diuturnam separationem à sanctificante gratia, Christi Corpore, & bonis cæteris, quibus anima peccando spoliatur.

6 In eodem Concilio tit. DE EPISCOPIS: „ Unusquisque de familia singulis mensibus

„ bus confessus S. Eucharistiam sumat; ut „ in Adventu à Sylverio Pontifice Decretum est, & præterea in Quadragesima „ singulis diebus Dominicis S. Communionem singulariter accipere studeant: duobus antè diebus, quàm S. Commonio „ fiat, patentâ cohortatione ab Episcopo „ de ea re familia præmoneatur „. Quod dum Episcopi atque Cardinales doctrinæ S. Caroli potissimum amantes opere exequuntur, adeò ut ipsi Domesticis suis Corpus Dominicum distribuant, difficillimè se cohibere poterūt à suspicādo peccato mortifero singulorum, qui aliquod commiserint; quia absolutionis suspensio à Sacra pariter synaxi postulat abstinentiam.

Quid autem si ipsi Episcopo, aut Cardinali humanæ quidpiam infirmitatis interiùs acciderit, suspicionem etiam ipse peccati lethiferi apud domesticos non evadet, si valeos corpore, neque alio occurrente probabili impedimento à solito abstinere debeat pietatis officio. Rursus itaque manifestum est, à S. Carolo minimè probatum fuisse modum, quem nobis adversarii tam magnificè prædicant. Neque tamen ei *sapientia, lumen, charitas* defuere, neque *ignoravit, quid sit peccatum, & vera pænitentia*, quamvis ab illimitata ista Quesnelli regula fuerit maximè alienus; quod confirmant ampliùs etiam quæ sequuntur.

Ibidem tit. DE CONCILIO PROVINCIALI: *Curet Episcopus, ut die Dominica statam Concilii diem proximè antecedente, verè pœnitentes, & confessi S. Communionem sumant* (omnes Provinciæ subditi).

Ibid. tit. MONITIONES: „ Qui Sacerdotes „ estis, Missæ Sacrificium sæpiùs facite, ac „ religiosè ad illud faciendum parate vos „ omni pietate, singulis saltem hebdomadis, atque adeò sæpiùs, omnino semper, „ cùm peccati mortalis conscii estis, alicui „ è Confessariis Sacerdotibus, ad Cleri „ confessiones audiendas constitutis, confiteamini.

In Concilio Quinto tit. I. DE JUDÆIS CONVERSIS: *Octavo quoque die confiteantur; decimo quinto quoque die rursus confessi S. Communionem sumant.*

Ibid. tit. QUÆ AD DIES FESTOS, ET SACRA TEMPORA PERTINENT: agens S. Carolus de diebus Quadragesimæ, jubet moneri populum, *ut vita Sanctitati ita incumbat, ut singulis diebus Dominicis saltem confessus Eucharistiam sumat; si singulis diebus non potest, id, quod olim in consuetudine usquque fuisse ex Nicolai primi Pontificis rescripto liquidò constat.*

In Concilio sexto tit. QUÆ AD SACRAMENTUM POENITENTIÆ PERTINENT: „ Qui negotium periculosum suscepturus est, item „ quoties rem arduam, & difficilem, etiam „ in qua nullum mortis periculum extimescendum est, aggredietur, confessus „ sumat Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum.

Ibid. tit. DE DISCIPLINA CHRISTIANA MILITUM: *Quorum*, inquit, *disciplina bis temporibus eò prolapsa est, ut multis Dei offensionibus &c.* sic monet: *Frequenti Sacræ, & Confessionis, & Communionis usu se ad bene vivendum communiant.*

7 Quàm hæc omnia remota sunt à damnato Articulo nolente, ut absolutio, adeòque communio sequatur statim post confessionem; sed exigente tempus medium, quo portetur eum humilitate, & sentiatur status peccati, & incipiat ad minùs satisfieri Justitiæ Divinæ. Quæ autem, ut jam monui perturbatio, quæ plurimorum infamia, quæ scandala in familiis non solùm privatorum; sed etiam Episcoporum, & Cardinalium, in Scholis, Congregationibus, sive Sodalitatibus, in Monasteriis virorum, ac præsertim mulierum gravissima, frequenter, & necessariò evenirent, quando praxis ista Novatorum invalesceret! Denique in omnibus S. Caroli operibus, vel Instructionibus ne verbum quidem invenies, quo exigat satisfactionem, vel ejus partem absolutioni commuoiter præmittendam. Semper dolore de præteritis, & emendationis proposito contentus est, præterquam in casibus ab ipso superiùs indicatis; præcipuè ubi relapsus frequentior est, & violata fides antea data Confessario: in talibus prærequiritur absolutioni signum securius conversionis, quale est aliquo tempore inchoata emendatio; non ad satisfactionis initium; sed sufficiens indicium doloris ac serii propositi emendationis.

Non est igitur, eur à S. Caroli Instructionibus ad Constitutionem UNIGENITUS confugiamus, cùm non minùs illæ, quàm hæc damnato Articulo infestæ sint. Neque Adversarii nostri ignorant, quidquid fortè ad fallendum subinde dissimulent, se in differenda absolutione à S. Caroli vestigiis longè abscedere.

Confessionem de hoc habemus *Ægidii Candidi* Jansenianos inter *Candidos*, & Constitutionis *Unigenitus* hostes, in Belgio famosissimi. Cùm scilicet è Lovaniensibus quispiam, qui propter præstitum aliàs Jansenistis patrocinium, ab Episcopis, & pluribus sanæ doctrinæ Theologis, veluti su-

spectæ

ſpectæ fidei habitus fuerat, ſuo & plurium ſibi adhærentium nomine typis ederet quoſdam Articulos, veluti *Pacis* Scholaſticæ conditiones, inter illos etiam hunc eſſe voluit; „Spondemus, ac promittimus, „ nullam unquam circa abſolutionem, aut „ dandam, aut differendam tradere doctri- „ nam, quæ contentum in S. Caroli Inſtru- „ ctionibus, & Cardinalis Aguirre Diſſer- „ tationibus rigorem exeedat.

Ægidius verò ſtatim pro ſolito ſuo *candore* authorem, & ſocios redarguens, *in Criticis animadverſionibus* ita monuit, *Non oportebat premittere, nos illorum doctrinæ rigorem non exceſſuros. Certum enim eſt, multos eſſe caſus particulares, in quibus abſolutionem dari jubet, aut permittit S. Carolus, in quibus nos eam dandam non putamus*. Idem faterentur Adverſarii reliqui; ſi cujus erroribus ubique conſentiunt, candorem pariter ſequerentur.

CAPUT XVIII.

Damnati dogmatis origo, & præcipui Promotores.

1 SAnctis Patribus ab errore vindicatis, ſupereſt inquirendum, quibus is potiſſimùm progenitoribus in lucem editus eſſe videatur. Primus eſt Petrus de Oſma, cujus opinio, ut ſupra meminimus, hæreſeos damnata eſt à Sixto IV. anno 1479. Bullâ, quæ incipit *Licet ea*. Pontificis ſententiam præceſſerat judicium Synodi Complutenſis. Quo gemino percuſſus error anathemate, emortuus manſit, donec reſuſcitari cœpit ab infami apoſtata Marco Antonio de Dominis lib. 5. de Republica Chriſtiana cap. 7. num. 29. & ſequentibus. Cujus veſtigiis inſiſtere non puduit Queſnelli Magiſtrum Antonium Arnaldum lib. *de Frequenti Communione* parte 2. à cap. 7. uſque ad 19. Hic autem lubentiùs patietur ſibi ducem attribui Joannem Vergerium Abbatem Sancyranum, qui non exiguam fertur in illo Opere habuiſſe partem, quam compoſuerit nomine Tractatus *de Pœnitentia*; Sed editionis gloriam reliquerit diſcipulo, qui additis quibuſdam, & mutatâ epigraphe librum inde concinnaverit *de Frequenti Communione*, ſubintelligendo de rariſſimâ.

Vix lucem hic aſpexerat, cùm plures in eo perniciem detexere, ut graves inde orti ſint animorum motus; indignatio autem tanta, ut Queſnellus ipſe in *Cauſa Arnaldinæ* præfatione fateatur quòd occaſione libri *de Frequenti Communione penè ad ignem ille depoſceretur*. „ Verùm [inquit] in Comi- „ tiis Sorbonæ extraordinariis die 14. „ Martii 1644. Decretum fuit, ut omnes „ Socii conglobatim, & in magno Comi- „ tatu adirent viros Principes Ducem Au- „ relianenſem, Principem Condæum, Car- „ dinalem Mazarinum, Illuſtriſſimum Fran- „ ciæ Cancellarium; ac ut Dominus Senior „ nomine cæterorum iis enixè ſupplicaret, „ ne Dominum Arnauld indefenſum, & „ inauditum Romam ablegari paterentur, „ faverentque potiùs in hac cauſa Sorbo- „ næ, quæ tutelam ſocii periclitantis ſuſce- „ perat, quàm adverſariorum furori, qui „ ex populi rumore alias ei tribulationes „ Romæ promittebant.

Neque tunc Arnaldo defuit plurium Epiſcoporum patrocinium, quo effectum creditur, ut Roma à Cenſura voluminis abſtineret, ne tot ei ſuffragantes Antiſtites offenderet; ſed iſtud impedire non potuit quin Alexander VIII. inter 31. Articulos Novatorum, tacito authorum nomine, proſcripſerit complures ex eodem Opere decerptos.

Inter illos eſt 16. „ Ordinem præmit- „ tendi ſatisfactionem abſolutioni induxit „ non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed „ ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, naturâ „ rei id quodammodo dictante. 17. Per „ illam praxim mox abſolvendi ordo pœ- „ nitentiæ eſt inverſus. 18. Conſuetudo „ moderna quoad adminiſtrationem Sa- „ cramenti pœnitentiæ, etiamſi illam plu- „ rimorum hominum ſuſtentet authoritas, „ & multi temporis diuturnitas confirmet, „ nihilominus ab Eccleſia non habetur pro „ uſu; ſed abuſu. 22. Sacrilegi ſunt ju- „ dicandi, qui jus ad communionem præ- „ tendunt, antequam condignam de deli- „ ctis ſuis pœnitentiam egerint. 23. Simi- „ liter arcendi ſunt à Communione, qui- „ bus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, „ & omnis mixtionis expers.

2 Quoniam verò Queſnellus memorato Sorbonæ patrocinio tunc præſtito non Operi; ſed Authori, tantopere exultat, reſponſo facili hæc ejus reprimetur jactantia, ſi dixeris, illius temporis Sorbonam deceptam ejus hypocriſi, quæcumque in libro *de Frequenti Communione* duriùs dicta, benigniùs interpretatam, aliàs labore exiguo deprehendere in eo potuiſſe propoſitiones affines eis, quas ſex annis ante in Claudii Sequenotii libro de Virginitate damnaverat. Sed neque tunc Arnaldi animum

num satis noverat in novam hæresim propensum, & in defendendis contra censuras erroribus contumacem, uti anno 1656. luctuosis didicit experimentis.

Sed de his alibi; & nos quidem Operis *de Frequenti Communione* qualemcunque gloriam Arnaldo, si ejus Sectatores voluerint; non invidebimus: attamen eandem fuisse Vergerii Sententiam negari non poterit. De eo juridicè interrogatus Dominus Joannes de Jovaud Sacerdos, & Abbas Religiosus Cisterciensis, atque ejusdem Ordinis Secretarius testimonium jurejurando confirmatum dedit anno 1638. 17. Junii, quòd eum afferentem audiverit: *Contritionem perfectam ad Pœnitentiæ Sacramentum esse necessariam, imperfectam, sive attritionem non sufficere. Ante absolutionem Sacramentalem præsupponi remissionem peccatorum contritione impetratam: Absolutionem non esse nisi declarationem remissionis: perperam conferri absolutionem statim post confessionem: usum hunc communem quidem esse; sed abusus potiùs nomine appellandum.*

Prænobilis Alexander Colas Dominus de Pormorant Sacerdos, & Abbas Commendatarius per Sacros ordines jurans, postquam varia de Sancyrano testatus est, *Dominus*, inquit, *le Feron in Civitate Carnotensi Canonicus, magnificus Sancyrani encomiastes similia mihi principia occinuit, inter cætera; Pœnitentes nimis facilè, & nimis citò à Confessariis absolvi: debere eos multo tempore relinqui in lacrymis, & singultibus, donec de peccatis perfectè conterantur: sinè contritione perfecta absolutionem esse invalidam. D. le Fevre ejusdem Civitatis Canonicus mihi asseruit, D. le Feron eadem sibi principia conatum inculcare, tanto molimine, ut videretur sibi velle cerebrum subvertere.*

Quam sententiam inter minimè probabiles; sed quodammodo risu dignas rejicere visus est Cardinalis Toletus lib.3. Instructionis Sacerdotum cap.12. *Ridendi*, inquit, *Sunt illi, qui dicunt: Ego absolvo te ab omnibus peccatis confessis, contritis, & oblitis. Superflua duo verba addita primum, & tertium: Secundum autem malè ponitur; nam absolutio est peccatorum non solùm contritorum; sed etiam attritorum.*

3 Die 19. ejusdem mensis Junii 1638. Maria de Aquaviva Filia Ducis d' Atri Religiosa Ordinis S. Benedicti testata est, *Monasterii sui superiorem multo tempore, quale est quatuor, vel quinque mensium abstinuisse à Sacra Confessione, & Communione, quo tempore eam Sancyranus exercebat operibus pœnitentiæ.*

Illustrissimus D. Sebastianus Episcopus Lingonensis à Sancyrano, antequam eum satis nosset, deceptus adeò fuerat, ut eum dirigendis Monialibus præficeret, Dein jussu Regio de eo interrogatus anno 1638. 10. Julii, postridie adivit Summum Regni Cancellarium, eique tradidit declarationem, quam mensibus aliquot ante à se conscriptam miserat ad Reverendissimum D. de Harlay Episcopum Maclovienſem, in qua inter cæteras Sancyrani Sententias testatur esse: *Sacramentum pœnitentiæ non delet peccata: Communio plus valet ad delenda peccata, & disponendum hominem ad beatam mortem, quàm Confessio, ideò magis expedit peste infectis, aliisque moribundis administrari Sacramentum Eucharistiæ, quàm Pœnitentiæ.*

Verba absolutionis non operantur remissionem; sed declarant tantùm. Contritio ad Sacramentum pœnitentiæ omnino necessaria est, ut peccata remittantur. Verba Concilii Tridentini explicanda sunt de contritione, ut à quibusdam Lovaniensis Academiæ Doctoribus explicantur, aut dicendum, quòd Concilium in hoc Articulo erraverit. Hac occasione affirmabat, non posse haberi fidem ejusdem Concilii definitionibus; quia celebratum non fuit juxta morem Conciliorum veterum. Quæ assertio dignior est Lutheri, aut Calvini asseclâ quàm Romanæ Ecclesiæ filio.

4 Alii, licèt à Tridentini sententiâ recesserint, de eo tamen reverentiùs loquuntur, eique consentientes videri volunt. Quapropter dum in pœnitente charitatem exigunt per se justificantem, negant tamen sententiam Sacerdotis solummodo declarationem esse peccati contritione remissi; sed, inquiunt, remittit & ipsa peccatum, licèt antea condonatum, sicut in omnium sententia peccatum idem sæpius aboletur.

Hæc novitatis defendendæ via placuit Joanni Neercassellio Episcopo Castoriensi, cujus liber *Amor pœnitens* à Sede Apostolica prohibitus est, donec corrigatur. In opinione ejus veritati minimè consentaneâ neque Baptismus, neque Pœnitentia essent Sacramenta mortuorum, cùm vitam, seu justitiam semper & necessariò præsupponerent, quòd communi fidelium sensui adversatur.

Michael Bajus contritionem charitate perfectam ad Sacramenta mortuorum requirens, negat illam sinè Sacramento peccata remittere, Propositione inter damnatas à Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. trigesima prima: *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona,*

na, & fide non fictâ, tam in catechumenis, quàm in pœnitentibus potest esse sinè remissione peccatorum Prop. 32. *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum*. Prop. 33. *Catechumenus justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur*. Proposit. 43. *In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, & in catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio separata tamen à remissione peccatorum*.

5 Cardinalis de Lugo Disput 5. de Pœnitentia sect. 8. impugnans sententiam, quæ ad absolutionem requirit amorem Dei super omnia, & simul negat, cum extra Sacramentum peccata remittere, num. 118. dicit *videri, quòd Sylvius ejus propugnator desumpserit ipsam ex Molano, & Guilielmo Estio*, Addit autem Cardinalis alioqui censurarum parcus; *sed de utroque curandum non est; fuerunt enim Discipuli Baji, cujus doctrinam quacunque viâ possent, tueri vellent. Nullum itaque potuit extra Baji scholam pro se afferre, ex omnibus Scholasticis, ut appareat, hanc sententiam esse in re gravissima contra omnes prorsus Theologos*.

Quanquam Bajus in sua Apologia ait, se remissionem peccatorum non denegasse charitati ardentissimæ & perfectissimæ, qualis fuit in Magdalena; sed charitati, quæ communiter perfecta appellatur; quia Deum, & ejus amicitiam præfert rebus omnibus, etsi non maximè inflammata sit. Inficiatus itaque solummodo Bajus fuit, si ejus Apologiæ credimus, charitatem Dei, quam vocamus appretiarivè summam, ante Sacramentum peccata remittere, nisi simul fuerit intensissima. Istud Bajo afferenti ægre credunt quidam aliàs ejus discipuli, qui cùm eandem sententiam teneant, videantque articulos in ejus sensu damnatos, asserunt, Bajum ante crudiùs locutum, & deteriùs sensisse, quàm in Apologia professus sit.

Ita discipuli malunt Magistrum arguere mendacii, quàm acceptam ab eo deponere falsitatem. Hi amorem Dei super omnia benevolum, si intensissimus non sit, contritioni sufficere non existimantes, ad imperfectionem attritionis rejiciunt; cùm tamen & ipse satis arduus sit, neque cum se passim in confitentibus deprehendere arbitrentur, nisi externis pœnitentiæ operibus aliquo tempore comprobatum, atque hæc ratio eis apparet sufficiens, ut differatur absolutio.

Non enim promptam adeò existimant illi contritionem, quàm cæteri in Ecclesia Theologi, qui cum S. Francisco Salesio in discursu spirituali 18. ad interrogationem: *Quomodo contritionis tuæ actum exiguo tempore elicere poteris?* Respondet *Deo vix opus esse tempore, ut rite eliciatur*. Neque juxta hunc Salesii sensum interpretabuntur illud Ecclesiastici 5. v. 8. *Ne tardes converti ad Dominum*: neque illud S. Basilii in admonitione ad filium spiritualem, *Quando te peccatis obnoxium senseris, ad pœnitentiam citò converti ne confundaris*: neque istud S. Augustini serm. 58. de tempore: *Si quis templum Dei in se violando destruxerit, de Dei misericordia non desperet; sed citò de malo iniquitatis suæ consurgat*.

Nihil is moratur fatuam Novatorum sapientiam, & tectam charitatis nomine crudelitatem, atque exitialem socordiam, quâ malint communiter, & tempore non exiguo *portare*, ut ajunt, *cum humilitate & sentire statum peccati*, manere Dei hostes, incapaces omnis meriti & satisfactionis, æternæ autem damnationis periculo expositi, monente nos sapientiùs Salvatore ut semper vigilemus in justitia; *quia qua hora non putatis filius hominis veniet. Luc.* 12.

Sed & inter recentiores illos, aliqui apertiùs, atque adeò duriùs sensum suum exprimunt: alii, etsi à communibus Theologorum dogmatibus alieni, affectant nihilominus communes quasdam verborum formulas, quasi rigoris sævitiem studentes vocibus mitioribus, & ad declinandam invidiam velut arte compositis temperare.

In priorum classe fuerat Jansenii discipulus, qui in Thesibus Lovanii anno 1670. sinè tergiversatione asserere ausus est, *Non potuit Tridentina Synodus vel insinuasse attritionem sufficere cum Sacramento*.

6 Alius recentior Seminarii Namurcensis Professor in Dictatis q. 6. de Contrit. §. 4. *Minimè admittimus, quòd sententia de sufficientia attritionis in Sacramento pœnitentiæ sit probabilis*. Sed prudentiùs censuit Episcopus, neque hanc Professoris sui sententiam esse probabilem, neque Professorem ipsum diutiùs in cathedra esse tolerandum. Hujus Magister Lovanii authoritate Innocentii XI. & Caroli II. Regis Catholici exclusus Regentium Doctorum numero, amorem Dei super omnia attritioni necessarium requirebat istinsmodi, qui esset *usque ad contemptum sui*. Cùm autem is non facilè appareat in pœnitentium vulgo, dum peccata confitentur, differenda communiter est absolutio contra totius sensum, & usum Ecclesiæ.

Ad-

Ad sedandas autem populi querelas de periculo, cui salus exponitur, si mors subira attritos ante absolutionem opprimeret; fingunt attritionem in casu necessitatis absque Sacramento, cum solo ejus voto peccata remittentem. In hac sententia nullus unquam periret, aut exponeretur periculo defectu Sacramenti; vel enim sufficiente ad absolutionem accipiendam attritione dispositus est, eaque tunc sola juxta novos Theologos in necessitatis articulo, sinè Sacramento justificat, vel caret eâ attritione, sinè qua absolutio omnis sacrilega est. Idem est de Baptismo.

Quomodo ergo Julius I. Pontifex canon. 12. causa 26. q. 6. definit: *Si Presbyter morientibus pœnitentiam abnegaverit, reus erit animarum*? Cœlestinus I. ibid. can. 13. *Agnovimus pœnitentiam denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitûs sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. Horremus tantæ impietatis aliquem inveniri.* Unde Catechismus Romanus 2. parte cap. 5. *Ex fidei Catholicæ doctrina omnibus credendum & constanter affirmandum est; si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque inposterum non peccare constituat, etsi ejusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, vi clavium scelera omnia remitti, ac condonari.*

Sed aliud novæ Theologiæ principium, suis animarum Pastoribus percommodum est, ut si nocte intempestâ, aurâ insalubri ad moribundum pauperem evocentur, excurrere differant in multam lucem; cùm vel pœnitens sit saltem attritus, quantum ad absolutionem necessarium est, quo supposito, Sacramenti desiderium pro susceptione erit; vel destituitur tali attritione, atque ita absolutionis est incapax. Hìc habes Lector originem novitatis, & fructum aliquem, cæteros totâ descripsimus disputatione.

Propositio damnata octogesima octava.

Ignoramus, quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatũ spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem: *Observ. Mor. Lucæ* 17. *v.* 12.

CAPUT I.

Propositio impugnatur.

1 NEscio, an locum Scripturæ magis contrarium seligere Quesnellus potuerit quàm eum, cui veluti proprio affingitur novaturiens Observatio: Illic nempe Euangelista de Christo narrat, quòd, *Cùm ingrederetur quoddam Castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè, & levaverunt vocem dicentes: Jesu præceptor miserere nostri: Quos ut vidit, dixit, ostendite vos Sacerdotibus. Et factum est dum irent, mundati sunt.* In quem textum Cornelius à Lapide sic animadvertit: *Videntur hi decem leprosi conspirasse, ut simul Jesu occurrerent, ac communi voce sanitatem flagitarent, itaque quasi manu factâ, Jesu clementiam expugnarent.*

Quam nacti sunt recuperandæ valetudinis opportunitatem, arripuerunt avidè; nam in medicorum vulgarium arte nihil sibi spei reliquum arbitrati, superioris ordinis medicum conveniunt; precibus exorant, ut qui mirificâ adeò in morbos omnes agnoscebatur præditus potestate, tam benignus, ut nullius preces repelleret, suâ etiam eos beneficentiâ non destituat. Misericordiam itaque implorantes *Jesu præceptor*, inquiunt, *miserere nostri*: non differri sanitatis gratiam postulant; sed præstari quantocyus. Christus autem remisit eos ad Sacerdotes, non ut ab eis curarentur; *dum* enim *irent, mundati sunt*, antequam ad Sacerdotes pervenerint; sed legem Christus im-

pleri voluit, & ut ab eis judicati mundi, statim convictui hominum restituerentur & templo.

2 Quid igitur movere Observatorem moralem potuit, ut ex hoc loco absolutionis non exiguo tempore differendæ emungere voluerit necessitatem? Quid, ut ne desiderare quidem mox sanitatem animæ liceat? Sed cui errorem, etiam præsidio Scripturarum stabilire fixum animo est, cùm textus sacer falsitati subveniens frustrà quæritur, invitis etiam divinis oraculis fingendus est.

Nusquam Spiritus Sanctus peccatoribus suadet, ut aliquo tempore in peccato hæreant, ut portent, & sentiant aliquandiu statum peccati, ut separationis à Divina gratia, & tot annexis ei donis cœlestibus ferant confusionem, antequam Deo reconciliari cupiant, & *restitui possessioni illorum bonorum, quibus eos peccatum spoliavit*.

Prorsus oppositis Dei monitis sacri Codices pleni sunt. Ecclesiasticus cap. 5. v. 8. clamat ad peccatores omnes: *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te*. Isaiæ 65. v. 2. & Rom 10. v. 21. Deus ait: *Expandi manus meas totâ die ad populum non credentem, & contradicentem*. Expandere manus totâ die ad populum peccatorem, sinè dubio significat desiderium conversionis celeris & minimè procrastinatæ. Idem manifestè indicat ingeminata hortatio Ezech. 33. *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii; sed ut convertatur impius à via sua & vivat: convertimini, convertimini*. Isaiæ 1. v. 16. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum*.

Ratio autem conversionis atque absolutionis non differendæ additur ab Ecclesiastico supra; *subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te*.

Christus Lucæ 12. *Qua hora non putatis Filius hominis veniet*. S. Basilius Hom. de non adhærendo rebus sæculi: *Oportet nos quotidie ad demigrandum ex hac vita paratos esse, & nutum Domini fixis oculis expectare*. S. Gregorius Hom. 13. *Horam ultimam Dominus noster, id circò nobis voluit esse incognitam, ut semper possit esse suspecta, ut dum illam prævidere non possumus, ad illam sinè intermissione præparemur*.

3 Quid Concionatores omnes, Confessarii, & quicumque animarum Directores Catholici frequentius inculcant, quid sapientiùs, quid salubrius, quàm cavendum sedulò, ne quis se somno committat cum peccato mortali ob incertitudinem vitæ, ne fortè catarrho suffocatus opprimatur in somno, atque impœnitens ad inferos demergatur? Ideo cuilibet mortiferi sibi delicti conscio, si sibi consulere voluerit, curæ est ut vel Sacramento, vel si ejus copiam habere nequeat, perfecta contritione expietur. Inauditum autem hactenus in Ecclesia fuit novaturientium dogma, esse optabile peccatori, ut diu relinquatur in crimine, diu maneat Dei hostis, & æternæ obnoxius damnationi. Horrent Christianæ aures, horret animus quicumque non atheus; certè horrere debet, & tam anti-Christianum principium detestari. At ægre ferent adversarii tam candidè, tam apertè, infandi dogmatis à me propalari perniciem, obscurioribus à Quesnello terminis, & pietatem quodammodo referentibus callidè subornatam, ut virus solet aureo calice propinari. Non crudis vocibus asserit, optandam peccatori in criminibus perseverantiam; sed quod idem reipsa est, optandum ut diu careat bonis, quibus peccando fuerat spoliatus.

Quæ porrò ea bona sunt? Gratia sanctificans, charitas cum omnibus virtutibus infusis, quæ charitatem necessariò comitantur, & ab ea nequeunt separari. Bonum istud est amicitia Dei, status filiorum, jus hæreditatis, ac beatitudinis sempiternæ. Horum igitur bonorum possessioni, quibus nos peccatum spoliavit, statim restitui velle, juxta novos Theologos, non possumus, aut denuntiamur *ignorantes quid sit peccatum*.

4 Nobis verò, & Christianis omnibus, quos non obcæcaverit novitas, ex eodem antecedente conclusio deducenda apparet prorsus opposita, videlicet, quòd quando volumus statim restitui bonis, quæ jam recensui, & quibus nos spoliaverat peccatum, indicium sit manifestum, nos, quid peccatum sit, quæ ejus malitia, quæ damna inferat, minimè ignorare. Athei & libertini, scelera sceleribus cumulantes, nequaquam soliciti sunt de recuperatione bonorum, quibus eos sua crimina privarunt; quia neque quæ bona sint, neque quid peccatum, intelligunt.

Quam & nobis solicitudinem, quod desiderium si eximere novi Theologi studeant, ignoscere nobis debebunt, si coacti dixerimus, eos hìc libertinis & atheis suffragari, atque ignorare ipsosmet quodammodo, quid sit peccatum; aversio nempe à Deo, infinitæ Majestatis offensio gravis, privans nos bonis omnibus, quæ reddere

dere beatos poterant, & malis omnibus, iisque perpetuis reddens obnoxios. Hunc horribilem reatum, hanc abyssum malorum omnium effugere non possumus, nisi restituamur bonis illis, quibus nos peccatum spoliaverat; malorum enim evitatio, & possessio bonorum inseparabili inter se societate junguntur.

Quisquis igitur in bonorum privatione manere desiderat, necessariò vult protrahi simul malorum omnium reatum. Vel ergo ignorant hæc adversarii, quæ ad fidem certissimè pertinent, neque à pueris prima fidei elementa callentibus ignorantur; vel si hæc adersarios non fugiunt, quomodo ipsi ab imprudentia summa, imò ab insigni malitia excusabuntur, qui prohibeant, ne velimus statim à peccato liberari, sive, quod idem est, restitui possessioni sanctificantis gratiæ, amicitiæ Dei, hæreditati filiorum, & bonis cæteris, quibus nos peccatum spoliavit?

5 Non meliùs intelligunt adversarii, quid vera sit pœnitentia. Definitionem ejus discimus ex Concilio Tridentino; Sessïon. 6. cap. 6. ubi pœnitentiæ series ab initio describitur velut impiorum ad Baptismum præparatio: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divinâ Gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt.... & dum peccatores se esse intelligentes, à Divina Justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei Misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversùs peccata, per odium aliquod & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est... Confide fili, remittuntur tibi peccata tua: &, Timor Domini expellit peccatum; &, Pœnitentiam agite, & Baptizetur unusquisque vestrûm.* Hactenus Tridentinum.

Breviùs S.Gregorius Hom. 34. in Evangelia: *Perpetrata mala plangere & plangenda non perpetrare.* Nam ut ibidem dicitur: *Quid prodest, si peccata quis luxuria desleat, & tamen adhuc luxuria æstibus anhelet? Quid prodest, si ira jam culpas lugeat, & tamen adhuc invidiæ facibus tabescat?* Hæc est autem, quam nobis in damnato Articulo Quesnellus suadet pœnitentia. Hanc tenemus: neque tamen recedendum ducimus à sententia, quòd qui Deum atque ipsius gratiam quocumque amisit crimine, non in eo debeat velle sordescere; sed resurgere ab eo protinus.

Nullus verò hanc sui in statu gratiæ restitutionem magis ac citiùs expetere deberet, quàm qui primo Quesnelli Articulo consentiens ait: *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?* Quisquis autem inciderit in generalem impotentiam ad omne opus bonum, evidens est, quòd careat omni sufficientis gratiæ auxilio; aliàs quoque peccator esse hoc ipso desineret per Proposit. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio.*

Sinè gratia verò necessitas peccandi est in omni opere juxta Proposit. 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum: sinè gratia liberatoris.* 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.* 41. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis ethnicis, non potest venire nisi à Deo; & sinè gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.*

6 Velle igitur differri remissionem criminum; sive restitutionem sanctificantis gratiæ, quâ *per peccatum spoliati sumus*, est velle carere omni supernaturali auxilio, sinè quo nulla pœnitentia agi potest, nullum fieri opus bonum, nullum peccatum nisi altero peccato evitari: non sumus liberi nisi ad malum; nihil habemus luminis, nisi ad aberrandum; nihil ardoris, nisi ad nos præcipitandum; nihil virium, nisi ad nos vulnerandum: nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.

Videant itaque sub rigoris & pietatis larva dissolutissimi Theologi, quantum lethiferi veneni damnata sua Doctrina contineat, quomodo, dum singularem pœnitentiam invehere student, veram pœnitentiam destruant; & dum peccatores ad justitiam disponere se simulant, eos à justitia peccatis semper novis & continuis avertant. At confusionem peccatoris volunt. De hac sit

CAPUT II.

De protrahenda juxta adversarios Sac. Communionis dilatione.

1 STatim à novæ Ecclesiæ exordio Fũdatoribus ejus curas inter præcipuas fuit, sacram Communionem reddere quam possent rarissimam. Istud eorum consilium non solis proditur privatis Sancyrani Instructionibus, de quibus certissima etiam jurejurando confirmata extant plurium testimonia; sed etiam famoso Volumine *De frequenti Communione*, quod Arnaldi nomine editum, & partim ab eo, partim à Joanne Vergerio Abbate Sancyrano ejusdem magistro compositum, tota Factio velut quintum Evangelium reveretur, & defendit. Inscriptionem quoque pseudonymam, aut saltem fallacem esse perspiciet, quisquis legere librum cœperit, cujus præcipuus scopus est *frequentis Communionis* abrogatio.

Sic ibi part. 2. cap. 23. *Illam pœnitentiam, quæ est abstinentia ab Eucharistia, semper Ecclesia pœnitentis conditioni accommodatissimam, Christo acceptissimam, peccatori saluberrimam judicavit.* Ibidem *Quam*, inquit, *esse gravem pœnam ex eo apparet, quòd boni cujusque privatio, præ eâ levior videri solet. Cùm ergo Eucharistia summum in hac vita Christiani hominis bonum sit, si qua ei supersit fidei scintilla, si quis divinarum rerum sensus, nihil ei gravius accidere, vel acerbius potest, quàm ut suo vitio ab illa re, quæ votorum illi summa esse debet, prohibeatur.*

Parte prima cap. 19. in fine. *Ab Eucharistia secessione summa peccatoris demissio ac depressio, adeòque summus Dei, qui à solis honoratur humilibus, honor. ac reverentia continetur: summa denique restituendi peccatoris spes, quoniam ipsâ spondente veritate, qui se humiliat, exaltabitur.* Hæc pœnitentia multum placuit Sanctimonialibus Portus-Regii, excommunicationes Sedis Apostolicæ, & sui Archiepiscopi in Jansenii gratiam facilè contemnentibus.

Sic autem ex Janseniana humilitate, & similis pœnitentiæ spiritu despiciebant sui Ordinis consuetudinem, communicandi frequentiùs, ut etiam ante excommunicationem hebdomadis pluribus, & subinde mensibus distulisse memorentur. Quæ novitas cùm divulgaretur Parisiis, & alibi, multos offendit, nec paucis infirmioribus scandalo fuit. Suarum apologiam scripsit Arnaldus in præfatione Libri De frequenti Communione: ita quempiam velut Spiritu Sancto abreptum inducens: *Tetigit me Deus Spiritûs sui motu, & per gratiam, cui non potui resistere, volui dijudicare me ipsum, ne à Deo judicarer: volui exulare ad tempus à sanctuario visibili.* Ita novitas perniciosiore hæresi defenditur. In versione deinde Latina pro *gratia cui non potui resistere*, positum est *gratia ineluctabilis*.

Aliquoties retuli testimonium Episcopi Lingonensis de Monialibus istis, nominatim de Maria Angelica Arnaldi Sorore, quæ, cùm præfecta esset Monasterio, cui nomen à Sanctissimo Sacramento, velut cæteris præbitura exemplum, à Communione multis hebdomadis, & subinde mensibus abstinebat.

2 Quid de Communione Paschali? Arnaldus Libr. de Frequenti Communione part. 2. cap. 18. sic definit: *Qui non communicat in Paschate, modò faciat & judicio Confessarii, & ex causâ legitimâ, quæ principalis, & quasi unica est desiderium pœnitendi, reprehendi non potest.*

Ægidius Gabrielis in speciminibus Moralis Christianæ pag. 156. *Pœnitentia est maximè rationabilis causa differendi communionem Paschalem.*

Non ita Patres antiqui censuere, non ità recentiores Sancti, non ita Summi Pontifices. Et quidem Ecclesia hoc tempore universa oppositum usu comprobat.

Gennadius Augustino ferè coætaneus Libr. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. Reo occultorum criminum inter satisfactionis opera injungit, ut *jugi, imò perpetuo luctu contraria pro iis, quæ pœnitet, agat, & Eucharistiam omnibus Dominicis diebus supplex usque ad mortem percipiat.*

S. Ambrosius Augustini magister Lib. 4. de Sacramentis cap. 6. *Si quotiescumque effunditur Sanguis, in remissionem peccatorum effunditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur, qui semper pecco.* Et lib. 5. cap. 4. *Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis.* Videri quoque possunt Augustinus Epist. 118. Hieronymus Epist. 28. Cyprianus de Oratione Dominica: Chrysostomus Hom. ad populum Antiochenum: Ignatius Martyr Epist. ad Ephesios: Basilius &c.

3 S. Carolus cum Concilio suo Provinciali 6. Tit. *Quæ ad Cleri disciplinam pertinent*, de Sacerdotibus ob delicta gravia à Sacrificio suspensis sic statuit: *Sacerdotes à Missæ celebrandæ munere suspensi, frequenter, & verò præsertim Dominicis ac festis, sacram*

cram Communionem sumant. Et in Instructionibus primis sui Tractatus de Sacramento Confessionis prope finem ait: *Admoneat eos* (poenitentes) *de frequenti Confessione & Communione, & paulatim secundùm Augustini consilium in sanctam eam consuetudinem adducat, ut singulis diebus Dominicis communicent.*

De Paschali autem Communione lib. 2. Constitutionum Synodalium tit. *De S. Eucharistiæ sumptione*: ait: *Nemo Paschæ tempore Eucharistiæ sumptionem ullâ de causâ differat.*

S. Franciscus Salesius in Instructione pro Confessariis, de qualitate poenitentiæ sic præscribit: *Hæc sunt consilia, quæ Confessarius in genere præscribere, & injungere debet: inter quæ hæc existimo aliis utiliora; ut videlicet sæpissimè confessionis, & Sacratissimæ Eucharistiæ Sacramentum usurpet.*

Idem Sanctus *Introductione ad vitam devotam* part. 2. cap. 21. *Si mundani ex te quæsierint, cur tam sæpe communices; dic eis quòd id facias, ut Deum amare discas, ut te purges à tuis imperfectionibus, ut te liberes à tuis miseriis .... ut te conforte in tuis infirmitatibus. Dic eis, quòd duo hominum genera sæpe communicare debeant; Perfecti; quia omnino bene dispositi injuriam facerent, si ad fontem perfectionis non accederent: & imperfecti, ut justè ad perfectionem protendere possint: fortes, ut non infirmentur; infirmi ut fortificentur: ægroti, ut sanentur: sani, ne morbo corripiantur: & quòd tu tanquam imperfectus, debilis, & ægrotus, opus habeas sæpe communicare cum tua perfectione, tuâ fortitudine; tuo medico .... Dic eis, quòd hoc Sacramentum accipias, ut dignè suscipere discas; quia rarò fit bene, in quo fit rarò quis exercet.*

Quibus potiùs auscultemus, num quibusdam novaturientibus Theologis, nullo Ecclesiæ testimonio probatis, & quorum doctrina in plurimis damnata est Articulis, an probatissimis Patribus, & sanctissimis Episcopis, quorum doctrinam ab omni erroris noxii labe, & suspicione exemptam esse constat, ipsius judicio Ecclesiæ, ut in Horis Canonicis de Salesio legimus, qui *suis scriptis cælesti doctrina refertis Ecclesiam illustravit, quibus iter ad Christianam perfectionem tutum & planum demonstrat?*

4 Quot passim, abdicatis curis, & rebus sæculi Religioso Ordini se consecrant, ut perpetuam de peccatis præteritis poenitentiam agant, & sibi caveant à futuris, tot poenitentes publici sunt. Illis Ordinum Fundatores Spiritu Sancto afflati regulas præscripsere supremo Sedis Apostolicæ calculo confirmatas. Ullusne illorum est, qui raram illis jubeat esse Communionem Eucharisticam? Omnes frequentem commendant, plerique saltem hebdomadariam.

S. Carolus Monialibus ultra mensem Communionem differri non patitur in Concilio Provinciali 1. tit. de *Concionatoribus*: *Præficiantur Monialibus Confessores, qui semel saltem in singulos menses audiant peccata Monialium, eisque sacram Eucharistiam administrent quemadmodum Tridentinum Concilium fieri debere censuit.*

Quoscunque Sac. Inquisitionis Tribunal ad perpetuum, vel plurium annorum carcerem damnat, inter poenitentias semper exprimitur susceptio Sacramentorum Confessionis & Communionis diebus quotannis pluribus.

De Judæis ad Fidem conversis statuit S. Carolus in Concilio quinto tit. 1. *Octavo quoque die confiteantur. Decimoquinto quoque die rursus confessi sacram Communionem sumant.* Oppositum suadent novatores in Instructionibus Ritualis Electensis à Sede Apostolica damnatis, ubi titulo *de differenda aut neganda absolutione* dicitur: *Qui sacram Eucharistiam sumunt singulis Dominicis & Festis, meliùs facerent, si ad summum alternis confiterentur hebdomadis.* Quia, inquiunt hæ Instructiones erroneæ, titulo de Confessionibus generalibus, *Confessio semper fuit considerata in Ecclesia ut res minima, & facillima pars poenitentiæ.*

5 Quoties Romani Pontifices plenas peccatorum omnium indulgentias concedunt ad promovendam festi alicujus pietatem, vel implorandas fidelium pro necessitate Ecclesiæ Orationes, solita in Bullis exprimitur conditio ad fruendum indulgentiarum beneficio necessaria, quòd verè poenitentes & peccata confessi Eucharistiam sumpserint.

Si quis Arnaldi discipulus Pontifici à consiliis esset, styli hujus mutationem suaderet, ut pro *Eucharistiam sumpserint*, poneretur, *ab Eucharistia abstinuerint*; cùm nempe ea privatio summus Dei honor sit, & saluberrima hominibus se convertentibus poenitentia.

Juxta istiusmodi Theologos longè aliter respondere debuisset Innocentius XI. ad dubia, quæ circa Eucharistiæ usum & administrationem proposita fuerant. Sanctissimus ea commisit examini S. Congregationis Cardinalium, ad quos Concilii Tridentini interpretatio pertinet.

Hi

Hi prævià maturâ discussione unanimi sententiâ ita censuere, quorum judicium *Sanctitas Sua approbavit, ac præsens Decretum typis dari, ac publicari voluit* 15. Febr. 1679.

6 „ Etsi frequens, quotidianusve Sacrosanctæ Eucharistiæ usus à SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus: nunquam tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt: quos nec Concilium Tridentinum præscripsit; sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret nihil præcipiens, quid cuperet, tantùm indicavit, cùm inquit, optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent; idque non immeritò; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritûs alienationes; multæ è contra gratiæ & Dei dona parvulis concessa: quæ cùm humanis oculis perscrutari non possimus, nihil certè de cujusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui.

„ Et propterea, quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequenti fructu, & ad pietatem processu laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In conjugatis autem hoc amplius advertent, cùm B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos seriò admoneant, tantò magis ob Sacratissimæ Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriori que mente ad cœlestium epularum communionem esse conveniendum.

„ In hoc igitur Pastorum diligentia potissimùm invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana S. Communionis sumptione unicâ præcepti formulâ aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur; sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos seu Confessarios sibi decernendum putet: illudque omnino provideat, ut nemo à Sacro Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur: & nihilominus det operam, ut unusquisque dignè pro devotionis & præparationis modo rariùs, aut crebriùs Dominici corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidie Sacram Communionem petentes, admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent. Si quæ verò puritate mentis eniteant, & fervore spiritûs ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidianâ Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superioribus permittatur.

7 „ Proderit etiam præter Parochorum & Confessariorum diligentiam, operâ quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cùm fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii, suam cognoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti ac Divini judicii formidine discant cœlestem mensam, in qua Christus est, revereri: &, si quando se minùs paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere.

„ Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiæ, & judicii temperamento, alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maximè persuadebunt, nulli labori aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ & scandali susceptio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque ac dona in sumentibus augeantur. Quod abundè continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, Divinâ præstante gratiâ tenentur, seque Sacratissimo pane frequentiùs refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore & charitate assueverint: Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in cœlesti Regno se præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio, ut suam opem ad dignam præparationem & sumptionem largiatur. „

Ubi pro magis, vel minùs frequenti Communione præscribitur attendenda diversa fidelium dispositio, devotio, ac fructus, quem quisque percipere ex ea consuevit. In idoneis autem cum pietate ac fructu

fructu sumentibus frequentissimam sumptionem approbat, laudat, optat S. Congregatio, multùm aliena à novaturientium spiritu, qui devotissimas animas obtentu humilitatis & pœnitentiæ ab Eucharistia passim, & multo tempore abstrahere nititur; quia juxta novos Theologos remotio ab Eucharistia vel est præcipua satisfactionis pars, vel ab ea inseparabilis.

Sic liber à suis *Pastoris boni* nomine decoratus, pag. 266. *Fidelibus ordinariis, qui quidem in crimina non labuntur; sed agriculturæ, arti mechanicæ, vel alteri professioni dediti totos se occupant rebus temporalibus, ita ut ostendant magis in se prædominari amorem seculi, quàm Dei, non licèt vel semel in anno communicare*. Addit author *speciminum Moralis Christianæ* pag. 121. *Decrescente charitatis fervore, debet* [Eucharistia] *proportionaliter subtrahi, & si totaliter desinat, omnino subtrahi debet, donec per medicinam pœnitentiæ fervor ille reducatur*.

8 Sed quousque, ad quem perfectionis gradum, fervor reducendus est, ut communicare liceat? Respondet authoris illius magister Antonius Arnaldus Propositione 23. inter 31. damnatas ab Alexandro VIII. *Arcendi sunt à Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers*. Quod quidem Arnaldinæ sententiæ non nisi compendium est. Verba ejus sunt lib. de frequenti Communione part. 1. cap. 5. ubi in fine dicit se agere de *Dispositione necessaria pro tam adorabili Mysterio*; quam ut discamus, remittimur ad S. Dionysium, cujus longam periodum part. 3. cap. 7. refert ex Eccles. Hierarchia cap. 2. sic concludens: „ Non solum hi, „ qui à statu vitæ sanctæ, & Christianæ exciderunt, debent à templo Dei secedere; „ sed etiam ii, qui à vita mala ad meliorem „ conversi, à phantasmatibus & imaginibus, quæ remanent in ipsis ex præteritis „ excessibus, per contrariam habitudinem, „ & amoris Divini absque ulla mixtione „ puritatem nondum purgati sunt, hoc sacrificium pro se nimis sublime, suamque „ capacitatem superexcedens, judicare debent: & proinde oportet pervenisse ad „ virtutem quandam Divinam, & ex præcedenti habitu Deificam, necnon ad firmam & insuperabilem cum rebus Divinis adhæsionem, Deique perfectam „ unionem. Verbo dicam, oportet perfectum & irreprehensibilem esse, ut quis „ tantorum mysteriorum participatione dignus inveniatur. „

Quæ quidem ad animandos publicos pœnitentes, qui à *templo Dei arcebantur* congruè dicta, ut tot annorum pœnitentiam æquo animo ferrent (quanquam & hi diebus solemnioribus ad communionem, ut supra vidimus, admitterentur) falsissimè transferas ad *necessariam pro communione dispositionem*, ut sacrilegi habeantur, quicunque ad sacram mensam sinè tanta perfectione accesserint. Magistrum suum Arnaldum hic iterum in errore secutus est Ægidius Gabrielis in *speciminibus Moralis Christianæ* part. 1. pag. 108. negans, nos sinè ea dispositionis excellentia fructuosè *carnem Christi manducare, & sanguinem bibere*.

9 Audiendus nobis potiùs S. Augustinus epist. 118. *Si peccata non sunt, ut excommunicandus quisquam judicetur, non se debet à medicina Dominici corporis separare*.

Et S. Thomas 3. parte quæst. 80. art. 7. *Solum peccatum mortale, ex necessitate impedit hominem ab hujus Sacramenti perceptione*. De noxis autem levioribus ita idem Doctor Angelicus eadem parte quæst. 79. art. 8. „ Peccata venialia præterita nullo modo „ impediunt effectum hujus Sacramenti; „ potest enim contingere, quòd aliquis „ post multa venialia commissa devotè accedat ad hoc Sacramentum, & plenariè „ hujus Sacramenti consequatur effectum; „ Peccata autem venialia actu exercita non „ ex toto impediunt hujus Sacramenti effectum; sed ex parte. Dictum est enim, „ quòd effectus hujus Sacramenti non solùm est adeptio habitualis gratiæ, vel „ charitatis; sed etiam quædam actualis „ refectio spiritualis dulcedinis, quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc „ Sacramentum per peccata venialia mente distractus: non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ vel charitatis.

Unde Tridentinum Concilium etsi sess. 13. cap. 7. moneat: *Certè quò magis sanctitas, & divinitas cœlestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eò diligentiùs cavere ille debet, ne absque magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat*; nihilominus ibidem exponens illud Apostoli præceptum Epist. 1. Cor. 11. *PROBET AUTEM SE IPSUM HOMO: Ecclesiastica*, inquit, *consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sanctam Eucharistiam accedere debeat*.

Sic & piissimus Scriptor Thomas à Kempis de Imitatione Christi libro 4. cap. 5. Quamvis dicat: *Si haberes Angelicam puritatem,*

tatem, & S. Joannis Baptistæ sanctitatem, non esses dignus hoc Sacramentum accipere, nec tractare: Et licèt cap. 4. de se testetur: *peccatis oneror, tentationibus inquietor, multis malis passionibus implicor & premor*: non ideo tamen se à divinis epulis removebat; sed & cap. 10. se & omnes sic excitat atque hortatur: *Quid prodest diu tardare Confessionem, aut sacram differre Communionem? Exspue velociter venenum: festina accipere remedium... si hodie propter istud dimittis, cras forsitan illud magis eveniet*.

10 Negari quidem non potest, aliquos, præsertim in solitudine vitam sanctam duxisse, absque frequentiore Sacramentorum usu, ut diversæ donationes gratiarum sunt, idem autem spiritus, semitis diversissimis ad eundem salutis terminum perducens; verùm admiranda istiusmodi facta magis sunt, quàm vulgo ad imitandum proponenda. Nam experientiâ docemur nimiùm frequenti, communiter eos nec piè, nec multum Christianè vivere, qui rarissimè confitentur & communicant; à peccatis autem lethalibus abstinere, qui Sacramentis frequentiùs utuntur; nam usus ille frequens continuam solicitudinem ingerit, assidua conscientiæ examina, minimè differendas delictorum retractationes, prosequenda melioris vitæ proposita, accedentibus uberioribus gratiarum subsidiis, quæ ex Sacramentorum ad nos laticibus copiosiùs dimanant. Longa autem Communionis dilatio justis tepidis, & frigidis peccatoribus non adeò ingrata est, utpote commoda, & liberans à frequenti illa & solicita ad Communionem præparatione, post illam recollectione, curâque conservandi animi à peccatis, præsertim gravioribus illibati.

Quapropter ferè solis, certè potissimùm piis & sanctis ea dilatio molesta est, nisi ubi obnoxia infamiæ, ut in occasionibus superiùs designatis. Infamiâ hac etiam notantur Excommunicati, & notabantur olim pœnitentes publici, præsertim pœnitentiâ solemni. Quæ infamia proculdubio hominem humiliat, & affligit, ideoque olim imponebatur ab Ecclesia reis graviorum criminum, maximè idololatriæ, & defectûs à fide; licèt tantùm exterior fuisset, & mortis formidine extortus, quæ crimina, cùm ob persecutiones gravissimas forent frequentia, meritò videbantur requirere castigationem terrificam, quæ cæteros averteret, ne prava labentium exempla scandalum innumeris parerent & interitum. Similis pœna extendebatur etiam ad crimina quædam, licèt rariora, quæ gravem Ecclesiæ apud gentiles & hæreticos, quibus Christiani & Catholici mixti vivere cogebantur, inurebant maculam, nefandisque præbebant aditum contumeliis.

CAPUT III.

De differendæ absolutionis diuturnitate.

1 Statuunt quidem Propositiones damnatæ differendam absolutionem, & Communionem; sed longitudinem temporis non definiunt: Proinde authoris hac in re sententia ex conjecturis probabilibus accipienda est. Post Petrum d'Osma & Marcum Antonium de Dominis Archiepiscopum Spalatensem schismaticum & hæreticum, primus absolutionis usque ad peractam pœnitentiam differendæ instaurator fuit Joannes Vergerius Abbas Sancyranus in libro *de pœnitentia*, quem ut superiùs monui, Arnaldus adoptans, pluribus auctum, nomine libri *de frequenti Communione* edidit.

Illius systema in Galliis & Belgio tota dein cum Quesnello novaturientium factio secuta est. Ex Sancyrano itaque, Arnaldo & communibus utriusque discipulis, mens quoque Quesnelli, aliàs minùs perspicua, elucescet. Quanquam & hi mentem suam pertimidè prodant, & dicere malint, intrà quod tempus absolvere non liceat, quàm in quod usque absolutio differenda sit: *Qui ex infirmitate casu prorsus extraordinario, & tentatione insolitâ in crimen labitur, vitâ alioquin probatæ & Christianæ, etsi hujus frequentior, facilior, & brevior soleat esse conversio, non tamen ei mox uno alterove, aut tertio post peccatum die absolutio impendenda est*, inquit Joannes Opstraete in Thesibus Mechlin. 1690. 26. Jan.

2 Arnaldus lib. de frequenti Communione editionis Latinæ pag. 299. *Sacrilegè ac nefariè dilaceratur Ecclesia, si is, qui peccatum mortale commisit, admittatur ad Sanctam Communionem, ante actam pluribus diebus pœnitentiam*.

Piorum quorumdam confessariorum praxis est, ut pœnitentibus, quibus id utile judicaverint, suadeant, vel etiam satisfactionis loco præcipiant octo, vel decem dierum recessum ad domum aliquam Religiosam, vel Collegium, ubi exercitia Spiritus traduntur, ut soli Deo, & rebus animæ vacantes in silentio, oratione, & corporis afflictationibus, præterita delicta eluere studeant, futura meliùs disponere, atque exuto quodammodo veteri homine, induere novum

vum per omnia penitus Christianum. Parum istud est Joanni Opstraet in Theologo Christiano pag. 45. *Qui* (inquit) *cum criminibus exercitia Spiritualia ingressi sunt, ac mox post octo, vel decem dierum secessum, etsi à novis criminibus abstinuerint, credant se satis probatos, ut absolutionem accipiant*.

Longioris dilationis necessariò exigendæ rationem reddit Ægidius Gabrielis in *Speciminibus Moralis Christianæ* pag. 131. *Ratio differendi absolutionem, donec proportionatè delictis pœnitentia peracta sit, est quia sanatio spiritualis peccatoris de lege ordinariâ non minori tempore indiget, quàm corporalis; imò majori*. Et pag. 136. *Quamvis peccatores statim à peccato commisso, vel saltem cùm confitentur, essent verè contriti, & apud Deum justificati, nos, qui de externis judicamus, eos de lege ordinaria, quam per traditionem Sanctorum Patrum accepimus, & experientiâ quotidianâ comprobatam habemus, absolvere non possumus, nisi post condignam pœnitentiam justo tempore peractam, & detegamus veritatem conversionis ipsorum, & instar bonorum medicorum præcaveamus ipsorum relapsum per plenam vulnerum curationem*.

3 Quo usque extendatur *justum* istud *tempus*, dilucidè exprimere metuit, sed colligi vult ex *Traditione SS. Patrum* de pœnitentia publica agentium, & absolutionem publicam, ac Canonicam differentibus in annos plures. Alterum, ex quo pateat, ad absolutionem ipsi minimè sufficere octo, vel decem dierum secessum cum omnibus, quæ eum comitari solent assiduis orationibus, meditationibus, lectionibus Sacris, silentio, & variis corporis macerationibus est, quia sanatio plena absolutioni præmittenda est. Cùm autem morbi graves, & gravia vulnera, saltem lethalia, ut integre curentur, hebdomadas plures, & menses exigant; cumque *sanatio spiritualis peccatoris de lege Ordinaria majori tempore indigeat, quàm corporalis* juxta hunc Theologum, utcunque assequimur, cur nos ad SS. Patres, & pœnitentiam plurium annorum publicam, ac solemnem, à Sacramentali, de qua nos agimus, longè diversam hic Arnaldi discipulus remittat.

Gummarus Huygens in exprimendis animi sui sententiis minùs cæteris meticulosus, & ex familiari sibi verbo *Respondeo intrepidè: dico intrepidè*, apud multos *Doctoris intrepidi* appellationem nactus, in sua *Methodo remittendi, & retinendi peccata* pag. 54. ut mensuram temporis pro differenda absolutione discamus, remittit nos ad Canones pœnitentiæ antiquos dicens: *Consule, si lubet, Canones pœnitentiales, quibus unica fornicatio septem annorum pœnitentiâ, & decem annorum adulterium mulctabatur*. Tum addit: *Peccatores non converti sufficienter ad absolutionem, nisi mediante longâ illa pœnitentiâ*. Quod confirmat pag. 149. dicens: *Quorsum Ecclesia, si tam subitò consuetudinarios converti credidisset, institutum, quo postmodum tam diuturnam, totque annorum pœnitentiam peccatoribus injunxit?*

4 Idem in præfatione Apologetica parum ante finem: *Si dixerint, Canonum pœnitentias, quæ per duodecim sæcula observatæ sunt in occidente, & usque modò observantur in Oriente, solummodò in satisfactionem injunctas fuisse, nullatenus ut ad conversionem rite disponerent, nullo negotio redarguuntur*. Ibid. *Si ad satisfactionem solam conduxissent pœnitentia illa Canonica, nunquid potiùs post absolutionem, quàm ante illam fuisset ista pœnitentia peragenda?*

Famosus Gummari Huygens discipulus, dein Seminarii Namurcensis Professor in Dictatis §. 4. de Absolutione: *Exulcerantur animi quorumdam passim dicentium, non ferunt hæc tempora veterum Canonum, & antiqua Ecclesiæ medicamenta. Respondeo: imò ardentiùs progrediamur; quia hæc una medicina præstantissima est, maximèque opportunum id remedium, ut quibus olim rationibus disciplina Christiana lata, & propagata fuit, iisdem ipsis, & instauretur, & conservetur*.

Quæ omnia quò vergant, minimè obscurum est: ut nempe id argumenti conficiant. Non aliter agit modò Deus cum peccatoribus, non aliter eos convertit, quàm duodecim primis Ecclesiæ sæculis: neque aliter Deus convertit Occidentis homines, quàm Orientis. Ergo etiam hodie pœnitentiæ illæ canonicæ in Ecclesiam nostram reduci, & præmitti necessariò debent confitentium absolutioni.

Nolunt scilicet Theologi isti distinguere pœnitentiam Canonicam, seu fori externi, ab ea, quæ fori interni est, & ad Sacramentum pertinet: distinguendum tamen convincit communio concessa pœnitentibus tempore pœnitentiæ, sive ante reconciliationem canonicam. Ante absolutionem autem, quæ pars Sacramenti est, certum est concedi non potuisse. Sed & Canonica, absente Presbytero, in casu necessitatis conferebatur à Diacono, quod evidens est absolutioni ad Sacramentum spectanti minimè convenire.

Ipse Morinus summæ apud novos Theologos authoritatis lib. 9. de Administratione pœnitentiæ cap. 1. idem docet, quod

Catechismus Romanus, consuetudinem absolvendi statim post confessionem *esse ab ipsis Ecclesiæ incunabulis*; si enormia quædam crimina publica excipias, pro quibus debebatur pœnitentia publica. Imò cap.14. ostendit, in Orientali, seu Græca Ecclesia à duodecim sæculis huc usque servatum morem, etiam à peccatis publicis absolvendi statim: quod sub operis finem fusè probat ex libris Græcorum Pœnitentialibus. Præterea Morinus cap.6. & sequentibus usque ad 16. amplissimè demonstrat, pœnitentiæ impletionem non fuisse necessariam pro sufficienti ad absolutionem conversione, etiam in sanis, & gravissimis reis, sed absolutionem sæpe fuisse datam, vel statim post confessionē, vel impletā solùm pœnitētiæ parte.

5 Quod etiam Patres, & Canones diuturnam præcipientes pœnitentiam, non de privatā, & peccatis occultis debitā loquantur; sed de publica, & fori exterioris, patet ex Concilio Toletano primo cap.2. ubi sic declaratur: *Pœnitentem dicimus enim, qui post Baptismum, aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis pœnitentiam publicam gerit sub cilicio*. Et S. Augustinus hom.27. inter 50. *Est*, inquit, *pœnitentia gravior atque luctuosior, in qua propriè vocantur in Ecclesia pœnitentes*.

Pro inducendo in Sacramentum pœnitentiæ rigore novatores citare solent Concilii Agathensis Canonem; sed truncatione corruptum: ex integro enim evidens est, de pœnitentia publica, & quidem solemniore agi. Sic autem sonat: *Pœnitentes, quo tempore pœnitentiam petunt, impositionem manuum, & cilicium super caput, sicut ubique constitutum est, consequantur: si autem comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur: & nisi dignè pœnituerint, non recipiantur. Juvenibus etiam pœnitentia non facilè committenda est propter fragilitatem*.

Concilium Arelatense 2. can.2. statuit. *Pœnitens quæcumque, defuncto viro, alii nubere præsumpserit, cum eodem ab Ecclesia liminibus arceatur. Hoc etiam de viro in pœnitentia posito placuit observari*. Et can.22. *Pœnitentiam conjugatis, nisi ex mutuo consensu minimè dandam*. Concilium Toletanum tertium Can.11. præcipit, ut *vir tondeatur, mulier habitum mutet*.

Ex his & similibus Rheymakers, & author libri *Aliquot Propositiones novissimorum Casuistarum* pag.47. colligunt, pœnitentiæ solemni fuisse annexum votum castitatis. Saltem manifestum est, talia non convenire pœnitentiæ Sacramento: atque adeò, quæ de pœnitentiæ diuturnitate, de longa absolutionis dilatione ex istiusmodi Canonibus, & Patribus adferuntur, ad institutum minimè pertinere, nec nisi imperitis Sacerdotibus fallendis, & divexando populo, atque Ecclesiæ turbandæ esse utilia. Sed novitatis hujus fructus mox ampliùs disentietur.

6 Tam fluxis fundamentis nititur, quidquid adferri solet pro diuturni temporis pœnitentia ante absolutionem necessariā: Quale est illud Huygeni in litteris Christianis, & sententiis piis pag.11. *Censeo multos peccatores esse, quorum conversio exigat duos, tres, quatuor annos, & ampliùs, antequam capaces sint, ut à Deo veniam obtineant, & reconcilientur Ecclesiæ*. Gummarus Huygens in Methodo pag.54. *Multo tam labore, quàm tempore opus esse solet ad veræ justificationis dotem adipiscendam*.

Idem in Præfatione Apologetica ait, quod, *si laicus semel concupiisset fornicari, debuisset per biennium agere pœnitentiam*. Cui Doctori dein hæc ab aliis proposita est quæstio: *Si pendente illo biennio laicus denuò semel concupiisset, & pendente jam quadriennio, adhuc aliud occultum æquale, & sic quolibet biennio semel peccatum ejusmodi commisisset, quandonam tandem Eximius, vel discipuli ejus talem absolvent*? Respondit anonymus sat notus, quem à Libri titulo *Racematorem* vulgò vocant, Hebdomada 1. pag.8. *Vin scire, quandonam talis ab antiquis fuisset absolutus? Ut levissimè dicam, in extremo vitæ tempore*. Is modus loquendi subtimidus indicat, quid modò fieri conveniat, imò oporteat; cùm sequendos Sanctos Patres, eundem Spiritum esse, qui hodiernæ præest Ecclesiæ, & veterem direxit, semper nobis Theologi isti occlamare soleant.

Non omnes eorum tam mites esse dicuntur, ut in articulo mortis talibus absolutionem impertiant, illam in mundum alterum videntur aliqui reservare, præsertim iis qui usque ad morbum ultimum pravæ sunt consuetudine irretiti. Eò scilicet ducit sententia Joannis Opstraet in Thesibus Seminarii Mechliniensis anni 1690. 26.Jan. *Lapsum ex infirmitate tunc tandem absolves, cum per amorem Dei prædominantem, peccata infirmitatis superaverit, ac dimiserit*.

Eodem vergit, quod idem tradit in Pastore bono pag.188. *Regula, ex qua judicandum de alicujus conversione, & dispositione, est emendatio vitæ, & bona opera. Hinc sequitur, eos, qui moraliter loquendo hactenus fuerunt peccatores, debere judicari moraliter* cer-

certò non esse conversos, etiamsi dent gemitus, tunsiones pectoris, lacrymas, & his similia. Hinc confirmatur rumor, & multorum, præsertim rusticorum, querela, de quibusdam pastoribus, ubi fortè Antistitem sibi faventem, vel dissimulantem nacti sunt, miseros emori sinentibus absque reconciliatione.

7 Negandam in articulo mortis peccatoribus istis absolutionem, suadet etiam hoc Novaturientium axioma *Critici Spiritualis* adversùs P. Pluskens part. 1. pag. 3. *Pœnitentia, sive exercitium operum pœnalium, non tantùm necessaria est ad satisfactionem pœnarum, quæ reliquæ manent; sed etiam ad remissionem culpæ peccatorum, sive ad reconciliationem cum Deo*. Ibid. pag. 11. *Nihil clarius est, quàm satisfactionem planè destrui; si sequamur hoc principium: satisfactio non est necessaria* ad deletionem culpæ; sed pœnarum residuatum aliàs in purgatorio luendarum. Si nempe exercitium operum pœnalium necessarium est ad remissionem culpæ, & reconciliationem cum Deo, sequeretur, in articulo mortis datam absolutionem fore invalidam, quoties opera pœnalia exerceri nequeunt, ut nequeunt sæpissimè; unde non mirum, si talibus imbuti dogmatibus, absolutionem morientibus hujusmodi non impendant.

Eandem praxim perniciosissimam fovet Propositio 16. ab Alexandro VIII. damnata. „ Ordinem præmittendi satisfactionem „ absolutioni induxit non politia, aut in„ stitutio Ecclesiæ; sed ipsa Christi lex, „ & præscriptio, naturâ rei idipsum quo„ dammodo dictante „. Cujus falsitatem discimus ex Tridentino sess. 6. cap. 14. ut sequitur: „ Docendum est, Christiani ho„ minis pœnitentiam post lapsum multò „ aliam esse à Baptismali, eâque contineri „ non modò cessationem à peccatis, & eo„ rum detestationem, aut cor contritum, „ & humiliatum; Verùm etiam eorumdem „ Sacramentalem Confessionem, saltem in „ voto, & suo tempore faciendam, & Sa„ cerdotalem absolutionem, itemque sa„ tisfactionem per jejunia, eleemosynas, & „ alia pia vitæ spiritualis exercitia, non „ quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacra„ mento, vel sacramenti voto, unà cum „ culpa remittitur; sed pro pœna tempo„ rali, quæ ut Sacræ Literæ docent, non „ tota semper, ut in Baptismo fit, dimitti„ tur.

8 Ex diuturna absolutionis suspensione facilè percipitur ingens Eucharistiæ dilatio, imò, inquit author Thesium Lovanii 1690. 28. Julii: *Non admittimus hanc Assertionem, qui dignus est absolutione, dignus quoque est Communione*. Et Arnaldus in Libro *de Frequenti Communione* editionis Parisiensis anni 1644. pag. 23. *Non sunt ad communionem admittendi, qui nondum uni Deo perfectè uniuntur, aut penitùs inculpabiles sunt*.

Quot igitur Principes, Aulici, Regnorum, aut Rerum publicarum Administratores, Senatores, Causidici, Procuratores, Mercatores, Artifices, Opifices, Rustici ad communionem admittentur? Quid dicam de Religiosis, quibus ex sua Regula à Pontificibus approbata, sæpiùs communicandum? Quid de Sacerdotibus quotidie ferè celebrantibus, & ad hoc ex beneficio obstrictis? Verùm & ipse Arnaldus, & tot ejus libri approbatores magnifici, ac defensores acerrimi possuntne verè prædicari *Deo perfectè uniti, & penitùs inculpabiles*? Ecclesiastes cap. 7. v. 21. testatur: *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*. Proverb. 24. v. 16. *Septies cadet justus, & resurget*. Jacobi cap. 3. v. 2. *In multis enim offendimus omnes*. 1. Joannis cap. 1. v. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*.

Unde S. Augustinus lib. de natura, & gratia cap. 36. „ Hac ergo (Deiparâ) Vir„ gine exceptâ, si omnes illos Sanctos, & „ Sanctas, cùm hic viverent, congregare „ possemus, & interrogare, utrùm essent „ sinè peccato, quid fuisse responsuros „ putamus? Utrùm hoc, quod iste (Pela„ gius) dicit, an quod Joannes Apostolus? „ Rogo vos, quantalibet fuerit in hoc cor„ pore excellentia Sanctitatis, si hoc in„ terrogari potuissent, nonne unâ voce „ clamassent: Si dixerimus, quia peccatum „ non habemus, ipsi nos seducimus, & ve„ ritas in nobis non est „? Et Serm. 122. de Diversis cap. 1. „ In multis enim offen„ dimus omnes. Quis non contremiscat, „ cùm Apostolus dicat, omnes? ... Opor„ tet ergo vos esse non solùm loquentium „ auditores; sed timentium miseratores, „ ut in eo, quod verum dicimus, quoniam „ verum à veritate est, non nos; sed ipsum „ laudetis; ubi autem sicut homines of„ fendimus, eundem ipsum pro nobis ote„ tis.

Clemens Alexandrinus 1. Pædag. cap. 2. *Nil omnino peccare proprium est Dei*. Nobis sufficit Tridentinum sess. 6. can. 23. „ Si „ quis hominem semel justificatum dixe„ rit ... posse in tota vita peccata omnia, „ etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei

„ privilegio, quemadmodum de B. Virgi-
„ ne tenet Ecclesia, anathema sit.

9 Nihilominus Ægidius Gabrielis in Speciminibus Moralis Christianæ pag. 119. pergit ad communicandum exigere statum, nescio an ulli hoc tempore concessum: *Per statum*, inquit, *firmum, & immobilem in virtute Christiana homo judicari debet dignus Eucharistiâ.*

Quis homo fragilis judicare se potest in virtute Christiana immobilem? Quis ad Sacram mensam, quis ad Altare accedere præsumat, si ea conditio sit necessaria? Non tales fuisse Apostolos, non talem ipsum Apostolorum Principem, cùm Eucharistiam in Cœna ultima sumpsere, luctuosus eventus paucarum horarum spatio docuit. Apostolus 1. Cor. 4. dicit: *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum.* Non ergo columna illa Ecclesiæ tunc se in virtute Christiana firmum omnino, & immobilem arbitratus est. In quem locum S. Gregorius lib. 24. Moralium cap. 7. vel 18. „ Quid ergo facient tabulæ, si tremunt co„ lumnæ? Aut quomodo virgulta immo„ bilia stabunt, si hujus pavoris turbine „ etiam cedri quatiuntur?

Hi tamen Rigidi nostri & suis permittunt communionem, & ipsi ad aras Sacrum faciunt. Sene igitur, suosque judicant firmitate immobili in virtute præditos? S. Augustinus in sententiis à Prospero collectis sent. 365. *Divinitus*, inquit, *dictum est* (Ecclesiastici 7. v. 17.) *noli esse justus multum; quoniam non est justitia sapientis; sed superbia præsumentis. Qui ergo sic fit nimis justus, ipso nimio fit injustus. Quis est autem qui se facit justum, nisi qui dicit, se non habere peccatum?*

10 Denique si illis Rigidorum Propositionibus jungatur 23. damnata ab Alexandro VIII. *Similiter arcendi sunt à sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers*, quid aliud judicare possumus, quàm eos velle communionem tollere ex hoc fragilitatis humanæ & inconstantiæ statu, cui ex terrenis affectibus & visco concupiscentiæ adhæret semper aliquid, eamque soli beatitudinis cœlestis perfectioni reservare? Cœperant aliqui Parisiis libro, cui titulus *Corona Sanctissimi Sacramenti*, quem Sancyranus Apologiis contra Sorbonæ Censuram defendit, licet ejus author credi noluerit, tam præclari Operis gloriam transferens in Sororem Arnaldi Agnetem à S. Paulo Portûs Regii. Sic ibi legitur num. 11. *INACCESSIBILITAS: Jesus Christus maneat in se ipso, relinquens Creaturas in impotentia ad se accedendi.* Nonne istud muliere Calvinismo fatua, quàm Ecclesiæ Catholicæ Sanctimoniali dignius est?

CAPUT IV.

De humiliatione & confusione, quam à Pœnitentibus Propositio exigit.

1 Dicimur *ignorare, quid sit peccatum & vera pænitentia, quando detrectamus ferre confusionem separationis à possessione bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit.* Centum Episcoporum adversarius ait, evidens esse, quòd agatur hic de peccatore, qui absolutionis beneficio statim particeps fieri vult Corporis & Sanguinis Domini, & separationis istius confusionem ferre detrectat. Quandonam autem negari absolutio poterit, si non possit peccatori tam malè disposito?

Inter bona, quæ peccando amittimus, indubiè est communio Corporis & Sanguinis Domini: At non istud solum esse capite superiore ostendimus, & Christianis omnibus notissimum est; sed vident causæ pessimæ patroni, nimis detestabilem omnibus appariturum mox Articulum, si uti sonat, in sua intelligatur amplitudine; quod de bonis in communi assertum restringi modò cupiunt ad unum solum, videlicet Eucharistiæ.

Nullum ne ergo bonum est gratia sanctificans, quæ est vita animæ? Nullum bonum est charitas, cum cæteris virtutibus infusis, quæ charitatis & sanctificantis gratiæ comites individuæ sunt? Nullum bonum est adoptio in Dei filium, cum jure ad cœlestis Regni hæreditatem, & beatitudinem æternam? Aut an illis omnibus non spoliat nos peccatum?

Atheus sit oportet, aut obcæcatus, & saxeus, qui talium jacturâ bonorum non moveatur, ut, cùm possit, non velit ea sibi statim restitui. Verùm bonorum istiusmodi amissio, cum intimis animi recessibus abscondatur, confusionem apud homines non parit, nisi quatenus à Sacramenti alicujus statum gratiæ requirentis susceptione removeat. Hanc autem remotionem, si Articulum damnatum, atque ejus vindicem sequimur, nullus peccata sua confessus detrectare potest, neque quantamcumque separationis istius confusionem & infamiam publicam.

2 Quid si pœnitens verè contritus sit, ne-

neque ullum adferatur absolutioni impedimentum, nisi quod juxta novæ Scholæ placitum satisfactionem non præmiserit? Quid si ex negatâ absolutione, atque adeò ex Sacramenti Eucharistici suspensione peccatum pœnitentis occultum propalandum sit, atque hinc orituta infamia, cum scandalis fortè non levibus? An nefas erit pœnitenti imprudentem & injustam absolutionis denegationem deprecari? Nullè novitatis vertigine non laboranti videbitur talis detrectatio confusionis, malè dispositum atque indignum reddere absolutione. Et quidem cùm ea deprecatio, seu detrectatio posterior sit negatione absolutionis, excusare non potest imprudentiam & injustitiam Confessarii, neque hanc ferre pœnitens cum peccati occulti revelatione, & tantâ sua tenetur infamiâ. Unde non probat adversarius dispositionis malæ suppositum.

Non desunt tamen casus plurimi, in quibus dilatio medicamen opportunum, & subinde necessarium fit. Aliquos indicant 40. Episcopi, in Documento Pastorali; cùm peccata enormia aut publica fuerunt, cùm pravæ consuetudinis: dum confitens versatur in Occasione peccandi proximâ: quando facienda restitutio vel reconciliatio hactenus negata, vel dilata nimiùm: quotiescumque non apparet, aut notitia necessaria, aut debita in confitente dispositio.

Verùm promiscua, & passim adhibita cujuscumque peccati mortiferi retentio, seu absolutionis dilatio obtentu portandi cum humilitate & sentiendi statum peccati, incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, ferendi confusionem ex revelatione publica peccati occulti, & separatione à Sacramento Eucharistico cum qualicumque publica infamia, neque est medicina, neque castigatio congrua, nunquam invitis pœnitentibus adhibita ab Ecclesia, à solis imprudentibus & malevolis Confessariis contra omne fas usurpata, & à Summis Pontificibus præsertim Sixto IV., Alexandro VIII. Clemente XI. justissimè proscripta.

3 Quibus enim aliàs scandalis obnoxium foret, quantæ privatorum infamiæ, & familiarum, Congregationum, Monasteriorum perturbationi, si, ut superiùs indicavi, cùm Cardinales & Episcopi exemplo & institutione S. Caroli quibusdam diebus festis majoribus Eucharistiam distribuunt omnibus domesticis, cogantur se subducere quicumque delictum aliquod lethiferum, etsi occultum, & solâ fortè cogitatione, seu delectatione commissum, in confessione exposuerint!

Idem est de privatorum familiis, ubi parentes liberos omnes in quibusdam solemnitatibus secum jubent communicare. Idem in Gymnasiis, Congregationibus, Sodalitiis, Monasteriis, ubi diebus communioni destinatis, eam nemo facilè sinè nota prætermiserit. Sed quantacunque inde confusio, infamia, obloquia oritura sint, minimè illis terrentur Doctores rigidi; quin iis delectari potiùs, ad ea suas innovationes & machinas omnes dirigere videantur. Ingentem in Belgio strepitum pridem excitavit casus de Sponso & Sponsa, inter quos familiaris & lubricæ quidpiam consuetudinis intercesserat; sed dum ad remedium incontinentiæ, Sacramentū Matrimonii confugiunt pœnitentes, repelluntur à Parocho confessario sequente hoc suæ scholæ axioma defensum Thesibus Mechliniensibus anno 1690. 26. Jan. *Lapsum ex infirmitate tunc tandem absolves, cùm per amorem Dei prædominantem peccata infirmitatis dimiserit ac superaverit*: quasi dicas adhibendum remedium quando morbus superatus fuerit, ac malo cessante desierit remedii necessitas.

4 Instant pœnitentes tum propter conscientiam, & vitandum relapsûs à quo abhorrent periculum, tum propter gravissima incommoda, & scandala aliàs oritura, quæ sic describit author libri cui titulus: *Aliquot Propositiones novissimorum Casuistarum* anno 1679. pag. 70. & 71. Si nuptiæ differri debeant, amicis omnibus ad eas invitatis, in casu aliquantulum diverso. *Quid si*, inquit, *amici sint jam invitati, parata altilia &c. Quid si sola puella peccaverit, & ex dilata absolutione gravis de peccato carnis oriatur adolescenti suspicio? Quid si solus masculus, & quia à peccato absolutus non est, si Matrimonii contractum differat, dilatio ingerat suspicionem, quod puellam velit deserere: periculum sit dissensionum, duellorum, subversionis illustrium familiarum? Quid si masculus ille, dum interim absolutio differtur, reverti debeat ad Provinciæ, vel civitatis Gubernium, mutare castra, & ex suspicione, quòd Sponsam habere noluit, maneat illa infamis, & tanquam prostituta; præsertim si ille interim moriatur?* &c.

Non ideo tamen absolutionem impertiet; & matrimonio ineundo idoneus præstabit Parochus ille imbutus doctrinâ famosæ Methodi remittendi & retinendi peccata pag. 116. *Quidquid obloquiorum, turbarum, aut incommodi consequatur*. Et quidem juxta præsentem damnatum Articulum ac præcedentem, nihil pravæ consuetudinis ad differendam absolutionem requiritur;

tur; sed communis regula, seu *modus plenus sapientiâ, lumine, & charitate, est dare* passim *animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, ferendi confusionem separationis* à statu gratiæ, & à participatione Corporis & Sanguinis Domini: atque ita incurrendi & sustinendi infamiam publicam ob peccatum aliàs occultissimum, & subinde solummodo internum: utraque enim Propositio axioma quoddam statuit, seu regulam nullâ peccatorum distinctione, vel aliâ circumstantia limitatam.

5 Neque malitia à Propositione utraque abstergitur, fingendo, quòd tantùm agatur de animabus, antequam spiritum pœnitentiæ & contritionis habeant, quia quod de petendo illo spiritu in Propositione 87. additur, non est propositionis indefinitæ restrictio, sed indicium falsæ suppositionis, quâ regula asserta nititur, quasi absque dilatione absolutionis vera pœnitentia communiter, & contritio non habeatur, sicut notus Quesnelli assecla in Pastore bono tradit pag. 264. *Ratio & experientia persuadent, communiter ad absolutionem dispositos non venire* (id est, veram pœnitentiam & contritionem non habere) *prima vice, qui peccatum aliquod mortale confitentur.* Ideo ibidem: *Communiter utile non videtur, pœnitenti primâ confessione post peccatum mortale absolutionem impendere.* Nonne excusatio frivola esset, si author ille post sententiæ suæ condemnationem diceret, se iis solùm differendam docuisse absolutionem, qui dispositi non essent, ubi verba ejus regulam apertissimè statuunt de differendâ communiter absolutione, quia communiter dispositi non veniunt prima vice?

Ingens confusio subeunda est Parocho, vel cuicumque Presbytero, si die festo confitens peccatum lethiferum, non absolvatur dum populus ejus sacrificium expectat, nec alius est, qui supplere valeat. Idem nihilominus Quesnelli discipulus in Thesibus Mechlinienfibus anni 1690. 26. Jan. *Impium est*, inquit, *dare absolutionem Sacerdoti non multò ante lapso, esto quadam celebrandi esset necessitas, puta nè populus die festo sacro frustraretur.* Is quidem Theologus neque animarum curam habet, neque ad sacrum dicendum coram multitudine obstringitur. At, si, quod Deus ab eo avertat, in casum incideret suæ propositionis, ut lapsus non absolveretur, occurrente sacri coram populo celebrandi necessitate, multùm dubito, an hæc ei occasio portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, ea confusio & infamia placitura esset, & an fortè non mutaturus sententiam: qui quidem ex mala causa foret effectus optimus: quem evenisse memini in Belgio cuidam rusticorum Parocho, quando unius Antistitis dissimulatione, alterius ignorantiâ invaluit audacia Novatorum, & inter novitates cæteras non parùm turbationis excitavit dilatarum absolutionum frequentia: in pagis tamen amplius quàm in urbibus, ubi Confessariorum bonorum copia facilè mederi potest exoticis aliorum excessibus.

6 Inter rigidiores celebrabatur Parochus pagi N. ad quem concionaturus die Dominicâ venerat Franciscanus ex Minoribus Sacerdos, cui Religiosissimo Ordini ea laus detur singularis, quòd periculosis hisce temporibus, nullam sibi novitatum fuliginem afflari passus sit; sed pro avita fide, & Sedis Apostolicæ authoritate invictus semper & intrepidus in acie steterit. Parochus hac boni Confessarii opportunitate usus exponit delictum, in quod biduò ante lapsus fuerat: quo audito Religiosus præmissâ salutari monitione pœnitentiam congruam imponit.

Quoad absolutionem verò ait se illuc post unam alteramve hebdomadam transiturum, ut eam impertiat; si confitentem rectè dispositum repererit. Interim hanc Dominus Pastor, æqui bonique consulat dilationem, modum enim esse plenum sapientiâ, lumine, & charitate dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi Spiritum pœnitentiæ & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur. Ignoramus alioqui quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.

Attonitus Pastor tam inexpectata severitate, Consideret quæso, inquit, peccatum non pravæ consuetudinis esse, sed insolitæ infirmitatis, urgere sacrificii offerendi necessitatem. Nam P. Concionator in suo celebraverat Monasterio: Sacellanus primum Sacrum dixerat sub Ortum solis: supererat Missa solemnis, seu cantu peragenda. Quæ perturbatio populi, qui de me sermones, quæ suspiciones, quæ scandala orientur? Quæ mihi hinc infamia, quæ confusio? Quod pondus habebunt apud rusticos deinceps mea verba, conciones, monita in administrando pœnitentiæ Sacramento?

Ad quæ, licètne mihi, inquit Confessarius, impietatem committere, ut istiusmodi incommoda caveantur? Nonne *impium*

pium est, dare absolutionem Sacerdoti non multò ante lapso, esto quadam celebrandi esset necessitas, puta ne populus die festo Sacro frustraretur? Negatio Christi, & quæcumque inde secuta confusio, atque infamia publica Petrum non inutilem reddidit Ecclesiæ universæ Rectorem, & Pœnitentiæ Administrum; quia peccati maculam copiosa eluit profusio lacrymarum. Quem itaque secutus es errantem, sequere pœnitentem. Et sanè *vita scelerata esse solent, qui de dilata, vel negata absolutione conqueruntur*, ita Quesnellus in Notis ad Epistolam D. Steyaert.

7 Rigor iste, mi Pater, ait Parochus non parùm à communi Religiosorum, præcipuè vestrorum spiritu & praxi alienus est.

Respondet pacatè Confessarius: Non is quidem spiritus noster est, nec est Ecclesiæ, nec fuit Christi; sed vester est, & vestrorum novaturientium Magistrorũ. Æquũ autem, ut quam aliis fertis legem, etiam vos patiamini. Scribarum enim & Pharisæorum iniquitas execrabilis est, imponentium onera gravia, & importabilia in humeros hominum, quæ ipsi digito movere nolint, vel attingere. Parochus hic suum, suorumque errorem agnoscens, ab eo se recessurum spondet. An satis seria & constans fuerit conversio, Deus scit. Promissis credens Confessarius absolvit, quem tunc ad pœnitentiam se Dei gratiâ adduxisse arbitratus est: saltem feruntur rustici aliquanto tempore à Parocho isto mitiùs habiti.

Utinam omnibus istiusmodi rigidis, quandocumque in peccatũ inciderint mortiferum, talis obtingeret Confessarius cum simili absolutionis statim accipiendæ necessitate, ut qui alienis non tanguntur afflictionibus, suis saltem ex malis discerent misereri! Utinam haberent præ oculis, sibique applicarent illud Christi dictum Matt. 18. *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?*

In quem locum S. Chrysostomus. Sola, inquit, deprecatione reconciliatus est. S. Leo epist. 91. *Misericordiæ Dei nec possumus mensuras ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio.*

Et quidem de magno peccatore ait Augustinus Tract. 49. In Joannem: *Quando confiteris, procedis: Quid est enim procedere, nisi ab occultis velut eundo manifestari? Sed ut confitearis, Deus facit magnâ voce clamando, id est magnâ gratia vocando. Ideo cum processisset mortuus adhuc ligatus, confitens, & adhuc reus, ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit Dominus: Solvite illum.*

8 Peccatoris inveterati typum hîc gessit Lazarus, quem statim solvi jubet mitissimus Salvator, nullas exigens; sed prohibens in peccato moras, nullam confusionem, nisi quæ satis magna annexa est Confessioni peccatorum omnium, etiam maximè arcanorum, & quorum revelationem natura & omnis humana ratio vehementissimè horret: quod si Novatores negaverint, fidelium omnium experimento, & totius humani generis testimonio repelluntur. Quid enim potissimùm tot Provinciarum & Regionum populos ab Ecclesia in hæreticorum partes exitiali schismate, ac simul hæresi abstraxit, nisi conscientiarum libertas, immunitas ab Ecclesiæ præceptis; sed potissimùm excussio distinctæ peccatorum omnium Confessionis, quam animorum carnificinam appellabant intolerabilem?

Sic Kemnitius pag. 1024. *Hæc est*, inquit, *vetus illa carnificina conscientiarum, quam gladio Spiritus Ecclesiæ nostræ excusserunt.* Hoc Onus etiam ex Catholicis plurimi si redimere possent, aut in aliud opus seu pretiosum, seu difficile commutare, quid præ illo non eligerent? Sic Tertullianus lib. de Pœnitentia ait: *Plerosque hoc opus, ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magìs memores, quàm salutis.*

Neque sola peccatorum publica divulgatio; sed vel eam in aurem arcana insusurratio, pars pœnitentiæ minimè levis est. Novatores autem, etsi erga se benignissimi & molles, onus alienum aggravare, Ecclesiâ reluctante, moliuntur, & quibuslibet peccatoribus publicam infamiam aspergere, confusionem separationis à Christi Corpore & Sanguine omnibus imponendo, quasi sacrosanctum Confessionis arcanum Sacerdos non violet, si de pœnitente revelet palàm, quod peccato se inquinaverit mortifero, etsi peccati non exprimat speciem. Quomodò autem gravis delicti reus non manifestatur, qui multo tempore arcetur ab Eucharistia, ad cujus sumptionem vi regulæ, Ordinationis, aut piæ inter Sodales consuetudinis quodammodo adstringitur; maximè verò si communionis annuæ præcepto?

8 S. Leo epist. 80. ad Episcopos Campaniæ prohibens, ne peccata non publica publicè recitentur, rationem hanc reddit; *Cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta*: & infra: *Sufficit illa confessio, quæ consentit.* Liber de vera & falsa pœnitentia inter opera S. Au-

S. Augustini Tomo IV. insertus, qui etsi Augustini esse non videatur, tamen teste Bellarmino lib.3. Pœnit. cap.9. Negari non potest, quin sit alicujus antiqui, probatique authoris; cùm inde Gratianus & Petrus Lombardus multa testimonia in libros suos retulerint. In eo cap.11. de peccatis occultis dicitur: *Si peccatum occultum est, sufficiat referre in notitiam Sacerdotis.*

Quod pluribus stabilire supervacaneum foret, cùm in hoc universa conveniat Ecclesia, neque Rigidi nostri palàm refragari audeant; etsi per cuniculos suffodere moliantur, obtentu scilicet humiliationis & confusionis peccatoribus necessariæ. Humiliationem hanc & confusionem, quâ quisquis peccatum commiserit lethale, quantumcumque occultum, & merè internum, fateri palàm cogatur, se graviter deliquisse, etiam aliâ viâ Novatores invehere conantur. De machinatione hac agetur cap.6.

CAPUT V.

Fructus doctrinæ rigidæ de differenda communiter absolutione peccatorum, & S. Eucharistia.

1 QUin opportuna absolutionis suspensio utilis sit, & subinde necessaria, nemo in dubium revocaverit. Casus istiusmodi complures superiùs designavimus ex *Instructione Pastorali* quadraginta Episcoporum Galliæ, Quos præivit S. Thomas de Villanova dicens: *Cavete, nè peccatorem in Sepulchro solvatis. Priùs ergo vadat, & concubinam à domo pellat, pecuniam alienam restituat, Contractus usurarios rumpat, famam proximi læsam, prout potest, resarciat, mercenariorum labores & pauperum debita solvat, offenso fratri reconcilietur, & veniam petat, & tunc ad Confessarium redeat & absolvatur. Hic rectus est ordo, hic in Lazari suscitatione à Domino servatus est; hunc ordinem ne transgrediaris.*

Verùm de ea hic sermo non est modò; sed de importuna quorumdam hoc tempore, qui à communi Ecclesiæ praxi, velut nimiùm benignâ recedentes, quod de præmissâ olim multorum annorum pœnitentiâ, ante reconciliationem plenam & Canonicam pro peccatis quibusdam publicis servatum legunt, introducere hodie privatâ authoritate vellent adversùs peccata quælibet, etiam occultissima, & merè interna.

Hinc si qui subinde fructus orientur boni, dum aliqui absolutionis obtinendæ difficultate perterriti, & magis plangent præterita, & contra futura reddentur cautiores, at in plerisque nihil similis effectûs rigida ea novitas operatur; sed indignationem contra pœnitentiæ Administrum, & sæpe aversionem à Sacramento; quod Sacerdoti maximè verendum & cavendum est, ne semel dimissi ampliùs non redeant, ut monet Catechismus Rom. part.2. cap.5. Respondet Gummarus Huygens in Methodo pag.135. *Replicam istam, semel dimissi non redibunt, esse meticulosam quorumdam objectionem*; sed nos funestis nimiùm exemplis novimus confirmatam.

Magistros istiusmodi rigidos supponamus tantisper SS. Confessionibus præfici in Belgio Hallis Deiparæ, in Monte acuto, & Kevelariæ: in Italia apud Divam Lauretanam statuamus Pœnitentiarios. Quotquot ad illas B. Virginis in Belgio imagines prodigiis celebres conveniunt peregrini, idem est de Sacratissima Æde Lauretana, ut conveniunt innumeri, & subinde pagi integri, aut eodem die inde discedunt, aut postridie; nullus verò nisi peccatis animum expiaverit, ac dein Christi corpore sumpto preces & vota reddiderit Deiparæ. At quot ex tanto peregrinorum numero novi Pœnitentiarii absolverent? 2

Ne unum quidem, si, quæ in Scholis & libris docent, in Tribunalibus exequerentur. Pœnitentes enim, præsertim ignoti, ut omnes isti peregrini sunt, non sunt absolvendi à solis venialibus, ut supra doceri vidimus, neque adferentes peccata lethalia absolutionis beneficio donandi sunt statim; sed dandum illis confitentibus tempus portandi eum humilitate, & sentiendi statum peccati, incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Divinæ; ignorant autem, quid sit peccatum & vera pœnitentia, quicumque restitui mox cupiunt iis bonis, quibus peccando fuerant spoliati, ut Propositiones damnatæ docent octogesima septima & octogesima octava.

Ita Pœnitentiarii illi peregrinos omnes audire peccata confitentes poterunt, singulis imponere pœnitentias; sed nullos absolvere. Quiscumque dies festus fuerit, quæcumque proposita indulgentia, nullus eam peccator consequi poterit absolutione destitutus. Quæ hinc secuturæ sunt peregrinorum contra immites Confessarios querelæ, quæ murmurationes, cum certo proposito ad eos nunquam redeundi!

3 Quid dicam de Indulgentiis omnibus, quæ certis solemnitatibus affixæ sunt, &

qui-

quibus peccatores omnes à novis Pœnitentiariis privantur, dum abſolutio & communio omnibus peccatum mortale confitentibus differenda eſt. Reſpondet Ægidius Gabrielis in *ſpecimiuibus Moralis Chriſtianæ* pag. 192. *Urgent, quaudoque eſſe diem magnæ Indulgentiæ, per quam poterunt conſequi veniam omnium ſuorum peccatorum, & dicunt, ſe ad hoc venire ad Confeſſionem; ſed tales communiter ſatis iudicant, quòd uon velint agere pœniteutiam.*

Ibid. *Tales ſatis indicant, quòd velint abuti indulgentiis, quæ ſunt tautùm ſupplementum pœuitentiæ, uon refugium peccatorum impœniteutium, nec enervatio Eccleſiaſticæ diſciplinæ.* Ita hic Lovanienſis, ut vocant, Licentiatus authoritatem ſibi vindicat reprehendendi Sedem Apoſtolicam, tot indulgentias concedentem, & Eccleſiam univerſam ad eas lucrandas in omnibus Chriſtiani Orbis regionibus avidè concurrentem.

Redarguit & S. Carolum tanquam impœnitentiæ fautorem, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ enervatorem, utpote qui multas ipſe indulgentias particulares conceſſit; plenas à Sede Apoſtolica obtinuit, & fidelibus, ut eas ſibi elabi non paterentur, commendavit. Vide Concilium ejus quartum titulo *de Indulgentiis*, & titulo, *quæ ad Sanctiſſimum Eucharīſtiæ Sacramentum pertinent.* Concilium tertium eodem titulo & *de Parochis*: Concilium Quintum titulo *de Indulgentiis*: Concilium Sextum eodem titulo, & *Quæ ad proceſſiones pertinent.*

4 Plerique verò, quibus abſolutio quidem conceditur; ſed cum bona monitione, & inter cæteras ſatisfactiones ſalutiferas frequens Confeſſio & communio injungitur, ad frugem redeunt meliorem. Frequens enim Confeſſionis & Euchariſtiæ uſus non ſinit animos culpis ſuis inſordeſcere & obdurari; ſed attentionem & ſolicitudinem excitat: non ſinit lapſuum obliviſci repetendum toties examen, relapſus impedit iteranda toties Contritio cum propoſito emendationis. Nec poteſt non homini utcumque ingenuo validum adversùs peccata frænum eſſe confitendi pudor, ut advertit canon 88. de Pœnitentia Diſtinctione 1. *Laborat meus patiendo erubeſcentiam, & quoniam verecuudia magua eſt pœna, qui erubeſcit pro Chriſto, fit dignus miſericordiâ.*

Ibid. *In hoc enim, quòd ſeipſum dicit Sacerdoti, & erubeſcentiam vincit, timore offenſæ fit venia criminis.* Et: *Multum enim ſatisfactionis obtulit, qui erubeſcentiæ dominans, uihil eorum, quæ commiſit, Dei nuutio denegavit.* Hæc itaque frequentium Confeſſionum continua erubeſcentia Divinam quoque provocat miſericordiam ad copioſiora ſuppeditanda gratiæ auxilia, quibus humana fragilitas opis indiga, & toties avidè ea expetens, fortiùs adjuvetur. Repulſi autem ob primum fortè, quod expoſuerint peccatum, ſi in illud iterum, vel aliud inciderint, multò magis ſibi negandam abſolutionem ſatis conſcii confitendi cogitationem abjiciunt, & cum ea omnem declinandorum criminum ſolicitudinem; vel de ſalute deſperando, vel præſumendo de Divina gratia in mortis articulo.

Quas hic maledicas imprecationes ſibi Confeſſarii iſti accerſunt, etiam parentum, amicorum, & quorumcumque aliqua neceſſitudine junctorum iis quibus Confeſſarii rigore ſuo deſperationem acciviſſe cognoſcuntur, præſertim ſi & damnationem, ſubita oppreſſis morte, ac minimè reconciliatis! Nam, ut rectè obſervat S. Leo epiſt. 91. „ Si aliquis eorum, quocumque inter„ ceptus obſtaculo à munere indulgentiæ „ præſentis exciderit, & priùs, quàm ad „ conſtituta remedia perveniat, tempora„ lem vitam humana conditione finierit, „ quod manens in corpore non receperit, „ conſequi exutus carne non poterit.

5 Exitialem adversùs moribundos inclementiam, & eis tempeſtivè proſpiciendi neglectum, atque adeò deſidiam Parochorum fovet illud non minùs fallaciâ & errore, quàm pernicie plenum Rigidorum axioma in *Specimiuibus moralis Chriſtianæ* pagin. 144. & 145. „ Hæc objectio, „ QUID SI MORERER NON ABSOLU„ TUS, vana & frivola eſt; vel enim pec„ cator efficaciter intendit converti, vel „ non; ſi efficaciter intendit converti, pœ„ nitentiam implebit, &, ſi moriatur ante „ abſolutionem, ſola voluntate efficaci „ converſionis ſalvabitur: ſi non intendit, „ abſolutio ipſi oberit; quia ad illam non „ eſt diſpoſitus, ſicque addit peccatis ſuis „ Sacrilegium ad majorem ſui damnatio„ nem.

Ubi error nullo nixus fundamento pro veritate ſupponit, attritionem ſinè Sacramento ſalvare. Tam inani cardine ſalutem hominum vertit profana novitas, & ſub rigoris larvâ, intolerabilis laxitas Confeſſariorum, innumeras ſecum animas in exitium pertrahens ſempiternum. Non ita S. Leo jam citatus, non ita cæteri SS. Patres cum non infectis novitate Scholaſticis, qui adultorum plurimos defectu Baptiſmi, vel abſolutionis perire agnoſcunt, cum Sacramento, ſi frui licuiſſet, ſalvandos.

Clarissimè S. Augustinus epist. 180. ad Honoratum. „ An non cogitamus, cùm „ ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas illa fugiendi, „ quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem & erogationem? Ubi si Ministri desint, quantum exitium sequatur eos, qui de isto seculo vel non regenerati exeunt, vel ligati!

7 Quæ suspiciones, quæ detrimenta famæ non oriuntur ex promiscua absolutionis dilatione in Religiosorum, vel Monialium domibus, in Congregationibus seu sodalitiis piis, ubi ex regula vel consuetudine certis diebus festis, præsertim solemnioribus sumenda ab omnibus est Eucharistia? Quæ turbæ, quæ scandala in domibus privatis, Pagis & Oppidis, ubi amici omnes invitati ad nuptias convenere, sponso antem vel Sponsæ Matrimonii Sacramentum non permittitur absolutionis defectu. Vidimus subinde in Belgio, Novatoribus Antistitem sibi faventem nactis, secundo aut tertio Paschatis festo pagos integros absolutionis obtinendæ causâ ad vicinas Urbes atque ibi ad Religiosorum Mendicantium templa turmatim confluere, causantes, vix unum alterumve è centum fuisse absolutos. Verùm & in pagos cum absolutione reversi à Parochis è sacra mensa repellebantur; jam enim innotuerat eorum ad Civitates & Mendicantium Ecclesias concursus.

Ut autem ab aliis absolutos ad Communionem non admitterent, variis ducebantur novis dogmatibus, qualia sunt. Primò Illud Joannis Opstraet in Pastore bono pag. 266. „ Fidelibus ordinariis, qui quidem in crimina non labuntur; sed agriculturæ, arti mechanicæ, vel alteri professioni dediti totos se occupant, itaut ostendant magis in se prædominari amorem seculi, quàm Dei, non licet vel semel in anno communicare „. Secundò Illud vigesimum secundum ab Alexandro Octavo confixum: „ Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

Tertiò: Illud vigesimum tertium ab eodem Pontifice condemnatum: *Similiter arcendi sunt à S. communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers*. Quartum *Præcepto confessionis non satisfit per eam, quæ fit Religiosis Mendicantibus*, quod fuit Ægidii de Witte in damnato Libro *Aurea fodina suffossa* parte 2. pag. 51. Error iste pridem à Sacris Canonibus subversus est: scilicet Extravagante, *Vas electionis de hæreticis in communibus*; deinde ab Eugenio IV., Nicolao V., & Sixto IV. Constitutione Sexta: à Pio V. in Bulla *Etsi Mendicantium*, à Clemente VIII. anno 1592. &c.

Quintum est Authoris anonymi in præfatione libri, cui titulus: *Canones Pœnitentiales per S. Carolum Borromæum collectos*, ubi dicitur: *Subditum, cujus peccata retinuerit Parochus, quem ligaverit, non potest alius absolvere*. Quasi Parochus posset Episcopi, & ipsius Pontificis & ab his delegatorum restringere potestatem. Sextum vigesimo loco damnatum ab Alexandro VIII. *Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ*.

8 Denique & illud in 21. Propositione ab eodem Pontifice proscriptum: *Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongruâ pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis*.

Quo dein affectu tales Parochos rustici prosequerentur, facilè lector conjiciet. Frænum Novatoribus injecit Illustrissimus Humbertus Mechliniensium Archiepiscopus; sed aliquorum audacia pertinax, nixa Magistrorum patrociniis, authoritati Antistitis diu resistere non dubitavit. Comitatus eum semel fui ad pagi amplissimi visitationem, ubi tanta erat totius populi adversùs Parochum novatorem commotio, ut subinde facto agmine ad eum in domo occidendum irrueret, ægre à pagi Domino retentus. Dein & ipsi nobiles offensi adeò ab eodem Parocho sunt, ut vitæ ejus non semel insidiati sint, glande eum trajecturi, si, quâ expectabatur, viâ transiisset. Intantum autem furorem odium universorum exercuerat, ut ipso encæniorum die, quo processio publica ex more instituueretur, invitato pagi proximi Pastore, præter hunc & utriusque Sacristanum cum uno fidicine, nemo utriusque sexus, sive adultus, sive puer Parochum suum Venerabile Sacramentum circumferentem sequi voluerit.

Pluribus istiusmodi scandalis finem imponere volens Archiepiscopus, me & quosdam suæ Curiæ Administros, dum ipse apud pagi Dominum pernoctaret, ad Parochum misit ei persuasuros, ut, cùm ob nimiam animorum omnium exulceratio-

nem

nem nullus ab eo istic fructus sperari posset, Parochiã ultrò cederet, Archiepiscopo de altera ipsi non inferiore prospecturo. Sed nihil profecimus, obsistente, ut ajebat, sapientiorum consilio, qui nempe factionis suæ interesse arbitrati sunt, durare inter tot scandala, & ruinas animarum infractam unius novatoris sui imprudentissimi obstinationem, atque ita divexari optimum Antistitem, qui si eum authoritate sua amovere voluisset, se ad laicorum tribunal pertrahendum ignorare non poterat, & litibus nunquam terminandis exagitandum. Quid dein successerit non intellexi, Belgio paulò post à Superioribus Romam evocatus.

9 In Urbibus minùs turbarum fuit, ubi Novatores, ne penitùs destituerentur, omnibus ad Religiosos defluentibus, circa eos saltem, quos sibi devinctos voluerint, vix aliam, quàm communem Ecclesiæ methodum sectari soliti sunt; itaut ipse Arnaldus rigoris præcipuus propagator Parisiis olim confitentibus aures præbens, dicatur ipsis Religiosis quodammodo visus benignior, ut à suis monitus, ne, quod ædificare scribendo vellet, destrueret opere, à pœnitentiæ administratione sibi duxerit abstinendum. Duos Lovanii novi, Causidicum uxoris solicitatione, alterum temporalis commodi motivo à Religiosis communem praxim sectantibus, ad duorum maximè rigidorum tribunalia abstractos, qui dein pluribus professi sunt, nihil prorsus discriminis experiri se in praxibus utrorumque. Ità rigor Magistrorum usum habet pro libito, ad repellendos pauperes & miseros peropportunum, ad retinendos potentiores flecti facilem.

10 Sed & testimonium nactus sum authenticum Presbyteri à Rigidorum Lovaniensium Antesignano instituti, itaut eùm ad Pastoratum promoveri contingeret, sequeretur initio praxim communem, ne si principio animos offenderet, inutilis fieret ministerio. Quapropter initium ducendum à suavitate, & conciliandis sibi animis, saltem potentiorum, ut stabilitâ satis authoritate, invehendis paulatim rigidorum, quas à Magistro didicerat, praxibus studeret. Quæ institutio novatore pseudo politico, quàm Christi discipulo dignior visa est ei, qui testimonium perhibuit, addens, se hac iniquitate ita perculsum fuisse, ut & Magistros & eorum dogmata deinceps aversatus, totum se Petri Cathedræ submiserit. Quid enim, inquiebat, religionis habet Secta, quæ ad conciliandos sibi animos initio absolvit, quos censet absolutione indignos, quæ accusata in aliis sacrilegia, nihil hæsitans perpetrat, quæ quod animo damnat, factis sequitur, & per tot sacrilegas Sacramentorum administrationes, viam sternere se existimat ad salutem. Eò tandem impietatis recidit prætensa Ecclesiæ reformatio, & Pœnitentialium reductio Canonum.

Quod argumentum adversarios nexu stringit magis insolubili, dum jungitur illud Arnaldi Axioma ex lib. de Frequenti Communione cap.8. *Ordo ille, ut fiat Confessio, sequatur pœnitentiæ impositio, tertiò pœnitentiæ impositæ adimpletio, quartò denique eâ adimpletâ, absolutio; est juris Divini.* Addit regulam eam esse *immobilem, & tam immutabilem quàm sit ipse Deus.*

Si Ordo ille necessariò servandus est jure Divino & Immobili, quomodo ipsi ubi primùm Parochias adeunt, vel stabilire authoritatem suam volunt, & conciliare sibi animos potentiorum, in eo dispensare præsumunt? Qua etiam authoritate, dum veteres nobis identidem Canones objiciunt, quasi eorum perseveraret robur hoc tempore & obligatio, qua, inquam, authoritate ipsi in tali supposito omnes à Canonibus præscriptas macerationes corporis, jejunia, cilicia, humiliationes abrogant, solâ ferè contenti abstinentiâ à Communione, quæ solis communiter piis molestiam parit, aliis commoda est, quorum fovet desidiam, incuriam, & exercitiorum spiritualium neglectum.

CAPUT VI.

Detegitur alius modus magis subdolus humiliationis & confusionis pœnitentibus procurandæ.

1 Non te longâ expectatione Lector detineo: modus hic est abrogatio confessionis peccatorum solummodò venialium. Hac scilicet sublatâ, quicumque se Sacerdoti ad confitendum stiterit, ipso facto omnibus spectantibus fatebitur, se reum esse peccati mortiferi. Eò collimant *Ægidii Candidi* assertiones in *Aurea fodina Suffossa* part.2. pag.45. *Existimo, praxim confitendi peccata venialia tempore Sanctorum Patrum in usu non fuisse.* pag.44. *S. Augustinus nunquam confessus fuit.* Ibid. *Nullus ex Sanctis Patribus E. G. Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Basilius, Chrysostomus &c. assignandus est, qui unquam in tota planè vita fructum Confessionis Sacramentalis assecutus sit.*

Quod ut interpretemur benigniùs, quàm sonet de Confessione venialium, supponendum est, Sanctos illos nunquam post Baptismum peccato lethifero deliquisse: unde saltem liquet ejus intentio, ut qui nihil, nisi antiquitatem buccinat, & vellet omnia priscis moribus conformari, nuntium pariter remitti cupiat venialium Confessioni. Atque is quidem inter Jansenistas *Candidos* Primipilus dicitur; non tamen primus novitatis hujus author est; sed Joannes Vergerius Abbas Sancyranus in Epistolis Christianis, ac Spiritualibus pag.256. *Confessio peccatorum venialium non fuit in usu ordinario in Ecclesia, nisi valde serò.* Et ex iisdem Epistolis refertur in Reliquiis Abbatis Sancyrani pag.229. *Parùm proficitur ex confessione peccatorum venialium.* Vergerium Magistrum secutus est Antonius Arnaldus libro de frequenti Communione, qui si à Vergerio, ut multi asserunt, majori parte compositus, auctus tamen in pluribus ab Arnaldo, cætera adoptatus est. Sic habet part.2, cap.11. *Non fuit olim in usu confessio venialium, seu quæ fieret à justis, hoc est, peccato mortifero carentibus.* Plures ea novitas Sectatores in Belgio nacta est, pauciores qui apertiùs eam prodere ausi sunt.

2 Inter Approbatores libri de *Frequenti Communione* fuit Octavius de Bellegarde Archiepiscopus Senonensis, qui Jansenianis familiariter usus fuerat, hanc inter novitates cæteras morti proximus condemnavit. Vocaverat scilicet ad se Baronem de Renty non minùs pietate, quàm sanguine conspicuum, ut vita ejus typis edita exploratum facit, cui dictavit declarationem sequentem, ab eodem ad Nuntium Apostolicum, Antistitis moribundi nomine deferendam. „ Inculcari debet Sanctissimo Domino, ne quidquam agat, quo videatur approbare personas, aut machinationes istorum Novatorum.

„ Illos non probo propter singularitatem affectatam, quam in iis semper animadverti; uti & superbiam, præsumptionem spiritûs, contemptum aliorum, & curam celandi mentem suam eos, quos non habent sibi planè devotos. Teneor credere, totam hanc factionem esse suspectam Ecclesiæ; quia vidi, eam initium ducere ab illusione.... Quidam ex eorum amicis mihi dixit, quòd, ubi approbati, & stabiliti fuerint, velint tollere confessionem peccatorum venialium... videri volunt magni defensores Hierarchiæ Ecclesiasticæ per Petrum Aurelium (*aliàs Sancyranum*) in Sermonibus publicis; sed Hierarchiæ reverà maximè contrarii sunt. Decipiunt specie, ut postmodum disseminent, quod modò occultant.

Ita Antistes piissimo Barone teste. Nunc verò etiam aliunde iniquitatis mysterium ipsis Novatorum literis, & libris revelatum deprehenditur, cujus horrenda specimina præbet processus Fiscalis Curiæ Archiepiscopi Mechliniensis contra Quesnellum, alter ibidem contra Gerberon, ac tota præsens Constitutionis defensio.

3 Rationem autem, cur sublatam Novatores vellent venialium confessionem, indicat Arnaldus ipse dicto lib. parte 2. cap.11. „ Tempore illo (inquit) quo solorum mortalium confessio erat in usu, hunc commodi habebant peccatores, quòd Ecclesia se jungebat illis pro delictorum expiatione, quod non potest facere hodie, quia non videt comparere in publico verè pœnitentes.

Quasi orare pro peccatoribus nequeam, nisi quos tales nominatim cognovero, & discrevero à justis. Falsitatem convincit Canon Missæ in quo Sacerdos orat *pro omnibus circumstantibus*, ut Sacrificii fiant participes: orat pro *Pontifice, Antistite, & omnibus orthodoxis atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus.*

Eodem cap. sic conqueritur Arnaldus: *Postquam cœpit esse in usu confessio tam à justis, quam ab injustis facta, non potest Ecclesia dignoscere, qui verè sint in animo mortui.* Hoc itaque deplorant Novatores, quòd, quisquis lethalis noxæ reus est, etsi solummodò occultæ, & internæ, se publicè peccato mortifero contaminatum non profiteatur, qualis professio fieret, quoties aliquis sublatâ venialium confessione, Sacerdotis se tribunali sisteret expiandum.

Animadvertit istud pridem, & justâ perstrinxit censurâ Illustrissimus Vavriensium Episcopus de Raconis in examine libri de frequenti Communione pag.26. dicens: „ Judicet lector, quò ista, quam tanto molimine Sancyranus (*& Arnaldus*) nitebatur inducere, collimet doctrina de abolenda peccatorum venialium Confessione, ut nempe Confessio, quæ juxta hanc methodum fieret de solis peccatis mortalibus, proderet palàm interiorem pœnitentium statum, animam emortuam infamium, & lethiferorum criminum sordibus opertam. Sic enim confessionis onus, quod jam inde, & per se satis grave est, efficeretur minùs tolerabile: atque ita metu se prodendi, & reddendi pu-

„ publicè infamem, quilibet à Confeſſione „ averteretur, quem fuiſſe præcipuum San„ cyrani ſcopum, ſatis exploratum eſt.

4 Quandonam ſcilicet vir honoratus, quandonam honeſta, ſeu virgo, ſeu matrona, Sacerdos, aut Religioſus, niſi honoris, & famæ ſuæ prodigus, Tribunali pœnitentiæ ſe ſupplex ſiſtere aliis inſpectantibus auderet, quando ea eſſet peccati mortiferi profeſſio? Quibus id ſuſpicionibus, quibus Sermonibus, & detractionibus viam panderet! Peſſumdata penitùs eſſet fama cujuſcumque ſæpiùs coram aliis confitentis. In Civitate Belgii præcipua Plebanus (quo illic nomine Parochus Eccleſiæ principis appellatur) obtigerat è Lovanienſibus vir ingenio minimè hebeti; ſed novitatibus addictus; utque erat in Cathedra orator non indiſertus, in converſationibus comis, non videbatur eligi potuiſſe diſſeminandis illis magis idoneus.

Non infimum ejus ſtudium erat in avertendo populo à Confeſſione venialium; propterea quòd, ut ajebat, antiqui uſus non eſſet, & periculo exponeret confitentem, ne cùm à veniali purgare ſe vellet, incurreret lethale Sacrilegium defectu contritionis efficacis, quæ de venialibus ob minus apparentem malitiam, & nimiam occaſionum frequentiam difficilior ſit.

Ut autem doctrinam ſuam certiùs inculcaret familiis, ſaltem præcipuis, eas inviſebat ſedulò; in admittendis etiam familiaribus ad menſam invitationibus minimè moroſus; imò & non invitatus ultro ſe ingerens, ut eloquio amœnus, ita nec ingratus obvenire ſolitus conviva. Accidit autem, ut cùm familiam inter patricias non vulgarem frequentiùs inviſeret, ſemel inter epulas Matrona ingenio ſimul, & eloquio prompta, Noſti, inquiebat, Domine Plebane, fœminam animal eſſe curioſum, quare ignoſce obſecro, ſi ex te ſciſciter, quod à multo tempore intelligere percupivi, interrogare nunquam auſa.

Agedum, reſpondet Plebanus, excuſatione opus non eſt, propone quod vis liberrimè. Tum Matrona: Sacrificium Miſſæ diebus feſtis, & Dominicis omnibus celebras, diebus etiam feriarum pleriſque; ſed præmittiſne aliquando Confeſſionem? Enim verò, inquit Plebanus, præmitto ſubinde; non ſemper.

At iſtud ſubinde, ait Matrona, ſignificat forſitan idem, quod ſemel Paſchate, & aliàs iterum, atque ita bis toto decurrente anni tempore.

Imò, inquit Plebanus, hebdomadis ſi non ſingulis, ſaltem alternis.

Ad quod Matrona vultu ad ſeveritatem compoſito, Itane, ait, Domine, tu Sacerdos, tu Parochiæ tam amplæ, & nobilis, tot millium animarum Paſtor, toties te lethalibus peccatis coinquinas? Nam venialia non confiteris. Quæ cùm ita ſint, oro te, ut deinceps nos inviſas rariùs, neque enim famæ noſtræ, forſitan neque animæ tuæ convenit frequentior converſatio. Hiſtoriam tum ipſa Matrona, tum qui adſuerant domeſtici, mox retulere pluribus: unde ſermonibus, & riſibus accepta occaſio. Utinam autem Novator ex hac ſua clade profecerit, & quod à viris edoceri noluit, didicerit à fœmina!

5 Nos diſcimus ex S. Gregorio lib. 5. in primum Regum: ad illa verba *indicavit ei Jonathas*, peccatorum Venialium confeſſionem etiam tunc in uſu fuiſſe, cùm ait: *Quidam dum peccata confitentur, ea nimirum quibuſdam imminuunt, dum ſe non ex toto animo commiſiſſe oſtendunt. Contra autem electi viri, quando ſe de minimis accuſant ea utique non quaſi parva; ſed quaſi magna pronuntiant.*

Et ut plura iſtiuſmodi aliorum Patrum prætercam, ſufficere Catholicis debet Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. ſic Eccleſiam erudiens: *Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quanquam rectè, & utiliter, citraque omnem præſumptionem in Confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt.*

Propoſitio damnata octogeſima nona.

Quartus decimus gradus converſionis peccatoris eſt, quòd cùm ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ. *Obſerv. Mor. Luc. 15. v. 23.*

CAPUT I.

Proſcriptus error convellitur.

1 Centum Galliæ Antiſtites in Documento Paſtorali de „ Quarto de„ cimo [inquiunt] gradu con„ verſionis peccatoris, qui illi jus non conce-

„ cedit ut intersit Missæ Sacrificio, nisi post „ reconciliationem, quid cogitare possumus aliud, quàm quòd ante reconciliationem, & tempore pœnitentiæ, quæ juxta usum veterem illam præcedebat, „ peccator interesse Missæ Sacrificio non „ possit? Nonne sic damnatur præsens Ecclesiæ disciplina, quæ non solummodò „ permittit peccatoribus, ut Divino isti „ Sacrificio intersint; sed etiam eos ad hoc „ urget, & obligat diebus festis, & Dominicis, sperans fore, ut Divinorum Mysteriorum aspectus sanctum eis horrorem „ inspiret, eosque excitatâ in animis fide „ adducat, ad petendum à Deo spiritum „ contritum, & humiliatum, qui verum „ cordis Sacrificium est? Concilium Tridentinum neminem à Missæ Sacrificio „ excludit, nisi *publicè, & notoriè criminosos* sess. 22. Decreto *de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*. Quâ temeritate excludere vult damnatæ Propositionis author peccatores neque notorios, neque publicos?

„ Idem Concilium sess. 24. Decreto *de Reformatione* cap. 8. ait: *Apostolus monet publicè peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocaverit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.*

„ Verùm Concilii Patres de peccatis „ tantummodo publicis locuti sunt, neque „ pœnitentiæ publicæ nomine intellexerunt quidquid disciplinâ vetere comprehensum est. S. Carolus jubet Confessarios discere canones pœnitentiæ, non ut „ eis pro libito, & secundùm omnem rigoris pristini latitudinem utantur; sed „ ut peccatoribus in mentem revocent, „ quid vetus ab eis exigeret disciplina. „ Nonne æquum fuit condemnari Propositiones, quarum scopus est stabilire disciplinam Concilii Tridentini regulis, & „ præsentis Ecclesiæ usui contrariam? Nos „ quidem, Fratres dilectissimi, lubenter sequimur doctrinam, & praxim Concilii „ Romani in epistola nomine Romani Cleri ad S. Cyprianum datâ, ut extat Tomo 1. Conciliorum Labb. pag. 663. qua „ docemur, quod & nostra monent Ritualia, solicitam in Sacramento pœnitentiæ administrando adhibere moderationem, anxiè curantes, ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec verè pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem „. Hactenus Episcopi.

2 Jus fidelium, etiam peccatorum, fundatur in baptismo, quo Ecclesiæ aggregati sunt velut ejus membra, ac proinde jus obtinent assistendi Sacrificiis, quæ Ecclesiæ nomine offeruntur, nisi peccata adeò gravia, & publica sint, ut ob ea prohibeantur lege aliqua interesse. Fundatur prætereа jus illud in natura Sacrificii à Christo clementissimè instituti, ut per illud impetretur peccatoribus propitiatio; quod singuli præsentes consensu, ac desiderio cum Sacerdote *offerunt pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ*, ut Christi meritis, & præsentis virtute Sacrificii ad veram atque salutiferam valeant pœnitentiam pervenire. Ideò injurius erit privatus quilibet peccatoribus, eos violentè loco Sacrificii arcens. Idem statue de Ecclesiæ Ministris, saltem inferioribus, quibus leges condendi potestas nulla est.

Jus itaque fidelibus, etiam peccatoribus, nulla lege prohibitis est, ut tanto ad recuperandam justitiam, salutemque obtinendam præsidio non spolientur. Accedunt tot Sacræ Ceremoniæ non ad solius Presbyteri sacrificantis; sed etiam omnium præsentium excitandam pietatem compositæ. Ipsa fidelium devotissimè assistentium, & orantium exempla salubres illecebræ peccatoribus ad conversionem sunt, quibus eos iniquissimè privant Novatores præposterè rigidi, nullâ muniti lege, consuetudine, aut legitimâ authoritate.

Provida Mater Ecclesia optimè conscia fructuum saluberrimorum, qui ex Missæ Sacrificio præsentibus proveniunt, non solùm imperat fidelibus, peccatoribus æquè, ac justis, ut ei diebus Dominicis, & Festis omnibus intersint; sed etiam per Prædicatores, & rerum spiritualium Magistros maximè suadet, ut ne ferias quidem absque tam salutari Christianæ pietatis officio pertransire patiantur. Ex lege autem pro festis saltem, & Dominicis diebus ad singulos pertinente jus oritur fundatissimum Christianis omnibus, nullo crimine publico, vel censurâ Ecclesiasticâ impeditis.

Denique ut cuilibet jus ad famam est, etiam peccatori occulto, & nulla sceleris infamiâ laboranti, Pœnitentiæ administreum

reum se constitueret delicti gravis, non solùm contra præceptum Ecclesiæ; sed etiam contra justitiam naturalem; si confitenti peccatum occultum cui non illico impertiendam duceret absolutionem, interea prohiberet ne interesset sacrificio, qualiscumque ex ea absentia nasci aliis posset incursæ suspicio excommunicationis, aut contempti Ecclesiæ præcepti.

3 In Editione Anni 1693. scripserat Quesnellus: *Peccator reconciliatus assistit Sacrificio Ecclesiæ*. In editione autem Anni 1699. ex qua Propositio 89. excerpta est, habetur ut eam exprimit Constitutio. Quæ verò ratio fuerit mutationis? Fraudulenta, ut passim in cæteris, non ut error tolleretur; sed remanens convinceretur difficiliùs. Nimis scilicet patula apparebat falsitas, peccatores quoslibet, antequam reconcilientur, abesse à sacrificio. Cùm autem dicitur, eos tunc primùm, cùm reconciliati fuerint jus assistendi acquirere, etsi quivis inde intelligat, eos antea non posse assistere licitè; ubi tamen Propositionem accusari in judicio contigerit, in promptu novatoribus est, ut asserant à se non negari, præsentem Ecclesiæ benignitatem eò usque se ad peccatores extendere, ut non solum iis permittat Sacrificio interesse; sed eosdem etiam adigat præcepto.

Unicum igitur, inquiunt, quod præsens enuntiatio peccatoribus denegat, est assistendi jus, quod justis solummodò competere sustinemus. Ego verò & peccatoribus Baptizatis, neque ullâ impeditis Ecclesiæ censurâ, id juris esse, ratione multiplici superiùs demonstravi; & adversarios deceptores esse, jam suscipio convincendum.

Quis enim audiens, nihil aliud peccatoribus denegari, quàm jus Divina spectandi mysteria, quibus tamen ex indulgentia interesse liceat, imò oporteat ex præcepto, quis, inquam, hæc audiens non existimet, Theologos istos agnoscere, quòd peccatoribus in peccato habitu manentibus, adesse Sacrificio liceat, neque sic assistendo novum contrahant delictum? Istiusmodi quidem sensus excusationis videbitur incautis, & Quesnelliani systematis, dolique non sat consciis; verùm in memoriam Lector revocet, quæ Tomo 2, contra plures de charitate Articulos disputavi; unde evidens fiet, singulos Quesnello actus peccata esse, qui charitas non sint, vel ejus imperio eliciti. Porrò quamlibet charitatem homini, à damnationis reatu ad justitiam trahsferendo, satis roboris habere docet Quesnellus in 1. Joannis cap. 3. v. 9. dicens: *Nullum lethale delictum secum patitur charitas*: ubi *charitatis* vocabulum indefinitè positum charitatem omnem complectitur, ut sensus sit: omnis charitas peccatum quodlibet excludit mortiferum.

4 In hac hypothesi æquus arbiter dispiciat, an, se præsentem sistere Divino Ecclesiæ Sacrificio in statu peccati & damnationis, absque charitatis actu justificante, non sit novum accersere delictum? Hoc supposito perspicuum est, non solummodò peccatorem nihil posse juris prætendere, ut sic adsit Sacrificio; sed neque istud illi posse Ecclesiam velut licitum indulgere: accipe igitur aliquot Quesnelli axiomata, quorum singula peccatori prohibeant in luctuoso illo statu Mysteriis assistere tam Sacrosanctis.

Proposit. 46. *Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt*. 47. *Obedientia Legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas .... Alioquin non est nisi hypocrisis aut falsa justitia*. 45. *Amore Dei in corde peccatoris non amplius regnante, necesse est ut in eo regnet carnalis cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*. 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur: & amor, quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*.

Amor Dei in corde regnans, omnia agens propter Deum, quemque Deus remuneratur, indubiè Charitas est: & videmus à Quesnello amoris Dei & charitatis nomina pro eodem significato promiscuè adhiberi; charitatem autem omnem in ejus sententia justificare, & finè illa omnia peccata esse. Nulli igitur peccatori antequam justificetur, licita est auditio Missæ; si enim actio illa non profluat ex imperio charitatis, quæ justificat, nascitur necessariò ex cupiditate, ut perspeximus Proposit. 44. & maximè 46. *Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt*. Nullus igitur usus sensuum medius est, & propter similem pro cæteris animæ facultatibus rationem, nulla prorsus actio est, elicitas inter charitatis, vel cupiditatis imperio, media.

Ita edoctus Quesnellus fuerat à Magistro suo Jansenio Libr. 3. de statu naturæ lapsæ cap. 19. in ipso titulo, *Non datur medium inter charitatem & culpabilem cupiditatem*. Tum statim initio capitis: *Omnis affectus*

fectus animi in alicujus rei amore velut cardine versatur: qui cùm non possit esse alius, nisi vel Creatoris, vel creaturæ, & ille bonus, hic culpabilis sit; utpote amor mundi ab Apostolo vetitus, & juxta Augustinum ipsa ratio peccati, qua in omni malefaciendi genere dominatur, profectò liquet, omnem amorem præter istam charitatem, esse illam culpabilem cupiditatem.

Quæ Quidem doctrina à S. Pio, Gregorio XIII. Urbano VIII. damnata pridem fuerat in Baji Articulo 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur.* Et licèt tum à Bajo retractata, tum à Jansenio scripta sua Pontifici submittente censeri debeat rejecta; tamen à Sinnichio Thesibus Anni 1661. resuscitata est: ne verò serperet latiùs, iterato anathemate percuti meruit ab Alexandro VIII. inter Propositiones 31. septima: *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi. Si Dei, Charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.*

Verùm hæc omnia, &, si accessissent centum alia Sedis Apostolicæ Anathemata, terrere minimè poterant Quesnellum, qui in Epistola Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum pag. 30. dignâ schismatico temeritate gloriatur: *Romani Sapientiores sunt, quàm ut existiment nos terreri sententiâ latæ excommunicationis Pontifici reservatæ.* Unde Propositionem illam de charitate toties damnatam intrepidè restituit, & in pluribus jam recensitis, aliisque superiore Tomo confutatis Propositionibus inculcat. Comperrum igitur ex hactenus allegatis Quesnelli dogmatibus est, nullam peccatoribus, quamdiu in mortiferi delicti reatu manserint, auditionem sacri licitam, nullam esse posse vitii expertem.

5 Non defuere quidem inter Catholicos, qui ut præsentia in Sacrificio peccatoribus innocua sit, requisiverunt aliquod pœnitentiæ & conversionis desiderium; quamvis ad justificationem minimè sufficiens; at Quesnellianus rigor justitiam exigens, aut charitatis actum justificantem, novæ Ecclesiæ proprius est; sed in magnificis suis præconibus & præceptoribus maximè ridiculus, utpote quorum omnis in vocibus & hypocrisi religio est, dum animus obduxisse callum cernitur quibuscumque Ecclesiæ Censuris, & iniquitatem bibere sicut aquam, flagrare odio contra Sanctissimum Christi Vicarium, ejusque Eminentissimos Administros, & Consultores, contra Episcopos omnes Catholicos, contra suos Compresbyteros, & omnium Ordinum Religiosos Sedi Apostolicæ obsequentes, præsertim qui zelum aliquem præ se ferunt pro Constitutione UNIGENITUS. Omnibus verò, etiam maximè occultis peccatoribus interdicunt, ne Sacrificium vel eminùs spectent, dum ipsi omnium spurcissimi, Sacris adstare Altaribus, Divina operari Mysteria, pollutissimis ea attrectare manibus, & labiis sumere, minimè verentur; & palàm quidem, velut Sedi Apostolicæ, & toti eam sequenti Ecclesiæ insultantes, non absterriti pusillorum scandalo, hæreticorum plausu, omnium luctu fidelium, gravissimâ Numinis offensione. Nonne istud est excolare culicem, camelum deglutire?

CAPUT II.

Scripturæ pro damnato Articulo ineptissimè allegantur.

1 Proferunt Hexapla illud Sophoniæ cap. 1. v. 7. 8. 9. „ Juxta est dies „ Domini, quia præparavit Domi„ nus hostiam: Sanctificavit vocatos suos: „ & erit in die hostiæ Domini. Visitabo „ super principes, & super filios Regis, & „ super omnes qui induti sunt veste pere„ grina, & visitabo super omnem, qui ar„ roganter ingreditur super limen in die „ illa; qui complent domum Domini Dei „ sui iniquitate, & dolo „. Supponunt Hexapla omnem hominem, qui cum delicti gravis antea commissi conscientia Sacrificio interest, *arroganter ingredi super limen, & complere domum Domini Dei sui iniquitate, & dolo.*

Sed tam inanis suppositio est, quàm alienus à veritate damnatus Articulus, cui stabiliendo assumitur. Imò experientiâ constat rarissimos esse, qui ratione istiusmodi scelerata intrare Ecclesias, & Sacrosanctis assistere mysteriis præsumunt. Quicumque autem tales fuerint, à crimine non excusantur, neque de talibus disceptatio est; sed an peccatoribus universis antequam reconcilientur, interdicta sit auditio Sacri. Sic enim communiter intelligitur Propositio *Quartus Decimus gradus conversionis peccatoris est, quod cùm sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ.* Sic Propositionem percipit, & impugnat *Pastoralis Institutio* à Quadraginta Galliæ Episco-

scopis edita, & à Sexaginta aliis adoptata, ut Superiore capite retuli. Neque apparet dubium quin reliqui passim per orbem Antistites, Theologi, & fideles simili eam sensu explicent, ac detestentur.

Ita gradum decimumquartum exprimebar Quesnelliani Operis editio anni 1693. *Peccator reconciliatus assistit Sacrificio Ecclesiæ*: quasi antea non assisteret. Cùm igitur malitiam id præferret nimiùm manifestè, visum fuit aliquibus eam juris nomine involvendam, ut accusata elaberetur faciliùs, sensum visa admittere benigniorem, seu minus horridum, quando negati peccatoribus non videretur facultas assistendi sacrificio ex quadam Ecclesiæ indulgentia; sed jus solummodo, & potestas debita.

Cùm verò pro enumerandis conversionis gradibus in quolibet hodie peccatore recurrat Articuli author ad superiora Ecclesiæ tempora, quibus viguit rigidior pœnitentiæ disciplina, neque permittebatur publicis pœnitentibus, quos solos memoratus Ordo respicit, ante gradum 14. interesse sacris mysteriis, satis apparet nostri quoque temporis peccatoribus, *juris* nomine facultatem penitùs denegari, atque in illo describi ordine, quod recta pœnitentiæ ratio, & Divina justitia postulat.

2 Ex omnibus etiam Quesnelli principiis liquet, non jus solummodò peccatoribus detrahi; sed nullam pariter Ecclesiæ mansuetudinem posse illis auditionem Sacri permittere, nisi quali dicitur Deus permittere peccata; cum omnis deliberata peccatorum extra statum justitiæ manentium volitio, & actio, in Quesnelli sententia peccatum sit; prima autem peccatoris actio immunis à noxa, imò prima gratia, hominem Deo reconciliet. Nam per Art. 38. *Peccator non est liber nisi ad malum sine gratia liberatoris*. Et juxta 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Proinde nulla penès Ecclesiam potestas est, quæ peccatoris actionem aliquam, nisi quæ ipsum Deo reconciliet, reddere valeat innocentem. Vel igitur ipsa volitio audiendi sacrum in peccatore est ex gratia remittente peccata, vel ipsa prima volitio est prima gratia, eaque hominem Deo reconcilians, vel eadem volitio novum accumulat delictum.

Succedit Articulus 44. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & amor quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Volitio itaque peccatoris assistendi Sacrificio, vel nascitur ex amore Dei omnia agente propter Deum, quemque Deus remuneratur, qui amor justificat, vel hominis justificati est, sicque auditio sacri, atque ipsa audiendi volitio, quæ ex tali nascitur amore, non est peccatoris; sed justi: vel si ex tali amore non proveniat, ducit originem ex amore proprio, ac mundi illicito, unde & ipsam vitium contrahere necesse sit.

3 Solerne Ecclesia hominibus, quibus nec Deus est, nec religio, facultatem concedere ut sacrificio assistant? Juxta Art. 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas*. Hæc verò quandocumque adfuerit, peccatorem sanctificat; quia per Observationem Quesnelli nullo restrictionis vel exceptionis limite circumscriptam, in 1. Joannis cap. 3. *Charitas nullum secum patitur peccatum lethiferum*. Cur autem Ecclesia, quo fructu juxta Quesnellum indulgeret peccatoribus, imò præciperet, ut sacro diebus Dominicis & festis assisterent, si conscia foret neminem licitè assistere nisi justificatum, cum omnis volitio & actio quæ justificantem præcesserit in nova Ecclesia peccatum sit? Perspicuus de hoc est Articulus 47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte: & hic fons est charitas.... alioquin non est nisi hypocrisis aut falsa justitia*: proinde volitio audiendi sacrum, ipsaque assistentia ne hypocrisis ac peccatum sit, profluere debet ex fonte qui charitas est, & peccatorem Deo reconciliat.

Ex tali itaque fonte prosiliens præcepti Ecclesiastici obedientia non est hominis adhuc peccatoris; sed justificati, aliàs novum ipsa obedientia peccatum est, quantumvis à vero, vel prætenso jure peccator præscinderet. Denique peccator communi imbutus sententiâ, quod nullo crimine publico, nullâ censurâ prohibitus jus retineat ad assistendum Sacrificio, aliunde conscius fructuum ex eo dimanantium in omnes etiam peccato implicitos, qui veræ pœnitentiæ & reconciliationis gratiam à Deo humiliter petunt, si ad templum illo se spiritu conferat, quare argui debet velut *arroganter ingrediens super limen, & domum Domini complens iniquitate? &c.*

Quapropter *Collator Propositionum cum Scripturis & SS. Patribus*, secutus Hexapla, & in pluribus corrigens, satis conspicatus objectionis hujus ineptias, uti & sequentis, utramque prudenti silentio præterivit. Sic nempe ex Matthæi capite 7. instant Hexapla: *Nolite Sanctum dare canibus: neque*

mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis. In quem textum sic Angelicus. „ Ostendit [Christus] „ quòd judicium debeat esse discretum. „ Notandum ergo quid per Sanctum, & „ quid per margaritas: [Christus intelligat:] Augustinus: Sancta sunt inviolata „ & immaculata conservanda, margaritæque pretiosæ non debent contemni: Per „ canes, qui lacerant dentibus, hæretici „ significantur: per porcos, qui conculcant pedibus, immundi. Sancta ergo dare canibus, est Sancta hæreticis ministrare.

„ Item si aliquid speciale dicatur, & „ istud contemnunt, porcis datur: vel per „ Sancta, Ecclesiastica Sacramenta; per „ margaritas mysteria veritatis; per canes, „ infideles; per porcos mali fideles [intelliguntur.] Nolite ergo Sanctum, id est „ Sacramenta dare infidelibus: margaritas, „ id est sensus spirituales porcis dare. „ 1. Cor. 2. Animalis homo non percipit „ ea, quæ Dei sunt, id est ne fortè contemnat. Proverb. 25. Anima satiata „ conculcat favum. Unde conversi ad peccata dirumpunt, quia contemnunt: vel „ calumniam inferunt. Sed quare? Nonne Christus multa bona dixit infidelibus, „ & illi dirumpebant verba sua? Dico quod „ hoc fecit propter bonos. „

Nihil hic sive in textu Euangelico, sive in Commentario Aquinatis est, quod fidelibus pro spirituali fructu ex sacrificiis percipiendo, templa cum humilitate & reverentia frequentare volentibus, aditus prohibeatur. Non esse illis licitam Dominici corporis ac sanguinis sumptionem, quamdiu immundi sunt, & impuris animalibus, porcis & canibus comparati, nemo fidelium ignorat; sed non licere Mysteriorum celebrationibus interesse, ut participes fiant fructuum, & potentiorem imperrent gratiam, qua ab immunditie liberentur, nullus præter Quesnellum eum suis novatoribus sociis affirmabit.

4 Sacrificans quidem dum pro præsentibus orat, *Memento*, inquit, *famulorum* NN. *famularumque tuarum* NN. *& omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio*; verùm etiam fides supernaturalis, & inchoata, seu imperfecta devotio potest esse in peccatoribus pro ampliore devotionis gratia Deum precantibus. Non consentit Quesnellus, penès quem nulla potest oratio esse utilis, nisi quam charitas animarit: hæc autem, ut supra vidimus, omnis justificat. Prop. 54. *Sola charitas est qua Deo loquitur; eam solam Deus audit.* Prop. 50. *Frustrà clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus charitatis non est ille, qui clamat.* 53. *Sola charitas Christiano modo facit [actiones Christianas] per relationem ad Deum & Jesum Christum.* Præterea oratio, ut fructuosa sit, procedere debet ex fide; ex hac autem, Quesnello judice, nihil boni prosluit nisi per charitatem. Prop. 51. *Fides justificat, quando operatur; sed non operatur nisi per charitatem.* Denique immensum discrimen est inter spectare Sacrificium, & sumere Divini corporis & sanguinis Sacramentum. Posterius Christus & Apostolus vetant peccatoribus, non prius. Is Catholicæ Ecclesiæ sensus est, & sacri textus interpretatio.

CAPUT III.

Damnatus Articulus nihil præsidii habet in Traditione.

1 QUesnellus in Observationibus non Moralibus in Scripturam, sed schismaticis in Constitutionem Unigenitus, & damnatos ab ea Articulos, perbrevem ex libro 1. de Hierarchia Ecclesiastica cap. 3. exhibet laciniam, veritus ne textus amplior veritatem redderet dilucidam, proscripto dogmati minimè suffragantem.

Audiatur sententia Authoris aliquanto prolixior, quàm ipse nobis Collator suppeditat. „ Catechumenos & Energumenos, „ eosque qui pœnitentiâ ducuntur, Sacrosanctæ Hierarchiæ mos patitur audire „ quidem sacram Psalmodiam, Divinamque Sacratum Scripturarum recitationem; verùm ad ea, quæ deinceps sequuntur, Sacrificia, spectaculaque nequaquam hos convocat; sed perfectos „ perfectorum oculos. Est enim Deiformis „ ille ordo sacrosanctæ plenus justitiæ, nec „ non salubriter cuique consentaneam pro „ merito cujusque rerum Divinorum tribuit participationem.... Compertum „ habeo sincerissimum Sacrorum ordinum „ judicium censere præ istis detestabilissima obsidione teneri eos, qui Deiformem „ vitam deserentes, sententiis moribusque perditis Dæmonibus consentiunt. „ Hi ergo primi, & quidem magis propriè, „ quàm illi segregativa ministri voce arceantur. Neque enim fas sit eis cujuslibet alterius rei sacræ participes evadere, præterquam eloquiorum Dei, quo- „ rum

„ rum magisterio ad meliorem frugem converti possint. „

Author itaque libri de Hierarchia Ecclesiastica, qui sive Dionysius Areopagita sit de quo inquit Bellarminus *Viri docti & Catholici nihil dubitant: soli haretici Lutherani, & quidam Stioli Erasmus, Valla & pauci alii negant esse Sancti Dionysii Areopagita*, sive alius quicumque, ait quatuor genera hominum voce præconis ad Sacrificium non vocari, Catechumenos scilicet, Energumenos, publicè pœnitentes, & præ cæteris eos qui *detestabilissima obsidione* criminum *tenentur, qui Deiformem vitam deserentes sententiis* [hæreticis] *moribusque perditis, Dæmonibus consentiunt*. Posteriorum nomine haud intelligi quoslibet peccatores, etiam occultos, & unius fortè cogitationis, delectationisque illicitæ reos, ex ipsis textûs objecti vocibus evidens est. Etenim infirmitate semel interiùs solummodo lapsus non dicitur *detestabilissimâ teneri obsidione, sententiis moribusque perditis Dæmonibus consentire*, quod propriè hæreticorum & sceleratorum est pravitate doctrinæ, & *morum* cæteros corrumpentium, atque apud infideles infamiæ maculam aspergentium Ecclesiæ Christianæ.

Quod idem Author addit, convocari ad Sacrificium *perfectos perfectorum oculos*, pœnitentibus publicis animandis ingeritur, ut etiamsi ante peractam integrè pœnitentiam canonicam supponantur recuperasse coram Deo justitiam, nondum tamen penitùs *perfecti* sint ad quod dirigebatur illa pœnitentiæ plenitudo.

Similis erat ejusdem libri sententia cap. 2. „ Non solùm hi, qui à statu vitæ „ sanctæ & Christianæ exciderunt, debent „ è templo Dei secedere; sed etiam hi qui „ à vita mala ad meliorem conversi, à „ phantasmatibus & imaginibus, quæ re- „ manent in ipsis ex præteritis excessibus, „ per contrariam habitudinem, & amoris „ Divini absque ulla mixtione puritatem „ nondum purgati sunt, hoc Sacrificium „ pro se nimis sublime, suamque capacita- „ tem superexcedens judicare debent. „ Liquet illa non posse de rigida, etiam pœnitentiæ publicæ non subjectorum intelligi obligatione, cum Doctor Angelicus cum omnibus Catholicis de ipsius sumptione Sacramenti doceat parte 3. quæst. 8. art. 7. *Solum peccatum mortale ex necessitate impedit hominem ab hujus Sacramenti perceptione*.

Quæ igitur authoris veteris ad publicorum pœnitentium perfectionem exhortatio est, ne indignentur Præpositis Ecclesiæ, eos tanto tempore, tot operum piorum exercitio ad insignem Sanctimoniam promoventibus, perperam ab hujus temporis novatoribus adhibetur ad persuadendum simplicibus pœnitentiæ publicæ pro peccatis omnibus necessitatem. Sic & quod aliàs Patres ad magis tolerabilem pœnitentibus reddendam sumptionis Ecclesiasticæ diuturnam adeò juxta Canones dilationem, prædicaverant de perfectione maxima ad participationem Augustissimi Sacramenti adferendâ, Arnaldus explicat de *Dispositione necessaria pro tam adorabili mysterio*.

Ita loquitur lib. de frequenti Communione parte 1. cap. 5. postquam retulit citatam capitis 2. de Ecclesiastica Hierarchia sententiam. Quâ interpretatione & applicatione subdolâ nihil cogitari poterat aptius ad vulgus fidelium à communione perpetuò avertendum. Fraudem detexit Alexander VIII. & hanc Arnaldi Propositionem tacito authoris nomine condemnavit vigesimam tertiam inter 31. *Similiter arcendi sunt à Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers*. Similem, ut jam vidimus, turba Novaturiens pro spectando Sacrificio dispositionem exigit, *perfectos perfectorum oculos*, ut communis grex fidelium à Divinorum mysteriorum præsentia avertatur.

Distinguamus igitur circumstantias, in quibus Patres illi loquebantur, de peccatoribus videlicet publicis, & publicè pœnitentibus, quibus ratione Canonum plura pietatis exercitia imponebantur, antequam ad spectanda admitterentur mysteria: Quas Ecclesia dispositiones minimè censet ab omnibus exigendas fidelibus. Et quidem nonne ridiculos se exhibent adversarii, quando velut de necessitate omnibus imposita objiciunt, quod *perfectis* solummodo *perfectorum oculis* liceat Divinum aspicere Sacramentum, dum quales ipsi perfecti sint, tota novit Ecclesia, & tamen non assistere solùm, sed eadem tractare, offerre, sumere publicè non verentur inflati superbiâ, Christi Vicario rebelles, schismate & hæresi infames, multiplici anathemate Deo, Angelis & hominibus execrandi.

3 Intorquetur nobis etiam illud Chrysostomi ex Hom. 3. in cap. 1. epistola ad Ephesios. „ Non es dignus Sacrificio, ne- „ que participatione? Ergo nec prece. „ Audis præconem stantem & dicentem, „ quicumque estis in pœnitentia, abite. „ Omnes qui non participant, sunt in pœ- „ nitentia .... Quicumque mysteriorum „ non est particeps, is impudenter adstat, „ & ni-

„ & nimis audacter. Qui sunt in peccatis „ propterea priores ejiciuntur.... Licet „ postea accedere & videre; sed quando „ adfuerit [Christus] abi; non enim tibi „ magis licet, quàm Catechumemo. Non „ sunt enim paria Sacramenta, nondum „ esse assecutum, & postquam fueris asse- „ cutus, & offenderis, despicere, & eâ re „ indignum te reddere. Licebat plura di- „ cere & terribiliora; sed ne mentem ve- „ stram gravem, hæc sufficiunt. „

Vehemens hîc Chrysostomi invectiva est contra Græcorum suorum desidiam & negligentiam, quod cum Divino Sacrificio frequentes assisterent, nemo se Christi corpore & sanguine reficeret. *Frustrà*, inquit, *habetur oblatio quotidiana; cùm nemo sit qui simul participet*. Et *quicumque mysteriorum non est particeps, impudenter adstat, & nimis audacter*. Et infra: *Si quis ad convivium vocatus, manus quidem laverit, & accubuerit, & tamen nihil ciborum gustaverit, nonne infert contumeliam convivatori à quo fuerat vocatus? An non satius fuerat, eum, qui talis est prorsus non comparuisse?* Hoc Chrysostomi loco potissimum utuntur Lutherani contra Missas privatas, sive Sacrificia, in quibus præter Sacrificantem nullus communicat.

Et quidem Kemnitius citata eâ Chrysostomi sententiâ exultans ait: *Audis? Non verba, sed fulmina contra Pontificiam persuasionem de spectaculo Missarum privatarum.* Revera agnoscenda hîc in S. Patre est exaggeratio non una; nam in rigore & sensu obvio verum non est, frustraneum absolutè & simpliciter esse Sacrificium, in quo cum Sacrificante nullus fruitur Christo; nam certum est prodesse Sacrificium etiam circumstantibus, qui illud desiderio offerunt; prodesse & absentibus [pro quibus offertur] etiam fidelibus defunctis. Ita respondet Bellarminus de Missa libro 2. cap. 10. „ Verba illa non significare absolutè oblationem frustrà fieri; sed frustrà quatenus „ ordinatur ad Communionem. Nam cùm „ celebratio Missæ partim ordinetur ad Sacrificium Deo offerendum, partim ad „ populum sacro illo pane reficiendum, „ cùm nulli sunt qui communicant, frustrà „ fit quatenus ordinatur ad posteriorem „ finem; sed non frustrà fit quatenus ordinatur ad finem priorem. Itaque Chrysostomus etiamsi dicat, frustrà fieri; non „ tamen propterea omittebat quotidie sacrificare, quod certè fecisset, si absolutè „ frustrà fieri existimasset. „

4 Agnoscenda prætetea est exaggeratio in eo, quod dicitur, *impudenter adstare & nimiùm audacter, quicumque non participat*; nam etsi impudentia & audacia sit damnabilis in eo; qui Communionem ex contemptu omitteret, venialis autem noxa possit esse omissio ex socordia quadam vel negligentia; si autem ex reverentia, vel alia ratione legitima, constat omissionem esse innoxiam, & subinde, ut ipsi maximè fatentur adversarii, laudabilem. Unde indubiè exaggeratio est cùm dicitur *satius fore prorsus non comparuisse* coram Sacrificante, quàm cum eo non communicasse. Hic iterum non existimo ausuros mihi refragari adversarios.

Ita etiam Bellarminus eodem capite. „ Ad illud [inquit] quod Chrysostomus „ dicit, melius esse non interesse Sacrificio, quàm interesse & non communicare, dico Chrysostomum, ut quædam alia „ per excessum ita esse locutum, cùm solum hortari cuperet homines ad frequenter & dignè communicandum. Nam quia „ videbat excusare se homines à Communione, quod se indignos & imparatos „ dicerent, ipse animadvertens negligentiam & desidiam totius illius damni causam esse, vehementer illos arguit, ac dicit, indignos etiam esse, qui simul cum „ cæteris orent; imò dignos qui ab Ecclesia ejiciantur tempore Sacrificii, quomodo ejiciuntur pœnitentes & Catechumeni: & melius facturos si non venirent: & „ alia id genus, quæ certum est, dicta esse „ amplificandi gratiâ. „ Quem morem concionantibus, etiam Patribus familiarem esse, ait Cardinalis Aguirre in Theologia S. Anselmi Disput. 130. sect. 11.

Denique apud Bellarminum loco cit. „ Chrysostomus Hom. 3. de incomprehensibili natura Dei graviter reprehendit „ auditores suos, quod finitâ concione recederent, & Sacrificio non interessent. „ Ubi nihil de Communione dicit; cùm „ tamen sciret plurimos non communicare „ nisi rarissimè; sed tantum hortatur ut maneant & simul orent, ac spectent Christum, qui in mysteriis se ostendit. „

Cùm igitur evidens sit, locum illum Chrysostomi exaggerationibus plenum esse, ne Sanctum Patrem notissimæ omnibus Catholicis videamur opponere veritati, explicandus est tum de peccatoribus publicis ejiciendis, tum de expellenda ab aliis socordia & qualibet conscientiæ impuritate, quæ à Communione averteret. In hunc finem graphicè depingit, & amplificat indignitatem in peccatoribus aspiciendi Christum

stum & Divina mysteria. Qui aspectus indubiè indecens est, quando *impudens & audax*, non quando humilis, & ad conciliandam reverentiam, attentionem, devotionemque, ad implorandam Dei clementiam ab aspiciente dirigitur.

An non posset hic Chrysostomo applicari, quod S. Bonaventura in Breviloquio parte 3. cap. 5. monet de Augustino duriùs loquente contra parvulos sinè Baptismate morientes, ut Pelagii hæresim fortiùs impugnaret? *Non deberi parvnlis pœnam sensûs in gebenna*, inquit Seraphicus, *credendum est sensisse Augustinum, licèt verba ipsius exteriùs propter detestationem erroris Pelagianorum*, peccatum originis negantinm, *aliud sentire videantnr. Ut eos reduceret ad medium, abnndantiùs declinavit ad extremum, plns dicens, & minus volens intelligi*.

Simili ratione Dionysium Alexandrinnm S. Basilius teste Photio in Bibliotheca codice 232. *defendit, non nt impia sentientem; sed quod nimio Sabellinm impugnandi stndio, verbotenns in contrariam deflexerit opinionem*. Simile quid accidit S. Cyrillo in suis duodecim contra Nestorium Anathematismis, ex quibus crudiùs acceptis Eutyches hæresim suam elicere conatus est.

5 Denique fateri coguntur adversarii, Chrysostomum benigniore intelligendum ratione, qnàm verba obviè sonant. Quis enim asserat, omnes justos, & ad Communionem dispositos debere potiùs diebus festis & Dominicis exire templo, quàm interesse Sacrificio, & de eo non sumere; à non sumentibus inferri semper contumeliam Chrlsto; &, ut supra vidimus, frustraneum esse Sacrificium absque adstantium participatione? Dicamus itaque, ut jam indicavi, vehementiùs locutum fuisse Chrysostomum propterea quod animadverteret intolerabilem in suis defectum devotionis, & incuriam, qua sive peccatores, sive justitiam assecuti, negligebant sumptionem Eucharisticam, adeò ut teste Bellarmino lib. 2. de Missa cap. 11. *Constet tempore Ambrosii & Chrysostomi Græcos nonnisi post annum communicare solitos esse*, aliquos minùs negligentes festis quibusdam majoribus & Quadragesimâ. Et quia tepor ille in jnstis, & justificationis procrastinatio in peccatoribus penès plurimos invaluerat, invectivis utrûqne statuit vehementioribns insectandum.

6 Non vident autem adversarii, aut subdolè dissimnlant, quantum & Chrysostomus eorum novitatibus adversetur, & ipsi eas subruant defendendo. Chrysostomus enim omnes dispositos ad Sacrificium spectandum asserit pariter idoneos ad communicandum: imo *quicumque mysteriorum non est particeps, is impudenter adstat & nimis audacter*. Ibid. *Si quis ad convivium vocatus, manus quidem laverit & accnbuerit, & tamen nihil cibornm gustaverit, nonne contumeliam infert convictori? An non satius fuerat eum qui talis est, prorsus non comparuisse?*

At juxta Quesnellum editione anni *1693*. Constitutus in gradu conversionis decimo quarto & [non antea] assistit Sacrificio Ecclesiæ. Editione anni *1699*. jus habet assistendi Sacrificio Ecclesiæ; sed nondum communicandi, quod pertinet ad gradum 15. In hoc gradu, inquit Quesnellus, nutritur Christi corpore, quod sigillum est reconciliationis cum Ecclesia: reconciliatio cum Deo præcesserat gradu 10.

Præterea Chrysostomus licitam Sacrificio præsentiam & Communionem esse docet mox ubi quis nullâ censurâ canonicâ, ut supponitur, impeditus peccata diluerit, & vestem acceperit nuptialem, quæ in Theologorum omnium sententia est gratia sanctificans. Sed penès Quesnellum peccator pœnitens per justificationis gratiam constitutus in gradu decimo, tempore adhuc & multis bonorum operum exercitiis opus habet, antequam ad gradum promotus decimum quartum, tunc demùm jus obtineat assistendi Sacrificio; sed ne tum quidem communicandi, quod ad gradum attinet quintum decimnm.

Ex his perspicit Lector *reconciliationis* nomine, quæ in duobus ultimò relatis gradibus exprimitur, intelligi reconciliationem cum Ecclesia. Hunc esse adversarii sensum monemur gradu 15. ubi id ipsum exprimitur, & evidens fit gradu decimo, ubi peccator recipitur in gratiam. Hinc facilè difflatur Adversantium pathos quo contra Bullam UNIGENITUS declamant, tribuere eam jus peccatoribus, ut impuris oculis sacra mysteria intueantur; desierunt enim oculi esse impuri in gradu decimo, quo in gratiam peccator recipitur & justificatur. Proinde ex ipsa deducta à Quesnello conversionis serie convincitur, quod expectari non debeat gradus decimus quartus, ut censeatur puritas oculis rediisse.

Æquissima etiam Constitutionis definitio est, jus assistendi Sacrificio tribuens peccatoribus, qnos neque arcent peccata publica, neque ulla censura Ecclesiæ, licèt Divina nondum obtigerit reconciliatio; quia & cnnctis fidelibus concessum fuisse in Baptismate cognntur ipsi agnoscere adversarii, neque nllam legem, ullum Canonem

pro-

producent, quo jus illud reis iſtiuſmodi abrogetur.

7 Profectò Chriſtus Dominus cum peccatoribus converſans, videri ab iis minimè detrectavit, ſed univerſos ad ſe clementiſſimè advocans Matth. 11. *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. Quod Zachæus peccator arborem Sycomorum conſcenderit, ut Jeſum conſpiceret prætereuntem, approbari meruit à Salvatore, qui & non invitatus ultrò ſe ei offerre dignatus eſt convivam, receptoremque benevolum juſtitia remunerari & ſalute. Nonne Deus etiam à peccatoribus, mentem & labia polluta habentibus orari vult? Nonne omnibus imperat pœnitentiam? 2. Petri cap. 3. dicitur Deus nolens aliquos perire; ſed omnes ad pœnitentiam reverti. Inferret proinde peccatoribus injuriam minimè levem, quicumque illos impedire ab oratione humili, pœnitentiâ & converſione præſumeret, præcipuè ſacro Baptiſmatis charactere præditos, & ſub eodem viſibili Eccleſiæ Capite militantes.

Quanta igitur Novatorum inclementia eſt & iniquitas, qui ubi peccatoribus prorſus omnibus etiam obtinendæ converſionis deſiderio ad propitiationis Sacrificium confugientibus adirum obſtruxerint, nullâ ſe eos injuriâ affeciſſe, contra ſupremum Eccleſiæ judicium aſſerere non verentur! Ipſi tamen ſchiſmatis & hæreſeos non unius crimine ſordidi, neque uno conſtricti anathemate, impœnitentes, contumaces, & ipſa ſua gloriantes malitiâ, ſibi jus vindicant Sacrificii; ſibi, inquam, & quidem ſolis jus illud vindicant, quod univerſæ abrogant Eccleſiæ. Quis enim eorum dubitat, quin doctrinam fidemque, Queſnello judice, Apoſtolicam, Euangelicam, Chriſtianam anathemate damnans Pontifex, gravi ſe fœdaverit delicto, in quo remanere eum obſirmatiſſimum, etiam poſt tot Queſnelli ſociorumque monita, documenta, increpationes publicas & appellationes ad Concilium, experimentis ajunt conſtare nimiùm frequentibus, & orbi notiſſimis univerſo. Quis autem excuſet Cardinales, Epiſcopos, Doctores, Presbyteros, Religioſos, & turbam reliquam tantæ conſentientem injuſtitiæ, perfidiæ, impietati?

Sic itaque juxta Queſnellum & ejus ſocios ſanctitas Romanā deſerens Eccleſiam, atque ad novam demigrans, à priore penitùs ſublatum jus Sacrificii ſive offerendi, ſive ſpectandi, tranſtulit ad poſteriorem; quemadmodum ſcilicet ad alias ſuperiorum temporum ſectas illud credidit tranſvexiſſe.

CAPUT IV.

Adverſantium Obſervationes petulantiæ multum, nihil ſolidæ rationis continent.

1 Obſervator irreverens in Acta Comitiorum Epiſcopalium Pariſiis habitorum anno 1713. & 1714. relatam à me initio capitis 1. ſententiam Quadraginta Antiſtitum, à ſexaginta aliis adoptatam, petulantiſſimè exagitat. „ Aſſerimus (inquit) quod peccatoris reconciliatio jus tribuat aſſiſtendi Sacrificio: Damnamus igitur præſentem Eccleſiæ diſciplinam, quâ peccatores jubentur Sacrificio diebus feſtis & Dominicis intereſſe? Nonne conſecutio eſt legitima? Verùm putantne Documenti Paſtoralis auctores peccatoribus, qui audiendi ſacri præcepto tenentur, tantum juris competere, quantum juſtis, ut impuris oculis aſpiciant ſacroſancta myſteria, neque debere eos ſe exiſtimare indignos qui ſanctis commiſceantur, ipſi pondere peccatorum preſſi, quoſque Deus abſque horrore nequeat intueri? Si verò nihil tale (Antiſtites) exiſtiment, ut nemo Chriſtianus exiſtimare poteſt, quomodo tam ineptæ rationis obtentu aggrediuntur Scriptorem pium, aliud non aſſerentem, & cujus verba in alium ſenſum nullâ poſſunt æquitatis ſpecie detorqueri?

Sic adverſarius, cujus irreverentem contra centum Epiſcopos declamationem omni penitus ratione vacuam nihil moror. Univerſa interrogetur Patrum vetuſtas quid vigentibus pœnitentiæ canonibus ſignificaret hæc aſſertio: *Quartus decimus gradus converſionis peccatoris eſt, quod cùm ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ?* Nullus aliter intellexerit, neque intelliget ullus hodie non præoccupatus, quàm quod peccator excluſus antea Sacrificio, per reconciliationem reſtituatur. Quod quidem & falſum eſt hoc tempore, & fuit olim de peccatoribus ſinè limitatione, ſinè diſcrimine pronuntiatum, ut nihil reſtrictionis contineat Propoſitio. Verum autem fuit de publicorum quotumdam reis criminum, & tales aliquos etiam hodie arceri à Sacrificio, patet ex Tridentino ſuperius, & notis ubique excommunicatio-ni-

nibus edocemur. Falsissima igitur Propositio est in sensu obvio, quo significetur, quemlibet peccatorem à spectandis in æde Sacra Divinis mysteriis prohiberi, ac tum demum eis restitui cum reconciliatur.

Divertere nos vellet adversarius ad quæstionem an peccator *tantum juris* ad assistendum Sacrificio habeat, *quantum* justus & Sanctus: Verùm de majori minorive jure nullus in Propositione sermo est, nullum indicium. Supponamus justos & Sanctos plus juris habere ad orandum Deum, quàm peccatores, quos Deus sinè horrore nequit aspicere, sequiturne inde peccatores ante reconciliationem nullum jus habere recitandi Orationem Dominicam, neque posse dicere *dimitte nobis debita nostra*, nisi postquam reconciliatione dimissa sunt?

2 Irascitur adversarius quod Propositionis author credatur damnare hodiernam Ecclesiæ disciplinam, quâ præcipitur peccatoribus, ut diebus festis & Dominicis Sacrificio intersint. Sed frustrà lucem tenebris involvere nititur. Edicat ergo primò an peccatores saltem occulti ante reconciliationem habeant jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ. Hoc enim dilucidè Articulus negat, affirmat Constitutio. Edoceat nos secundò, an peccatores licitè assistant Sacrificio, & an Ecclesia hoc illis præcipiat, etiam supposito quod non reconcilientur?

Dubitandi rationem de mente adversarii suggerit tum Propositio damnata, tum hæc Sancyrani in Epistolis Christianis & Spiritualibus, ut refertur in ejus Reliquiis pag. 294. *Secundùm S. Chrysostomum vix opus est minore dispositione ad audiendam Missam, quàm ad communicandum*. Atqui secundùm omnes ad communicandum requiritur status gratiæ; secundùm Sancyranum autem & Arnaldum etiam *condigna* prius *peracta de peccatis pœnitentia*, *amor Dei purissimus & omnis mixtionis expers*, ut statuunt duo eorum Articuli ab Alexandro VIII. damnati vigesimus secundus & vigesimus tertius inter 31. Non tamen difficulter admiserint Vergerius & Arnaldus omnibus adultis etiã peccatoribus præceptam esse Communionem Paschalem, adeò ut tam peccatores, quàm justi contrahant novam peccati lethalis malitiam, communionem prætermittendo. Quamvis scilicet Euchàristiam sumere peccatori non liceat, non tamen propterea generalis præcepti vinculo eximitur, sed peccatum abjicere necesse est, ut Sacramentum debitâ percipiat dispositione.

Sic pariter de Propositionis hic prohibitæ authore nullus Episcopus aut alius suspicatur, eum liberare peccatores onere audiendi Sacrum diebus festis & Dominicis, quasi communi fidelibus præcepto non teneantur, neque ad peccatum novum absentia à Sacrificio imputetur. Verùm Propositionis author in ea certissimè sententia est, quam Propositio in sensu obvio præ se fert, quòd peccatori permanenti in peccato, sive in *sensu composito*, ut in Scholis loquimur, Sacrificio interesse non liceat. Hunc esse sensum suum neque Quesnellus, neque ullus ejus defensor, aut Socius unquam inficiabitur. Esse autem Eundem à Doctrina & usu Ecclesiæ alienum, dignumque censuris minimè levibus, tota præsens evicit Disputatio.

3 Hactenus respondi Apostolicæ Sedis & centum Gallicanorum Antistitum adversario. Alius nunc refutandus venit author non minùs Petri Cathedræ infestus, Opere cui titulus *Constitutio Clementis XI. cum Observationibus in Propositiones condemnatas*. Statim quærit author, *An non sciatur amplius Romæ, quod octo primis Ecclesiæ seculis mos fuerit ducendi pœnitentes per quatuor gradus, & quod in tribus prioribus non admitterentur ad Ecclesiam dum offerrentur Divina mysteria? Solis id concedebatur qui in quarto gradu erant, Consistentia appellato. Sed neque his obtingebat Mysteriorum participatio. Si dein Ecclesia pœnitentibus permiserit ut etiam ante reconciliationem Sacrificio assisterent, non propterea existimentur hac charitatis indulgentiâ jus aliquod acquisivisse, quod absque reconciliatione obtineri non potest.*

Antiquos Canones & Ecclesiæ veteris morem circa pœnitentes haud paulò meliùs Roma novit, quàm Hollandia, unde *Observationes*, & plura ejusdem furfuris contra Constitutionem opuscula prodierunt: Sed pariter novit Roma, quod adversarii ignorant turpissimè, aut se novisse dolosiùs dissimulant, illos Canones, illum morem ad solos pertinuisse pœnitentes publicos; non autem ad privatos, occultorumque reos criminum externo Ecclesiæ foro minimè subjectorum; ut constat nequaquam subjici quæcumque in solis animi recessibus committuntur.

Oppositum, si potest, ostendat adversarius. Ostendat, inquam, ullâ Ecclesiæ lege, ullo unquam Canone cautum fuisse ne peccatores occulti Divinis Mysteriis assisterent. Nos jus evidens demonstramus publicâ Ecclesiæ authoritate, lege & consuetudine non recenti tantùm; sed etiam antiquissima stabilitum, qua fideles omnes Ecclesiæ subditi nullo justorum peccatorum-

rumve discrimine, præter eos, quos peccatum gravius publicum, vel Ecclesiastica impedit censura, sacrosanctis mysteriis non sinuntur modò, sed etiam jubentur interesse.

4 Neque levis profectò ratio Ecclesiam Divino semper spiritu gubernatam ad hanc legem impulit ferendam, perpetuaque firmandam consuetudine; compertos scilicet semper habuit fructus saluberrimos ex Divino Sacrificio, non in Sacerdotem solum, sed in circumstantem etiam fidelium turbam cumulatissimè solitos dimanare. Illic Justi confirmantur in justitia & perficiuntur; peccatores verò tantorum intuitu mysteriorum horrorem peccati concipiunt, piorum devotione excitantur, juvantur orationibus, fructumque suffragii ex ipso cui assistunt Sacrificio longè percipiunt uberiorem, quàm absentes. Tanto miseros ad recuperandam justitiam ac salutem subsidio, quo eos Ecclesia spoliari nunquam; sed à principio in hæc usque tempora uti voluit, iniquissimè privabat Quesnelli Articulus.

Quis nisi erroris defensor, neget jus esse subdito agendi quod lege stabili non permittitur solum, sed jubetur? Aut an forte jura non fundantur legibus? Sed & jus quod quilibet habet ad famam, pariter jus tribuit, ne crimen suum occultum reddere teneatur publicum; adeòque ne Dominicis diebus & festis à Sacrificii præsentia arceatur.

5 Sociis suis infeliciter pugnantibus suppetias more suo ferens Collator Latinus. „ Ex adductis (inquit) locis istud evidens „ est primorum seculorum Ecclesiam minimè passam fuisse, ut peccatores nondum „ reconciliati, Divino Sacrificio interessent. Atqui nullam in hoc injustitiam „ admittebat Ecclesia: igitur illi ad eam „ rem jus nullum habebant. Quare si hodiedum permittat ut assistant, aut etiam „ præcipiat, mera indulgentia est.

Hic saltem conspicimus argumenti speciem, quod minùs incongruè concluderet videretur, si prima enuntiatio in latitudine sua indefinita subsisteret; videlicet primorum Seculorum Ecclesiam minimè passam fuisse, ut peccatores ulli nondum reconciliati, Divino Sacrificio interessent, quod idem est ac omnibus ante reconciliationem peccatoribus præsentiâ Sacrificii interdixisse. Istud autem ab adversariis temerè asseritur, repugnante totius Ecclesiæ sensu, & Sacramenti pœnitentiæ institutione. Nusquam enim legitur ea potestas à Christo Sacerdotibus concessa, ut peccatores omnes, etiam occultissimos adigerent ad inurendam sibi publicè infamiam, peccata solis cogitationibus aut delectationibus intimis commissa propalam confitendo.

Quis autem non crederet, absentiam à sacro esse occulti criminis confessionem, saltem genericam, si quem conspiceret, aliàs boni nominis Christianum, diebus Dominicis, & festis, etiam solemnioribus prorsus abstinere ab Ecclesia, vel auditis Epistola & Evangelio, ante Sacrificium recedere; quando scilicet vetitum omnibus, etiam occultis peccatoribus foret, Sacrificio interesse? Nullum istiusmodi interdictum unquam tulit Ecclesia, nullum consuetudine introduxit; sed & nolente Christo sic instituere Sacramentum Pœnitentiæ, ut occulta quævis crimina publicè enuntientur, ne aspergatur publica confitentibus infamia, possetne Ecclesia hanc divulgationem fidelibus imperare, arcendo reos omnes à præsentia Sacrificii, ad quam lege graviter obligante tenerentur?

Et quidem si ad solos pœnitentes publicos, eosque publicorum reos criminum prohibitio spectet, quomodo inde argumentum deducitur ad abrogandum jus peccatoribus occultis? Ex antecedente particulari ridiculam esse conclusionem generalem, ineptissimus Dialecticæ tiro habebitur, qui ignorat.

Denique etsi vetuisset olim Ecclesia peccatoribus occultis quod indulget modò, & præcipit, non desinerent ex hac indulgentia & præcepto peccatores illi jus acquirere assistendi Sacrificio, adeò ut non sinè injuria à Quesnello & similibus novatoribus, illo valeant spoliari; sed spoliandi præ cæteris ipsi forent supremo Christi Vicario rebelles, & præter hæreses quibus turgent, notoriè Schismatici.

6 Cùm autem ipsi toties nobis velut invictissimum ingerant argumentum, quòd Ecclesia ex indulgentia singulari hanc peccatoribus ante reconciliationem concesserit, imò lege imperaverit ut Sacrificio diebus festis & Dominicis assisterent, Quæro ex ipsis adversariis num Quicunque beneficium ab altero obtinent, ut Antistites à Pontifice Episcopatum, vereque se Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopos profitentur, ideone accepto Beneficio, nullum in illud jus acquisivisse dicendi sunt? Ipsum jus nominandi ad Ecclesiastica Beneficia, quod Principes aliqui possident, fundatur in gratia & indulto Pontificum. Innumeræ donationes & gratiæ in temporalibus præstantur in dies, quarum concessio jus tribuit accipienti. Ve-

Verùm Quesnellianos urit, quod stante Ecclesiæ præcepto, quo peccatores omnes, etiam in statu misero peccati hærentes, jubentur assistere Sacrificio, non pauci de charitate Articuli subruuntur. Si enim adeò non sit illicita peccatoribus obedientia, ut per eam possint ulteriores à Deo gratias impetrare, quibus tandem ad pœnitentiam sicut oportet & justitiam præparentur; igitur non omnis actio, quæ non est charitas justitiam conferens, vetitur peccato.

Præterea penès Quesnellum impossibile est peccatorem quamdiu remanet in reatu, non delinquere omnibus actibus. Est enim omni penitùs gratia destitutus; aliàs peccator esse desineret; quia per Prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*: & per Prop. 39. *Voluntas quam gratia non prævenit nihil habet luminis nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. 40. *Sinè gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*.

Perspicua igitur Quesnelli sententia est peccatorem singulis actibus, antequam reconcilietur, à via justitiæ semper aberrare longiùs, profundiùs se agere præcipitem, & plagæ veteri nova semper addere vulnera. Orabitne, ut per salutarem, quæ offertur, hostiam, pœnitentiæ gratiam efficacem obtineat? Necesse est orationem ex fide & gratia procedere, atque ita non peccatoris, sed justi oratio est, si quidem ut à Quesnello traditum vidimus, prima gratia reconciliatio est.

Aliunde etiam omnis oratio ex fide genita, justificationem supponit necessariò, vel præstat; quia juxta Prop. 51. *Fides justificat, quando operatur; sed non operatur, nisi per charitatem*. Vel igitur peccator tempore Sacrificii sanctificatur, vel assistentia, & omnis ejusdem actio demeriti incrementum est. Necesse est ergo Quesnellum contra præceptum Ecclesiæ interdicere auditionem Sacri peccatoribus, antequam gratiam habuerint reconciliantem. Quod quantis sit obnoxium scandalis, quàm animis perniciosum, si Quesnellus videre noluerit, minimè latet Ecclesiæ Præpositos, Theologos, & quoscumque novitatibus non infatuatos.

7 Quidquid igitur Observationum [dicamus veriùs Cavillationum] pars novaturiens excogitavit cooperiendo Articuli veneno, eidem minimè sufficit abstergendo: neque in hunc finem à suis dirigitur inventoribus. Sed & ineptias auxit editionis mutatio; conversionis enim Ordo in variis reverà consistens actibus, partim Dei, partim hominis, quos vocare Quesnello placuit conversionis gradus, in editione anni 1693., ut cæteros etiam Decimumquartum expresserat actione: *Peccator reconciliatus assistit Sacrificio Ecclesiæ*. Quomodo verò *assistendi jus*, quod neque conversio, neque pars ejus est, *gradus conversionis* dicitur? prior scilicet loquendi ratio dilucida peccatores, antequam reconcilientur, excludebat Sacrificio; Quemadmodum excludunt pleraque Quesnelli de Charitate dogmata, cum quibus aspectum Sacrificii in peccatoribus licitum nemo unquam composuerit; sed ne tentaverit quidem componere adversarius, satis conscius perditurum se operam, & priùs, quidquid novitatis suæ systemate de Charitate Quesnellus molitus fuerat, funditus subruendum, ut à me superiùs demonstratum est.

Quapropter non istiusmodi mutationem in editione anni 1699. author passus est, quæ errorem corrigeret; sed obscuriore aliquantulum involveret vocabulò, pro *assistentia* posito *assistendi jure*. Non enim Quesnelliana demissio animi fatebitur, se in priore editione erravisse. Ego quidem ullum uspiam errorem à Quesnello agnitum legisse me haud memini: ideo quidquid alicubi correctionis adhibendum Parisiensis Archiepiscopus decreverit, ille mutationem vocitat, non correctionem. Nactus scilicet est inter Eminentissimi Consiliarios, & mutationum istiusmodi executores tam industrios, ut, retento quantum sufficit sensu, & toto Quesnelli Systemate manente incolumi, vocabula duriora cum mollioribus, clariora cum obscurioribus commutando, difficilior Catholicis reddatur erroris accusatio, effugium reo inter tenebras facilius.

Non latuit fraus centum Galliæ Episcopos: ideo nihil morati inductam verbotenus mutationem, Articulum juxta Quesnelli sensum in editione Superiore apertiùs proditum, ejusque de charitate dogmatibus ubique consonum, meritò interpretantur. Sic autem intellecta Propositio indubiè perniciosissima est, avertens peccatores à saluberrimo Divini Sacrificii spectaculo; & fructuum participatione circumstantibus propriâ; Quot porrò inferens peccata mortifera, transgressiones videlicet continuas præcepti de auditione Sacri diebus festis omnibus atque Dominicis!

8 Ut autem omnis Querimoniæ occasio præ-

præscindatur, nunc saltem edoceant nos adversarii, an peccatoribus in reatu manentibus, toto Sacrificii tempore, auditio & quælibet interea actio, etiam fides, & oratio, non sit novi cumulatio peccati. Inficiari nequeunt, aliàs de manifesto nimiùm convincendi mendacio; nisi plerisque suis de charitate enuntiationibus nuntium remittere placuerit, quod optare magis possumus, quàm consideratâ illorum pertinaciâ, sperare.

Denique falsissimum est, Peccatores omnes eo ipso, quo statum gratiæ amiserint, jure excidere spectandi Sacrificium. Ut enim Baptismus est Ecclesiæ & Sacramentorum janua, per hanc quisquis ingreditur, juris particeps fit, quo universa gaudere noscitur fidelium multitudo, ut Sacrificio assistat, quod pro se, suoque nomine offertur. Juris hujus acquisiti baptismate possessio, remanet cunctis fidelibus inviolata, donec eam lex aliqua, vel potestas legitima ademerit. Aliàs contra privatum quemlibet, qui peccatores à Sacrificii præsentiâ arcere, authoritate propriâ moliretur, possent illi meritò agere injuriarum.

Lex aliqua Ecclesiæ jus illud universis auferens peccatoribus exhibenda ab adversariis est; sed nullibi reperietur, nisi de *publicè criminosis* ut in Tridentino Concilio legimus Sess. 22. Decreto *de observandis & evitandis in celebratione Missæ*. Quæ exceptio adeò non obest peccatoribus cæteris ut juris potiùs prioris confirmatio sit. Quisquamne auditus hactenus est sive juris peritus, sive Theologus, qui negaverit lege Principis vel Ecclesiæ fundari jus in subditis ad agendum quod lege præcipitur? Denique si suspensa alicubi possessio fuisset, constat eam generali tot seculorum esse consuetudine restitutam.

Locum hìc obtinet, quod ait Augustinus epist. 54. aliàs 118. *Similiter & , si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam & hinc quin ita faciendum sit, disputare insolentissima insania est.* Hujus indubiè participes insaniæ sunt, quicumque præsentis Articuli defensores tot nova peccatoribus annumerant delicta, quot Sacrificiis in reatu interfuerint mortifero, quantalibet fide, devotione, & vero pœnitendi desiderio, licèt nondum ad justitiam sufficiente; imo quot pietatis exercuerint actiones; non enim profluxerint ex charitate nullum secum patiente delictum mortiferum, sinè qua nihil nisi mala cupiditas est juxta Articulum Quesnelli 44. & plures alios ibi sequentes. Verùm & hìc convenit Augustinianæ sententiæ applicatio; si enim *insolentissima insania est disputare quin ita faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia*, non minoris insaniæ est disputare, quin cum tota per orbem Ecclesia in dogmatibus sentiendum sit, ac proinde jus præsentiæ in Sacrificio relinquendum peccatoribus, quos nulla ab eo censura Ecclesiæ, nulla delicti publici arcet infamia.

9 Non acquiescit Quesnellus: Art. 58. *Nec Deus est*, inquit, *nec religio, ubi non est charitas*: & 78. *Separatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio.* Quid autem juris prætendere potest ad Sacrificium Ecclesiæ is, qui per posteriorem Articulum à Christi Ecclesia separatus est, imò cui per priorem nec Deus est, nec religio? Talis adversùs peccatorem quemlibet, nullo suffragante catholico, censura iniquissima est, & inter cæteras insolentissimæ novitatis insanias meritò rejicienda; Quæ enim justitiæ, quæ sapientiæ species est, peccatores quoslibet ob cogitationem vel delectationem mortiferam fortè unicam, etiam cujus eos statim propter Deum offensum pœnituerit; sed non quantum ad justificationem requiritur, in Libertinorum, atheorumque classem impiissimam à Christi Ecclesia relegare?

Non minùs fatuum est, separare ab Ecclesia peccatores universos, etiam occultissimos, etiam inter Sacros Antistites, & Rectores Supremos æquè ac gregarios fideles, contempto Synodi Constantiensis contra Joannem Huss anathemate. Quapropter, etsi præsens novitas ex utroque recensito dogmate non incongruè deducitur, attamen ex antecedente fatuo, quale utrumque illud esse nemo non videt Catholicus, & propriis à me locis ostenditur, quid superest nisi ut conclusio, quæ præsens Quesnelli Articulus est, Augustinianâ phrasi dicatur *insolentissima insania*?

10 Præcepto Communionis aliquando imposito omnibus in Sacrificio præsentibus, non magis premimur nos, quàm adversarii; quia apud illos ex Missæ auditoribus multò pauciores Divini corporis participes fiunt, quàm apud nos. Sed neque illud vetat peccatorem ad spectanda Sacrosancta accedere mysteria, & ante sumptionem reconciliari. Testabuntur omnium ordinum Confessarii exempla esse innumera eorum, qui cum Publicano ad templum peccatores venerant, domum autem redeunt justitiam consecuti. Si tamen *perfectio*

ctis solummodo *perfectorum oculis* Sacra liceat intueri, atque ea perfectio antea comparata ad tale spectaculum afferri debeat, ut aliàs ex eodem de *Ecclesiastica Hierarchia* opere, perperàm intellecto, Arnaldus collegerat, *arcendos esse à Sacra Communione* [cos] *quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers* parte 3. libri *de frequenti Communione* cap. 7. Si & hæc omnia in rigore & sensu obvio intelligenda sint, quid censebimus, nisi aut Jansenianos docere protsus opposita iis, quæ opere exequuntur, aut novam eorum Ecclesiam singulari prorsus sanctitatis excellentiâ præ Catholica donatam, *perfectamque* esse? Unde consequens fiet, à veritate aberrasse Patres omnes, Tridentinam Synodum, atque ipsum Apostolum, quando docuere *impossibile esse sinè fide placere Deo*, & nihilominus cum hæresi adeò detestabili & multiplici, in Jansenianis toties damnatâ, & ab his pertinacissimè hodiedum defensâ, componetur sanctitas tam eximia atque *perfectio*: hypocrisis aliis veriùs videbitur *perfectissima*.

Propositio damnata nonagesima.

Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis. *Observ. Moral. in Matth. cap.* 18. *v.* 17.

CAPUT I.

De præcipuis damnati dogmatis authoribus, potissimùm Edmundo Richerio, cujus utrâque palinodiâ error Quesnelli destruitur.

1 Venenum dogmatis damnati in eo situm est, quòd potestas clavium non Petro immediatè, ejusque successoribus, neque per Petrum communicanda cæteris Episcopis; sed immediatè fidelium multitudini universæ tradita afferatur. Quasi potestatem Petrus alii-

que acceperint Apostoli ab hac multitudine tamquam ejus Vicarii delegati ac Ministri, & quidem ea lege ut in potestatis exercitio penderent semper à toto corpore, sinè cujus consensu saltem supposito, numquam uti clavibus possent. Quæ malesana opinio, si invalesceret quantam illatura esset regimini Ecclesiastico confusionem, & animabus perniciem, quivis Lector Theologus facilè perspicit.

Quesnellus, aut quisquis est ejus subsidiarius *Observator in Propositiones centum & unam* à Clemente XI. *proscriptas* remittit nos ad Joannem Launoyum, qui plures ex Augustino collegerit faventes proscripto dogmati sententias. Non fuit autem impudentior alius Doctoris Sanctissimi contemptor, si ad eum pertineat infamis epistola, quæ ejus nomine circumfertur, & gravibus ab hodierno Pontifice profligata est censuris. Istud compertissimum, quod Author Catholicis non parum suspectus, hæreticis charus, & eorum contra Ecclesiam dignus vindiciis fuerit judicatus.

Editus pro eo simul & hæreticis conspicitur Amstelodami anno 1685. liber hac inscriptione: *Joannes Launoyus testis & confessor veritatis Euangelico-Catholicæ in potioribus fidei capitibus controversis, adversùs Robertum Bellarminum &c. Vindicatus opere & studio Antonii Reiteri Augustani*. Damnationis sententiam, ut patet ipsâ Epigraphe, præfert Authoris hæretici scriptio prorsus Acatholica; ideo anno mox sequenre, videlicet millesimo sexcentesimo octogesimo sexto inter libros prohibitos die 2. Julii eam retulit Sacra Indicis Cõgregatio.

Londinensibus quoque dignum typis visum fuit *Lannoyi Elogium, cum ejusdem notationibus in censuram duarum Propositionum Antonii Arnaldi*, quarum prior à Theologica Sorbonensium Facultate in Comitiis generalibus anni 1656. die ultima Januarii proscribebatur ut *temeraria, impia, blaspema, anathemate damnata, & hæretica*: Altera velut *temeraria, scandalosa, injuriosa Summo Pontifici, & Episcopis Galliæ, atque etiam præbens occasionem renovandæ ex integro, post damnationem, doctrinæ Jansenii*.

Lannoyus itaque novitatis, etiam hæreticæ defensor solitus, Facultatis suæ censuram Catholicam Annotationibus Ecclesiæ Anglicanæ gratissimis censuit vellicandam. Launoyi autem operum proscriptorum non exiguam multitudinem Lector inveniet in Appendice ad Indicem librorum prohibitorum editâ Romæ 1704. pag. 350. & duabus sequentibus.

Quæcumque autem Launoyus pro præsenti articulo collegit argumenta, diffracta pridem fuêre à Sorbonicis Doctoribus atque ab ipso Edmundo Richerio, in posteriore potissimum sui dogmatis retractatione. Richerius scilicet præcipuus nobis adversantium Achilles est, cujus librum *de Ecclesiastica & politica potestate*, contemptâ Sedis Apostolicæ contra illum sententiâ, Jansëniani in Belgio nuper iterum typis edidisse dicûtur; sed more suo perfidè, suppressâ silêtio Catholicâ Authoris Palinodiâ.

2 Ut itaque exitialis novitas à præcipuo suo destituta, damnata, diruta Propagatore, inferos, unde emerserat, tandem seriò repetat, numquam ampliùs turbatura Ecclesiam; non erit inutile utramque Palinodiam, quantum ad præsentem attinet disputationem, Lectori Catholico exhibere.

Sic habet prior. „ Ego Edmundus Richer Presbyter Lingonensis, Doctor Sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis, & Magnus Magister Collegii Cardinalitii Universitatis Parisiensis subsignatus, cùm perspexerim quasdam propositiones libelli à me scripti anno 1611. *de Ecclesiastica & politica potestate*, in malam partem acceptas, hîc protestor, & declaro me semper voluisse, atque etiam nunc velle, & meipsum, & libellum præfatum, quascumque ejus propositiones, earumque interpretationes, omnemque meam doctrinam Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, Sanctæ Sedis Apostolicæ judicio subjicere, quam matrem ac magistram omnium Ecclesiarum & infallibilem veritatis Judicem agnosco, ac protestor me permagnum concepisse dolorem, aliquas propositiones memorati libelli sic à me esse conscriptas, ut occasionem offensionis dederint, quasi justæ & legitimæ potestati Summi Pontificis, & Dominorum Prælatorum Ecclesiæ aliquid diminutum, aut detractum vellem; licèt talis intentio mea non fuerit.

„ Quas quidem Propositiones, quatenus Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæque judicio, ut sonant contrarias, vehementer improbo, & condemno: Quam declarationem profiteor me liberè & voluntariè edidisse, ut mea ergà Sanctam Sedem Apostolicam obedientia cunctis pateat, eamque inter manus Illustrissimi Domini Cardinalis de Richelieu Provisoris Sorbonæ consignandam censuisse, pro ratione observantiæ, & debiti mei erga eundem D. Illustrissimum Cardinalem. In cujus rei fidem & testimonium præsentem declarationem, & protestationem concepi, meaque manu scripsi, & obsignavi anno Domini 1629. die Veneris 7. Decembris præsentibus Magistro Carolo Talon Parocho S. Gervasii Parisiensis, & Patre Josepho Parisiensi Ordinis Capuccinorum. E. Richer. Talon. F. Joseph. „

Hæc prima fuit Edmundi palinodia; in qua Doctorum errantium commune vitium est, ut nihil ægriùs, quàm se errasse fateantur. Enuntiationes aliquas duriùs, quam voluerit, sonare Richerius agnoscit. Protestatur se Summi Pontificis, & aliorum Prælatorum potestati legitimæ nihil detrahere voluisse; sed protestatio actibus nimiùm manifestis contraria adeò delictum non diluit, ut defectum præterea Christianæ demissionis indicet, & candoris.

Quomodo enim Richerii, quæ mox sequentur dogmata protrudi ab eo potuerint sinè animo potestatem Pontificis & Antistitum restringendi, & suspendendi ex consensu populi, nemo facilè assequetur. Sed hîc mihi in memoriam reducitur observatio Cardinalis Pallavicini in Tridentinæ Synodi Historiâ, ubi de Joannis Hesselii, & Michaelis Baji erroribus sermo est, ait utrumque Theologum apparuisse modestiâ præditum & pietate; verùm uniuscujusque superbiam circa illud versari potissimùm, quòd suæ magis proprium conditioni est, & in quo magis amat excellere. Unde mulieri quantumlibet proba visa fuerit, & patiens contumeliarum, cave exprobres turpitudinem formæ. Sic & Theologo quidlibet persuadebis faciliùs, quàm ignorantiæ, aut erroris dogmatici ingenuam agnitionem.

At saltem in tribus longè melior ista Richerii declaratio est, omnibus Quesnellianis: primò quòd aliquas libelli sui propositiones ita à se conscriptas esse fateatur, ut occasionem offensionis dederint: secundo quod eas ut sonant, Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæque judicio contrarias vehementer improbet, & condemnet: tertiò quod omnem doctrinam suam judicio subjiciat Sedis Apostolicæ, quam matrem ac magistram omnium Ecclesiarum, & infallibilem veritatis judicem agnoscit. Tantundem ubi præstiterint Quesnelliani, cessabit omnis appellatio, & pax Ecclesiæ restituetur.

3 Neque dixeris, Richerium non se submittere Sedi Apostolicæ, si sola accipiatur; sed ut jungitur Ecclesiæ Catholicæ seu universali. Inanis ea interpretatio est, & Richerii verbis apertè contraria; quid enim cogi-

cogitari poſſet ineptius, quàm Sedem Apoſtolicam non ſecundùm ſe; ſed ut ſimul junctam cum Eccleſia univerſali, id eſt cum Eccleſiis omnibus, eſſe matrem earum omnium ac magiſtram? Evidens eſt de Apoſtolica Sede, & quidem ſolâ à Richerio affirmari, quod Eccleſiarum omnium mater ac magiſtra ſit, & *Veritatis Judex infallibilis.* Si quid tamen majoris luminis deſideres, illud abunde præſtitum reperies in palinodia poſteriore, quam moriens reliquit in ſuo muſæo, futurum omnibus, etiam poſteris teſtimonium bonæ fidei indubitatum.

„ Cùm [inquit] mihi perlatum fuerit, „ me non omnibus ſatisfeciſſe, & quoſdam „ ægrè ferre, me non ſatis clarè ac dilucidè errores meos abjuraſſe, in ea quam „ anno ſuperiore cecini palinodiâ; Nunc „ operæ pretium duxi ex libello à me conſcripto ſeptem dumtaxat propoſitiones „ in Sanctam Sedem Apoſtolicam contumelioſiores excerpere, quò paulò fuſiùs exercer ea quæ γνώμῃ abjeci; ideo „ luce tenebris oppoſita omnem cavillationis, vel tergiverſationis anſam calamo linguâque expungam; ſicut olim „ enſe ſuo nodum Gordianum Alexander „ excidit. Quod tibi Lector non in integram ſolutionem debiti, nec in omnium „ errorum meorum piaculum erit; ſed tantummodo pro pignore majoris lucubrationis accipias. Nam ſi antehac œſtro „ percitus, ſchiſmaticis favi, orthodoxam „ doctrinam pro virili inpoſterum me tueri, ac protegere velle teſtificor, ut cum „ fratribus meis juxtà Apoſtoli conſilium „ ἐν τῷ αὐτῷ νοΐ, καὶ ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ Cor. I. in „ eadem ſententia vivam & moriar.

4 „ I. *PROPOSITIO* pag. 8. *Chriſtus ſuam* „ *fundando Eccleſiam, priùs, immediatiùs,* „ *& eſſentialiùs claves ſeu juriſdictionem* „ *toti dedit Eccleſiæ, quàm Petro, & aliis* „ *Apoſtolis.*

„ Hanc Propoſitionem doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ, à Sanctis vetuſtiſque Patribus fideliter expoſitæ adverſari, liberè fateor. Aſſerunt enim Chriſtum claves „ juriſdictionis Eccleſiaſticæ primò, immediatè, & eſſentialiter, non per accidens Petro dediſſe. Deinde per Sanctum „ Petrum Eccleſiæ Prælatis contuliſſe. „ Quod inter cæteros Optatus Milevitanus teſtatur libro 7. *Bono unitatis,* inquit, „ *Beatus Petrus, cui ſatis erat, ſi poſtquam* „ *negavit, ſolam veniam conſequeretur, &* „ *præferri omnibus Apoſtolis meruit, & claves regni cælorum communicandas cæteris* „ *ſolus accepit.*

„ Huic quoque veritati ſchola Pariſienſis aſſentit; in quâ tamquam ſidus „ D. Thomas olim fulſit. *Quamvis,* ait, „ ille Angelicus Doctor, in 4. ſent. diſt. 24. „ q. 3. art. 2. *Omnibus Apoſtolis data ſit communiter poteſtas ligandi & ſolvendi, tamen ut in hac poteſtate aliquis ordo ſignificaretur, primò ſoli Petro data eſt, ut oſtendatur, quòd ab eo in alios debet iſta poteſtas deſcendere.*

„ 2. *PROPOSITIO* pag. 2. *Tota juriſdictio Eccleſiaſtica primò propriè & eſſentialiter Eccleſiæ convenit. Romano autem Pontifici, atque aliis Epiſcopis, inſtrumentaliter, miniſterialiter, & quoad executionem tantùm, ſicut facultas videndi oculo competit.*

„ Hanc Propoſitionem, ſeu potiùs hæreſim, ex putridis Lutheri & Calvini „ fontibus me hauſiſſe non diffiteor, qui „ ambo impiè falſóque contendunt, propriè & immediatè juriſdictionem Eccleſiæ fuiſſe datam à Chriſto, non S. Petro, „ aliis Apoſtolis & Epiſcopis, niſi per accidens, inſtrumentaliter, & nomine Eccleſiæ. *Plenitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ,* „ inquit Gerſonius ejuſdem ſcholæ Pariſienſis egregius defenſor de Poteſt. Eccleſiaſt. conſider. 10. *ſic propriè ſumpta,* „ *de lege ordinaria non eſt, niſi in unico Summo Pontifice formaliter, & ſubjectivè: alioquin Eccleſiaſticum regimen, non eſſet monarchicum, & habere poſſet multiplex caput ex æquo; quod eſt apertè hæreticum.*

„ His verbis aſſerit Chriſtum juriſdictionem Eccleſiaſticam eſſentialiter, & „ propriè dediſſe omnibus Apoſtolis atque aliis Prælatis Eccleſiæ; ſed eminentiori modo, & Principaliter D. Petro, & „ ejus Succeſſoribus. Quod ad ſimilitudinem, quam ego produxi ipſamet authorem ſuum convincit; nam ſicut facultas videndi eſt in oculo formaliter & ſubjectivè, ſolúſque oculus eſſentialiter videt, & immediatè; Homo verò mediatè „ tantùm, nimirum per oculum; ita ut bene „ quadret reductio ſimilitudinis, ad ſimilitudinem; Romanus Pontifex & alii Epiſcopi; quos oculo comparavi, juriſdictione Eccleſiaſtica formaliter, eſſentialiterque potiuntur. Nam ſi proprium & „ eſſentiale non ſit Pontifici Romano & „ aliis Epiſcopis, populum fidelem in ſpiritualibus regere, quid erit Pontificiæ & „ Epiſcopali dignitati proprium, & eſſentiale, quo ab aliis humanis vitæ muneribus officiiſque diſtinguantur?

5 „ 3. *PROPOSITIO* pag. 10. *Chriſtus* „ *non*

„ *non tam uni Petro, quàm unitati infallibilem clavium potestatem detulit*. Hunc meum errorem cum Divo Barnardo mœrens detestor. Tu es (inquit alloquens Summum Pontificem ad Eugenium Papam) cui claves traditæ, cui oves commissæ sunt. Sunt quidem alii cœli janitores, & gregis pastores; sed tu tantò gloriosius, quantò & differentiùs utrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges singuli singulos: tibi universi crediti sunt, uni unus. Nec modò ovium; sed & Pastorum tu unus omnium Pastor. Illud etiam Sorbonæ ornamentum, quòd superiùs citavi, inter errores hæreticos hæresesque manifestas hanc Propositionem reposuit, quod claves sint datæ unitati, non uni.

„ 4. Propositio pag. 2. *Status Ecclesiæ ab ejusdem regimine distinguitur. Status enim monarchicus est &c. Regimen verò Aristocraticum &c. quia omnium optimum, & naturæ convenientissimum*. Ego quidem in hac Propositione me graviter errasse fateor, multa inepta, planèque hæretica dicendo; status enim cujusque rei sive privatæ, sive publicæ, atque regimen ejusdem, realiter idem sunt, nec à se invicem divelli possunt. Nam quis, nisi læsæ majestatis reus statum Monarchicum ab illius regimine ita vellet distinguere, ut status quidem penès regem esset; regimen verò & potestas in actum redacta penès primates regni; ita ut Majestas imperii non tam Regi, quàm consiliariis, vel ordinibus regni competeret?

6 „ Fatendum est igitur, in Ecclesia & statum, & regimen ejusdem in persona Summi Pontificis consistere. Cui omnes Christiani jure Divino in spiritualibus parère tenentur. *In uno Monarcha supremo*, inquit Gersonius, libro *de Auferib. Past. per universum fundata est à Christo Ecclesiastica potestas, præter quam nullam aliam politiam instituit Christus immutabiliter monarchicam, & quodammodo Regalem: & oppositum sentientes, si pertinaces maneant, judicandi sunt hæretici*. Eandem pestiferam doctrinam superioribus annis celeberrima Sorbonæ schola explosit, cùm Spalatensis pseudo-Archiepiscopus in suis scriptis, Monarchiæ formam non fuisse immediatè in Ecclesia à Christo institutam, asseruisset &c. Apostolos simul & in solidum Aristocraticè curam Ecclesiæ gessisse cum æquali potestate, omnesque Episcopos regere Ecclesiam cum plena potestate.

„ Quas Propositiones hæreticas, schismaticas, ordinis hierarchici subversivas, & pacis Ecclesiæ subversivas oraculum illud declaravit, & ego etiam declaro. Testificaturque Sorbona meram contra Facultatem Parisiensem imposturam esse, quod ipsemet Spalatensis ausus esset scribere, scholam illam suam esse, & reipsa potestati studere Aristocraticæ, non Monarchicæ.

„ 5 PROPOSITIO. Pag. 18. *Petrus claves jurisdictionis accepit à Christo Domino, non pro se; sed pro Ecclesia, & nomine totius Ecclesiæ, non ut Pastor Oecumenicus, & Princeps; sed ut minister tantùm & executor decretorum Ecclesiæ*. Hæc sanè Propositio redolet hæresim Joannis Hus, qui asserere præsumpserat, Papam non esse caput Ecclesiæ, nec claves accepisse, nisi nomine illius. Quod à Concilio Constantiensi condemnatum fuit, & nunc etiam condemno.

„ Quamvis enim D. Petrus propter Primatum & officium Pastorale personam totius Ecclesiæ sustinuerit in accipiendis à Christo clavibus; eas tamen accepit non tamquam Ecclesiæ Vicarius, atque simplex minister; sed tamquam Supremus Pastor, Rector, & Princeps, summusque universalis Ecclesiæ moderator; licèt non pro se; sed propter Ecclesiam, ejusque salutare regimen eas accepetit, non secus, quàm Monarcha, qui in persona Populi sui, gladium, quem portat, à Deo accepit.... Hoc sensu claves Petrum nomine Ecclesiæ à Domino accepisse, S. Augustinus clarissimè significat in Psal. 108. his verbis: *Quædam dicuntur quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videntur; nec tamen habere illustrem intellectum, nisi cum referentur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gessisse personam propter Primatum, quem in discipulos habuit*.

7 „ Huic quoque orthodoxæ doctrinæ schola Parisiensis minimè dissentit. *Soli Petro*, inquit S. Thomas, *promisit Dominus claves regni cœlorum, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam Ecclesiæ unitatem*. Denique ut rem altiùs evocem, Sancti Patres Concilii Chalcedonensis, nihil detraxerunt supremæ potestati Summi Pontificis, quem eis præesse ὡς κεφαλὴ μελῶν sicut caput membris agnoverunt, eumque Divus Chrysostomus τὴν κρηπῖδα

„ τῆς

„ τῆς ἐκκλησίας fundamentum Ecclesiæ prædi-
„ cat. Nonne nos puderet, qui religio-
„ nem Christianam profitemur; si de Sum-
„ mo Pontifice nostro minùs piè credere-
„ mus, quàm olim pagani de eo, qui apud
„ illos similem titulum sibi arrogabat?
„ Nunc Deûm munere, refert historia
„ Romana (Tac. lib. 3. Annal.) Summum
„ Pontificem summum hominum esse, non
„ æmulationi, non odio, aut privatis affe-
„ ctionibus obnoxium. Majora quidem
„ credenda sunt de Summo Pontifice, qui
„ naviculæ Petri clavum hodie tenet; cùm
„ omnium virtutum sit exemplar.

Hactenus Edmundus Richerius, cujus Propositionem sextam & septimam cum utriusque ejuratione prætermitto, quia ad præsens institutum nostrum non sunt necessariæ.

CAPUT II.

Animadversiones in posteriorem Richerii Palinodiam & condemnati erroris iterata convictio.

1 Quemadmodum doctrina Richerii in damnato opere tradita potestatem subruebat Ecclesiasticam, tum Summi Pontificis, tum Episcoporum, non solùm in excommunicando; sed etiam in cæteris jurisdictionis actibus, & omni penitùs Christiani populi gubernatione, ita posterior ejus Palinodia illam restituit, invictisque stabilit argumentis. Si nempe *Christus, fundans Ecclesiam, priùs immediatius, & essentialius* ut Richerius in exitiali opusculo loquebatur, *claves seu jurisdictionem toti dedisset Ecclesiæ, quàm Petro & aliis Apostolis*, si tota jurisdictio Ecclesiastica primò, propriè, & essentialiter Ecclesiæ conveniret; Romano autem Pontifici, atque aliis Episcopis solùm instrumentaliter, ministerialiter, & quoad executionem tantùm; modus adigendi rebelles subditos ad officium nullus Pontifici, nullus Episcopis superesset.

Instrumentum scilicet moveri à se ipso non potest; sed in omnibus actibus dependet à causa superioris ordinis, penès quam facultas movendi est. Minister Domino subditur, ejus debet obsequi voluntati, & solum exequi, quod jubetur, vel approbatur ab eo, penès quem est *tota jurisdictio propriè & essentialiter*: atque ita ex antecedente posito à Richerio in utroque priore dogmate consectio flueret indeclinabilis, neque à Pontifice, neque ab Episcopis etiam in Concilio Oecumenico congregatis, absque consensu saltem præsumpto *totius Ecclesiæ*, ullam ferri posse excommunicationis sententiam, imò neque legem ullam, aut præceptum. Tali nititur fundamento manifestè hæretico Quesnelliana novitas: *Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis.*

Si verò, ut Richerius se catholicè corrigens fatetur, *Christus claves jurisdictionis Ecclesiasticæ primò, immediatè & essentialiter, non per accidens Petro dederit, deinde per Sanctum Petrum Prælatis Ecclesiæ contulerit*: Si, ut etiam rectè Gersonius, *Ecclesiasticum regimen sit Monarchicum, & plenitudo potestatis propriè sumpta de lege ordinaria non sit, nisi in unico Summo Pontifice formaliter, & subjectivè*: Si, ut clarissimè Angelicus, *Primùm soli Petro potestas ligandi & solvendi data sit ut ostendatur, quòd ab eo in alios debeat ista potestas descendere*; sive, ut Optatus Milevitanus ait, *Petrus præferri omnibus Apostolis meruerit & claves regni cœlorum cõmunicandas solus acceperit*, perspicuum est, quòd excommunicandi authoritas, potestas ligandi & solvendi, imponendi præcepta, resideat immediatè in Pontifice, eaque, dum ab eo descenderit in Episcopos, atque in præpositos inferiores, non dependeat à Populo, & *toto corpore*, ut Quesnelli prætendit hypothesis, seu potiùs, ut Richerius agnoscit, *hæresis ex putridis Lutheri & Calvini hausta fontibus*, ut me, inquit Richerius, *hausisse non diffiteor.*

2 Dices: Quesnelli Propositio de sola asserit *excommunicandi authoritate*, quòd ea in suo exercitio pendeat à totius corporis consensu saltem præsumpto; cur igitur sententia illa invidiosiùs extenditur ad quamlibet Pontificis & inferiorum Antistitum potestatem, universam alligans totius consensui Ecclesiæ?

Vicissim & nos quærimus, velitne adversarius, nos & omnes homines in Quesnelli gratiam cæcutire meridie, neque in fulgentissima luce perspicere consecutiones necessarias, ex proposito confirmatoque sæpius à suis authoribus dogmate sponte prosilientes? Ut scilicet Quesnellus cum sociis, vindicet præsentem de excommunicatione articulum, ubique adhibet Augustini sententiam de potestate clavium absque ulla restrictione aut limite enuntiatam; sed nihil est quod reverâ faveat novitati, ut in solutione objectionum mox videbitur.

Quod

Quod ait Richerius, *Petrum* omnibus Apostolis fuisse prælatum, & *claves regni Cœlorum communicandas cæteris solùm accepisse: huic quoque veritati Scholam Parisiensem assentire*, apertè significat illius temporis Sorbonam in communi fuisse Doctorum Sententia de jurisdictione à Christo quidem; sed per Summum suum Vicarium in alios derivatâ Antistites. At istud hîc modò agitari pluribus necessitas non postulat; cùm Episcopalis æquè, ac Pontificia authoritas Quesnelliano articulo impetatur, atque ad legitimam hujus damnationem sufficiat ostendere, quòd Pontifex neque potestatem accipiat ab Ecclesia, neque pro potestatis exercitio *consensum totius corporis* novisse debeat, vel *præsumere*; sed Ecclesiæ *statum*, *& regimen esse immutabiliter Monarchicum à Christo institutum*; *& oppositum sentientes, si pertinaces maneant, judicandos esse hæreticos*, ut censuit Gersonius lib. de Auferib. Past. ipso referente superius Richerio.

Eandem pestiferam doctrinam superioribus annis, teste iterum Richerio, *celeberrima Sorbonæ Schola explosit, cum Spalatensis pseudo-Archiepiscopus* (Marcus Antonius de Dominis) *in suis scriptis, Monarchiæ formam non fuisse immediatè in Ecclesia à Christo institutam, asseruisset*.

3 Quesnellus autem non solùm regimen denegat Ecclesiæ Monarchicum; sed etiam Aristocraticum, atque ipso statuit Democratico deterius: adeò scilicet consistens in multitudine, ut si vel unus è populo dissenserit, nulla fieri valeat constitutio, nullus reus publica authoritate castigari. Si enim excommunicandi potestatem Ecclesia non habeat cum libertate exercitii, nisi toto corpore consentiente, ne Concilium quidem Oecumenicum auferit excommunicare quempiam, qui dissolutum aliquem de plebe infima, vel levissimam mulierculam sibi consciverit publicè patrocinantem; quolibet enim publicè reclamante, manifestum est præsumi non posse *totius corporis consensum*. Absque istiusmodi autem præsumptione authoritas Ecclesiæ ad excommunicandum nulla est, asserente Quesnello: *Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis*: quæ conditio si defuerit, ruit Ecclesiæ potestas excommunicandi, vel ab omni suspenditur effectu.

Cujus assertionis ratio præcipua, & quodammodo unica est, quædam Augustini, & Fulgentii locutio metaphorica mox accuratiùs expendenda; de qua interim notare sufficiat, totum argumenti robur eo contineri compendio, quod *Ecclesia catholica sit, cui Deus in persona Petri ligandi solvendique tribuit potestatem*: Verba sunt S. Fulgentii lib. de fide ad Petrum cap.3. Quæ applicata Quesnelli articulo, veluti ejus ratio, & fundamentum sic ab eo, sicut ab errante aliàs Richerio, accipiuntur, quasi claves à Christo non Petro collatæ fuerint propriè, & immediatè; sed *toti corpori* quod est Ecclesia, ut Pontifex, velut ejus minister, non aliud exequatur, quàm quod totius multitudinis, tamquam Dominæ, consensu judicaverit roboratum.

Damnata igitur Quesnelli de excommunicandi potestate enuntiatio, nonnisi surculus, & germen aliquod est fœcundæ arboris jam detectæ; sive particularis quædam assertio contenta in generali, quæ de potestate clavium universa est, quasi ea non Petro immediatè; sed toti fuerit commissa Ecclesiæ, à cujus nutibus pendere debeat Pontifex, neque decernere quidquam, nisi quod omnium in ea partium suffragiis præsumpserit approbari: non alias conderet leges, non alias statueret transgressoribus pœnas; non aliam ferret condemnationis sententiam, quàm prout toti corpori placere supponeret.

Non ea fuit Galliarum Episcopis opinio, dum anno 1653. die 19. Julii ad Innocentium X. scripserunt: *Judicia pro sancienda regula fidei à Summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione* [*sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive omittant*] *Divinâ æquè, ac Summâ per universam Ecclesiam authoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur*.

4 Si judicia Summorum Pontificum, quando ab Episcopis, non omnibus, ut in casu evidens est, sed aliquibus consuluntur, pro sancienda regula fidei, nituntur authoritate Divina æquè, ac Summa, cui Christiani omnes ex officio etiam mente obsequi teneantur, perspicuum est, non debere Pontifices pro condenda fidei regula necessariò expectare, vel præsumere *totius corporis consensum*; sed eum à Pontificibus posse imperari, eumque præstari debere à singulis, qui Christianorum, & fidelium nomine gloriantur. Aliàs universam gubernandi Ecclesiam, imò Diœcesim quamlibet recta ratio destrueretur. Quis enim Episcopus sibi, vel aliis persuadeat se accepisse gubernaculum majore prærogativâ, quàm Summo obtigerit Christi Vicario, qui neque excom-

communicare, neque præcepta ulla ferre, neque aliter poteſtate clavium uti valeat, quàm toti noverit eſſe gratum Eccleſiæ? Præſumi autem totius corporis placitum nequit, ſi vel unus, conſcio præſule obmurmuret.

Sed neque Patrifamilias in ſuam familiam, neque ulli Principi laico, etiam Regi, vel Imperatori, plus juris communiter cenſetur competere in ſuos quoad regimen temporale, quàm quoad Spirituale Pontifici. Quis verò modus foret in ſimili hypotheſi gubernandi familiam, civitatem, exercitum, regnum, aut rempublicam, quando nulla pœna ſtatui poſſet, nullum exigi ſubſidium, aut contributio pecuniaria, nullum vectigal, niſi quod ſubditis omnibus arrideret?

Ad incongrua adeò, & abſurda delabi, neceſſe eſt quemlibet damnati articuli propugnatorem. Quid dico delabi? Eò nova ſecta ultro convolat operibus manifeſtis. Locum hunc extendere, & exornare poſſem hiſtoriarum ſerie non ingrata lectoribus; ſed adverſariis nimiùm forſitan odioſâ.

Præſenti inſtituto ſufficit, quod in Palinodiæ ſuæ fine Rieberius addit: „ Pœnitet „ me Parochos Epiſcopis æquaſſe, hæc eſ„ futiendo; *Senatum aut comitium nativum* „ *Eccleſiæ à Domino inſtitutum vocamus non* „ *modò Epiſcopos; ſed omnes presbyteros cu*„ *ram animarum habentes*; quod hæreti„ cum, & ſchiſmaticum lubens confiteor. „ Nec in minorem errorem incidi adver„ sùs Regum poteſtatem, cùm perperam „ ſcripſerim, *omnem Principatum, quoad* „ *vim coactivam ab hominum conſenſu pen*„ *dere &c.* Quod quidem ab hæreticorum „ lacunis hauſi, & quod etiam contra Dei „ Verbum luctari non diffiteor. Rom. 13. „ *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentio*„ *ribus ſubjecta eſto; Non eſt enim poteſtas* „ *niſi à Deo*.

Quod autem Adverſarii nuper in Belgio, nullâ memoratâ Authoris Palinodiâ, librum Richerii Romano Pontifici, Epiſcopis, Regibus, Principibus tam Imperii, quàm Sacerdotii univerſis adeò injurium novis iterum typis ediderint, ſatis apertè libertinorum iſtiuſmodi videtur pandere conſilium, ut omnem deſtruant erga utriuſque fori Principes obedientiam, retentâ ſolâ hypocriſi, & obedientiæ ſimulatione, ubi nondum tuta ſatis appareret rebellio manifeſta. Hinc confirmatur, quod Chriſtianiſſimo Regi glorioſæ recordationis Ludovico XIV. adſcribitur, *Janſeniſta neque Pontificem volunt, neque Regem*. Janſenianæ hujus averſionis ratio proditur articulo Queſnelli 96. *Omnes poteſtates ſunt contrariæ prædicatoribus veritatis*: quod *Deus permittit.. ut ejus* (veritatis) *victoria attribui non poſſit niſi Divinæ gratiæ*, quæ omnibus inimica poteſtatibus, ſolis acephalis propitia ſupponitur Queſnellianis.

5 Facilè hac ratione aſſequimur, quare Novator ille in Epiſtola, ficto nomine *Abbatis* editâ, *ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* pag. 30. *Romanos* aſſerat *majore præditos ingenio, quàm ut credant nos* (cum toto noſtro Janſeniano ordine) *terreri ſententia excommunicationis Pontifici reſervatæ*; non enim illa Janſeniſtarum ſuffragiis approbatur. *Eccleſia* autem non aliter *authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos paſtores*; quàm *de conſenſu ſaltem præſumpto totius corporis*. Et quia juxta præcipuam novi hujus dogmatis probationem, Chriſtus non dedit Claves Petro; ſed Eccleſiæ, cujus Pontifex, & inferiores Antiſtites ſolummodo miniſtri ſunt, & Vicarii, mirum non eſt, eoſdem abſque totius corporis conſenſu ſaltem præſumpto, neque excommunicationes inferre poſſe, neque leges condere, aut ullum præceptum.

Unde pariter intelligimus, quo fundamento Schiſmaticam ſtabiliat poſſeſſionem, qua magnificè gloriatur in eadem Epiſtola pag. 18. *Habemus hoc nos ſingulare præ cæteris, quo nobis bene eſt, quodque ſemper retinebimus, quod ſimus in poſſeſſione eandem ſemper proſequendi ſemitam, quidquid à Romanis Cenſoribus opponatur, & quodcumque decretum ab eo demanaverit tribunali*. Quia ſcilicet nihil iſtiuſmodi cenſurarum Decretorumque contra nos emanantium noſtro placito confirmatur, qui membra ſumus Eccleſiæ nobiliora. Quæ quidem gloriatio Calviniſtis, libertinis, & iſtiuſmodi fæce hominum dignior eſt, quàm nomen profitentium Auguſtinianum, & inter Chriſtianos ethicam rigidiorem. Ita Janſenianæ commodiſſima via panditur Sanctitati. Sed ad proſcriptum hic articulum redeamus. Cui umquam Pontifici, cui Antiſtiti eſſe licuit tam beato, ut legem conderet, qua innata mortalibus concupiſcentia refrænaretur, & tamen placeret illa univerſis, reprobaretur à nemine? Quæ umquam lata eſt, aut ferri deinceps poterit excommunicatio, quæ nulli diſpliceat, etiam eorum qui feriuntur? Quapropter ubi perſuaſa hominibus fuerit Queſnelli Sententia ad excommunicationem legitimam exigi neceſſariò totius conſenſum Eccleſiæ, nihil videbitur reo cuilibet facilius, quàm obicem ponere cenſuræ, de-

denegando suffragium. Quis adeò amicis omnibus, & fautoribus, etiam inter consanguineos destitutus est, ut neminem inducere valeat ad suo adhærendum dissensui?

Nullo hic Scientiæ Theologicæ subsidio, nullo ingenii acumine opus est, ut quis perspiciat, ab excommunicatione gradum facilè fieri ad impediendum Ecclesiasticas punitiones etiam cæteras; quia omnes exercitium authoritatis sunt, potestate clavium comprehensæ, quas Christus, si adversarios audiverimus, non Petro contulit; sed Ecclesiæ. Talis quidem Scripturarum interpretatio hactenus ignota fuerat catholicis, nisi quod sciverint eam inter Lutheri, Calvini, Marci Antonii de Dominis commenta hæretica numerari: atque hoc ipsi lumen fatuum accipere potuerint ab hæresiarchis in Constantiensi Synodo condemnatis.

Perspicua Christi verba sunt directa ad Petrum, postquam hic inspiratâ cœlitus confessione, Christi prædicaverat Divinitatem: *Tu es Christus filius Dei vivi*, ut apud Matthæum legitur cap. 16. audire mox à Salvatore meruit dignum gloriosâ adeò professione præmium: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam: & tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque solveris super terram erit solutum, & in Cælis.*

Ubi istud *Tibi dabo claves regni Cælorum* ad Apostolorum Principem propriè & immediatè, non ad universam referri Ecclesiam, tam evidens est, ut supervacanea videatur Sanctorum declaratio interpretum, sufficientibus cuilibet suis oculis, & qualicumque Latini intelligentiâ sermonis.

6 Sic meritò S. Gregorius Magnus lib. 4. Epist. 32. ait: *Cunctis Evangelium scientibus liquet, quòd voce Dominica Sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro, totius Ecclesiæ cura commissa est*: Rationem ibi Doctor Sanctissimus mox reddit: ipsi quippe dicitur: *Tibi dabo claves regni Cælorum.*

Ita quoque Sanctus Hilarius in hunc locum: S. Leo Sermone 2. in Anniversf. assumpt. & alii passim. S. Augustinus lib. 2. contra duas epistolas Gaudentii cap. 23. *Numquid melior Razias, quàm Petrus Apostolus, qui ubi dixit, Tu es Christus Filius Dei vivi, tam beatus à Domino appellatus est, ut claves regni Cælorum accipere mereretur? Nec tamen ideo creditur imitandus, ubi mox eodem momento reprehensus audivit: Vade post me Satana; non enim sapis, quæ Dei sunt.*

Petrum indubiè in persona propria afficit hæc reprehensio, quæ apud Matthæum est eodem capite, & non nisi quatuor versibus post Clavium promissionem; non autem reprehenditur Ecclesia, neque veluti ejus Vicem gerens Petrus; sed in persona, ut dixi, propria; proinde ut Augustinus observat, in eadem quoque persona, & non ut Minister Ecclesiæ, aut ejus Vicarius potestatem clavium accepit.

Simili modo S. Ambrosius lib. de Isaac cap. 3. in illa Verba Domini ad Petrum Joann. cap. 13. *Non potes me sequi modò; sequêris autem postea*, sic animadvertit: *Claves commiserat regni Cælorum, & sequelam imparem judicavit*: ubi perspicuum est, commissionem clavium eidem fieri, qui Christum sequi desiderat patientem; sed edocetur, quòd nondum possit: secuturus autem sit postea. Quod totum Petro convenit homini singulari, non ut totam repræsentanti Ecclesiam. Chrysostomus hom. 54. in Matthæum. *Et tibi dabo claves Regni Cælorum: Quasi diceret, sicut Pater dedit tibi me cognoscere; ita & ego aliquid dabo; scilicet claves regni Cælorum.*

Rationem congruam suggerit Rabanus: *Qui enim regem Cælorum majore præ cæteris devotione confessus est, meritò præ cæteris ipse collatis clavibus regni cælestis donatus est, ut constaret omnibus, quia absque ea confessione, ac fide Regnum Cælorum nullus posset intrare.*

Iterum Chrysostomus ibidem: *Vide autem qualiter Christus reducat Petrum in excelsam de ipso intelligentiam. Hæc enim se promittit daturum, quæ sunt propria Dei solius; scilicet peccata solvere, & Ecclesiam immutabilem facere inter tot persecutionum, & tentationum procellas.* Ubi patet iterum Petrum non pro tota Ecclesia, sed ejus capite, & Rectore velut supremo Christi Vicario summâ donando potestate designari. Semper celebrabitur ab omnibus pulcherrima S. Bernardi de prærogativis Pontificiis Sententia ex lib. 2. de Consideratione ad Eugenium Papam. *Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex: tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt.*

7 Nonne oculis, aut mente captum esse diceres, qui contenderet clavium traditionem, & commissionem ovium, cum prærogativis ibi reliquis, à Doctore Mellifluo asseri non velut Eugenio Pontifici; sed toti

toti Ecclesiæ convenientem? Inanissimum igitur est, quale hæreticos decuit Lutheri, & Calvini commentum contra Pontificis authoritatem. Neque istiusmodi ineptiarum adoptatio novis Augustini discipulis honorifica est. Sed quid faciant quibus odio implacabili adversùs Sedem Apostolicam furere, ejusque convellere authoritatem, insanissimè constitutum est? Non occurrente scilicet solido contra fidei Petram ariete, stramineum, & ipso stramine leviorem arripere cæca rabies compellit.

Nos verò, quoniam fixa mentibus adversariorum pertinacia est, Lectorem catholicum pacata oratione in veræ fidei Sententia ampliùs confirmantes, contra renascentem hæresim invictissimè præmuniamus. Argumentum contra illam ineluctabile est, quod à Mellifluo superiùs Doctore suggeritur, videlicet eidem à Christo fuisse claves traditas, cui fuêre oves creditæ. Has autem creditas fuisse Petro, non universæ fidelium multitudini, utpote cui Christus pastorem tribuit Principem Apostolorum, clarissimus apud Joannem cap.21. textus nos edocet Euangelii, accedente Patrum omnium, & interpretum traditione.

Sic iterum Bernardus lib.2. de Consideratione *Cui non dico Episcoporum; sed etiam Apostolorum, sic absolutè, & indiscretè tota commissæ sunt oves? Si me amas Petre, pasce oves meas. Quas? illius, vel illius populos Civitatis, aut Regionis, aut certè Regni? oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas; sed assignasse omnes? Nibil excipitur ubi distinguitur nibil.*

Theophilatus in caput ultimum: Joannis: *Finito prandio præfecturam ovium totius mundi Petro commendabat: non autem alii; sed huic tradidit.* Idem in caput 22. Lucæ: *Tu Petre, conversus bonum exemplum pœnitentiæ omnibus eris, qui cùm Apostolus fueris, & negaveris, iterum receperis Primatum omnium, & præfecturam Orbis.*

Negaveratne Christum Petrus nomine Ecclesiæ, an suo, & in persona propriâ? Sic igitur, & præfecturam ovium suscepit non tanquam Ecclesiæ Vicarius, vel ab ea delegatus; sed tamquam is qui triplici negationi triplicem opposuit, Christo interrogante, dilectionem.

S. Leo Sermone 3. de Assumptione sua ad Pontificatum. „ De toto mundo unus „ Petrus eligitur, qui & universarum gen- „ tium vocationi, & omnibus Apostolis, „ cunctisque Ecclesiæ Patribus præpona- „ tur, ut quamvis in populo Dei multi Sa- „ cerdotes sint, multique Pastores, omnes „ tamen propriè regat Petrus, quos prin- „ cipaliter regit & Christus.

S. Epiphanius in ancorato: *Hic est*, inquit, *qui audivit: Pasce oves meas, cui concreditum est ovile.*

Chrysostomus in hunc locum: *Aliis omissis Petrum dumtaxat* (Dominus) *affatur: Fratrum ei curam committit.*

In eundem Joannis locum S. Thomas: *Hic jam examinato Petro, injungit ei officium dicens: Pasce agnos meos, idest fideles meos... ut sic non possit dici Christianus, qui dicit, se non esse sub cura istius pastoris, scilicet Petri.... congruè autem hoc officium omnibus intermissis, petro commisit, qui secundùm Chrysostomum eximius Apostolorum erat, & os discipulorum, & vertex Collegii.*

8 A pluribus congerendis testimoniis abstineo; quia ipsius Christi enuntiatio apertissima est, & meritò catholicus omnis mirabitur, in tanta luce tenebras ab Adversariis quæri, captarique figmenta adeò stolida contra tam patentem Divini oraculi veritatem. Celare Lectorem nequeo ingestam hic mihi ab Angelico cogitationem: Quod si *non possit dici Christianus, qui dicit se non esse sub cura illius Pastoris, scilicet Petri*; quo igitur nomine appellandus judicio Angelici videbitur Quesnellus, qui Petri in suis successoribus regimini subjici se pernegat, non rebellione solùm in manifestis actibus consistente; sed generali pariter ab eo typis editâ pro se suisque commilitonibus declaratione, quæ legitur, in ejus Epistola sub nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* pag.4. *Quando Romanorum Pontificum fulmina justa sunt, quando non apparet admixta passio, quando veritati nullatenus præjudicant, quando nihil damnant, nisi errores, & quando in forma legitimâ eos damnant, laudamus, & approbamus sententiam, quamvis tribunal agnoscere non possimus.*

Diceres Quesnellum loqui de Ministris Genevensibus, Batavis, aut etiam Turcicis, quorum decreta quando justa sunt, & reliquis vestita circumstantiis, quales memorata describit Quesnelli hypothesis, sententia omnibus procul dubio videbitur laudabilis, & probanda, *quamvis tribunal agnoscere nón possimus.* Doctorem Angelicum jam definientem vidimus, *non posse dici Christianum, qui dicit se non esse sub cura illius Pastoris scilicet Petri* à Christo Domino omnibus constituti fidelibus gubernatoris, proinde, & judicis. Quoniam tamen *Romanorum Pontificum tribunal*, etiam quando non nisi justa, & modo æquissimo sanciunt,

non posse se agnoscere novus Theologns protestatur, edisserat nobis, aut cùm vivere is desierit, edoceant nos ejus vindices, ac discipuli, ecquod aliud tribunal sibi esse censeant legitimum.

9 In Congregationem is Oratorii admissus Supremis obedire Præpositis detrectavit, etiam Comitiorum Generalium contra novitates dogmaticas statuta admittere: etsi à Parisiensi Archiepiscopo approbata, etiam Regis Christianissimi munita placito, imò jussibus imposita, ut Quesnellus in literis anni 1687. processui juridico, seu *Causæ Quesnellianæ* insertis fatetur pag. 8. *Scriptum* (scilicet) *ab omnibus comitiorum Patribus subsignatum, eorumdem nomine Regi oblatum fuerat, ex prapotentis illius Viri* [Archiepiscopi Parisiensis] *consilio, imo imperio scripta, eodem dictante, ad Principem,* (Regem Christianissimum) *Epistola, qua totius rei seriem exponunt, jurantque in proposita formula verba* [contra dogmaticas novitates] *nec se ab illius tenore ne transversum quidem unguem umquam discessuros* .... *Post alterum triennium, dum Congregationis comitia habentur, prolata sunt Regia mandata, quibus jussi omnes proprio chirographo formulam munire, ejusque doctrinam ex professo amplecti. Edictum per Provincias missum, mandata visitatoribus exequendi provincia: omnes ad banc necessitatem adacti, ut vel obtemperent, vel quasi Regiis jussibus rebelles, è congregatione pellendi ad extremos regni limites ablegentur; aut pejus aliquid experiantur: ut utrique necessitati me subducerem, meum amicorumque consilium fuit. Ab integro igitur biennio* (Ex Gallia Bruxellas profugus) *sic privatam vitam agere institui, ut à solito hominum commercio segregatus, locum vix paucis amicis notum, paucioribus pervium* ..... *hactenus incoluerim.*

Cui igitur Quesnellus umqnam parnit Moderatori? Annis pluribus Bruxellæ delituit, omnia Archiepiscopi Mechliniensis, cui Bruxella subditur, Decreta libellis infamibus laceravit. At Protestationi contra Bullam UNIGENITUS subscribit se *Ecclesiæ Parisiensis presbyterum*: & in Epistola ad Clementem XI. anno 1712. ejus *Humillimum, obedientissimumque filium, ac famulum Paschasium Quesnel Parisiensis Ecclesiæ presbyterum indignum.* Qualis ejus erga Pontificem, cujus tribunal se *agnoscere non posse*, palàm antea declaraverat, *obedientia* intelligenda est? Non alia, qnàm asserta ab ipso prop. 47. Vera *hypocrisis*, aut significationis expers mendacissima ceremonia.

Neque magis paruit Archiepiscopo Parisiensi defuncto, ut supra vidimus, & notæ multo deterioris specimina mihi ad manum sunt. Sed Antistes ille notus nimium erat Jansenianis novitatibus eorumque Sectatoribus infestus.

10 Obediverit saltem Quesnellus Eminentissimo De Noailles, cui se tam solemniter professus est subditum, nactus aliàs famosi operis sui benevolum approbatorem. Sed non minùs fallax dignoscitur etiam erga hunc Antistitem obedientiæ simulatio, ut ipsa nos edocet *Causa Quesnelliana* toto Articulo 19. Cui hic titulus est, *Quod postquam ipsemet erga Eminentissimum Cardinalem Noaillium suum Archiepiscopum summam publicè professus esset venerationem, suosque libros illius emendationi absolutè subjecisset, interim dictum Eminentissimum Dominum literis suis ad amicos scriptis, indignis modis perstrinxerit, & dum libellum eidem Eminentissimo Domino summè injuriosum detestari simularet, eundem ad familiares suos scribens, summè laudaverit tamquam moderatissimè, & nervosissimè scriptum.* Art. 18. *Quòd acriter invectus sit in eos, qui damnarunt quadraginta Doctores Sorbonicos propter resolutionem famosi casûs conscientiæ, perfidiam objecerit eis ex quadraginta Doctoribus, qui ad saniorem mentem reversi, se Eminentissimo Cardinali de Noailles Archiepiscopo suo subjecerunt.*

Quam ab eo obedientiam expectes, qui illam præstantes adeò petulanter increpat, velut à Jansenianæ hæreseos patrocinio deficientes inconstantiâ detestabili, & novæ fidei confessoribus pudendâ?

Idem Parisiensis Archiepiscopus anno 1696. *Expositionem fidei* à Gerberonio editam condemnaverat, *tamquam continentem propositiones respectivè falsas, temerarias, scandalosas, impias, blasphemas, in Deum contumeliosas, & detrahentes ejus bonitati, percussas anathemate, & hæreticas; demum tamquam resuscitantes doctrinam quinque propositionum Jansenii temeritate non toleranda.* Quid ad istam alieni operis censuram *Paschasius Quesnel, Parisiensis Ecclesiæ Presbyter* tot nominibus suo Archiepiscopo obstrictus, toties verbis professus mendacibus, quam rebus debuit observantiam? Nonne dissimulare saltem oportuit hanc sui socii, quam impedire non poterat calamitatem? Sed nimis perspicuè deprehendit fidem suam à Gerberonianâ nullo apice discrepantem eodem feriri anathemate.

Quaptopter dolore pariter, & ira percitus non solùm *problema*, Archiepiscopo suo contumeliosissimum, insigni elogio approba-

bavit; sed ipsam Antistitis censuram sibi propofuit acerrimè vellicandam, ut vel ex tribus apologiæ ejus titulis facilè colligitur. Titulus primus est *Edictum Parisiense per se ipsum de errore primæ propositionis* (Jansenianæ) *convictum*. Titulus Secundus. *Jansenius, Arnaldus, & author Expositionis confixa per ipsum Edictum, quo configuntur, absoluti*. Titulus Tertius: *Ad Illustrissimi, ac Reverendissimi Archiepiscopi Parisiensis edictum 20. Augusti 1696. datum Quæstiones non otiosæ*. Hi tituli solùm sunt: quàm digna Quesnello tota lucubratio sit, non est difficilis conjectura. Et sanè illis exhibitis Procurator Fiscalis sic articulum concludit. *Hæc & similia Jansenistis, &* [Quesnello] *eorum antesignano sunt argumenta perfectæ submissionis, quam deferunt decisionibus, & mandatis suorum superiorum. Sequens articulus ob oculos ponet plura id genus exempla*.

11 At, inquies, saltem Antistiti suo Quesnellus obsequens fuit in corrigendo *Observationum Moralium* opere, de quo tota hoc tempore controversia est. Ego verò nihil hic obedientiæ Christianæ, nihil virtutis veræ conspicio; sed meram, ut supra monui dolosis solitam deceptoribus hypocrisim.

Expendantur ejus literæ scriptæ anno 1699. die 23. Aprilis, quæ in processu juridico referuntur pag. 424. *Sino agere bonum Abbatem Dominum Antonium à S. Bernardo* [in eisra Cardinalem de Noailles] *Quis enim modus eum impediendi? Gaudeo me non consuli: quod bonum fuerit, approbabitur: si quid istiusmodi sit, quod approbari nequeat, evasio nobis facilis erit, dicendo quod nullam in eo habuerimus partem. Scio quod aliquibus dixerit, se velle approbationem concedere quatuor orphanis* [seu quatuor tomis Observationum Moralium] *juxta normam primæ suæ Abbatiæ* [seu primi sui Episcopatus] *istud prorsus necessarium ad obturanda obloquentium ora. Sed video absurdam hominis in violandis promissionibus levitatem, Mais je vois bien qu'il saigne du nez*. Uno mense ante de eodem Eminentissimo Quesnellus scripserat: *Miror Dominum Antonium à S. Bernardo tam indecora famæ suæ inire consilia: homo iste corrumpit omnia*.

Ad hoc igitur reducitur universa Quesnelli erga suum Antistitem reverentia, ac submissio quod eum agere sinat; quia impossibile foret impedire hominem, in promissionibus infidelem, turpiter inconstantem, & non nisi corrumpendis omnibus idoneum. *Cet homme là gate tout*. Denique miserrimam Quesnellus statuit Præpositis Ecclesiasticis conditionem, quando universum regimen pendere jubet à totius corporis assensu, saltem præsupposito. Itane Moysen Deus instituit Ducem populi Israelitici, ut nihil possit Imperate multitudini, nullam à transgressoribus mandatorum exigere pœnam, nisi approbantibus universis, saltem nemine dissentientis animi prodeunte indicium? Itane Cæsar suo contra Turcas Exercitui Ducem præficeret his legibus alligatum, ut supremam numquam in actum redigat authoritatem, si vel Centurio quispiam, vel miles gregarius obmurmuret? Facilè foret Christiani nominis hostibus omnia Principis Eugenii sapientissima evertere consilia; è præfectis inferioribus aliquem, vel gregarium promissis, & largitionibus inducendo, ut ea ostenderet sibi, & quibusdam fortè commilitonibus non probari: Non enim semper placent omnibus assaltus urbium munitarum, aut plena periculis prælia. Siccine Reges præficient urbibus, ac Provinciis gubernatores, cum potestate quidem, ut apparet, amplissima imperandi, quidquid Regis obsequio, & utilitati publicæ judicaverint convenire; ita tamen, ut nullus ex civibus, nullus ex rusticis, neque mas, neque fœmina, nullus ex militibus præsidiariis supponatur dissentiens: possint quidem supplicidecernere sceleratis; sed numquam exea qui, nisi ab omnibus, etiam criminum authoribus eorumque amicis, & consanguineis placere punitio, præsumatur: Authoritas quoque penès eos sit imponendi populo tributa, & vectigalia; non aliàs tamen exigenda, quàm dum allubescere omnibus judicaverint.

Nihil certius est, quàm nulla umquam vectigalium onera, nulla statuta refrænantia sceleratorum temeritatem, nulla reorum supplicia, universorum esse confirmanda calculo, adeout nullus conqueri existimetur, nullus executionis obicem desiderare. Tam incongrua Urbes, Provincias, exercitus gubernandi ratio à sapientibus meritò stulta judicabitur; quia regiminis potestas hoc pacto redditur enervis penitus, & inutilis, atque ipsa impossibilis gubernatio.

12 Gravior agitari solet de variis tegendi generibus disceptatio, quale cæteris præstet; num scilicet Monarchicum quod penès unicum est: num Aristocraticum quod penès Optimares: an Democraticum quod penès multitudinem. Atque hæ quidem tres simplices sunt formæ, è quibus deducũtur

tur mixtæ quatuor, quarum una ex Monarchica simul componitur, & Aristocratica, altera ex Monarchica,& Democratica, tertia ex Aristocratica,& Democratica, quarta ex tribus quas memoravi simplicibus. Tres simplices celebriores sunt, & inter has forma Monarchica præplacet communiter Theologis post S. Thomam.

Ex Hebræis etiam Philo hanc Homeri amplectitur Sententiam, *Multos imperare malum est: Rex unicus esto, atque istud* [inquit] *non ad Civitates, & homines magis pertinet, quàm ad mundum, & Deum.* E Græcis S. Justinus in oratione exhortatoria ad Gentes, *unius Principatus à Bellis dissidiisque solutus, ac liber esse solet.* S. Athanasius oratione adversùs Idola *Ut multitudo Deorum nullitas est Deorum, ita quoque necesse est multitudinem Principum id efficere, ut nullus esse Princeps videatur. Ubi autem Princeps non est, ibi prorsus disturbatio nascitur.* E Latinis S. Cyprianus tractatu de Idolorum vanitate: *Ad Divinum Imperium etiam de terris mutnemur exemplum: quomodo unquam regni Societas, aut cum fide coepit, aut finè cruore desiit?* S. Hieronymus Epistola ad Rusticum Monachum: *Unus Imperator, Judex unus Provinciæ. Roma, ut condita est simul habere duos Reges non potuit.* Consentit Angelicus parte 1. quæst. 103. art.3. & lib.4. contra gentes cap.76.

Inter Philosophos in eandem ivit sententiam Plato in politico ultra medium, *unius dominatio bonis instructa legibus sex illarum omnium optima est; Gubernationem verò eam in qua non multi imperant mediam censere debemus: cæterum multorum administrationem omnibus in rebus debilem atque infirmam.* Similiter Aristoteles lib.8. Ethicorum cap.10. *Optima Regnum, pessima Respublica est*: Seneca lib.2. de Beneficiis Marcum Brutum imprudentiæ redarguit, quòd spe libertatis Julium Cæsarem occiderit, *cum optimus Civitatis Status sub rege justo sit.* Plutarchus in Opusculo de Monarchia: *Si optio* [inquit] *eligendi concessa fuerit, non aliud eligat, quàm unius potestatem.* Idem in Solone, postquam asseruit Athenienses, penès quos regimen erat Democraticum, plurimis vexatos fuisse seditionibus, illico subjungit: *Una autem superesse videbatur ad salutem, & quietem* [ratio] *si res delatæ ad unius dominatum essent.*

Ex Oratoribus eodem conspirat cum pluribus Isocrates; ex Historicis Herodotus &c. Præter Hæreticos autem, & Schismaticos à Monarchico regimine communiter aversos, non desunt etiam inter catholicos, ut patet, Aristocraticum præferentes. Bellarminus autem lib.1. de Romani Pontificis Ecclesiastica Monarchia cap. 1. distinctionis aliquid adhibet *Ex tribus*, inquiens, *simplicibus formis gubernationis Monarchiam cæteris anteponimus; quamquam propter naturæ humanæ corruptionem utiliorem esse censeamus hominibus hoc tempore Monarchiam temperatam ex Aristocratia, & Democratia, quam simplicem Monarchiam, modò tamen primæ partes Monarchiæ sint, secundas habeat Aristocratia, postremo loco sit Democratia.*

13 Mihi verò intèr relata utcumque probabilia, quodnam alteri præstet non est hic necessarium, aut propositum disputare. At nulla umquam natio, quantumvis barbara, adeò legitur desipuisse, ut amplexa sit exoticum illud regimen quòd à Quesnello affingitur Ecclesiæ, velut ab æternâ præscriptum sapientia, ad Sanctionem quamlibet requirens consensum saltem suppositum singulorum. Quod enim damnatus Articulus enuntiat *Ecclesiam habere authoritatem excommunicandi, ut eam exerceat per primos Pastores, de consensu saltem præsumpto totius corporis*, extendunt omnes ejus vindiciæ ad actum quemlibet potestatis Ecclesiasticæ, per *claves* à Christo Domino significatæ, ut perspicuum fiet cap.5. cum horridis maximè consectariis, quæ si adversarii non prævidérint, cæcos esse oportuit; si prævisa adamaverint, detestabiles.

Haud veritus tamen est Quesnellus, seu quisquis ejus vindex præcipuus fuerit in *Observationibus adversus Clementis XI. Constitutionem* implorare patrocinium Gallicanæ Ecclesiæ, quasi ejus libertas à defensione propositionis pendeat, ipsumque Regem Christianissimum, cum toto suo Regno in belli vocare societatem; quasi damnata Propositione neque Ecclesiæ, neque regni Status valeat incolumis tutusque persistere.

Verùm Regis pietas, & religio ipsum cum suo Regno satis securum præstitit, ut erroris atque hæreseos præsidio minimè egeret. Et quidem, quæ ista Ecclesiæ libertas, imò quæ potiùs exitialis servitus, si nemo à Rectoribus puniri valeat, nisi omnes qui in Ecclesia sunt, consenserint? Quid magis criminibus fomitem præstat, quam istiusmodi monstrum immunitatis? Sed & Rex Christianissimus eximiè perspicax, satis exploratum habuit perduellium hanc machinationem esse, ut dum Episcopos atque ipsum Supremum Pontificem in exercitio concessæ sibi à Christo potestatis dependere

re fecerint à *consensu saltem præsumpto totius corporis*, idem vinculum injiciant Senatui etiam Supremo, atque ipsi Regiæ Majestati, ut omnia ipsorum Edicta, Statuta, Decreta, judicia nihil roboris habeant, nisi consensu saltem præsumpto omnium subditorum.

Quo supposito campus rebellibus amplissimus aperitur, ut omnia sibi displicentia Senatûs, aut Regis diplomata exsufflent atque irrideant. Quandonam enim expectare possis, ut quæ aliquibus oneri sunt, ab omnibus approbentur?

Eò respexisse Edmundum Richerium liber ejus non dissimulat, & in iteratæ abjurationis suæ conclusione author ipse profitetur. *Pænitet*, inquit, *me Parochos Episcopis æquasse, hoc effutiendo: Senatum aut Concilium nativum Ecclesiæ à Domino institutum vocamus, non modò Episcopos; sed omnes Presbyteros curam animarum habentes: quod hæreticum, & schismaticum lubens confiteor. Nec in minorem errorem incidi adversùs Regiam potestatem, cùm perperam scripserim omnem principatum quoad vim coactivam ab hominum consensu pendere &c. quod quidem ab hæreticorum lacunis hausi, & quod etiam contra Dei Verbum luctari non diffiteor, Rom. 13. Omnis anima potestatibus supereminentioribus subjecta esto; non est enim potestas nisi à Deo.*

14 Ita quoque Jansenistæ, postquam Episcopos omnes æquarunt Pontifici, Parochos statuunt in suis Parochiis quasi Episcopos: unde colligas, cur juxta Quesnellum excommunicatio Pontificia non valeat extra Diœcesim Romanam, nisi consentientibus Episcopis; neque horum consensus, aut ab his lata excommunicatio robur obtineat in Parochiis, nisi Parochi approbarint. Denique neque horum approbatio authoritati Episcoporum atque ipsius Pontificis juncta quidquam efficiet; si laici aliqui, vel fœminæ refragentur; requiritur enim in Quesnelli sententia *consensus saltem præsumptus totius Corporis*. Totius autem corporis consensus præsumi non potest, ubi aliquos constiterit repugnare.

Ita destructa authoritate Ecclesiæ gradus fit ad subruendam Regis quoque, & cujuscumque Principis potestatem. Vidimus istud à Richerio aliàs novatore intentum, & ab eodem melius postea sapiente damnatum. At Jansenistæ rejectas ab eo sordes avidè arripiunt, amplectuntur, omnibus, ut margaritas obtrudunt, novis typis divulgando errores, palinodiam reticendo, ingerentes venenum, paratum antidotum nefariè subtrahentes, ut verissima censeatur oborta pridem Sapientibus suspicio, Jansenistas nullius velle subjici in terris imperio. An plus religionis habeant, quàm obedientiæ, problematis loco sit.

CAPUT III.

Centum Gallicanorum Antistitum de Quesnelli propositione sententia, eorumque contra adversarium defensio.

1 Contra præsentem Quesnelli articulum centum, & ampliùs Galliæ Episcopi in documento Pastorali sic observant: „ Propositiones à nobis „ hactenus expositæ, Fratres Charissimi, „ impugnabant Ecclesiam in suis dogmatibus, disciplinâ atque ipsa sui definitione; quæ verò sequuntur, ad ejus collimant authoritatis subversionem. Defensores scilicet Jansenii, qui contra Ecclesiam rebelles insurgunt, ejusque censuras metuunt, & excommunicationes, omnia moliuntur, ut se adversus eas præmuniant. Omnibus suis scriptis asserunt, *datam esse Ecclesiæ excommunicandi potestatem, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis*, idest consensu fidelium. Ipsi verò & partem se Ecclesiæ arbitrantur, & quidem forsitan puriorem. Suæ autem damnationi numquam consentient: atque hæc ejus contemnendæ ratio est.

In quod ita invehitur Quesnellus, vel quisquis pro eo impudentissimus Episcoporum, & Apostolicæ Sedis adversarius: „ Non Propositiones condemnatæ impugnant Ecclesiæ dogmata, & disciplinam; „ Sed ipsa Constitutio, quæ Propositiones „ damnans in sensu proprio, & naturali, „ subruit præcipua religionis, & moralis „ Christianæ dogmata cum Sāctissimis disciplinæ regulis, ut libris plurimis demonstratum est: nec infelici successu; quandoquidem Documenti Pastoralis authores (40. Episcopi, & 60. alii illud adoptantes) ut Constitutionem UNIGENITUS sive tuerentur, sive excusarent, „ confugere oportuit ad explicationes ridiculas, & vel calumniâ scatentes, vel „ perfidiâ, ut ex nostris in eas animadversionibus exploratum est.

„ Quis furor! Scriberetne Jesuita rabidus majore animi commotione? In quo „ Theologi isti (Jansenistæ appellati) Ecclesiæ rebelles sunt? Nonne damnant „ quidquid damnat Ecclesia? Nonne quid-

„ quidquid ipsa tenet, amplectuntur? Ullusne convictus est sustinuisse errorem aliquem in quinque propositionibus condemnatum? Circa factum tacent ex reverentia. Satis autem illis timoris Dei est, ne jurejurando asserant se credere, ad quod credendum, fide dubitationem omnem excludente, & prout ad jurandum requiritur, nulla ratio occurrit sufficiens.

„ Hoccine est Ecclesiæ rebellem esse? Verùm quid opus apologias toties iteratas repetere? Totum hodierna revelat Constitutio. Modò Jansenismus, in quem Jesuitæ tanto hactenus furore invecti sunt, cognoscitur: omne deinceps errandi periculum sublatum est: Jansenismus doctrina est seculorum omnium, Doctrina Jesu Christi, & Apostolorum. Sed absit, quod rebellio adversùs Ecclesiam sit adhæsio constans Jansenismo tam sancto, & omni veneratione dignissimo.

„ At ubi timor Dei, cùm talia formantur, [à centum Episcopis] judicia? Undenam apparet tam prava in iis, de quibus Episcopi loquuntur, dispositio, quo signo se prodit? Qua detegitur ratione? Pertinetne ad Episcopos scrutari ita corda hominum, ut consilia eis tribuant adeò scelerata? Quod autem iniquitatem continet magis evidentem, est quod documenti Pastoralis Authores calumniis tam atrocibus dilacerent *Observationum Moralium* Scriptorem (Quesnellum) post elucidationem ejus adeò numeris omnibus absolutam, circa hunc Articulum datam in Epistola cœtui Episcoporum inscriptâ, quæ ejusmodi est, ut ad prosequendam adversùs eum accusationem, oportuerit timori Dei nuntium remisisse pariter, & pudori.

2 Hactenus declamator, qui præter familiarem Jansenianis, præcipuè recentioribus, audaciam, & in re perditissimâ confidentem, clamosamque impudentiam nihil profert. Nulla ejus periodus est, quæ apertis mendaciis non turgeat, quale est quod nullus hactenus convictus sit sustinuisse errorem aliquem in quinque propositionibus condemnatum, & quod Jansenistæ de *Facto* ex reverentia taceant.

In *Causa Quesnelliana*, & processu *contra Gerberonum* Jussu Archiepiscopi Mechliniensis typo editis, plures de erroribus in Jansenio damnatis convicti exhibentur: Ipse Archiepiscopus Parisiensis Cardinalis de Noailles in Decreto anni 1696. *Expositionem Fidei* Gerberonianam, declarat *continere manifestè hæresim primæ Propositionis Jansenianæ, & simul totum venenum cæterarum*.

Præter Doctores complures Sorbonicos, Episcopus Atrebatensis, & defunctus Antistes Tornacensis Gilbertus de Choiseuil, qui ambo apud adversarios sunt omni exceptione majores, Jacobum Gilbert Academiæ Duacenæ Cancellarium de Janseniana hæresi declaravere convictum. Sat notum, quot habuerit Cancellarius ille Duaci,& alibi consentientes, quorum complures exilio, nonnulli etiam carceribus mulctati sunt.

Hæc ipsa Constitutio UNIGENITUS Observationes Morales, atque adeò omnes earum defensores, de resuscitata Jansenii hæresi apertè damnat, & jure meritissimo, ut vel ex præsenti opere tomo potissimum primo compertum est.

3 Quod autem mendacium excogitari potest notissimæ omnibus veritati apertiùs repugnans, quàm quo dicitur prætensos Augustini discipulos *circa Factum* famosum de quinque propositionibus in Jansenii libro contentis, vel non contentis, ex *reverentiâ tacere*? Quid frequentius in ore, & scriptis illorum omnium, quàm *Jansenismum esse Phantasma*? Decies millies id in eorum scriptis ostendere non foret difficile: Solus esset descriptionis labor, inquisitionis perexiguus. Explosione Jansenismi quasi in solo Jesuitarum, & ab eis deceptorum cerebro subsistentis centena Jansenistarum opuscula plena sunt. Plurima specimina ex libris fideliter excerpta Archiepiscopus Mechliniensis denuntiari curavit Congregationi S. Officii anno 1692. & typis jussu ejusdem Archiepiscopi edita versantur in omnium manibus, uti & *Causa Quesnelliana, & Processus Fiscalis contra Gabrielem Gerberon*.

Num de *Facto* Jansenii tacent nuperrimi libelli *Jansenius Redivivus*, *La sainte doctrine de Monsieur Jansenius*, *Panegyris Janseniana* cum tribus eam secutis *Apologiis* & majoris molis volumen *Augustinus Iprensis vindicatus atque è damnatione Romanorum Pontificum Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. & Clementis XI. ereptus & erutus, sive Apologeticus Perillustris ac Reverendissimi Domini Cornelii Jansenii &c. per Ægidium Albanum*?

Hoc est Jansenistarum *silentium circa factum*. Hæc erga Pontifices & eorum Constitutiones *reverentia*. Nonne istud est tenebras lucem appellare, & lucem tenebras? Quod observavit SS. D. N. in Brevi

vi Apostolico ad Cardinalem de Noailles dato 1703. 13. Februarii occasione famosi *Casûs Conscientiæ* à 40. Doctoribus approbati: *Quid enim*, inquit, *illud esse dixerimus, libelli hujusmodi authores tam splendido verborum apparatu erga Pontificias Constitutiones internam semper observantiam polliceri, quam interim exteriùs violant, & ut silentium polliceantur, quotidie silentium rumpere*? Qui nempe, ut in alio Brevi dato eadem die ad Regem Christianissimum ait Pontifex, *in id nati esse videntur, ut Ecclesiæ ac Reipublicæ pacem turbare non cessent*. Quapropter Christianissimi contra eos zelum excitat: *Ne patiaris igitur Charissime Fili, ut tot labores ac studia, quæ ad exterminandum ex florentissimo Regno tuo pessimæ hæresis contagium adhibuisti, paucorum hominum vesaniâ fructu vacuentur, & pereant. Sileant inquieti homines, coërceantur protervi, pereant contumaces, & quos Ecclesiæ mansuetudo non flectit, potestas Regalis compescat & conterat.*

Sed nimis diu à proposito quæstionis scopo nos adversarii ineptiæ avocarunt. Eundum obviàm argumentis est.

CAPUT IV.

Nullius roboris telum est quod sibi fingunt adversarii ex sacro Codice.

1 Epist. 1. ad Corinthios cap. 5. [inquiunt *Hexapla* & *Collatio Propositionum &c.*] Traditur Quesnelli sententia his verbis Apostoli: *Ego quidem absens corpore: præsens autem spiritu jam judicavi, ut præsens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu cum virtute Domini nostri Jesu, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.*

Fornicarius adeò abominandus, de quo agit Apostolus, vir erat apud Corinthios potens, atque hac ratione metuendus, turbandæ illic Ecclesiæ, & multitudini contra Apostolum, ejusque absentis fungentem munere peridoneus. Ideò prudenter censuit Paulus, populum esse à ministris Ecclesiæ præoccupandum. Congregari proinde eum jubet, eique proponi criminis enormitatem ut excommunicationem facilè approbet. *Omnino*, inquit, *auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Cumque in hoc detestando crimine de-fides, & quasi incurios Apostolus Corinthios deprehenderet, increpuit eorum in hoc socordiam, veluti mixtam superbiâ ex eo, quod sibi de justitia blandirentur, ex sui cum hoc fornicario comparatione. Unde nihil singularis luctus & indignationis publicè in tanto scelere ostendebant. Quapropter authoritate utitur Apostolica, & velut Christi nomine excommunicationis sententiam à se decretam, à Corinthiis denuntiari jubet.

Ita S. Thomas in hunc locum: *Quia sum spiritu præsens jam judicavi, id est sententiam condemnationis ordinavi in eum, qui sic operatus est. Secundò ponit* [Apostolus] *authoritatem principalis Domini dicens: In nomine Domini nostri Jesu Christi, id est vice & authoritate, seu cum virtute, & invocatione nominis ejus.... Deinde cùm dicit: congregatis vobis in unum, ostendit modum judicandi: ubi tria tangit, primò fidelium congregationem, ea enim quæ gravia sunt, multorum concordi deliberatione punienda sunt. Unde & antiquitus Judices sedebant in portis, ubi populus congregabatur, secundùm illud Deuteronomii 16. Judices constitues in omnibus portis tuis. Secundò adhibet suum assensum, cùm dicit, & meo spiritu, id est mea voluntate & authoritate. Tertiò adhibet authoritatem Principalis Domini, scilicet Christi, dicens cum virtute Domini nostri Jesu Christi, ex qua judicium Ecclesiæ habet robur firmitatis, secundùm illud Matth. 18. Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.*

2 Non expectavit Apostolus Corinthiorum omnium consensum, ut suum de excommunicatione judicium ferret, eisque imperaret sententiam contra Fornicarium pronuntiari. Aliud autem est delicta gravia concordi multorum deliberatione puniri, quod quidem passim conveniens fuerit, aliud potestatem Principis in judicando à concordibus omnium pendere suffragiis. Neque tam gravis ubique intervenit ratio, committendi sententiam multitudini.

Ita si quis in exercitu vel regno vir præpotens propter enorme facinus supplicio afficiendus sit, prudentia Principi dictabit judicii socios in exercitu adsciscere duces belli, in regno satrapas, & proceres; licèt valor sententiæ non ab omnium, etiam gregariorum militum, vel civium & rusticorum pendeat consensu sive expresso, sive præsumpto. An omnes Corinthii Paulo consenserint, neque ullos potens ille fornicarius sive pecuniâ corruptos, sive amicitiâ & necessitudine sibi habuerit devinctos, haud

haud legitur exploratum. Supponamus eundem fuisse ab omnibus desertum: istud, & singularis enormitas facinoris, & Pauli Apostoli authoritas postulabat. Verumtamen luctuosissima foret Ecclesiæ conditio, si potestas clavium, seu valor exercitii à singulorum suffragio suspenderetur.

Mirabilis Nobilibus Poloniæ potestas lege conceditur, ut, si in generalibus regni comitiis post moliminis maximi, & multi temporis deliberationes, ex tot centenis quibus jus suffragii est, vel unus declaraverit se comitiorum actibus non consentire, atque ita recesserit, quidquid hactenus deliberatum constitutumque est, omni penitus robore destituatur. Quæ quidem mirifica nobilium libertas, quantis aliquando comitia reddiderit difficultatibus obnoxia, facilis conjectura est: at totius authoritatem judicii, & potestatis exercitium alligare cujuslibet de plebe infima etiam mulierculæ consensui, nullis umquam Legislatoribus, nisi oppidò fatuis, venire potuit in mentem.

3 Proinde infinitæ istud providentiæ Christi adscribere, tamquam pro suæ directione Ecclesiæ constitutum, sola potest malevola Atheorum, ac Libertinorum insania cum Quesnello, dum asserit concessam Ecclesiæ potestatem clavium à totius pendere corporis voluntate: *Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores, de consensu saltem præsumpto totius corporis.* Corinthio illi Fornicario, si Quesnellianis fuisset imbutus dogmatibus, facillimum erat, excommunicationem effugere, declarando publicè, se cuicumque ferendæ forsitan contra se excommunicationis sententiæ minimè consensurum, utque vir noscitur fuisse inter Corinthios potens, facilè fuisset ei aliquos sive famulos, sive consanguineos, aut sibi aliter obnoxios, in sui trahere patrocinium: Quod ubi innotuisset, evidens est consensum omnium supponi minimè potuisse.

Præterea si, quod verisimile non est, neminem largirionibus, vel quibuscumque artibus, vel amicitiâ sibi devincire potuisset Corinthi, non defuissent alibi pauperes & pecuniæ avidi, quorum favor faciliùs venalis obtingeret. Denique recurrit hîc reprehensa sæpius, & obtrita Quesnelli ejusque sodalium sive fallacia, sive crassissima ignorantia, qua ex antecedente particulari conclusio infertur Dogmatica, & generali æquivalens: Imò ex facto unicè contingenti & libero, perpetua pro excommunicatione qualiber obligatio, & necessitas.

Apostolus scilicet jubet Corinthiorum Ecclesiam excommunicationis enuntiare sententiam adversùs fornicarium adeò execrabilem: ergo, inquit, mirifica novæ Ecclesiæ Dialexis, non Ecclesiæ solummodo particularis; sed etiam totius corporis, quod universalis Ecclesia est, semper requiritur consensus, saltem suppositus, ad excommunicationem quamlibet, quibuscumque in circumstantiis infligendam. Non meretur ineptissima argumenti ratio, ut ei refellendæ diutius immoremur. Pernicies gravior se prodet capite proximo.

CAPUT V.

Quod Observator ex Augustino objicit, minimè favet Dogmati condemnato.

1 Quesnellus, aut quisquis author est libri, cui titulus *Constitutio Clementis XI. cum Observationibus*, objicit S. Augustinum ex Tractatu 124. in Joannem cap. 5. ubi dicitur: *Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claves ab eo Regni cælorum accepit in Petro, id est potestatem ligandi solvendique peccata.*

Ex quo loco adversarius colligit *Doctrinam Propositionis*, quam ait *valde communem, & à Sancto Augustino ubique traditam, videlicet quòd potestas clavium in se & secundùm suam proprietatem residet in Ecclesia, quamvis exerceri debeat, nec possit aliter, quàm per Pastores, qui à Christo ad ejus exercitium constituti sunt.*

Quænam potestas Ecclesiæ, & quidem in *sua proprietate* conceditur, si eam Ecclesia in actum reducere nunquam valeat? Potest, inquis, reduci per Ecclesiæ Pastores. Dicamus ergo juxta clarissima Scripturæ testimonia, & totius sensum Ecclesiæ potestatem *propriè* in Pastoribus esse, in cæteris metaphoricè per repræsentationem qua tota Ecclesia in Petro est, sive à Petro tamquam à Principe regnum, à Patre familia, à Superiore quælibet communitas ei subdita repræsentatur.

Sic apud S. Leonem serm. 1. de ascensione Domini *Christi ascensio nostra provectio est, ... hodie enim non solùm Paradisi possessores firmati sumus; sed etiam cælorum in Christo superna penetravimus.... nam quos virulentus inimicus primi habitaculi felicitate dejecit, eos sibi concorporatos Dei Filius ad dexteram Patris collocavit,* ut membra nempe connexa capiti, sive ut corpus

in

in capite repræsentatum. Simili ratione Ecclesia ligandi ac solvendi potestatem in Pastoribus accepit. Quid enim, an ligandi ac solvendi potestas etiam laicis & mulieribus *propriè* concessa est, eamque laici viri ac fœminæ in Pastoribus vel per Pastores exercent?

Si ex illa Augustini sententia rectè sequitur *potestatem clavium in se, & secundùm suam proprietatem residere in Ecclesiâ*, atque adeò *Ecclesiam authoritatem excommunicandi habere, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis*, etiam sic acceperit potestatem absolvendi à peccatis, & ea retinendi, atque ita potestas illa etiam in laicis & fœminis residere, & quidem *secundùm suam proprietatem* dicenda est: à quo absurdo longè abfuit S. Augustinus, atque adversarios pudebit, ni fallor, illud admittere; nisi hic adulari cupiant suis Amazonibus, ut quibus invitâ Apostolicâ Sede, jus tribuunt legendi sacra Volumina, & Missam in vulgari idiomate, iis etiam potestatem afferant solvendi, hoc tamen discrimine, quod prioris exercitium potestatis ad omnes, etiam fœminas pertinebit, posterioris ad solos Presbyteros.

2 Non hic scrutari oportuit abstrusa cordium, ut quis perspiceret Propositionis esse scopum, ut prætensos Augustini discipulos excommunicare numquam Episcopi, numquam ipsi Summi Pontifices valeant. Quandonam enim consensus totius Ecclesiæ in eorum excommunicationem præsumi poterit; si ipsimet pars Ecclesiæ sint, & quidem, uti contendunt, purior, sanctior, & cæteris omnibus proponenda ad exemplum?

Imò quænam justa adeò & liquida umquam excommunicatio videbitur, quæ non aliquibus displiceat, non ab aliquibus reprehendatur? Ita omnis irrita fiet, vel à novatoribus eludetur.

Denique si omnis potestas ligandi atque solvendi, in se, secundùm suam proprietatem resideat in Ecclesia, seu tota fidelium multitudine, quæ eam exerceat per primos Pastores, ita ut excommunicatio vim nullam obtineat, nisi consensus adfuerit saltem præsumptus totius corporis, approbatio similis requiri videbitur etiam ad solutionem peccatorum, vel retentionem. Quod si verùm, væ Romano Pontifici, Cardinalibus, Episcopis, & quibuscumque Constitutionis UNIGENITUS authoribus ac defensoribus, quoties absolutionis beneficio opus habuerint, quandonam in illud Quesnellus & ejus socii, de sui condemnatione, velut iniquissimâ, tantis clamoribus conquerentes, præsumi poterunt consentire? Reputari se velut ab Ecclesia extorres, multo ægriùs patientur.

Observatoris gloriatio de Quesnelli dogmate, veluti *valde communi*, mendacium splendidissimum est; nisi *valde commune* intelligas Lutheranos inter & Calvinistas. Etenim à scholis illud procul exulare Catholicis nemo Theologus ignorat. Si Richerii tempore valde communis ea fuisset sententia, non adeò adversùs Authorem commovisset Cardinalem Richelium qui eum ad palinodiam induxit, non conturbasset Sorbonicam facultatem, quæ opinionem censuit minimè tolerandam.

Edisserat itaque nobis adversarius in quibus Christiani orbis regionibus, in quibus Theologorum Classibus sua opinio communis sit, vel aliàs fuerit. Non in Thomistica, ut omnibus exploratum est, eam cum Angelico suo Magistro pro Sedis Apostolicæ authoritate zelo ardentissimo decertare. Scotistas sibi vindicare ne Quesnelliana quidem impudentia audebit. De Jesuitarum patrocinio desperandum sibi non minus Richeriana novitas, quàm Bajana atque Janseniana hæresis semper meritò arbitrata est.

3 Num forsitan Doctrina cujus nullum in scholis Catholicis vestigium est, communis fuerit Sanctis Patribus? adeò scilicet cum Doctore Angelico omnes Theologi orthodoxi in Patrum voluminibus cæci sunt, ut doctrinam illic communiter traditam, nusquam videant? S. Hieronymus in cap. 19. Isaiæ hæreticis accommodat illud, *Filius sapientium ego, filius antiquorum*. Ubi sic annotat S. Doctor *solent hæretici regi suo, vel Pharaoni dicere: Filii sumus sapientium, qui ab initio doctrinam nobis Apostolicam tradiderunt: Filii sumus Regum antiquorum*.

Verùm addit Hieronymus: *Illi filii antiquorum arguuntur stultos habuisse Doctores. Dominatur enim miscuit illis spiritum vertiginis, sive errorum .... Tradidit illos Deus in reprobum sensum*. S. Gregorius hæreticis applicat gloriationem Eliphas Themanitæ in cap. Job 15. *Senes antiqui sunt in nobis multò vetustiores, quàm patres tui: Sic etiam* (inquit Sanctus Pontifex) *Hæretici, ut ea quæ afferunt commendare stultis mentibus hominum, quasi de antiquitate possint, antiquos Patres se habere testantur, atque ipsos Doctores Ecclesiæ, suæ professionis magistros dicunt; eamque præsentes Prædicatores despiciunt, de antiquorum Patrum Magisterio falsa præsumptione gloriantur*.

Ita ipsi & soli haberi cupiunt patritii, soli discipuli appellari S. Augustini, reliquis Scholasticorum, Casuistarum, Recentiorum nomine veluti convitio appellatis. Sic olim Aëtiani Catholicos vocabant *temporarios quosdam homines*. Sed arrogantiam hæreticam repressit Epiphanius hæresi 76. Aëtium sic alloquens. *Tu verò temporaneus multò magis appellandus es, qui & in errorem abductus es, & fastu arrogantiâque distentus gregis tui pecudes per dumis & spinis consita pascua propulisti. Nemo enim tecum ex veteribus sentit ò Aëti*. Nemo eadem tecum ò Quesnelle! Aëtium secutus in hoc Wicklefus refertur à Waldensi tom. 1. l. 1. art. 2. cap. 34. *dicens à modernis dissentio, sed cum multis Sanctis antiquis & specialiter Augustino convenio*.

Undenam contigerit, veteres subinde obscuriùs, quam conveniret hoc tempore, de quibusdam scribere dogmatibus, rationem exprimit ipse Augustinus occasione S.Chrysostomi à Pelagianis in patrocinium vocati: *Cur putamus* [inquit libro contra Julianum cap. 2.] *eum ita locutum, nisi quia disputans in Ecclesia Catholica, non se aliter intelligendum arbitrabatur? Tali quæstione nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus*.

CAPUT VI.

Quæ stabiliendo Quesnelliano dogmati ex Patribus copiosius à Collatore congesta sunt, Bellarminus pridem cum doctrina Catholica conciliavit.

1 Objectionum è Patribus seriem integram refero: unde nihil accedit, ut mox videbimus, patrocinii articulo damnato, nobis autem lucis plurimum, unde magis execrabilem deprehendamus novi dogmatis, illudque propugnantium iniquitatem. Juxta S. Augustinum Tract. 124. in Joannem „ Ecclesiæ „ Apostolus Petrus, propter Apostolatûs „ sui primatum, gerebat figuratâ generalitate personam; quod enim ad ipsum „ propriè pertinet, naturâ unus homo erat, „ gratiâ unus Christianus, abundantiore „ gratiâ unus idemque primus Apostolus; „ sed quando ei dictum est: *Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*; universam significabat Ecclesiam.... Ecclesia ergo quæ „ fundatur in Christo, claves ab eo regni „ cœlorum accepit in Petro id est potestatem ligandi solvendique peccata. „

Idem sermone 295. aliàs 108. cap. 2. „ Dominus Jesus discipulos suos ante passionem suam, sicut nostis, elegit, quos „ Apostolos appellavit. Inter hos penè „ ubique solus Petrus totius Ecclesiæ meruit gestare personam. Propter ipsam „ personam, quam totius Ecclesiæ solus „ gestabat, audire meruit *Tibi dabo claves regni cælorum*. Has enim claves non homo unus; sed unitas accepit Ecclesiæ.

„ Hinc ergo Petri excellentia prædicatur; quia ipsius universitatis & unitatis „ Ecclesiæ figuram gessit, quando ei dictum „ est: tibi trado, quod omnibus traditum „ est. Nam ut noveritis, Ecclesiam accepisse claves Regni cœlorum, audite in „ alio loco, quid Dominus dicat omnibus „ Apostolis suis: *Accipite Spiritum Sanctum*; „ & continuò: *Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei, si cujus tenueritis, tenebuntur*. Hoc ad claves pertinet, de quibus „ dictum est: *Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cælis, & quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in cælo*: sed hoc Petro „ dixit, ut scias, quia Petrus universæ Ecclesiæ personam tunc gerebat, audi quid „ ipsi dicatur, quid omnibus fidelibus Sanctis: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum. Si te non audierit, adhibe tecum unum aut duos; scriptum est enim, in ore duorum vel trium testium, stabit omne verbum. Si nec ipsos audierit, refer ad Ecclesiam. Si nec ipsam audierit, sit tibi tamquam Ethnicus aut Publicanus. Amen dico vobis, quia quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in cælo, & quæcumque solveritis in terra, soluta erunt & in cælo*. Columba ligat, columba solvit: ædificium supra petram ligat „ & solvit. „

Idem Sanctus sermone 149. aliàs de diversis 24. cap. 6. „ Petrus multis in locis „ Scripturarum apparet, quod personam „ gesset Ecclesiæ, maximè illo in loco, ubi „ dictum est. *Tibi trado claves regni cælorum, quæcumque ligaveris in terra, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveris in terra, erunt soluta & in cælo*. Numquid „ istas claves Petrus accepit & Paulus non „ accepit? Petrus accepit, & Joannes & „ Jacobus non accepit, & cæteri Apostoli? „ Aut non sunt istæ in Ecclesia claves, ubi „ peccata quotidie dimittuntur? Sed quoniam in significatione personam Petrus „ gestabat Ecclesiæ, quod illi uni datum „ est, Ecclesiæ datum est: Ergo Petrus fi- „ guram

„ guram geſtabat Eccleſiæ. „

Iterum Auguſtinus lib. 3. de Bapt. contra Donat. cap. 18. „ *Sicut miſit me Pater,* „ *& ego mitto vos. Hoc cùm dixiſſet inſpiravit, & ait illis, Accipite Spiritum Sanctum:* „ *Si cujus remiſeritis peccata, remittentur* „ *illi: ſi cui tenueritis, tenebuntur*. Ergo ſi „ Apoſtoli perſonam gerebant Eccleſiæ, & „ ſic eis hoc dictum eſt, tamquam ipſi Eccleſiæ diceretur, pax Eccleſiæ dimittit „ peccata, & ab Eccleſia alienatio tenet „ peccata, non ſecundùm arbitrium hominum; ſed ſecundùm arbitrium Dei, & „ orationes Sanctorum ſpiritualium, qui „ omnia judicant; ipſi autem à nemine judicantur. Petra enim tenet: Petra dimittit; columba tenet, columba dimittit: „ unitas tenet, unitas dimittit. „

Huc uſque Auguſtinus, quem ſequitur S. Fulgentius libro de fide ad Petrum Diaconum cap. 3. „ Pœnitentia peccatori tunc „ prodeſt, ſi eam in Eccleſia Catholica gerat, cui Deus in perſona Beati Petri ligandi ſolvendique tribuit poteſtatem, „ dicens: *quæ alligaveris ſuper terram, erunt* „ *ligata & in cœlis: & quæ ſolveris ſuper terram erunt ſoluta & in cœlis*. „

2 Quibus omnibus antequam directè reſpondeam, præmittenda eſt vetus animadverſio Vincentii Lerinenſis in commonitorio de profanis vocum novitatibus, contra hæreticos cap. 11. *Qui cum ſub alieno nomine hæreſim concinnare machinentur, captant plerumque veteris cujuſpiam viri ſcripta, paulò involutius edita, quæ pro ipſa ſui obſcuritate, dogmati ſuo quaſi congruant, ut illud, neſcio quid, quodcumque proferunt, neque primi neque ſoli ſentire videantur*.

Claudius Sanctesius Ebroicenſis Epiſcopus lib. de Reb. Enchar. repetit. 6. cap. 9. *Obſervare licet, adverſarios ſive noſtra deſtruendo, ſive ſua aſſerendo, ſolidis & certis Scripturis carere, atque in omni controverſia ad unum Auguſtinum, tamquam ad ſacram anchoram refugere: non quod ab eorum partibus ſtet, ſed quoniam tam multa & tam variè ſcripſit pro re nata, ut facile fuerit omnibus poſt illum hæreticis, aliquid de ipſo contorquere, atque alìorſum, quàm ipſe dixerit, vertere*.

Et hic quidem quidquid ex Auguſtino proferunt Queſnelliani, à Luthero in libro de poteſtate Papæ, à Calvino lib. 4. Inſtitutionum cap. 6., à Magdeburgenſibus centuriâ 1. lib. 1. & 2. libro Smalchaldico de Primatu Papæ, à Marco Antonio de Dominis pridem Catholicis oppoſitum legitur, & ab his ſolidiſſimè confutatum. Videri præ cæteris poteſt Eminentiſſimus Bellarminus libro 1. de Romano Pontifice cap. 12. ubi monet „ Duobus modis potuiſſe Petrum „ perſonam Eccleſiæ gerere, hiſtoricè & „ parabolicè. Hiſtoricè is gerit perſonam „ alterius, qui re aliquâ verè à ſe geſtâ, „ rem ab alio gerendam ſignificat, & eam „ quodammodo repræſentat. Sic Abraham „ verè duos filios habens, Deum ſignificavit, qui duos populos habiturus erat, ut „ Apoſtolus exponit ad Galatas cap. 4. Sic „ Martha ſolicita circa frequens miniſterium, & Maria ſedens ſecus pedes Domini duas vitas demonſtrarunt, quarum „ altera in actione, altera in contemplatione verſatur.

„ Parabolicè per unum, aliud ſignificatur, quando res verè geſta nulla proponitur; ſed aliquid veriſimile fingitur ad „ aliud ſignificandum, quomodo in Evangelio qui ſeminat bonum ſemen, Chriſtum prædicantem ſignificat, ad quem „ modum etiam ſolent Legati Principum „ claves interdum Urbium accipere; cùm „ interim nihil ſibi propriè acquirant; ſed „ tantùm Principis ſui perſonam repræſentent.

3 „ Quibus ita conſtitutis exiſtimant „ adverſarii, Petrum poſteriore hac ratione ſignificaſſe Eccleſiam, cùm à Domino „ audivit *Tibi dabo claves &c.* Ex quo ſequitur claves datas eſſe primò ipſi Eccleſiæ, & per Eccleſiam Paſtoribus communicari, atque eſſe literalem ſenſum hujus loci *Tibi dabo claves*. Unde (hæreticorum) Synodus Smalchaldica in libro „ de primatu Papæ ait: *Tribuit igitur principaliter claves Eccleſiæ, & immediatè, ſicut* „ *& ob eam cauſam Eccleſia habet jus vocationis*. „ Meritò proinde Edmundus Richerius in ſecunda ſua Palinodia fatetur, ſe ex fœtentibus hæreticorum lacunis eandem ſuam ſententiam hauſiſſe. Agnoſcere id non minùs verè poſſent Conſtitutionis UNIGENITUS adverſarii; ſed neque eſt candor in eis, neque demiſſio; ſed perfidiâ deteſtabili ab illis aut illorum Symmiſtis, quas Richerius ſordes abjecerat, eædem iterum typis editæ ſunt, palinodiâ prætermiſſâ.

Nobis expedit ex Eminentiſſimi Bellarmini eruditione proficere. Sic ibi Catholicam amplectitur, & confirmat ſententiam. „ Nos priore modo Petrum Eccleſiæ perſonam geſſiſſe credimus: ita nimirum ut „ ipſe verè, & principaliter, ac immediatè „ claves acceperit, & ſimul eas accipiendo „ ſignificaverit, univerſam Eccleſiam ſuo „ quodam modo poſtea accepturam; quem „ modum

„ modum paulò post explicabimus. Nunc „ verò ita se rem habere, breviter ostendamus.

„ Primùm igitur tot modis Christus „ Petri personam designavit, ut non pluribus circumstantiis, quod rectè Cajetanus „ annotavit, describere soleant aliquem „ certum hominem Notarii illi, qui instrumenta publica conficiunt; nam inprimis „ expressit substantiam personæ singularis „ per pronomen *Tibi*. Deinde addidit nomen inditum in nativitate, cùm ait, *Beatus es Simon*. Adjunxit nomen Patris, cùm „ ait: Filius *Jonæ*: nec omittere voluit nomen à se recens impositum *Ego dico tibi*, „ inquit, *quia tu es Petrus*; Quorsum tam „ accurata descriptio, si nihil ipsi Petro „ propriè promittitur? Deindè non erat „ eo tempore Petrus Ecclesiæ Legatus, aut „ Vicarius. Quis enim ejusmodi provinciam ei imposuerat? Non igitur suspicari possumus, nomine illum Ecclesiæ, & „ non potiùs suo claves accepisse.

4 „ Præterea illi propriè claves promittuntur à Christo, qui dixerat *tu es Christus filius Dei vivi*, id enim significabant „ illa verba *Ego dico tibi*. Et ut S. Hieronymus ait: *Mercedem recepit vera Confessio*. „ At illam præclaram confessionem Petrus „ edidit, & in persona sua edidit; in persona igitur sua clavium promissionem accepit.

„ Ad hæc si propterea negandum est „ Petro promissas esse claves, quia figuram gerebat Ecclesiæ, eâdem certè ratione negabimus, Abrahamum, duos filios habuisse; quia duo illi filii duos populos, Apostolo teste, significabant: neque verum esse fatebimur Martham sollicitam fuisse circa plurima, dum soror „ ejus Maria ad pedes Domini sedebat; „ quia nimirum actionem & contemplationem duæ illæ fœminæ adumbrabant. „ Quod si grave est, tam apertas historias „ in dubium revocare; grave etiam videri „ debet dubitare, sitne Petro aliquid singulariter promissum; cùm tam perspicuè „ id narretur in Euangelica Historia.

„ Denique illi dictum est à Domino: „ *Tibi dabo claves regni cœlorum*, qui paulò „ post ab eodem Domino audivit: *Vade post* „ *me Satana: scandalum es mihi*: atque hæc „ posteriora verba soli Petro, & in persona „ propria dicta sunt, ut ex Euangelio non „ obscurè colligitur: Et ipse quoque Lutherus docet libro de potestate Papæ. „ Quis igitur inficiari potest Petro claves „ in persona propria esse promissas? „

Antecedens stabilit communis Patrum & Interpretum Sacrorum authoritas. Sic Augustinus libro 2. contra duas Epistolas Gaudentii cap. 23. *Numquid melior Rasias, quàm Petrus Apostolus, qui ubi dixit: Tu es Christus filius Dei vivi, tam beatus à Domino appellatus est, ut claves regni cœlorum accipere mereretur; nec tamen ideo creditur imitandus, ubi mox eodem momento reprehensus audivit; vade post me Satana; non enim sapis quæ Dei sunt*. S. Hilarius in Psalm. 131. *Tanta ei religio fuit pro humani generis salute patiendi, ut Petrum primum filii Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cœlestis regni Janitorem & in terreno judicio judicem cœli, Satanæ convicio nuncuparet*.

Argumentum non minùs perspicuum conficitur ex illo Joan. 13. ubi Petro à Domino dicitur *Non potes me sequi modò; sequêris autem postea*. In quod sic Ambrosius lib. de Isaac cap. 3. *Claves commiserat regni cælorum, & sequelam imparem judicavit*. Petro non in persona Ecclesiæ; sed in persona propria Christus denuntiat mortem ipsum pro Domino subiturum, non modò; sed postea. Eidem omnino, ut rectè observat Ambrosius committere vult claves regni.

5 Dein prosequitur Bellarminus expositionem textuum Augustinianorum, quos ab hæreticis objectos retulerat partim eosdem partim similes prorsus iis, qui à nostris hic adversariis opponuntur. Sic igitur Cardinalis. „ Restant Augustini testimonia quæ „ ut diligentiùs explicentur, tria sunt annotanda. Primum est, Augustinum, cùm „ ait Petrum gessisse figuram Ecclesiæ; „ quando claves accepit, historicè hoc accepisse, non parabolicè, ita ut nullo modo negandum putaverit reverà Petrum „ in sua persona accepisse claves. Id patet „ ex tractatu in Psalm. 108. quem locum „ Lutherus objecit; ibi enim Augustinus „ dicit, ita Petrum fuisse figuram Ecclesiæ, „ quando accepit claves, sicut Judas fuit „ figura ingratorum Judæorum, quando „ Christum prodidit. At certum est historicè reverà Judam in persona Christum „ prodidisse.

„ Ita tract. ultimo in Joannem dicit „ Augustinus, sic Petrum gessisse personam „ Ecclesiæ militantis, & vitæ activæ, quando audivit *sequere me & alius cinget te, &* „ *ducet quò tu non vis*, & quando accepit „ claves regni. Sic Joannes gessit figuram „ Ecclesiæ triumphantis & vitæ contemplativæ, quando recubuit supra pectus „ Domini, & quando de eo dictum est *sic* „ *eum volo manere*. At certum est Joannem „ histo-

,, historicè, & verè in propria persona recubuisse supra pectus Domini, & ad literam impletum in illo *sic eum volo manere*, sive sit mortuus, sive non sit mortuus morte violenta; sive quidquid aliud intelligatur per illa verba: nec minùs certum est, ad literam Petrum in persona sua audivisse *Alius cinget te &c.* Igitur historicè quoque debet intelligi Petrum accepisse claves.

,, Denique lib. 15. de Trinitate cap. 26. Augustinus dicit Christum gessisse figuram Ecclesiæ, quando baptizatus est, & tamen sinè dubio verè & ad literam baptizatus est. Non igitur apud Augustinum excluditur historica narratio, cùm unum alterius figura esse dicitur....

,, Secundo loco observandum est, Sanctum Augustinum, cùm ait Beatum Petrum in persona Ecclesiæ accepisse claves, non velle significare ab eo claves reverà & historicè esse acceptas, sicut à Vicario quodam, seu Legato Ecclesiæ, quemadmodum à Legato, nomine Principis sui claves accipi solent alicujus Civitatis; sed potiùs ut à Principe seu moderatore totius Ecclesiæ: quo pacto dicimus regno dari, quod Regi ipsi datur; præsertim si id in publicam utilitatem cedat. Hanc autem S. Augustini mentem ac sententiam esse colligitur, quòd ipse ferè ubicumque dicit Petrum fuisse figuram Ecclesiæ, explicet se hoc dicere ratione primatûs. Tract. ultimo in Joannem: *Cujus Ecclesiæ* [inquit] *Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam.* In Psalm. 108. *Cujus* [Ecclesiæ] *ille agnoscitur gessisse personam propter primatum, quem in discipulis habuit.* Serm. 13. de verbis Domini *Petrus*, inquit, *à Petra cognominatus, Beatus Ecclesiæ figuram portans, Apostolatûs Principatum tenens.*

6 ,, Observandum postremò est, duobus modis Petrum propter suum primatum gessisse figuram Ecclesiæ apud Augustinum. Primùm enim Petrus ut Summus Ecclesiæ Præsul, accipiens claves, significavit, omnes Præsules easdem habituros esse claves; sed à Petro, nec sinè mensura communicatas. Non enim Petrus eas accepit ut solus ipse illis uteretur; sed ut eas cum omnibus Episcopis & Presbyteris communicaret. Apostolis dumtaxat exceptis qui extraordinariâ quadam ratione eas à Christo Immediatè acceperunt, ut alibi diximus.

,, Itaque primùm figura fuit Petrus totius cœtus Ecclesiasticorũ ministrorum: & hoc sibi voluit Augustinus Tract. 50. in Joannem cùm ait: *Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia. Si autem hoc in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit.* Ex quo loco Calvinus abstulerat illud *tantùm*, ut nobis persuaderet Petro nihil esse dictum, vel datum, nisi quatenus Ecclesiam significabat.

,, At Augustinus non ait, si hoc Petro dictum est, non facit hoc Ecclesia, sed ait *si hoc Petro tantùm dictum est.* Et sensus eorum verborum est, ita dictum est soli Petro *Tibi dabo claves*, ut ipse solus debeat solvere, & ligare, sequitur Ecclesiam reliquam, id est reliquos ministros hoc non facere; si autem etiam alii hoc faciunt, ut videmus, certè Petrus cùm claves accepit, universam Ecclesiam repræsentavit.

,, Altero modo idem Petrus accipiens claves figura fuit totius Ecclesiæ Sanctæ, id est omnium justorum, & vivorum membrorum corporis Christi; nam B. Augustinus propter Donatistas excogitavit novum modum loquendi de clavibus & remissione peccatorum; propter enim eum modum loquendi, quo dicimus à Sacerdotibus remitti peccata in administratione Sacramentorum Baptismi & pœnitentiæ, quo modo loquendi cum cæteris Patribus ipse passim utitur; solet etiam frequenter dicere peccata remitti à Charitate Ecclesiæ, à gemitu columbæ, ab orationibus Sanctorum, & hoc modo claves regni esse tantùm justorum, & hoc significasse Petrum cùm accepit claves.

,, Tractatu 121. in Joan. *Ecclesiæ*, inquit, *charitas quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit: eorum autem qui non sunt ejus participes, tenet.* Item lib. 3. de Baptismo cap. 18. *Remissam* [inquit] *peccatorum non dabant, quæ per orationes Sanctorum, id est per columbæ gemitus datur, quicumque baptizet, si ad ejus pacem illi pertinent, quibus datur. Non enim raptoribus, & fœneratoribus diceret Dominus: Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei, si cui tenueritis, tenebuntur. Foris quidem nec ligari aliquid potest, nec solvi; ubi non sit qui ligare possit, aut solvere. Sed solvitur, qui cum columba fecerit pacem; ligatur, qui cum columba non habet pacem.* Et cap. 14. *Nam quod in typo unitatis Dominus Petro dedit potestatem, ut id solveretur in terris, quod ille solvisset, manife-*

,, *stum*

„ *stum est, quòd illa unitas etiam una columba perfecta sit dicta*. Et infra: *Per orationes Sanctorum spiritualium, qui sunt in Ecclesia, tamquam per columbæ crebrimum gemitum, magnum geritur Sacramentum, & occulta dispensatio misericordiæ Dei, ut eorum etiam peccata solvantur, qui non per columbam; sed per accipitrem baptizantur; si ad illud Sacramentum cum pace Catholicæ unitatis accedunt*. „ Similia vide libro 5. de Baptismo cap. 21. lib. 6. cap. 3. & lib. 7. cap. 51.

7 „ Cæterùm per hæc verba non significat S. Augustinus, Ecclesiam justorum ex authoritate peccata remittere; sed nemini peccata remitti quantumvis baptizetur, vel reconcilietur, nisi ad eum extendatur charitas Ecclesiæ, & fiat membrum vivum columbæ & proinde particeps orationum aliorum justorum. Orationibus enim Sanctorum tamquam gemitu columbæ impetratur pœnitentia interior & charitas, per quam formaliter justificantur quicumque justificantur. Excogitavit autem hunc modum loquendi B. Augustinus propter Donatistas, quibus mirabile videbatur, hæreticos posse per Baptismum homines justificare, & in Ecclesiam introducere, cùm sint ipsi cooperti peccatis, & extra Ecclesiam. Ad hanc admirationem tollendam, dicit Augustinus non tam eum qui baptizat, remittere peccata, quàm gemitum columbæ; quoniam non ideo iste qui baptizatur, justificatur, quia ab isto vel illo baptizatur; sed quia per Baptismum à quocumque exhibitum, in eum extenditur charitas Ecclesiæ. „

Universa hæc Augustinianorum textuum à Bellarmino tradita explicatio præclara est, & perquam solida, Doctoremque maximum adversariis eripit; proinde etiam Fulgentium, quem constat inter præcipuos haberi Augustini discipulos, atque hic in primis ejus sectatum esse vestigia. Verùm istiusmodi adductis pro se testimoniis, novatores produnt opinionis suæ sensum magis detestabilem, quàm proscripti dogmatis vocibus aperiri aliàs videbatur.

Talibus enim Augustini, & Fulgentii textibus damnato articulo applicatis, fundamentum ejus statuitur, quòd Potestas clavium non Petro proptiè; sed Ecclesiæ tradita à Christo fuerit; cumque, ut ab omnibus agnoscitur, excommunicatio à potestate clavium prodeat velut ejus operatio, & effectus, deducitur, authoritatem excommunicandi propriè loquendo esse penès Ecclesiam; exercitium autem primis Pastoribus concedi veluti Vicem Ecclesiæ gerentibus, & Delegatis; ita quidem, ut pro exercitio semper requiratur *totius corporis consensus, saltem præsumptus*.

Conveniri scilicet membra singula non possunt, infinitis quodammodo dissita terrarum mariumque spatiis; Verùm ea debet esse primis Pastoribus in vibranda excommunicatione circumspectio, ut si judicii ratio omnibus proponeretur, consensum referret à singulis. Hæc genuina juxta Quesnelli vindices expositio est damnati Articuli: *Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores de consensu, saltem præsumpto, totius corporis*.

8 Quoties autem aliquos constiterit refragari, constiterit, inquam, Pastori ad excommunicandum parato; perspicuum est non posse eum totius corporis supponere consensum, atque ita invitum, & reluctantem neminem excommunicari; præsertim si aliquos sibi adsciverit patronos. Percommoda ea quidem malevolis, & maximè idonea impediendæ cuilibet excommunicationi regula ad legis cujuslibet Ecclesiasticæ subversionem facilè extenditur.

Omnis enim lex istiusmodi à potestate clavium derivatur non minùs, quàm excommunicatio: unde & præcepti cujuscumque constitutio *totius paritèr consensum corporis* exiget, *saltem præsumptum*. Sic dissolutioni via panditur latissima, omnisque Ecclesiam gubernandi ratio evertatur, quando libertinis, & quibuscumque nefariis, à quibus Ecclesia Sancta omnino immunis non est, authoritas conceditur, omnia in Pastoribus, etiam Summis Pontificibus, clavium exercitia suspendendi.

Scripserat Cyprianus ad Cornelium Pontificem: *Quod si ita res est, Frater, ut nequissimorum timeatur audacia, & quod mali jure, & æquitate non possunt, temeritate, ac desperatione perficiant, actum est de Episcopatus vigore, & de Ecclesia gubernandi sublimi, ac Divina potestate*, quando illi dissensu suo, quamvis iniquissimo, usum quemlibet potestatis clavium sistere poterunt, atque impedire. Quod ibidem à Cypriano additur, etiam à nobis hic poterit applicari: *Nec Christiani*, inquit, *ultra durare, aut esse jam possumus; si ad hoc ventum est, ut perditorum minas atque insidias pertimescamus*. Absolutio enim à peccatis, quàm Sacerdotes impertiunt, indubiè à potestate clavium pendet, atque inter præcipua ejus exercitia est. Si autem istiusmodi actus requirat necessariò, *totius consensum corporis sal-*

saltem præsumptum, quis absolutionis unquam gratiam consequetur? Horridum istud consectarium exemplis conspicuis illustrandum est.

CAPUT VII.

Consectarii absurdissimi ex Quesnelliano dogmate ejusque vindiciis deductio.

1 A Summis incipio Pontificibus, à quibus descensus facilis erit ad Cardinales, Episcopos, secundi ordinis Sacerdotes, & fideles reliquos. Missionarius in Hollandia satis notus, typis edidit duas ad Clementem XI. epistolas, occasione Constitutionis *Vineam Domini Sabaoth*: in secunda ait author pagin. 3. „ Gratia Christi, quæ à nullo duro corde „ respuitur, apud Romanos impugnatur. „ Hæc tu Clemens Undecime coram vi„ des, probè noscis, & dissimulas, & „ adhuc ægrè feres, quod dicaris inimicis „ gratiæ Christi favere? ad hæc enim non „ solùm taces, quæ à te, si Christi gratiam, „ & charitatem haberes, vel probè nosce„ res, deberent damnari, & anathemati„ zari; verùm quod amplius est, & hor„ rendum, tu ipse in Jansenio eamdem „ Christi gratiam, qua Christiani sumus, „ condemnasse videris, & diceris apertè „ non sinè summâ verisimilitudine. Parum „ abest quin dicam tibi anathema.

Possumusne supponere prudenter, vel *præsumere*, quod Missonarius tam ardens pro Christi gratiâ, ut prætenditur; tam sinistrè de Clemente XI. judicans, in ejusdem consentiat absolutionem, quamdiù obsfirmatus manserit in sententiâ?

In ejusdem Missionarii Apologiâ brevi, pro Petro Gratiano pag. 4. legitur: „ O Do„ mine Clemens Pastorum te servum glo„ riaris, verbotenus quidem; sed non so„ lùm te non Patrem; sed magis Principem „ gentium, qui dominatur, te exhibes. „ pag. 3. Unum vos rogo, ut moneatis Do„ minum Clementem, ut legat ea quæ „ scripsit Pastor noster (Petrus Gratianus) „ ne seriùs quærat pœnitentiam, & cum „ Antiocho non inveniat.... O infelix „ Clemens undecime „?

Quomodo impium contra Christi gratiam, & instar Antiochi reprobum obduratumque in sententia Gratianus, vel ejus apologista, alium se à Gratiano simulans, absolvet, vel in ejusdem absolutionem consentiet?

Neque Gratianus ille cum suo Apologista solus est; quia ut alios præteream in variis Fœderatorum Ordinum Provinciis dispersos ejusdem surfuris Missionarios, ipsi sententiâ, & contra Pontificem rebellione conjunctos, est non inferior alter ex eadem Ultrajectinâ Tribu, Gratiano bellè concinens, Ægidius de Witte, aliàs *Candidus*, & mutato iterum nomine *Albanus*. In Tribum illam assumi eum Gratianus curaverat; sed expertus postea, & graviter conquestus publicè est ingratum. Verùm, ut Diaboli inter se furentes odio; in hominum tamen perniciem unanimes conspirant, ita contribules isti contra Catholicos, hodiernum præcipuè Christi Vicarium Clementem XI.

Tribum voco: Helveti Cantonem dicerent, presbyterorum aliquot è Clero fœdus, consilia inter se, & subsidia conferentium pro necessariis contra Pontificios expensis. Ad factionem hanc pro notæ suæ audaciæ merito adscitus Ægidius, eorum qui vulgò *candidi* appellantur, *Jansenistarum* Princeps, tamquam Antipontificiâ prææditus authoritate Synodum convocavit Oecumenicam, vulgatâ typis epistola Encyclica, ad omnes non solùm Episcopos; sed etiam secundi ordinis Pastores, quibus pro Synodo jus tribuit suffragii. Epistola illa ab Authore jungitur *Denuntiationi solemni Bullæ Clementinæ, quæ incipit Vineam Domini Sabaoth*.

Ita denuntiatio pag. 5. „ Hodie Cle„ mens Pontifex juniorum Pelagiana fuli„ gine tinctorum, qui assistunt ei, consilia „ sequens, ab antiquis Sanctorum Præde„ cessorum suorum documentis recedens, „ à Scripturis Sanctis, à Sacris Concilio„ rum Canonibus, & approbatorum in hac „ materia Ecclesiasticorum procerum tra„ ditis clarè deviat. Pag. 8. Exurgite igi„ tur, O Sacri Proceres, eripite charæ Ma„ tris vestræ naviculam, quam iste Navar„ chus, in Syrtes agit, à præsentissimo, ac „ diro naufragio „. Sic Ægidius.

Provoco nunc ego ad arbitrum quemlibet sanâ utcumque mente præditum; imò ad ipsos maximè adversarios, in absolutionibus concedendis adeò scrupulosos, edicant candidè, num suppositâ hæresi, & Ecclesiæ ruinâ Clementi XI. hic imputatâ, ejusdemque in illo proposito, & animi dispositione, perseverantiâ, in ejus consentire valeant absolutionem? Istiusmodi sensus, & judicia sunt virorum moralem rigidam, &, ut ajunt, Sanctissimam profitentium; proinde qui se inter membra Ecclesiæ numerant non vulgaria.

3 Ecce igitur Clementem XI. juxta adversarios, vel propter Bullam, cui initium est *Vineam Domini Sabaoth*, omni penitùs exclusum spe obtinendi, pro sua reconciliatione, consensum totius corporis, quod est Ecclesia. Neque præsumere consensum possumus contra sensum oppositum diserte adeò declaratum.

Idem Ægidius in alio prolixiore opere, cui titulus *Augustinus Iprensis vindicatus, atque è damnatione Romanorum Pontificum Urbani VIII., Innocentii X., Alexandri VII., & Clementis XI. ereptus, & erutus*; Totus ferè, ut ex ipsa apparet libri Epigraphe, est in exprobranda Romanis Pontificibus, præsertim Clementi XI. fidei Catholicæ illata macula; imò pernicie propter Jansenianorum, dogmatum condemnationem.

Nonne autem, vel solùm istud abunde sufficit, ut scriptor ille cum suâ Ultrajectensium Tribu præsumi nequeat in absolutionem Clementis XI. consentire? Si igitur potestate clavium uti nemo valeat, nisi *consensu saltem præsumpto totius corporis*, atque in eo pars purior sint nostri hic, ut prætendunt, adversarii, actum est indubiè de speranda umquam hujus Pontificis reconciliatione in pœnitentiæ Sacramento. Ad pristina enim ejus, juxta adversarios demerita, enormis cumulus accessit Constitutione UNIGENITUS. Quid scilicet hujus toxico nocentius? *Exitium fidei, religionis, & totius Christianæ Ethicæ est*; Si *Documento* typis edito credimus quod Ægidius Candidus anno 1713. inscriptum quidem vulgo fidelium; tradi autem curavit Supremis Belgii Austriaci Senatoribus, tunc illas Provincias moderantibus, ut eos ab admittenda Constitutione averteret.

Incassum quidem ea molitio cecidit: attamen furorem *Candidi* ejusque sodalium indicat, contra Sanctissimum Constitutionis Authorem, atque hujus Theologos, & Consultores, etiam Eminentissimos Cardinales.

4 Non magis absolutionis beneficium ab Adversariis sperare potuit Alexander Octavus, etiam in mortis articulo. Quomodo enim benigno clavium usui consentire potuit Ecclesiæ Novæ Agens generalis Duvaucelius, aliàs Wallonius, qui in Epistola ad Quesnellum datâ, cùm Romæ moraretur, anno 1691. die 17. Martii sic animi sui sensum aperuit: „ Non solus tu defunctum Pontificem atrô notas excommunicationis calculo: Ego adduci non potui, ut vel uni ex novem solemnibus exequiis in S. Petri Basilica celebratis interessem, neque ad aram pro eo orare, aut meminisse ejus possum.

Quod de uno Pontifice exprimit, videtur de pluribus intelligere, aut aliquid simile, respondens Quesnello anno 1702. die 13. Julii. „ Quod de Pontificibus dicis, etiam mihi inciderat; sed cavero sensum meum prodere; quamquam ipsorum hic ustionem parum metuo.

Excommunicationis autem in Alexandrum evibratæ si ratio exquiritur, eam Duvaucelius non dissimulat in literis anni 1691. 13. Februarii. „ Pontifex ad Dei tribunal evocatus est, redditurus rationem Decreti sui in inquisitione conditi [contra propositiones 31.] & suæ Bullæ contra quatuor articulos Cleri Gallicani.

Nonne autem etiam hic mirabiles Quesnelliani sunt? Juxta illos Ecclesia potestatem excommunicandi non habet, ut eam exerceat per primos pastores, nisi *consensu saltem præsumpto totius corporis*; attamen ut Summus ipse Christi Vicarius, & Pastorum omnium Pastor ab Arnaldo, Quesnello, & Duvaucelio excommunicetur, non aliâ, quàm Sectariorum aliquot opus est authoritate. Ubinam enim totius corporis hic, nisi forsitan Janseniani consensus? Ubinam primi Pastores, per quos Ecclesia datam sibi à Christo exercuerit potestatem? Tales scilicet Arnaldus ipse, Quesnellus, & Duvaucelius primi Pastores sunt, qualis, quæ Pontificem excommunicavit, anti-Romana Jansenistarum Ecclesia.

5 Si Decretum contra triginta, & unum articulos, & Bulla contra quatuor Gallicanos satis delicti habuerit ad excommunicandum Pontificem Alexandrum, multum suspecta habebitur salus Innocentii XI., etiam à Jansenistis aliàs laudari, cùm nempe proscriberet propositiones sexaginta quinque, quarum censura neque Jansenianæ hæresi, neque rigori exotico visa ipsis fuit incommoda. Verùm eum non meliùs de quatuor Gallicanis articulis sensisse, universis Europæ nationibus, maximè Gallicæ exploratum est. Propter eos reliquo vitæ suæ tempore nullos in regno illo confirmare voluit Episcopos.

Ad propositiones quod attinet triginta, & unam, examini eas ipse submisit: etiam conceperat censuram, nisi quod circa propositionem unam supra numerum earum, quæ proscriptæ sunt, disceptationis quidpiam remansisset. Interea autem morte præventus definitionem edere non potuit, edidit verò Alexander prætermisso articu-

ticulo, cujus nondum absoluta satis videbatur discussio; ne propter ejus examinis diuturnitatem, & imminentem sibi vitæ finem Christiana Respublica pateeetur.

Sunt, & alia, ob quæ Innocentii XI. Pontificatus Jansenianis displicuit, quale est quod famosus Duvaucelius, aliàs Walonius, indicat in Epistola anni 1689. 26. Novembris. *Sub Pontificatu*, inquit, *Innocentii XI. intolerabilis erat procedendi modus lentissimus ita, ut nihil quodammodo ageretur.*

Gravis etiam injustitiæ eundem Pontificem arguit, propterea quod Gummarum Huygens Lovanii pro Arnaldi, & Quesnelli partibus cognomento *intrepidum*, Theologorum Senatu per suum in Belgio Internuntium, nunc Eminentissimum Romæ Cardinalem Tanarium, jusserit excludi, neque ullis pro eo intercedentium molitionibus flecteretur. Sic sceibit Walonius in literis anni 1688. 13. Augusti *Aliud quod parum honorificum erit tam Sancto Pontifici Innocentio XI. est negotium Domini Huygens. Ratio gemendi coram Deo est, quod tamdiu perstatur in injustitia tam evidenti.* Arnaldus in Epistola ad Episcopum Castoriensem, Hollandiæ Vicarium Apostolicum anno 1684. die 17. Septembris de eodem Innocentii XI. interdicto contra Gummarum Huygens, & quosdam alios Lovanienses, ne in *strictam*, ut ibi dicitur, *Facultatem* eligerentur, est inquit *Tyrannicum maximè, & injustissimum, quod umquam orbis vidit.*

Estne verisimile quod Theologia moralis rigida absolutionem concedere voluisset Pontifici, quantumvis aliàs Sancto quamdiu in tam gravi, & *tam evidenti injustitia perstitit*, licèt oppoetunis toties importunisque precibus, eationum quoque allegationibus ab Augustini Discipulis sollicitatus? Persistit, inquam, in Decreto *Tyrannico, & injustissimo, quod umquam Orbis vidit*? Eadem prætensa injustitia maculare debuie Pontificatum Alexandri VIII. & Innocentii XII. cùm ne ab his quidem impetrari umquam potuerit suspensionis Gummarianæ sublatio. Unde miserum oportuit eum ea vitam terminare infamiâ.

6 Damnabilius etiam peccatum fuerit Theologiæ Molinosticæ, seu Quietisticæ proscriptio, si credimus Eugenio de Gelder famoso novi Euangelii in Belgio præconi, in libello cui titulus: *Ultima vox Zelatricis Innocentiæ*, sive *libellus supplex ad Innocentium XI.* Sic ait pag. 115. *Sicut* (Augustinianæ doctrinæ adversarii) *per vafrè fabricatas quinque Propositiones Doctrinam Jansenii Romæ procurarunt damnari, ut per latus Jansenii doctrinam Sancti Augustini, à Doctrina Jansenii reverà inseparabilem, arietarent, & dejicerent; sic etiam fortassis multas Propositiones Michaelis Molinos talibus terminis concepere, quod vix à propositionibus fundamentalibus, à Sanctis Patribus Dionysio Areopagita, Augustino, & aliis, ac Theologia Mystica Doctoribus Bonaventura, Henrico Susone, Taulero &c. nobis propositis distingui possint; ita ut per condemnationem Molinos, quem aliqui magis infelicem, quàm nocentem autumant, & prætensæ ejus doctrinæ, videantur voluisse eliminare illud parum, quod restat supernaturalis operationis Spiritus Dei vivificantis. Sed quidquid machinentur, quidquid subdolè per se, & suos agant Patres Jesuitæ, Spiritus, illis frendentibus, ubi vult spirabit.*

Interim juxta hunc insignem Quietisticæ, & quæ ei proximâ affinitate conjungitur Jansenianæ innocentiæ, justitiæque Zelatorem, scandalum Ecclesiæ datum est, illata labes tot Sanctorum salutifeeæ doctrinæ: Illata, inquam, per Innocentium XI. quomodo igitue præsumi potuit, tales Augustini discipulos consensu tacito annuere absolutioni Pontificis, Decreta istiusmodi revocare, ac desteneee ad ultimum usque halitum eecusantis?

His adde quod Zelator idem Eugenius Innocentio XI. pag. 30. Expeobeat. *Quandoquidem ergo Sanctissime Pater, in ipsa Curia vestra Romana, contra tam impios, & perduelles* [Jansenii, & Molinosii adversarios] *nulla reperibilis sit justitia, non est amplius dubitandum quin terras Astræa reliquerit.*

Longè quidem alia sunt, & fuere semper Catholicorum de Sanctissimi Pontificis contra Quietismum definitionibus, de actis contea Hugenium Lovaniensem judicia; verùm si istiusmodi Theologi sint membea Ecclesiæ, ut pætendunt se esse inter optima; si pariter usus clavium in *primis Pastoribus* nequeat esse legitimus, nisi adsit *consensus totius corporis saltem præsumptus*, ierita necessariò videbitne quæcumque impertita istis Pontificibus eo tempore absolutio.

7 Fuissentne eam meriti Sixtus V., & Innocentius X.? Contea hos audiri postulat Quesnellus in *Colloquiis circa Decretum Romanum prohibens novum Testamentum Catalaunense cum reflexionibus Moralibus* pagin. 171. *Sixtus V. in Brevi ad Nuntium Coloniensem scribit de pontificia authoritate talia, quæ principiis, & fundamentis Doctrinæ Catholicæ adeò sunt opposita, ut vix oculis meis*

meis crediderim talia profecta esse à Pontifice. Pag. 142. *Sed qui scribebat erat Sixtus V. quem satis est nominasse. Innocentius X. in Brevi ad Leopoldum Archiducem*, (Belgii Gubernatorem) *anno* 1651. *Doctrina Sixtina addidit deteriora tendentia ad subversionem totius Hierarchiæ Ecclesiasticæ à Christo institutæ; imò ad ipsam Ecclesiæ destructionem.*

Ne quidem S. Pius V. in Pœnitentiæ Sacramento remissionem consequi potuisset à Gabriele Gerberon, in *Dialogo Abbatem inter, & Jesuitam*, pag. 22. *Non adeò* [inquit] *miramur nequitiam eorum, qui Curiam Romanam deceperant, quàm Pontificis* (Pii V.) *inflexibilitatem; qui manebat adeò præoccupatus, ut quidquid Bajus ipsi exhiberet omni candore, & submissione possibili, non sufficeret, ut eum ab errore revocaret. Nempe quod scriptum fuerat, manere scriptum debuit* [exemplo Pilati Præsidis Ethnici, & iniquissimi] *atque ea videtur esse hodiedum magna Romanæ Cancellariæ regula.*

Constitutio Pii V. incipit, *Ex omnibus afflictionibus*, proscribitque articulos dogmaticos septnaginta novem, velut erroneos, hæreticos, & aliis respectivè censuris. Gravis ille indubiè lapsus est Romanæ Curiæ, si ipsa definitio falsitate scateat, & tamquam errores feriat catholicæ fidei veritates; minimè verò culpa caret, & quidem gravissimâ Pontifex, si in errore pertinax contempserit exhibitiones candore plenas atque demissione; prætulerit autem justitiæ, ac veritati impiam Pilati regulam, quam in Romanam deinceps invexerit Cancellariam, exemplo perniciosissimo, *quod scripsi, scripsi.* Huic crimini immortuus Pontifex, quomodo consentientibus Jansenistis adeò rigidis veniam à Sacerdote accipere in Sacramento potuit, nedum à Clemente XI. in Sanctorum catalogum referri?

Procul abfuisset *Ægidius Candidus* à Pio Secundo absolvendo, nisi peractâ multo tempore pœnitentiâ dimissâque Pontificis dignitate. Sic enim in Augustino Iprensi Vindicato parte 2. cap. 13. enuntiat: *Æneas Sylvius Cardinalis Senensis, homo profanus, & miserrimis artibus ad ipsam Tiaram Pontificiam elevatus dictus Pius Secundus &c.*

Cap. 11. *Pius IV. nihil peræquè ac debitam reformationem suæ curiæ formidabat.*

Nicolao primo penès eundem Authorem vix alius erat ad fallendum promptior. Sic nempe scribitur eadem parte 2. cap. 5. pag. 250. „ Fictitias, & adulterinas epistolas, ac Decreta, quibus edicebatur, res „ omnes Ecclesiasticas Summi Pontificis „ imperio, & judicio esse subditas, & „ ipsum nemini, Nicolaus primus vir ala- „ cer, & in mala causa tuenda confiden- „ tissimus, tota animi contentione asseruit; „ ut & hinc denuò subolere queat emun- „ ctæ naris arbitro, merces illas adulteri- „ nas, non sinè annutu, & interventu Ro- „ manæ Curiæ, ne dicam ipsâ parente, & „ authrice, suis ab institoribus in foro „ publico Ecclesiæ fuisse expositas. Post „ Nicolai tempora, ob seculorum istorum „ in historia Ecclesiastica ignorantiam, „ sensim sinè sensu luctuosæ Decretales „ istæ obtinuerunt.

8 Iterum Lectorem quemlibet sive Catholicum, sive etiam hæreticum non recuso arbitrum, an existimet verisimile, quòd tales Pontifices ab hoc *Ægidio Candido*, sive ut in libri superficie se vocat, *Ægidio Albano* lippis, & tonsoribus apud Belgas notissimo, expectare potuissent absolutionis in Sacramento beneficium, aut ejus eique adhærentium præsumere consensum? Est scilicet Ægidius ille, & rigidioris ethicæ magister, & inter prætensos *Candidos* Ecclesiæ reformatores in Belgio princeps.

Persuasum nobis hactenus fuerat Traditione Patrum, Definitionibus Conciliorum, Scripturarum quoque Oraculis, & fidelium sensu communissimo, Claves regni Cœlorum fuisse traditas Petro, earumque usum, sive ligandi solvendique potestatem, eum suo exercitio ejusdem fuisse judicio commissum, atque inde fluxisse in successores; nunc autem à novis horum temporum Apostolis audimus potestatem eam non Petro; sed Ecclesiæ obtigisse, concessum autem Petro exercitii ministerium, ea lege, ut ad actus singulos necessarius totius corporis consensus adesset, saltem suppositus; non enim consuli semper posse fidelium multitudinem, ob nimiam partium usque ad orbis terminos extensionem, satis perspicuum est.

Verùm quid novo isto regiminis figmento, stultius potuit excogitari? Neque accidere potuisset aliquid Ecclesiæ calamitosius. Ipsi, inquam, *Ecclesiæ*; non solis pastoribus tum supremis, tum inferioribus; sed etiam populo, & singulis de grege fidelium. Quantumlibet enim primo aspectu simplicibus videatur speciosa, quasi ad se æquè atque ad Pastores pertinens potestas clavium, negatumque primis pastoribus exercitium ejusdem absque suo saltem supposito consensu: unde excommunicari nemo valeat, si vel unum consecutus fuerit amicum, vel socium, sententiæ judicis publicè

blicè refragantem; Attamen ubi novitas cum ineluctabilibus consectariis propiùs inspicitur, necesse est horrorem incutiat, suique in omni hominum genere detestationem.

Dum enim excommunicatio à consensu totius corporis saltem præsumpto suspenditur, propterea quod potestas clavium, atque ita ligandi authoritas à Christo tradita fuerit Ecclesiæ universæ; idem paret consecutione necessariâ statuendum de absolvendi facultate, non minùs inclusa in potestate clavium, quæ proinde si non obtigerit Petro propriè, absolutè, & absque restrictione ad multitudinis consensum, non potuit ipse, non poterunt ejus successores, minus etiam inferiores Episcopi, & Pastores, quemquam absolvere in pœnitentiæ Sacramento, nisi *consensu totius corporis, saltem præsumpto*.

Unde convincimur de eo, quod non levis antea dictaverat suspicio, adversarios vel nullum agnoscere Sacramentum pœnitentiæ, vel non institutum ad remissionem criminum, nisi quæ pœnitentis priùs contritio justificans expiasset. Sic itaque piissimâ ad confessionem sublatâ illecebrâ, fieri natum est, ut Sacramenti susceptio odiosa magis, & gravis peccatoribus appareat, quàm avidè appetenda: accedente scilicet articulo præsente cum suis vindiciis, absolutionem facientibus rarissimam, ac penè impossibilem.

9 Quis enim, ut dici solet, felici adeò natus sidere creditur, ut omnibus, etiam peccatoribus tam amabilis, tam charus sit, ut præsumere sapienter valeat confessarius, neminem in Ecclesiâ esse tam malevolum, qui in ejus non consentiat absolutionem? Discutiendum proinde semper pœnitentiæ administris foret nullumne pœnitens patiatur in Ecclesia adversarium, nihilne contentionis, aut litis ei cum quopiam sit. Sive enim adversarius actor fuerit, sive reus, metuendum est ne is fieri sibi injustitiam existimans, liberari molestiâ priùs cupiat, quàm adversarii sui consentiat reconciliationi, aut certè quod consensurus videretur, si de ea ipsum contingeret interrogari.

Et quidem in nostris hic adversariis, quibus familiaris adeò commendatio charitatis est, nemo prudens, eorumque exploratum habens ingenium, arbitrabitur eos memoratis Pontificibus absolutionem largituros, antequam objecta vitia correxissent, aut spopondissent seriò emendationem, quam iidem Pontifices minimè censuerint necessariam, aut convenientem; uti neque Clemens XI. suam contra Quesnelli articulos Constitutionem destruet umquam, aut explicationibus, Palinodiæ æquivalentibus, quas adversarii postulant, reddet inutilem, & non ampliùs Quesnelliano sensui, sed merè fictitio, & umbratili feriendo idoneam.

Quantis aliàs laudibus; sed perfidis celebrarunt Quesnellus, & ejus Socii, Clementem IX., ejus sapientiam, charitatem, atque justitiam in Jansenistarum prætensa cum Sede Apostolica reconciliatione, quam eis appellare magnifico placuit mendacio *Pacem Clementis IX.*, neque editis solùm jactare voluminibus, sed numismatibus etiam ad perpetuam velut Jansenianæ victoriæ apud posteros memoriam! Sed perniciosum nimis mendacium luci exposuit, evertitque funditus Divina Clementis XI. toto receptissima orbe Constitutio *Vineam Domini Sabaoth*.

Neque tamen Clemens IX. cum tanto sibi subdolè tributo à Jansenistis encomio æquitatis, ab his consequi potuisset alterius, ut ipsi prætendunt, absolutionem criminis, quod retractare numquam voluerit: Damnationem scilicet, & excommunicationem latæ sententiæ ipso facto incurrendæ à legentibus, vel retinentibus versionem Novi Testamenti Gallicam Montibus Hannoniæ editam, dictam communiter *Testamentum Montense*. *Hunc librum*, inquit Pontifex, *nonnullis Cardinalibus, aliisque viris pietate, doctrinâ, atque sapientiâ præstantibus, maturè quantum rei gravitas postulat, discutiendum, atque examinandum commisimus, quorum sententiis auditis atque consideratis &c.*

Quid ad hæc Antonius Arnaldus cum Armigero suo Quesnello in difficultatibus Steyaertio propositis parte 6. pag.48. *Dici non potest absque mendacio, Testamentum Montense Romæ examinatum fuisse ante condemnationem*. Pag.40. *Populum decipit* [Archiepiscopus Mechliniensis] *quando declarat, eum qui librum illum legit, aut retinet, incurrere pœnam Decreto Pontificis sancitam.* Attamen verba Pontificis perspicua sunt: *Eundem librum .... damnamus, & prohibemus, ita ut nemo deinceps .... sub pœna excommunicationis latæ Sententiæ ipso facto incurrendæ illum legere, retinere, vendere, aut imprimere, vel imprimi facere audeat, vel præsumat*. Contra iterum in eadem parte difficultatum ab Arnaldo, & Quesnello pag.48. dicitur: *Prohibere lectionem versionis Montensis, sub pœna excommunicationis, est manifestus abusus Ecclesiasticæ potestatis: &*

& Episcopus, qui talem prohibitionem renovat (ut renovabat Archiepiscopus Mechliniensis) *conscientiam suam gravat omnibus peccatis, quibus occasionem per talem prohibitionem dat, si prævideat, aut prævidere debeat, maximam subditorum partem non obtemperaturam.*

Sic Arnaldus, & Quesnellus in suo Bruxellensi latibulo, ubi annis aliquot post Arnaldi obitum deprehensus ab Archiepiscopo Quesnellus, & carceri mancipatus est. Non consenserint quidem Arnaldus, & Quesnellus in absolutionem Clementis IX. Pontificis, & Mechliniensis Archiepiscopi nolentium prohibitionem abolere, vel suspendere; sed bene habet quod neque *totius corporis*, neque talium membrorum, siquidem vera tunc novatores illi membra fuerint, *consensus ad usum clavium* requiratur, neque eum valeat infringere dissensus.

11 Graviora Alexandri VII. penès adversarios delicta sunt, quàm ut ejus absolutioni præsumi potuerint annuere. Ægidius Candidus in Panegyri Janseniana, prologi pag.39. *Neque ipse* [inquit] *Alexander magis quàm Innocentius Congregationem, aut examen ullum instituit, quod quidem juxta Ecclesiæ, & legitimi judicii præcepta par erat in hujusmodi dubiis observare, ubi authoris liber sedula pervestigatione discuteretur, defensioni locus daretur, & demum partibus ultro citroque examinatis, maturèque perpensis omnibus, solida ferretur sententia.*

Quasi liber Jansenii à Romanis intelligi non potuerit nisi à mortui discipulis exponeretur. Mendacium autem de non examinato Jansenii Volumine graviter redarguit ipse Alexander VII. in Brevi ad Vicarios Parisienses.

Nihilominus pergit Ægidius in Apologia pro eadem Panegyri pag.38: *Tandem audiri meretur pro Jansenio contentâ voce clamans* [Justitia] *redite ad judicium, quia falsum testimonium locuti sunt adversùs eum.*

Jacobus Gilbert inter Arnaldi discipulos, & clientes minimè vulgaris in Epistola ad amicum ita scribit, ut refertur in opusculo è documentis maximè authenticis composito, cui titulus: *Arcana partis Arnaldicæ detecta* pag.71. *Doctrinam Evangelicam de Christi Gratiâ sanasti à vulnere, quod ei infixerat Alexander VII. Constitutione sua, cujus plaga nondum penitùs obducta est.* Quesnellus opere subdolè appellato *Defensio duorum Brevium Innocentii XII. ad Belgii Episcopos* pag.105. *Verba ista FILII INIQUITATIS* [in Bulla Alexandri VII. *ad Sanctam*] *quæ tantopere, & in tot occasionibus jactantur, aliud non probant, quàm fuisse isto tempore æquè, ac modò calumniatores egregios; statum verò Quæstionis delationibus falsis offuscatum, & sub calumnia sepultum; neque expositum, nisi insigni, sive perfidiâ, sive ignorantiâ, iis, quibus debuerat esse exploratissimus.*

Dixi opus illud à Quesnello subdolè appellari *Duorum Brevium defensionem* cùm utriusque fuerit perversio, & destructio perfida, æquè, ac prætensa *Defensio Romanæ Ecclesiæ, ac Summorum Pontificum*; quæ alius fuit Quesnelliano dignus fœtus ingenio, vera Ecclesiæ atque Pontificum oppugnatio non minùs, quam detestabilis eum Leydeckero Calviniani præcone Euangelii contra catholicos conspiratio.

Verùm Apostolica Sedes, quæ non minùs fraudulentos istiusmodi defensores execratur, quàm hostes apertos, pseudonymam utramque *Defensionem* Decreto publico condemnavit.

Martinus Steyaert Vicarius Apostolicus Sylvæducensis Lovanii in Thesibus quidpiam posuerat contra *Filios iniquitatis* ab Alexandro VII. nomine propriissimo appellatos, quam sui suorumque reprehensionem non inultus tulit Quesnellus; sed *in defensione duorum Brevium* pag.106. Steyaertium vehementer increpans: „ Vide, inquit, „ qua conscientia, quo fundamento, qua „ animi dispositione ausus fueris scribere „ in Thesibus anni 1692. 26. Julii verba „ ista furoris plena: *Filii iniquitatis jam „ pridem judicio Alexandri VII. fuerunt, & „ irrevocabiliter erunt, qui judicio Sanctæ „ Sedis circa sensum Jansenii non acquiescent: „ proinde dum noti sunt, ad munia nulla Ecclesiastica admitti possunt.*

12 Nonne ista abunde sufficiunt ad denegandam à Quesnello ejusque Sociis Alexandro VII. absolutionem? Imo quis istiusmodi factorum conscius præsumere potest eos aut similes theologos paratæ ab altero absolutioni suum impertiri suffragium? prius scilicet ab ipso Pontifice *qui vulnus gratiæ Christi intulit*, medicinalis retractatio applicanda est: priùs tot Sanctis Jansenii discipulis, ac defensoribus, quos *filios iniquitatis* vocat, fama restituenda.

Aliud quoque crimen non leve expiandum antea, & infinitorum inde promanantium perjuriorum tollenda occasio: abolendum, inquiunt, juramentum præscriptâ ab eodem Pontifice formulâ, imperatum. Sic enim Gabriel Gerberon, Quesnelli postea in carcere socius, typo editis *Reflexionibus Religionis, & statûs* pag.22. *Exigere subscriptio-*

ptionem formulæ [Alexandrinæ] *ab illis, qui Sacros ordines suscepturi sunt, est replere provincias perjuriis, & sacrilegiis, cùm subscribi nequeat sine calumnia, & perjurio.*

Pag.7. *Ecclesiasticos qui se offerunt ad Sacros ordines, & audiendas confessiones, obstringere, ut illi formulæ subscribant, est eos inducere ad mendacia, calumnias, falsa testimonia, perjuria, & ut per tot crimina ad Sacrum Filii Dei ministerium accedant.*

Aliud iterum ejusdem *Formulæ* malum, teste Gerberonio, Ecclesiæ funestissimum est pag.8. *Si solemniter jure jurando profiteamur, sensum hæreticum, in quo quinque Propositiones damnatæ sunt, esse sensum Jansenii, oportebit agnoscere doctrinam Pauli Apostoli, & S. Augustini in materia de prædestinatione, & gratia hæreticam esse.*

Denique pag.22. *Formula ista aliò non tendit, quàm, ut sub nomine sensus Jansenii, abjuretur doctrina S. Augustini, aut potiùs Ecclesiæ circa mysterium gratiæ: & ut quaqua versum diffundatur hæresis Arminianorum, quæ Pelagianæ hæreseos germen est.*

Judicet modò quilibet ratione præditus, an de istiusmodi Scriptoribus præsumi valeat, quòd reconciliando Alexandro VII. in retinenda sua formulâ obfirmato, præbuerint, aut præstituri fuerint consensum; Si interrogari eos aut consuli contigisset.

13 Prætereo ejusdem Pontificis Decretum contra Sorbonicos, qui propositiones aliquas authoritati Sedis Apostolicæ faventes proscripserant. Contra illam Pontificis Sanctionem Quesnellus in *Colloquiis* contra *Observationum* suarum *Moralium* prohibitionem pag.8. sic scribit: *Vellesne defendere Decretum adeò peregrinum, quod Romani stabiliunt omnibus clausulis maximè insolitis, excommunicationibus, & quibuscumque expressionibus idoneis ad incutiendum imperitæ multitudini terrorem? Quid hoc suo Decreto exotico Romani lucrati sunt, nisi quod censuras suas multis catholicis reddiderint contemptibiles; hæreticis autem novam præbuerint occasionem, vellicandi authoritatem Pontificum, & Ecclesiæ; ac denique piis gemendi, & flendi, dum vident eos quibus incumbit præ cæteris studium impediendi scandala, quæ Fratres nostros ab Ecclesia separatos, à procuranda unione avertunt, quodammodo in id unicè incumbere, ut eosdem quotidie magis faciant alienos, Ecclesiæ authoritate tam enormiter abutendo?*

Supersedeo animadversionibus, quæ fieri possent circa studium, quo Quesnellus cum Sociis tantopere flagrat, ut *Fratres* suos ab *Ecclesia separatos* sibi uniat. Ab illo nuper studio expectata fuerat unio mirifica Ecclesiæ Anglicanæ cum novis in Galliâ Augustini discipulis, nisi potestas superior tractationem, ut dicitur, præpropere abrupisset.

Complures alii Pontifices supersunt, vitæ quamvis spectatissimæ, quibus nulla sperari poterat à Quesnelli Sociis absolutio. Quot autem Cardinales, quot Episcopos mori oportuit absque reconciliationis gratia, virtute clavium obtinenda; si nullum earum penès Ecclesiæ Pastores exercitium sit, nisi quod toti placuerit corpori, aut placere supponatur, præcipuè si numeres inter corporis membra, Quesnelli Socios, ut hi locum sibi vindicant inter partes Ecclesiæ nobiliores! Etenim si recensendi mihi essent singuli, quos Ægidius Candidus, quos Gerberon, quos Quesnellus, & alii contumeliis gravibus onerarunt, velut à fide devios præbentes subditis exitialia morum, seu documenta, seu exempla, quos proinde corrigi necesse prius fuerit, quàm absolvi, extendenda nimiùm foret præsentis articuli impugnatio. Quot Academiæ catholicæ, quot Canonicorum, ut vocant, Capitula, quot Religiosi ordines, Sedi Apostolicæ obedientes deberent reconciliatione in Sacramento Pœnitentiæ perpetuò privari! Specimen exhibeo de Sanctis ipsis ab Ecclesia in Canonem relatis unde conjectura fiat minimè difficilis, quid inferioribus expectandum sit.

CAPUT VIII.

Supposito Quesnelli dogmate ejusque vindiciis, facile fuerit cuicumque malevolo impedire, ne absolutionem in pœnitentiæ Sacramento reciperent piissimi, etiam qui post obitum forent in Sanctorum catalogum referendi.

1 VEhemens Alexandrini contra Jansenium juramenti adversarius, & Quesnelli annis pluribus cliens Lovanii anno 1684. die 12. Maji in Thesibus *Dolendum est* (inquiebat) *quod Quæstionem de prædestinatione, non tractaverit operosiùs, & ex professo, vir mitissimus* (Franciscus Salesius) *diceremus enim tunc faciliùs, quomodo in hanc Lessii Sententiam sit delapsus. Si tamen conjectura in re tam obscurâ uti liceat, facilè crederem evenisse ex eo quòd, cùm diligentissimè legeret vitas, & Collationes Patrum, in Cassiani* [Semipelagiani] *librum*

librum inciderit, nec suspicatus sit, quidpiam à recta fide devium.

Ibid. *Antiquitas Sententiæ, quam laudat S. Salesius, ab iis tantùm peti potuit, quos Sanctus Augustinus ejusque discipuli oppugnarunt, & superarunt*, inimicos gratiæ Semipelagianos.

Hic Doctor rigidus si confitentem sibi peccata nactus Salesium fuisset, à Semipelagianâ indubiè priùs hæresi revocare voluisset, quàm donasset gratiâ absolutionis. Si igitur istiusmodi Doctorum semper præsumendus est ad clavium exercitia consensus; cùm Salesius prætensam hæresim deposuisse numquam videatur, non etiam apparet talium ei adversantium consensus, pro impendendo absolutionis beneficio præsumi generaliter potuisse.

Non melior sors fuerit S. Caroli, quem supra retulimus cum primo suo Concilio Mediolanensi præcipientem erga regulas *Indicis* obedientiam accuratissimam.

Secuti ejus vestigia Belgii Antistites, Duce Illustrissimo suo Primate Humberto Archiepiscopo Mechliniensi, easdem regulas inviolabili jusserunt observantiâ custodiri, quando Ægidium Candidum tunc Mechliniæ in Ecclesia collegiata B. Mariæ Virginis trans Diliam Decanum, & Parochum, conscientia tenera non sinebat suo præsuli consentire, Decretum istiusmodi promulgando.

Ne verò hæc ei rebellio gravioris quidpiam conscisceret incommodi, Decanatum, & Parochiam Diœcesimque deseruit; ac tandem nusquam in Belgio catholico toleratus, vel ausus consistere, in Hollandiam se recepit, securiùs ibi Decreta Apostolica, & Episcopalia vellicaturus.

2 Inter cætera ab ipso edita typis epistola est, nomine *quorumdam civium Ostendanorum ad amicos suos Brugenses*, in qua definit pag. 15. *Decretum* (pro Regularum *Indicis* observatione) *esse hæreticum, & ab ipso Diabolo inspiratum.*

Gabriel Gerberon in *Brevi, & necessaria*, ut vocat, *Institutione* pag. 26. *Qualis est ista obedientia? Non absimili Nestorius, Julianus, Sergius, & plures alii hæretici Episcopi plurimos homines simplices suis hæresibus implicuerunt, & ad inferos pertraxerunt.* Num igitur talium conditores, promotoresque Decretorum, sinè prævia pœnitentia, quæ de hoc numquam noscitur in Sancto Carolo eumque secutis Episcopis extitisse, absolutione impertiendos diceret sive Gabriel Gerberon, sive Ægidius *Candidus*, & quicumque candotis istiusmodi Sectator?

Proinde gratulari sibi perpetuò poterit S. Carolus, quod Deus eum in reformationis hujus tempora non reservarit; Si quidem à spiritu veritatis, & non fallaciæ, ac mendacii dictata ea novitas profluxit.

Quomodo Concilii Tolosani, aliorumque tum Gallicanorum tum Belgicorum Patribus qui lectionem promiscuam Sacri Codicis vulgari idiomate translati graviter interdixerant, umquam potuisset absolutio obvenire? Quomodo Joanni, & Petro de Gondy Parisiensis Diœceseos Præsulibus? Quomodo Illustrissimo Galliæ Clero, qui in Comitiis generalibus congregatus anno 1661. non solùm acerrimam contra versiones istas, & lectiones epistolam dedit ad Alexandrum VII. sed etiam collecta ex omnium nationum authoribus contra easdem testimonia, & argumenta, suis ac Regiis typis jussit iterum divulgari?

Quid fieret clarissimâ Sorbonâ, quæ Erasmi dogmata Quesnellianis hic persimilia tam atro calculo notavit? quid supremo Galliæ Senatu novitatem illam Decretis pluribus coercenti? Denique Sacramento Pœnitentiæ valedicere in perpetuum deberet omnis ubique fidelium turba, quæ cum suis animorum directoribus regulas Tridentini Indicis observat.

Aliud est quod usum clavium pro absolvendis in Sacramento fidelibus abolere videbitur, indicatum ab Ægidio Candido in Denuntiatione Solemni Bullæ *Vineam Domini Sabaoth*. Pag. 6. Ecclesiam more suo pathetičè alloquitur. „ Conjurasse videtur contra te universitas populi Christiani à minimo usque ad maximum.

„ Infirma est (inquit pag. 8.) ipsa Religionis arx (Roma) Terra infecta est à lue Pelagiana.

Idem in Augustino Iprensi vindicato pag. 280. „ Bene subducta ratione, Moliniano, aut Pelagiano contagio jam nunc contaminata videtur longè maxima Reipublicæ Catholico-Christianæ pars, atque intrepidus veræ gratiæ amatorum cuneus, si numerum, aut copiam spectes, liberi arbitrii decomptoribus, adeòque & deceptoribus, non parum cedere.

3 Nuntius Coloniensis, nunc Eminentissimus Cardinalis Bussius, Matthiam Torckium apud Hollandos Missionarium, declaraverat excommunicatum: contra verò mox, scilicet 1709. die 15. Aprilis typis edita prodit ejusdem *Excommunicationis depulsio*. Stylus, audacia, impudentia, temeritas, omnia authorem clamant Ægidium Candidum tali dignum cliente vindicem,

sive

sive ut vulgari utar proverbio, *dignum patellâ operculum*. Illic pag.16. dicitur „ Viri „ probi à ministeriis Ecclesiasticis exigun„ tur: Mercenarii, & perversi exuviis eo„ rum exultant: vulgus incertum studia „ in contraria scinditur: perjuriis putrescit „ Clerus: disciplina corruit: Vera Christi „ gratia abjicitur: Pelagius Vineam Do„ mini depascit; & iniquo illi quem Do„ minus Jesus, spiritu oris sui interficiet, „ fortissimè viam parat.

Pag.8. „ Sed quod denique, ait quis, „ ingentibus hisce malis, confusionem pe„ nè Babylonicam Ecclesiæ invehentibus, „ perfugium, aut remedium? Certè nul„ lum expectandum ab urbe Roma, quæ „ totius ægritudinis, qua à plantâ pedis „ usque ad verticem Ecclesia luctuosè at„ teritur, præcipua, & prima causa est„.

Quod igitur genus hominum his Theologis dignum videbitur reconciliationis gratiâ? Non aliud, quàm sibi simile, novitatibus tinctum Jansenianis. Sic enim Ægidius ille *in Apologiâ panegyreos Jansenianæ*. pag.22. „ Rationibus perspicuis facilè de„ monstrabitur, Doctrinam Ecclesiæ ma„ gis jam esse illigatam Jansenio, seu per„ sonæ, ac scriptis ejus, quàm umquam „ personæ Athanasii innexa fuit„.

Sed nimiùm divertimur à proposita quæstione de Sanctis; qui si modò inter vivos degerent, frustra concessarum à Christo clavium, juxta Quesnellum ejusque vindices, gaudere non possent. Istud de Francisco Salesio, & Carolo Borromæo jam ostensum est.

Contra Pium V. quoque Pontificem Sanctissimum in nova hypotesi ratio multiplex est. Is enim Regulam quartam Tridentini Indicis, quæ juxta novos istos Augustini discipulos, ut in verbis eorum jam perspeximus, *impia*, & *hæretica* est, à Pio IV. authoritate Apostolica approbatam, cunctisque in posterum imperatam fidelibus, minimè sustulit, ut Quesnelliana tradita à Calvino, Luthero, & similibus novis Apostolis religio postulabat: Quin etiam assensu tacito Regulam confirmarit, nulli in mentem venit hactenus dubitare.

4 Non minùs juxta novam Ecclesiam peccatum Pii V. fuerit condemnatio Articulorum 79. quorum pars maxima Michaelis Baji erat, reliqua Sociorum. De hac Pontificia censura sic Gabriel Gerberon in Editione nova operum Baji cum animadversionibus, quales decuit præcipuum Quesnellianæ temeritatis æmulum. Relatis scilicet adversùs Baji dogmata censuris, & catholicâ Baji palinodiâ. „ Animadver„ tendum est [inquit] primò quod isti de„ latores, ac impostores suis fraudibus, ac „ mendaciis Pium V. ita circumvenerint, „ ut tandem ab eo censuram, ac Diploma „ adversùs has Sententias extorserint, „ Michaele Bajo non solùm non audito, „ nec vocato; sed nullâ, quæ sciatur, ni„ si levissimâ institutâ disquisitione, & „ absque librorum Michaelis Baji exami„ ne; quos si vel aperuissent, fraudem de„ latorum comperissent, ac nequitiam.

„ Animadvertendum secundò in Pii V. „ Bulla articulos, in quibus vix aliquis „ pravus sensus potest deprehendi, & qui „ intellectum fidei, ac catholicæ S. Augu„ stini doctrinæ planè consentaneum præ„ seferunt, undè ac simpliciter proscribi, „ in multam Sedis Apostolicæ injuriam, „ ac grave omnium eruditorum scanda„ lum.

Ibid. „ Ab æmulis Baji Romam missus „ fuerat liber ejus de meritis operum, de „ prima hominis justitia, de virtutibus im„ piorum, de peccato originis, de justifi„ catione, de libero arbitrio &c, qui viros „ quosdam, alioquin eruditos; sed magis „ in futilibus quibusdam Scholæ recentio„ ris disceptationibus, quàm in Scripturis „ Sacris, & Patribus exercitatos offendere „ potuit. Pontificem pariter offendisse „ potuit, ex aliorum videlicet pravo rela„ tu, & malefida relatione„.

Rursus Gerberon anno 1693. *In Dialogo Secundo Abbatem inter, & Jesuitam Belgam* pag.22. Impudentiùs Pium V. impetit dicens: „ Non adeò miramur nequitiam eo„ rum, qui Curiam Romanam deceperant, „ quàm Pontificis inflexibilitatem, qui „ manebat adeò præoccupatus, ut quid„ quid Bajus ipsi exhiberet omni candore, „ & submissione possibili, non sufficeret ad „ eum ab errore revocandum. Nempe „ quod scriptum fuerat debebat manere „ scriptum.

In tali autem Pontifice Theologiæ peritissimo supponi non potest ignorantia insuperabilis, & innocua; sed si veritatem catholicam pro errore, & hæresi condemnaverit, ut Gerberonii contendit temeritas, gravissimæ procul dubio culpæ vertitur Pontifici talis Constitutio, non solùm propter examinis debiti defectum, & negligentiam; sed vel maximè *inflexibilitatem*, & pertinaciam, justitiæ, & religioni adeò exitialem. Proinde quis inducat in animum, ut credat Gerberonum cum sociis consensurum fuisse absolutioni, Pio V. Pon-

tifici impertiendæ, antequam vulnus lethiferum illatum justitiæ, & Religioni, retractatione publica sanare conaretur?

5 Non unicum istud, si Gerberono credimus, Pii V. crimen est, cujus numquam egisse pœnitentiam legitur. Ab Episcopatu Sutriensi ad alterum Montis Regalis transferri se passus fuerat, quod ingens à Gerberono scelus asseritur in *Defensione Sententiarum* contra Illustrissimum Humbertum Archiepiscopum Mechliniensem pag.26. *Episcopi*, inquit, *qui ab uno Episcopatu transferuntur ad alium*, *sunt adulteri*. Quæ Novatoris nefaria contra tam multos Sanctissimos Antistites calumnia haud leviter conturbavit etiam novatores, & ejusdem consortes Sententiæ, qui gravem inde offensionem prospexerant, & quidem eorum, quorum necessariò egerent in rebus gravissimis patrocinio. Quis enim nesciat præter Gilbertum de Choyseuil à Convenensium ad Tornacensem cathedram promotum, ipsum Parisiensem Archiepiscopum Sedem modò tertiam occupare? At Gerberon nullâ duci solitus, aut retrahi hominum reverentiâ, eamdem novitatem libellis pluribus pertinax confirmavit, propugnavitque. Prætensum itaque adulterum, neque tanti criminis, ut oportuit, pœnitentem Pontificem, nomine *Pium*, absolvi Gerberon minimè voluisset.

Præterea quòd Cardinalis Noaillius anno 1711. ad Clementem XI. scripserit: *Certum illi* (Clero Galliæ in Comitiis generalibus congregato) *fuit Pontificiis Decretis adversùs Jansenium nihil deesse, ut universam Ecclesiam obligent, & circa illa nec appellationem admitti, nec mutationem expectari posse. Idem & de Apostolicis adversùs Bajum, Molinosium, & librum vulgò dictum* LES MAXIMES DE SAINTS, *definitionibus professurum fuisse Clerum existimo; Si de his actum fuisset.*

Si itaque tantum crimen Pii V. Pontificis fuerit, talem adversùs Baji Dogmata edere definitionem, ut exprobrantem vidimus Gerberonem, gravius videbitur post tot Bajanorum, eisque affinium Jansenistarum querelas publicas, eamdem confirmare, adeò ut, & totam prædicetur *obligare Ecclesiam, & nulla possit circa illam appellatio admitti, aut mutatio expectari.*

Quæ Eminentissimi professio, nostro quidem judicio, est maximè catholica; sed penès novæ Ecclesiæ Apostolos scelerata, non minùs eundem Cardinalem, quàm Sanctissimum Pium Pontificem, reddere debuit reconciliationis beneficio ante publicam Palinodiam indignum. Indignitatem auget summopere, quod Cardinalis contra Jansenium declarat: Quia [inquiunt *Theologi* falso nomine *Augustiniani*, in expositione doctrinæ pag.29.] *Consequitur omnium nunc oculis patere, quàm inani fundamento substructum sit totum illud novæ hæreseos figmentum; quanto se crimine polluerint, qui tantos in Ecclesia dissensionis fluctus gratiæ excitarunt.*

Anno 1691. inter primos profugorum ex Gallia in Belgium fructus Jansenistarum, prodiit libellus gallicus hoc titulo: *Doctrina nova, falsa, erronea &c.* talibus censuris notabatur doctrina Franciscanorum favens Pontificiæ authoritati, & consona Sententiis Sancti Capistrani. Mox pag.3. dicitur: *Alexander VIII. Joannem Capistranum, in album Sanctorum retulit; Sed non ideo ejus doctrina minùs perniciosa est.* Attamen absque retractatione Capistranus obiit: unde non apparet verisimile, Jansenistarum suffragio absolutionem fuisse consecutum.

Bellarminus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis ad annum Christi 1301. refert *Augustinum Triumphum, patriâ Anconitanum, professione religiosum S. Augustini, virum pium, & doctum... Scripsit egregiam summam de potestate Ecclesiæ, quæ extat Romæ edita anno 1584.* Quesnellus autem in colloquiis circa prohibitionem *Novi Testamenti Catalaunensis cum reflexionibus Moralibus* è quibus 101. articuli excerpti postea fuere, in Bulla UNIGENITUS condemnati, pag.213. sic ait: *Adulatores dicunt Pontificem in pectore continere jura, & Decreta omnia Ecclesiastica, ut iis, quemadmodum expedire judicaverit, utatur. Non aliter, quàm ut veras pestes intueri possum istiusmodi Canonistas, qui venenum afflarunt Curiæ Romanæ, fatuis suis dogmatibus, quale fuit cujusdam Augustini Anconitani, quem inter Beatos referunt.* Hominem quem Quesnellus non aliter intueri potest, *quàm ut veram pestem, venenum afflantem Curiæ Romanæ*, quemque constiterit in prætensa istiusmodi perversitate ad obitum usque perdurare, censueritne Ecclesia nova meritò absolvendum?

Nescio an ipsi Gregorio VII. quem Romana colit Ecclesia, ut in Martyrologio est die 25. Maji, novatorum illud conventiculum, Sacramenti beneficio donavisset. In *Augustino* enim *Iprensi vindicato* pag. 344. legitur *Gregorius VII. notus ille Pontificiæ dominationis invector.* Quæ dominatio quantum in hujus authoris, qui *Ægidius candidus est*, atque ad majoris ostentationem impudentiæ se vocat, *Ægidium Albanum*;

quan-

quantum, inquam, in hujus authoris Sententia, Papalis ea Dominatio crimen sit, quantorumque causa abusuum, & malorum, copiosis in memorato Opere deductum exaggerationibus legitur. Quascumque scilicet Antipontificius scriptor, & novæ inter Jansenianos Sectæ Antesignanus, in anteriorum lucubrationibus hæreticorum, contra Romanam Curiam reperire criminationes potuit, solitâ suâ erga superiores reverentiâ, justitiâ, & charitate collectas exprobrat.

CAPUT IX.

Dialogus Quesnellistam inter & Catholicum imponens coronidem præsenti & superioribus aliquot de disciplina Ecclesiastica disputationibus.

QUesnellista: Sectanda omnibus maximè Theologis veritas, sed & charitas numquam negligenda.

Catholicus: Neminem reperies in alterutro dissentientem.

Quesnellista: Imò neutrum observat vester *Constitutionis Unigenitus propugnator*. Ita mecum judicant & dolent viri non pietate minùs, quàm eruditione conspicui.

Catholicus: Omnes Baji, Jansenii, Quesnelli dogmatibus imbutos hoc ipso penès vos famam consequi Sanctorum eruditorumque pridem novimus; ut nempe vetus dictum fert, *nusquam proficitur faciliùs, quàm in castris rebellium*. Cur autem viri vestri adeò magni, jactatam tantopere eruditionem non ostendunt rationibus solidis confutando, contra quem ringuntur odio, Scriptorem?

Quesnellista: Non multis opus: convictio ejus in promptu est. Ipsa quæ memorata ultimò fuit Propositionis nonagesimæ accusatio, calumniis scatet manifestis. Christus Matth. pag. 18. v. 17. dixerat *Si non audiverit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Potuitne in locum hunc magis innocua, aut magis congrua fieri observatio, quàm ista Quesnelli, *Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores, de consensu saltem præsumpto totius corporis*? Quæ autem hinc *propugnatori* vestro occurrere visa est probabilis ratio deducendi, quod absolutionis beneficium omnibus quodammodo fidelibus, in pœnitentiæ Sacramento reddatur impossibile?

Catholicus: Imò verò ratio ab illo vestro adversario datur, non minùs perspicua, quàm indeclinabilis, quæ si lecta à te fuerit, assensum extorquere debuit vel invito.

Quesnellista: Legere quidem cœperam; sed oborta mihi subitò ira & indignatio librum coegit abjicere, ut parum is abfuerit ab incendio: quemadmodum enim summo in pretio mihi veritas ingenua, & minimè fucata, sic odio & exerationi est dolosa & sophistica disceptatio, quæ toto dicitur redundare opere.

Catholicus: Dici ab adversariis non sufficit: exploremus quem præ cæteris elegisti Articulum 90. Quandoquidem Quesnellus, ut ipse solemnissimè protestatur, & vos creditis, *Non soleat in Observationibus Moralibus tractare dogmata religionis, nisi quousque determinatur atque inducitur à Textu sacro*; quid in Divino hic oraculo reperit pro requirendo ad excommunicationem legitimam, *consensu saltem præsumpto totius corporis*, quod est ecclesia?

Tridentini Concilii Catechismus in expositione Symboli Apostolorum, proferens illud Christi ex capite Matthæi 18. *Si te non audierit, dic Ecclesiæ*, sic explicat: *Quo in loco præpositi Ecclesiæ significantur*: illud quoque *sit tibi sicut Ethnicus, id est*, inquit à Lapide, *ab Ecclesia per ejus Præsulem ejiciatur, excommunicetur, & separetur .... Ita Sanctus Chrysostomus, Hilarius, Augustinus, Glossa & alii passim*.

Quesnellista: Cautè reticces, quæ Hexapla, Collatio, & reliquæ Quesnelli vindiciæ exhibent loca Augustini clarissima, quibus S. Doctor modò ait, Christum contulisse claves Ecclesiæ, modò eas Petrum pro Ecclesia accepisse.

Catholicus: Objectas ex Augustino sententias minimè dissimulat *Constitutionis Propugnator*, quin eas nullo verbo prætérito refert; sed pariter ostendit, nihil in iis esse penitùs, quod suo, communique sensui officiat. Etenim ubi Christus claves dicitur contulisse Ecclesiæ, & Petro propter Ecclesiam, aliud non significat, quàm gubernacula Petro propter totius multitudinis utilitatem tradita fuisse. Hunc sensum nullus orthodoxorum interpretum revocavit in dubium, omnes voce unanimi confitentur. Oppositum quidem effutiverat aliquando cum hæreticis insaniens Edmundus Richerius; sed & postea ad saniorem mentem rediens, fassus est, se illud, & similia novitatis monstra ex lacunis hæreticorum exitialibus temere hausisse, & quanto infeliciùs ab iis antea deceptus fuerat, tanto vehemen-

hementiùs se modò authores perfidos atque afflatam ab iis perniciem detestari.

Quesnellista: Confidenter nimiùm totius tibi Ecclesiæ suffragium arrogas: quomodo enim ignorare potes tibi Galliam adversari, quæ non soli Petro, nec solis Apostolis;sed cæteris etiam secuturis omni tempore Episcopis jurisdictionem à Christo immediatè non minùs, quàm Summis Pontificibus, asserit obvenire?

Catholicus: Quid de hoc Galli sentiant hoc tempore non ignoro, neque animus est in ejusdem inquirere opinionis ortum, aut etiam veritatem; cùm quidquid de ea fuerit, minimè hinc pendeat Quesnelliani articuli impugnatio, aut æquitas condemnationis. Non enim Pontifici tantùm, sed omnibus Episcopis authoritatem Quesnellus detrahit excommunicandi, quoties malevolum quempiam constiterit refragari. Supponatur nempe seu Pontifex Summus, seu inferior Episcopus, sapientiâ præditus etiam Salomonicâ, quin & Angelicâ, quomodo impedire poterit ne ullus temerarius reclamet, vel impudens ullo ostendat indicio sibi non placere, quòd amicus aut consanguineus excommunicationis sententiâ extorris ab Ecclesia fiat, & tradatur Diabolo?

Excommunicandi itaque authoritas primis competens Pastoribus, necesse est hæreat in speculatione metaphysica deducenda numquam ad exercitium, si Quesnelliano dogmati subsit veritas, illoque Christianus populus imbuatur: *Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores, de consensu saltem præsumpto totius corporis*.

Quesnellista: Magis avidus expecto,quibus tandem funibus enuntiationem pertracturus sis ad exoticum illud consectarium de impedienda in Sacramento penitentiæ absolutione, ne impendi valeat etiam optimè dispositis, si vel unus illis injustè forsitan infensus se absolutioni non consentire, seu voce, seu schedulâ declararit.

Catholicus: De funium perquisitione non est cur solicitus sim: aliis mihi opus non est, quàm quos ipsi imprudenter obtruditis, velut firmando Quesnelli articulo perquàm idoneos. Ingeritis identidem illud Augustini Tract. 124. in Joannem *Ecclesia, quæ fundatur in Christo, claves ab eo regni cælorum accepit in Petro, id est potestatem ligandi solvendique peccata*. Et serm. 295. aliàs 108. *Propter ipsam personam, quam totius Ecclesiæ solus gestabat* [Petrus] *audire meruit, Tibi dabo claves regni cælorum; has enim claves non homo unus; sed unitas accepit Ecclesiæ*.

Non morabor in conciliandis Augustini textibus cum doctrina Catholica;istud enim præstitum abunde est in *propugnatione Constitutionis* cap. 6. ex Bellarmino, sui temporis hæreticos confutante. Sed ut æquo erga vos liberalior sim, supponamus articulum vestrum utrâque Augustini sententiâ confirmari; videlicet ad exercitium potestatis excommunicandi, quæ primis conceditur Pastoribus, necessarium esse consensum saltem præsumptum totius corporis, seu Ecclesiæ, quia juxta Augustinum, ut contenditis, potestas clavium residet in toto corpore, cujus authoritate primi Pastores anathema infligunt, quod non aliàs, nec aliter valeant, quàm noverint, aut præsumpserint placère corpori universo.

Quesnellista: Suppositum verissimum est, & uti patet, utrique Augustiniano textui maximè consentaneum.

Catholicus: Atqui potestas clavium, in toto residens corpore Ecclesiæ, ita ut ejus exercitium fiat primorum ministerio Pastorum, non solam complectitur authoritatem excommunicandi; sed vel maximè solvendi vincula peccatorum in Sacramento pœnitentiæ. Si itaque authoritas excommunicandi, utpote contenta in potestate clavium, exerceri nequeat à primis Pastoribus, nisi consensu saltem supposito totius multitudinis fidelium, non poterit etiam posterior, quæ est remittendi peccata. Proinde quemadmodum aliquibus excommunicationi, sive jure sive injuria restragantibus, evidens est quod nullus Pastor oppositionis illius conscius, præsumere valeat totius consensum multitudinis, ut conceptam evibret censuram; sic pariter cognito aliquorum vel unius solummodo dissensu, ne absolutio impendatur, perspicuum est, præsumi totius corporis consensum non posse. Absolutio itaque juxta vos necessariò suspendenda est.

Quesnellista: Sensa nostra semper traditis invidiosiùs, quàm à nobis noveritis intendi: solam excommunicandi licentiam in Summis Pastoribus frænare nobis animus est, non dimittendi peccata restringere facultatem.

Catholicus: Adeóne igitur vobis innovandi cupiditas lumen abstulit rationis, ut non videatis quod primis institutum Catecheseos rudimentis puerum non latet, remittendi crimina potestatem concessis à Christo clavibus significari? continetur illâ quidem etiam authoritas excommunicandi;

candi; at cæcutire eum lucidissimâ oportet meridie, qui non perspiciat, quòd ubi potestas utraque traditis à Christo clavibus non Petro immediatè & primariò, non cæteris Apostolis ac primis Pastoribus; sed fidelium, ut asseritis, cœtui, comprehenditur, utrobique potestatis exercitium à consensu saltem præsumpto debeat multitudinis dependêre; ubi enim ratio formalis eadem est, cur non eadem sit ejus operatio?

Ipso quoque naturæ lumine nota omnibus est dialecticorum regula, quod *Causalis æquivaleat universali*, ut si ideo Titius sit risibilis; quia est homo; necesse sit omnem hominem esse risibilem; atque ita si exercitium potestatis excommunicandi ideo pendeat à consensu saltem supposito omnium; quia potestas clavium, quæ authoritatem excommunicandi continet, judicio vestro, concessa est toti Ecclesiæ; à simili consensu necesse erit pendêre pariter exercitium facultatis solvendi peccata; quia Catholica nos docet Ecclesia, illam potestate clavium comprehendi, quæ in vestra sententia non ad primos Pastores immediatè & primatiò; sed ad Ecclesiam pertinent universam.

Quesnellista: Sic omnia Patrum dicta clarissima, sophisticis eluditis cavillationibus.

Catholicus: Nulla hic species sophismatis, aut cavillationis; sed ratio plana, & à nemine, quem novitatis obstinatio non excæcaverit, deneganda est, neque ullo vestro dissolvenda acumine. Proinde aut nega totius consensum corporis sive verum sive præsumptum exigi ad infligendam excommunicationis censuram, aut eum pariter exige ad beneficium absolutionis à peccatis. Si in conspicua adeò veritatis luce oculos tibi occludere fixum animo est, frustrà tecum rationibus certo, sed orandus suppliciter Deus ut potentiore gratia rebellem compellat propitius voluntatem.

Quesnellista: Imò tu vide, ne tibi conveniat illud S. Gregorii, quod in Officio Ecclesiastico legimus: *Hujus mundi sapientia est, quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, falsa demonstrare*. Pergite nihilominus quantum vobis libitum fuerit ex Augustinianis nostris dogmatibus consectaria elicere exotica; Nos Ethicam semper trademus & opere sectabimur securiorem primitivæ Ecclesiæ, & Euangelio magis consonam.

Catholicus: Talis semper hæreticorum incipientium gloriatio fuit, explosa à Patribus. Gregorius Magnus in cap. 15. Job. *Nullum existimant timorem Domini habere, nisi eum, quem potuerint ad sua confessionis stultitiam trahere*. Baronius ad annum 336. *Eusebiani*, inquit, *usquedum vixit Constantinus, si quod bellum Catholicis intulerunt, nequaquam ut Ariani; at potiùs ut bonorum morum vindices præstiterunt; sed & Ecclesiastica disciplina custodes, cùm Athanasium damnaverunt ... se* [mendacissimè] *exhibuerunt*. Sed & doctrina vestra, præter magnificam Moralis rigidæ verbotenus jactantiam, si paulò attentiùs introspicitur, viam aperit latissimam ad corruptionem morum & quamlibet effrænem maximè licentiam.

Quesnellista: Istud à te expectabam, quo nullum promptius habere soles in Augustini discipulos convitium. Verùm faciliùs oleum elicies ex pumice, quàm detestabilem adeò ex præsenti articulo dissolutionem.

Catholicus: Tu modo præoccupationem exue, & animum præsta ab inolitis affectibus liberum. Quoniam ita vultis, sit excommunicandi authoritas ita penès Ecclesiam, ut non nisi ex ejus commissione exercitium primis Pastoribus concedatur, & quidem tali alligatum legi ut semper pendeat *à consensu saltem præsumpto totius corporis*: Sit etiam legitimum, quod statuitis vestri dogmatis fundamentum, videlicet quod facultas ea ad claves pertineat quæ toti Ecclesiæ non primis Pastoribus immediatè & præcipuè traditæ fuerint. Necesse est ut quæ pro excommunicatione, eadem ratio pro cæteris valeat censuris.

Quesnellista: Reddet ea sententia Præpositos cautiores, ne in castigationibus præcipites sint; sed eas sibi præstituant rationes, quas præsumere prudenter liceat ab omnibus approbandas.

Catholicus: Nulla hic prudentia, nulla æquitas in Pastoribus sufficiet, nisi talis etiam sit in omnibus subditis, quod optare meritò possumus; sed nemo sapiens ab omnibus expectare. Affectus enim non omnium ordinati sunt, & concupiscentiæ auscultant plurimi potiùs, quàm honestati: unde reperire non facile sit qui intentato sibi suisque supplicio, etsi justissimo, consentiant. Censuras itaque infligendi authoritas censebitur frustranea, utpote quam nullus valeat reducere ad effectum.

Quesnellista: Neque hinc sequitur morum corruptio aut relaxatio disciplinæ in nostro systemate, quod eliminatâ formidine servili, ducem & finem præfigit cunctis actibus charitatem.

Catholicus: Præfigitis quidem; sed num ab omnibus vel saltem aliquibus obtinetis?

Oppo-

Oppositum nimis frequentia ubique evincunt experimenta : notissima, inquam, in omni genere vitia. De quadam novitatum Metropoli, ubi in scholis & templis necessitas charitatis perpetuæ studiosissimè prædicatur, mecum à plurimis pridem observatum est, parum adeò conspici virtutis illius Principis exercitium, ut in nulla alia ejusdem regionis civitate populus appareat inhumanior, magis effusus in jurgia, magis ad cædes facilis, magis intemperans &c. similem fructum agnovit ipse Lutherus in iis provinciis in quibus charitatis ad actus quoslibet necessitas à se vehementiùs declamata est.

Quesnellista: Etsi documenta non sequatur conversio, neque hortationibus respondeat sanctitas audientis, præmium tamen cœleste non deerit prædicanti.

Catholicus: Quin potiùs supplicium sic inchoant novatores, qui Ecclesiæ contra se anathemata contemnentes, inanem à rigidis quibusdam opinionibus gloriam aucupantur: conspicere illi plerumque coguntur, populum deteriorem reddi, neque magis difficilem in Divinorum transgressionibus mandatorum, quàm ipsi in Pontificiorum sint.

Quesnellista: Saltem Articulo præsenti objecta morum relaxatio terminatur facili censurarum omnium suspensione, quæ singulis in promptu sit, sufficiente ad eam oppositione unicâ, & cujuslibet sive justa ea fuerit sive injusta, rationalis aut temeraria. Nonne summum istud malorum est in quod omnis tua feratur indignatio?

Catholicus: Nequaquam; longè enim latiùs diffunditur Articuli vestri cum suis vindiciis venenū. Spiritualis omnis jurisdictio & legislatrix Ecclesiæ authoritas traditis à Christo clavibus continetur: Universa hæc proinde in vestra hypothesi immediatè & primario data est Ecclesiæ ut eam primorum exerceret ministerio Pastorum, *consensu saltem præsumpto totius corporis*. Quemadmodum igitur quoties talis defuerit pro excommunicatione consensus illam suspendere necesse est, ita & dissentientibus etiam paucissimis, quin & vel unico, nulla lex à Pontificibus, nulla ab Episcopis ferri poterit. Lex autem versari communiter solet circa aliquod arduum quod præscribit, vel cupiditati blandiens, quod prohibet. Unde innata hominibus ad malum propensio semper facilè persuadebit aliquibus, ut repugnent, maximè ubi ab omnibus rescitum fuerit, ad legem quamlibet requiri consensum totius corporis, saltem suppositum, quem constat deficere aliquo publicè recusante. Quam proinde Christi Vicarius, quam Episcopi etiam in Synodo Oecumenica congregati legem ferre, quod condere Decretum, quem Canonem valebunt in posterum, aut potuissent superioribus seculis, quibus fidem Quesnellianus articulus obtinuisset? Quæ sanè miserrima foret, confusionem referens, imò superans Babylonicam, Ecclesiæ conditio, vacillans ubique gubernatio, ac penè nulla. Talis institutio Ecclesiæ, talis collatio clavium Divinam Christi minimè decuit sapientiam, ideoque nec absque gravi ejus contumeliâ atque blasphemiâ eidem tribuitur. Nondum horres abyssum in quam vestra novitas propellit? Neque tamen, ut vides, quidpiam hîc argutiæ, aut rationis studiosiùs exquisitæ à me adhibitum est; sed plana ubique, & sponte sua fluens ex Quesnelli dogmate ejusque vindiciis oratio, nulla vobis arte declinanda pernicies.

Quesnellista: Hæc, non inficior, infesta nobis dissertatio est, &, si veritate, non tamen omni destituitur verisimili. At injustitiæ notam numquam dilues ab impugnatione Propositionum de sacri Codicis lectione, præsertim octogesimæ quartæ & octogesimæ quintæ.

Catholicus: Hæreticis familiare est, ubi veritati resistere non possunt, divertere aliò sermonem & interminabilibus ob multitudinem quæstionibus adversarios fatigare. Priùs à te reddenda ratio est, cur iis, quæ disserui, non acquiescas. Si nulla est; non erubescas palmam tradere veritati: neque tunc ego me indocilem præstabo, si alibi quidpiam à me perperàm dictum ostenderis.

Quesnellista: Ab hæreticis discernimur eo quod fateamur jurisdictionem primis Pastoribus immediatè tribui à Christo; qui tamen illius exercitium pendere voluerit à *consensu totius corporis saltem præsumpto*. Hæretici autem asserunt eam jurisdictionem omnem in Episcopos, ipsumque Pontificem profluere solùm ab Ecclesia; quod verbis Christi minimè consentaneum est.

Catholicus: A quocumque jurisdictio sive à Christo immediatè, sive ab Ecclesia in Pontificem derivetur, æquè redditur ea inutilis, Ecclesiæ gubernatio malesana, atque impossibilis, quando potestas ligandi, ac solvendi, & usus clavium universus supponere debet totius multitudinis approbationem. Quid igitur excusationis obtendes in Supremi Judicis tribunali; si comparueris ibi cum errore tam acatholico, & totum Eccle-

Eccle-

Ecclesiæ regimen subvertente, ut Libertinorum foveatur impietas?

Quesnellista: Nosti fidem esse donum Dei, non humanæ fœtum industriæ; hoc interim laboris tui non leve pretium æstima, quòd melior mihi ad lumen fidei, aspirante Numine, dispositio oborta sit.

Catholicus: Istud auctarii loco accipe, quod Richerius dogmatis vestri, post Marcum Antonium de Dominis propagator præcipuus, in palinodia agnovit; Quesnellus autem subdolè dissimulat, dogmate suo Regiam quoque subrui in condendis legibus authoritatem; utpote quam æquè necesse foret pendere in exercitio à totius consensu populi, quàm Pontificiam à totius Ecclesiæ. Cur enim Dei filius Supremo suo Vicario imperfectius Ecclesiæ regimen concesserit, quàm Regibus populi? Nondum percipis Libertinorum illa spiritum sapere, humanæ legis cujuslibet subversorem?

Quesnellista: Satis video perdifficile esse, odiosa istiusmodi consectaria à præsenti Quesnelliano dogmate amoliri; sed velim nunc mihi facias satis circa superiores articulos, seu modum potiùs eos refellendi. Ne verò nimiùm protrahatur dissertatio, geminos solùm propono uni eidemque obnoxios difficultati, quos una proinde expedire poterit responsio.

Quesnellus dixerat Prop. 84. *Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum .... est illis os Christi obturare*. Et 85. *Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ .... est interdicere usum luminis filiis lucis*. Hinc colligis omne quodammodo lumen gratiæ, Scripturam non legentibus subtrahi; unde à mundi exordio usque ad Moysen, à quo primùm lex scripto tradita est, luctuosissima fuisset universi orbis, etiam electi populi calamitas: à Moyse quoque usque ad Christum, quo tempore medio solorum ferè Sacerdotum Scribarumque manibus Divina volumina terebantur: Denique & in novo fœdere denegaretur omne actualis gratiæ subsidium, abstinentibus à Divini Codicis lectione. Istud autem certissimum est, à Quesnello neque in duabus illis Propositionibus, neque in aliis fuisse intentum. Liberari proinde ipsum hac invidiâ æquitas postulat.

Catholicus: Assertiones distingui oportuit à consectariis. Quesnello nemo illud de quo quereris tribuit, velut ab eo illis articulis affirmatum; sed velut ex illis profluens enuntiationibus consectarium. Sic Doctor Angelicus *in quæstionibus disputatis* quæst. de malo, impugnans liberi arbitrii detractores, *si*, inquit, *non est liberum in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum & punitio, & laus & vituperium*. Non quasi omnis hostis libertatis, neget explicitè & expressis terminis omnem in hominibus deliberationem, omnem exhortationem, omne præceptum, punitionem omnem, laudem & vituperium, imò singulorum, quas eis adscripseris, negationes veluti totidem à se calumnias amolietur: opponet etiam assertiones negationibus singulis directissimè contrarias. Verùm quilibet sanæ mentis Theologus Doctorem Angelicum facilè contra istiusmodi querelarum ineptias vindicabit, adhibitâ à me distinctione, apud omnes, polemicos præcipuè Scriptores, receptissimâ.

Manichæi ægrè ferebant Augustinum ex eorum placitis deducere conclusiones odiosissimas, à quibus se testabantur penitùs aversos; verùm Sanctus responsione facili retudit querimoniam lib. 13. contra Faustum cap. 18. *Nobis debetis irasci talia dicentibus, an vobis talia credentibus, ut velitis nolitis talia consequantur*? Idem Sanctus lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 4 simili querimoniæ satisfacit dicens: *Quod quidem non ipse sentis; sed hoc sequitur illa quæ sentis: muta ergo antecedentia, si vis cavere sequentia*. Aliàs frustra omnis vestra protestatio est, & contra impugnationem istiusmodi, velut nimis acrem, frivola declamatio.

Quesnellista: Nullus in dubium vocaverit, quin Dei eloquia textus sacer contineat, & Christi sermones Euangelium, eaque nos illuminent, juxta illud Psalmi: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*. Unde verissimum est, quod *abripere è Christianorum manibus novum Testamentum*, sit illis aliquod saltem Christi eloquium impedire, & quodammodo os Christi aliquod obturare, luminis alicujus usum interdicere & facere ut eatenus *patiantur speciem aliquam excommunicationis*. Non existimo autem Quesnellum aliud enuntiationibus suis durioribus voluisse intelligi.

Catholicus: *Obturare os* alicui simpliciter, & *usum luminis* absolutè, ac sinè ullo limite *interdicere*, longè aliud est, quàm quod à te supponitur tot restrictionibus circumscriptum. *Obturare os* alicui in significatione communiter obvia, est omne ejus eloquium impedire, omnem sermonem. Sic quoque interdicere usum luminis simpliciter, ut exprimit articulus, minimè restringitur

gitur ad usum hujus luminis, hujus lucernæ, vel illius; sed interdictus supponitur usu Divini luminis, & lucernæ cujuslibet privati. Christus hominibus loquitur non solo sacri voluminis scripto sermone; sed & tradito extra illud verbo: loquitur & probatis Catechismis, & mysticis opusculis ac vocibus pastorum, quibus doctrina ejus in audientium aut legentium animos fideliter instillatur: sed & gratiis etiam interioribus, iisque longè meliùs, quàm signis quibuslibet externis illuminans filios lucis. Absurda autem & schismatica adversùs Sedem Apostolicam contumelia est, quod prohibendo Scripturarum linguis vulgaribus lectionem, *faciat ut filii lucis* sacra idiomata ignorantes, *patiantur speciem quandam excommunicationis*, illis os *Christi obturetur & interdicatur usus luminis*.

Quesnellista: Si non justitia, at saltem charitas postulare videbatur, ut crudioribus istiusmodi locutionibus expositio adhiberetur benignior.

Catholicus: Imò præpostera charitas, & crudelis benignitas foret, perniciosò hypocritæ, & sectæ hæreticæ artifici, larvam non detrahere religionis; quia, ut rectè notat Origenes Homil. 7. in Ezechielem *Multò nocentior est hæreticus bona vita, & plus in doctrina sua habet authoritatis eo, qui doctrinam conversatione commaculat*. Quod excellentius apparuit umquam pacis, charitatis, modestiæ simulacrum pseudo-Patriarcha Photio? Fallaci specie deceperat plurimos; fallere tamen non potuit Nicolaum Pontificem, à quo, ut legitur in præfatione ad Synodum 8. describitur *Simulator, hypocrita, raptor, lupus, grassator, falsorum author dogmatum, Dioscoro & cacodæmoni comparatus*. Sanctus Augustinus, perfectissimæ Doctor simul & exemplar charitatis, nihilominus solicitè nos monet lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 13. *Hæreticus Arianus non insultet Ecclesiæ, lupus est, agnoscite: Serpens est, ejus capita conquassate: blanditur; sed fallit: multa promittit; sed decipit: Venite, inquit, defendam; si necessitas est, pascam; si nuditas est, vestiam... O lupe male! ò serpens inique! ò serve nequissime! Ergone hæretice, vestis nudum, ut expolies intus Christo vestitum? Ad hoc pascis esurientem, ut anima auferas cibum cœlestem?* Spurcitias cujusdam inter Manichæos Sancti exagitat Augustinus, quales si quis, ut verè posset, de simili Sancto nostri temporis Jansenista minimè vulgari; sed primipilo, non tamen Episcopo referre præsumeret, quantam offensionem quotumdam incurreret Criticorum! Sanctus Epiphanius contra singulas sibi notas hæreses scribens, erroribus passim præmittit hæresiarcharum, eisque adhærentium mores, dolos, crimina, unde Catholici lectoris animus ad rejicienda faciliùs dogmata disponatur.

Quesnellista: Extraneis ego istiusmodi adjumentis nec egeo, nec multum moveor, Theologiæ magis amans rationis, quàm historiæ.

Catholicus: Si rationis plus desideras, & otium tibi est, Tomum inspice *propugnationis Theologicæ* tertium.

Quesnellista: Otii mihi ad hoc abunde est; sed patientiæ non satis.

Catholicus: Legistine saltem Quesnelli vindicias?

Quesnellista: Nulli licuit eas in Galliis ignorare erudito; cùm ferè unicus à Constitutione edita de his fuerit in conversationibus sermo.

Catholicus: Mirificum istud penès vos studium veritatis est, legere avidè quidquid Constitutionibus Apostolicis, totius quodammodo Christiani orbis reverentiâ atque obedientiâ receptissimis, adversum est, quantumlibet fallax aut frivolum. Ubi verò opus aliquod omnia contra definitionem Apostolicam allegata diluit, adversarios convincens de ignorantia affectata, de fraudibus, ac mendaciis, nullo obtentu probabili excusandis, tunc vos deficit ad lectionem patientia. Non ita Catholici, qui se opere nostro non solùm instrui profitentur; sed etiam delectari.

Quesnellista: De gustibus, ut vulgare fert adagium, non est disputandum. Propterea missis istiusmodi odiosis, malim intelligere quid censeas de eo quod à nostris dicitur manifestum: neque in Gallia, neque in Belgio receptas umquam fuisse regulas *Indicis*; & si quid receptionis unquam fuerit, esse saltem usu contrario, etiam probantibus Episcopis, abrogatum. Alterum est Regulas illas abusu nominis vocari *Indicis Tridentini* cùm à Tridentino Concilio neque compositæ fuerint, neque confirmatæ. Denique illas fuisse postmodum additionibus sæpius immutatas.

Catholicus: Multa conglomeras velut indubitata, peritiæ magis, ut malo supponere, quàm bonæ fidei, aut sinceritatis defectu. Adversùs primum opportunè teneo ex Parisiensis Academiæ seu Facultatis Theologicæ tabulis descriptos articulos, propter quos Biblia Gallicè translata & Renati Benedicti nomine edita damnationem mereri Facultas censuit anno 1567. die 15.

Julii.

Julii. „ Etiamsi Magister Benedictus ho- „ rum Bibliorum Author esset, peccat ra- „ men in vertendo, in vulgando, & in „ modo vertendi. In vertendo quidem; „ quia particulari judicio, authoritate & „ proprio consilio Sacrosancta Biblia ver- „ tit in alteram linguam, ipsisque annota- „ tiones apposuit, quod utrumque à Con- „ cilio Tridentino prohibetur: his verbis: „ *Librorum veteris Testamenti versiones vi-* „ *ris tantùm doctis & piis judicio Episcopi* „ *concedi poterunt; modò hujusmodi versio-* „ *nibus tamquam elucidationibus vulgatæ* „ *editionis ad intelligendam Sacram Scriptu-* „ *ram; non autem tamquam sacro Textu* „ *utantur. Versiones verò Novi Testamenti* „ *ab authoribus primæ classis hujus INDICIS* „ *factæ, nemini concedantur; quia utilitatis* „ *parum; periculi verò plurimum lectoribus* „ *ex earum lectione manare solet. Si quæ ve-* „ *rò annotationes, cum hujusmodi, quæ per-* „ *mittuntur, versionibus, vel cum vulgata* „ *editione circumferuntur, expunctis locis* „ *suspectis à Facultate Theologica alicujus* „ *Universitatis Catholicæ, aut Inquisitionis* „ *generalis permitti iisdem poterunt, quibus* „ *& versiones.*

Tota quæ à Parisiensibus citatur sententia, sub nomine *Concilii Tridentini* est Regula 3. Indicis, ut notatur in margine. Et in ipso Textu dicitur *versiones ab authoribus primæ classis hujus Indicis factæ*. Post quæ prosequitur Facultas „ Tertiò quæcumque „ authoritate transferantur in vulgarem „ linguam Biblia & edantur, vetat idem „ Sacrosanctum Concilium ea *passim sinè* „ *discrimine permitti*, quod sicut alia Ma- „ gister Benedictus non est veritus trans- „ gredi. „ Ubi iterum Facultas Theologica *eidem Sacrosancto Concilio* tribuit quod est Regulæ quartæ Indicis.

Cùm scilicet Concilium initio sessionis 18. animadverteret, illo tempore *suspectorum ac perniciosorum librorum, quibus doctrina impura continetur, & longè latèque diffunditur, numerum nimis excrevisse quod quidem in causa fuit, ut multæ censuræ in variis Provinciis & præsertim in alma Urbe Roma, pio quodam zelo editæ fuerint; Neque tamen huic tam magno ac pernicioso morbo salutarem ullam profuisse medicinam; censuit ut delecti ad hanc disquisitionem Patres de censuris librisque, quid facto opus esset, diligenter considerarent, atque etiam ad eandem Sanctam Synodum suo tempore referrent.*

Tum sessione 25. & ultima titulo *de Indice Librorum prohibitorum, & Catechismo, Breviario & Missali* sic legitur: *Sacrosancta Synodus in 2. sessione sub Sanctissimo Domino nostro Pio IV. celebrata* [quæ est 18. Concilii] *delectis quibusdam Patribus commisit, ut de variis censuris ac libris vel suspectis vel perniciosis, quid facto opus esset, considerarent atque ad ipsam Sanctam Synodum referrent: audiens nunc huic operi ab eis extremam manum impositam esse, nec tamen ob Librorum varietatem ac multitudinem possit distinctè & commodè à Sancta Synodo dijudicari, præcipit, ut quidquid ab illis præstitum est, Sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur, ut ejus judicio atque authoritate terminetur, & evulgetur.*

Decretum hoc à delectis Patribus fideliter impletum est, ad Sanctissimum Dominum deferendo Librorum prohibitorum *Indicem* cum regulis ad præcavendos imposterum abusus. *Id negotium* antea ipse Pius IV. Pontifex *ad Sacram Tridentinam Synodum rejecerat*, ut testatur in Bulla *Dominici gregis*; remissum autem ad se ab eodem Concilio magnâ, ut ibidem declarat, solicitudine examinavit. Quo peracto *ipsum Indicem* (inquit) *unà cum regulis ei propositis authoritate Apostolica tenore præsentium, approbamus, imprimique ac divulgari, & ab omnibus Universitatibus Catholicis, ac quibuscumque aliis, ubique suscipi, easque regulas observari mandamus atque decernimus.* Illam velut Tridentinæ Synodi dispositionem, etiam in Galliis receptam esse, ipsius jam vidimus Sorbonæ testimonio declaratum. Imò diu ante eadem Academia cum celebri suo Cancellario Joanne Gersone, & Galliæ Clerus cum suo Tolosano Concilio præluxere Tridentinis Patribus ad saluberrimam regularum istiusmodi conceptionem.

Quesnellista: Tuo ipse te perimis gladio; vides enim in geminis Tridentini textibus nullam vocem esse de Regulis, nullam de versionibus Scripturarum vernaculis, & ab Episcopo approbatis; Proinde regula prohibens vulgarium lectionem omnium versionum, à suis solùm obtinet authoritatem Scriptoribus, & approbante Pontifice; non autem à Concilio.

Catholicus: Quibus perspecta meliùs fuerit Tridentini intentio; num hodiernis adversariis nostris, an ipsius Synodi Patribus, qui cum cæteris fuêre Decreti authores; imò universi qui Concilio interfuerant Antistites, & Theologi, & editas postea cum *Indice* Regulas, velut ex delegatione Concilii conspexere? Neque tamen, vel unus ex omnibus verbo aut scripto reclamasse deprehenditur quasi contra abusum concessæ à Synodo potestatis. Neque ad

ad Arnaldi usque tempora spatio seculi, ullus uspiam vocavit in dubium, quin delegati Patres fideliter executi fuerint impositam sibi à collegis Episcopis commissionem. Noverant scilicet delegati universos Concilii Antistites ingemuisse malis, quibus Ecclesia affligebatur, invalescente in tot Regnis, ac Provinciis hæresi.

Huic sistendæ remedium quærebatur, quod non usque adeò apparebat in promptu ob librorum exitialium, & suspectorum multitudinem, quos singulos accurato discutere examine, laboris, ac molestiæ videbatur interminabilis, atque ad sistendam perniciem minimè sufficere. Cùm enim emergentes quotidie novi hæretici novos protruderent opinionum Scripturumque fœtus detestabiles, prospiciendum Ecclesiæ potissimum erat de modo impediendi eorumdem imposterum editionem. Alius autem non occurrebat opportunior, quam præscriptio regularum, sinè quibus nullas liceret edere, aut editas vendere, distribuere, aut legere lucubrationes. *Cùm autem*, ut dicitur Regula 4. *experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari linguâ passim sinè discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur &c.*

Duo scilicet circa editiones Bibliorum vernaculas præcipuè attendenda sunt: primum, plerasque infidas esse atque in pluribus suspectas; etiam quæ Episcopum aliquem nactæ sunt approbatorem; quia vel is non nisi perfunctoriè examinavit, vel curam illam commisit Theologo multis aliis distracto, si non etiam (unde major Ecclesiæ calamitas) theologus, & ipse forsitan Antistes novitatibus patrocinetur. Alterum est, quod etsi versiones supposueris innocuas; non tamen expediat eas passim committere manibus imperitæ, & rusticæ multitudinis; mulierum etiam omnis generis, & ætatis; quæ turba levis communiter, & imprudens, antilogiis, in Scriptura apparentibus conciliandis minimè idonea est, uti neque discernendis sensibus mystico, & literali. Dum autem omnia significatione accipit obviâ, & grammaticali, in quos non errores labi præcipitem necesse est?

Exempla enatarum inde hæresum omnes Polemici Scriptores referunt funestissima, ut posteris documento sint, non esse passim rudibus utriusque sexus Scripturarum vulgarium lectionem sinè discrimine permittendam. Ita censuere pridem viri ex omni ordine, & natione Doctissimi, ex Italis Cardinalis Bellarminus, Ambrosius Catharinus, ex Polonis Stanislaus Hosius Cardinalis Tridentino Concilio Præfectus, ex Hispanis Jacobus Ledesma, Alphonsus à Castro, ex Anglis Nicolaus Sanderus: ex Gallis Cardinalis Perronius, Illustrissimus Lizetius, Spiritus Roterus, Ponectius, & utriusque Superioris seculi Sorbona, præeunte suo Cancellario Gersone, sequentibus Regni Præsulibus in generali conventu Lutetiæ congregatis: prælucente verò omnibus ante quinque secula Tolosano Concilio, cujus gravissimum contra vos decretum est.

Quesnellista: Vetera ista & obsoleta moribus contrariis abrogata sunt.

Catholicus: Quo antiquiora, eò penès catholicos digniora veneratione sunt; non tamen ut ais, obsoleta, utpote quæ à Galliæ Clero in Comitiis generalibus anno 1661. literis ad Alexand. VII. datis noscimus consensu omnium maximè unanimi confirmata. Eodem anno ex omnibus qui in promptu erant, Authorum magis Illustrium operibus, contra vos collecta cum rationibus Theologicis testimonia suis iterum, & Regiis typis divulgari *jussit, ac mandavit* quemadmodum Parisiensi illius temporis editioni præfigitur. Rursus anno 1700. Gallorum Præsulum Congregatio generalis considerans duo Brevia Innocentii XII. ad Belgii Episcopos, vocat *æquissima, & ab omnibus approbata*. Primùm autem ex illis Brevibus erat anni 1694. 6. Februarii secundum 1696. 24. Novemb. in posteriore declarat Pontifex: *quod attinet ad libros Sacra Scripturæ idiomate vulgari traductos, & alios prohibitos, patent Constitutiones prædecessorum nostrorum, & potissimum felic. recor. Pii IV. à quibus satis superque abusibus providetur*. Non obsoleta, sed recentia hæc sunt, & à Clero Galliæ recentiùs approbata.

Longè etiam minor spes naufragæ vestræ novitati est in Belgio. Regulas enim *Indicis* Placito Regio munitas, & legitimè promulgatas illic fuisse tempore Ferdinandi Ducis Albani, testatur Jurium Belgicorum, & Consuetudinum peritissimus Scriptor Belga Zypæus de jure novo pag. 3. Synodus quoque Provinciæ Mechliniensis Belgis omnibus probatissima anno 1607. tit. 1. Cap. 7. *Parochi* [inquit] *sibi subditis prohibitiones, quæ habentur in Indicibus librorum prohibitorum Sedis Apostolicæ authoritate post Concilium editas, crebrò inculcent*.

Adeò autem religiosa fuit semper in Belgio Re-

Regulæ potiſſimùm quartæ, de non legendis ſinè facultate Bibliis vernaculis, obſervantia, ut quando Joannes Neercaſſelius, & Andreas Schurius in Hollandia atque Ægidius de Witte vulgò *Candidus* in Belgio Catholico quod ab Arnaldo incautè didicerant, Regulæ iſti contrarium in lucem protrudere cœperunt, gravis orta ſit bonorum omnium contra eos offenſio, & complures ex variis ordinibus contra eoſdem calamum ſtrinxerint, ſucceſſu minimè pœnitendo. Vel maximè autem omnium Belgii noſtri Antiſtitum zelus excitatus eſt, ut collatis inter ſe conſiliis, editis decretis novitatem reprimerent, graviſſimas etiam querelas ad Innocentium XII. literis communibus deferentes.

Ejuſdem pertinax novitatis defenſio Ægidium Candidum adegit deſerere Mechlinienſem Eccleſiæ Collegiatæ Decanatum pariter, & Parochiam: ac tandem, cum neque in Diœceſi propria Gandavenſi, neque in toto Belgio catholico ſedem ſecurus figere ſineretur, tutius ſibi refugium non reperit, quàm in Hollandia.

Denique, nec in poſterioribus ad *Indicis* Regulas additionibus ullum vobis contra Regulam quartam præſidium eſt. Additio enim Clementis VIII. ad regulam illam de qua præcipuè diſceptatur, non inſeritur ipſi regulæ, velut mutatio, ſed clarâ loci, & tituli diſtinctione *Obſervatio*, ſive ſupplementum, & reſtrictio, quam exigere videbatur quorumdam Antiſtitum, Inquiſitorum, & Superiorum Regularium in concedenda legendi Scripturas Vernaculas facultate imprudens nimiùm, & perniciosa indulgentia. Verùm de hac nulla nobis cum adverſariis diſputatio eſt, ut nulla in Queſnelli Articulis mentio; ſed de poteſtate, & quodammodo neceſſitate lectionis iſtiuſmodi omnibus attributa abſque ullius licentia ſuperioris.

Queſnelliſta: Multa hìc comminiſceris à me antea, ut verum fatear, ignorata; ſed aliquo indigent examine; aliàs, ſi veritate nitantur, non video quis nobis locus commodus relinquatur impoſterum defenſioni.

Catholicus: Univerſi à me poſiti antecedentis, perpetuum me vadem habes; unde concluſionem retine ſecuriſſimam.

Propoſitio damnata nonageſima prima.

Excommunicationis injuſtæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro. Numquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulſi, quando Deo, Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus. *Obſerv. Mor. in Joan. 9. v. 22 & 23.*

CAPUT I.

Damnatus articulus plenus dolo, & pernicie, etiam de falſitate convincitur.

1 Angelici Supplementum quæſt. 21. art. 4. corp. *Excommunicatio* [inquit] *poteſt dici injuſta dupliciter; uno modo ex parte excommunicantis: Sicut cùm ex odio vel ira aliquis excommunicat. Et tunc excommunicatio nihilominus habet effectum ſuum; quamvis ille qui excommunicat, peccet; quia iſte juſtè patitur, etſi ille injuſtè faciat: alio modo ex parte ipſius excommunicationis; vel quia cauſa excommunicationis eſt indebita; Vel quia fertur ſententia, juris ordine prætermiſſo. Et tunc ſi ſit talis error ex parte ſententiæ, qui ſententiam nullam eſſe faciat, non habet effectum; quia non eſt excommunicatio. Si autem talis error non annullat, habet effectum ſuum: & debet excommunicatus humiliter obedire (& erit ei ad meritum) & vel abſolutionem petere ab excommunicante, vel ad Superiorem judicem recurrere. Si autem contemneret, eo ipſo mortaliter peccaret. Contingit autem quandoque quod ſit debita cauſa ex parte excommunicantis; quæ non eſt debita ex parte excommunicati; Sicut cum aliquis pro falſo crimine in judicio probato excommunicatur; & tunc ſi humiliter ſuſtinet, humilitatis meritum recompenſat excom-*

municationis damnum.

Ad primum ergo dicendum quod quamvis homo gratiam Dei injustè amittere non possit; potest tamen amittere illa injustè quæ ex parte nostra sunt, quæ ad gratiam Dei disponunt, sicut patet; si subtrahatur alicui doctrinæ verbum, quod ei debetur: & hoc modo excommunicatio gratiam Dei subtrahere dicitur.

Ad secundum dicendum quòd Hieronymus loquitur quantum ad culpam, & non quantum ad pœnas, quæ possunt etiam injustè infligi à Rectoribus Ecclesiarum.

Quæ hactenus ex Angelici Supplemento retuli, integra continentur etiam lib.4. Sentent. dist.18. quæst.2.art.1. q.4. Eadem est communissima Juris Ecclesiastici peritorum sententia, plurimas occurrere excommunicationes injustas, quæ tamen adeò non destituuntur omni robore, ut eas despiciens peccaret graviter. Quid enim si, ut sæpe fit, lata fuerit censura, servato juris ordine, juxta testimonia scilicet etiam sacramento confirmata, licet experta veritaris? validam esse traditur XI. q.3. Sententia c. *Episcopus* §. *Si ergo*, §. *Cùm autem*, & c. *quibus Episcopi* de Sententia excommunicationis Cap. *Sacro*, gl. in c.1. in fi. de offi. Ordi. in VI. Et in C.1. in princ. *quod me* Causa eo. lib. & Bald. in addi. Spec. de appell. Verb. *Si appellans*. Vide in Spec. *depositio* §. VI. post versic. *Quid si pono*. Et *impedit celebrare* per gl. 11. quæst. 3. *Non debet*. Et per Felin. in c. *prælatis* de sententia excomm. in 1. col.161. no. *qui*.

Præterea etiam talis injusta excommunicatio nocet ad participandum. Ang. in Authen. de Episco. & Cleri §. *Nullum*.

Sententia quoque lata contra jus de quo potest probabiliter dubitari ratione consuetudinis aut aliâ, valet. No. Ant. & Abb. in C. *Cum causam* circa princ. de Elect. *Facit quod*. No. Inn. in C. *Cum speciali* De Appel. Et in C. *Cum P. & G.* de Off. de leg.

Rursus Sententia contra legem de cujus intellectu dubitatur valet Bar. in l. *cum prolatis*. Et ibi vide omnino Do. Alex. in q.10. *Cum concor.* Ibidem *per eum signatis*. Et Panormitanus in D. C.1. in 4. col. de re judi. Quem etiam vide in l. *qui Romæ* §. *Duo Fratres*, de verb. oblig. Bald. in legem 2. *Quando* prov. *non est ne.* in 2. col. ver. ultimo not. ubi Pet. de Sun.

2 Audiendus etiam celebris interpres Canonum Prosper Fagnanus Commentario in secundam partem libri Quinti Decretalium, de Sententiâ excommunicationis C. *Responso*. Num.100. postquam dixit quod *Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta, semper timenda sit*, confirmat cum Archid. in cap. *Romana*, num.6. monens *hoc verum esse, quando lata est per Pastorem, & Judicem Ordinarium, & in talem, qui etiamsi sit sinè culpa; tamen culpam committere potuit, pro qua excommunicatus est*.

Num.102. „ Olim excommunicabatur „ Capitulum: hodie standum est contra- „ rio. Si tamen feratur, excommunicatio „ tenet etiam hodie, ut hic, Petr. de An- „ char. in D. Cap. *Romana* num.4. in Verb. „ *prohibemus*, ubi dicit eo verbo non ob- „ stante, sententiam latam tenere; licèt sit „ injusta. Et idem secundùm eum tenet „ Lap. Abb. Et propterea in simili senten- „ tia excommunicationis lata contra Con- „ stitutionem cap. *Sacro*, supra eodem, & „ cap. *Medicinalis* eodem tit. lib.6. non est „ nulla secundùm Bernard. Hostien. & alios „ dummodo feratur ab Ordinario, ut in di- „ cto §. *In Universitatem*, & in cap. *Sen-* „ *tentia Pastoris*, & ibi per Archidiac. in „ ver. *De hoc* 11. quæst.3.

Passim igitur jus Ecclesiæ callentibus, indubitatum est, in excommunicationum injustarum numero reperiri non paucas nihilominus validas, quæ proinde à multis actionibus aliàs licitis, perhonestis, ac debitis excommunicatum retrahunt necessariò, donec à superiore legitimo fuerit absolutus. Idem ex alio principio Fagnanus infert, quod adversariis displicere minimè deberet; Si verò rigoris studio ferrentur, quod simulant: ubi [inquit num.104.] tot gravium authoritas Doctorum valorem excommunicationis injustæ reddit probabilem, suadet prudentia, imò conscientia obstringit, ut excommunicationi etiam tantùm probabiliter validæ nos conformando à peccandi periculo removeamur. At, inquiunt adversarii, tantùm negat Quesnelli articulus nos excommunicatione injusta debere ab actibus impediri, ad quos ex officii nostri debito adstringimur: *Excommunicationis injustæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito nostro*.

3 Objectionem hanc fallaciæ plenam prævenientes, sic dejecerant centum Galliæ Episcopi in Documento suo Pastorali. „ Ad Conscientiæ suæ tribunal revocant „ theologi isti litem de excommunicatio- „ nis justitia, vel injustitiâ dirimendam. „ Censebunt procul dubio injustam esse, „ atque adeò nullam ejus habendam ra- „ tionem, neque se impediri debere ab „ implendo suo, ut nominant, debito. Sed „ quale hic debitum intelligunt? Nam

„ ap-

„ pellatio generica eft, complectens non „ ea folummodo, quæ præcepti naturalis, „ & Divini funt, fed etiam quæ humani; „ Hinc Presbyter dogmatibus eorum „ adhærens ftatuet recufandam fibi Alexandrinæ formulæ (contra Janfenium) „ fubfcriptionem: neque à facrificio fibi „ quantumlibet interdicto abftinendum, „ neque laicus intermittendam fibi Pafchate communionem. *Numquam* fcilicet juxta illos, *eximus ab Ecclefia quando Deo, Jefu Chrifto, atque ipfi Ecclefiæ per charitatem affixi fumus*. Quis Janfenifta „ perunctus iftiufmodi principiis, parendum fibi ftatuat cenfuris Ecclefiæ „? Hactenus centum, & amplius Galliæ Antiftites, quorum animadverfio, quidquid contra eam Quefnelli intemperiæ, eique patrocinantium rabies, infenfatis clamoribus moliantur, nihil continet nifi tantorum Præfulum dignum fapientiâ, juftitiâ, & veritate, quemadmodum mox deductio copiofior demonftrabit: confutatis etiam fingulis Novatorum rationibus, ut omnis eis querelarum occafio præcidatur. Interim profequenda hic Quefnelliani dogmatis impugnatio.

Profperum Fagnanum, vel ob Probabilifmi, ut dicitur, infectationem adverfariis præcipuè venerandum, audivimus definientem Cap. *Refponfo* de Sententia excommunicationis. Nunc addo ejufdem in cap. *Per tuas* Commentarium. „ Nota [inquit] „ ex textu, & menti commenda plures differentias, inter nullitatem, & injuftitiam „ excommunicationis. Prima differentia „ eft, quia dicens excommunicationem „ nullam, auditur, licèt non petat abfolutionem purè, vel ad cautelam, ut in textu „ ibi... At verò dicens fententiam Excommunicationis injuftam, non auditur „ volens probare ejus injuftitiam; nifi ante omnia petat abfolutionem, ut patet „ in textu ad finem ibi. *Verùm in aliis*, „ ideft ubi non proponitur Excommunicationis nullitas; fed injuftitia, *nifi gratiam abfolutionis imploret, non debet audiri*, & tenet Glof. in ver. *in aliis*. Jo. Andr. & fequentes fupra in Summ. Butr. „ num.14. Abb. & Mar. Socin. locis citatis. Oldr. conf. 93. Magifter Ordinis „ num.19. verf. *non obftat*. Et ad hoc quotidie allegatur hoc caput. Concordat „ textus in cap. *cùm contingat*, fupra de „ Offic. deleg. Ubi qui dicit fententiam „ nullam, admittitur ad probationem, antequam abfolvatur; fed qui dicit, eam „ injuftam, ante abfolutionem non admittitur. Ratio differentiæ eft; quia excommunicatio etiam injufta ligat quoad Ecclefiam militantem „.

Quod ubi multiplici confirmavit Auctoritate, mox addit. „ Quin imò excommunicatus non petendo abfolutionem, „ videtur contemnere fententiam Ecclefiafticam, & ex hujufmodi contemptu „ magis ligatur, ut hic dicitur in litera, & „ notat præcitata Gloffa, adeò ut tunc incipiat ligari, etiam apud Deum „. Ad hunc Fagnani commentarium remittimur etiam à Deckero Metropolitanæ Ecclefiæ Mechlinenfis Decano in *Notis Brevibus* ubi addit. *Præterea quàm facilè nonnulli fuo, vel quorumdam amicorum fuorum judicio freti, præpofitifque fuis inobedientes, fibi perfuadent, fe non nifi veritatem, & juftitiam fectari, ideoque excommunicationem non nifi injuftè contra fe ferri?* Quæ nota brevis; fed fapiens exemplis poterit minimè dubiis, & nimium frequentibus confirmari. His locus dabitur in fequentibus.

4 Denique Stephanus de Avila, etfi inter juris Canonici interpretes minimè rigidus; imò cæteris paffim benignior, etiam ubi de excommunicationibus agitur; tamen Tract. de cenfuris fecunda parte cap.6. difp.1. dubio 2. ait: *Excommunicatio injufta, ex eo folùm quod deficit recta intentio judicis, vel ordo juris, qui non eft effentialis, habet omnes fuos effectus in foro interiori, & exteriori. Ita Navarrus cap.27. num.3. Et probatur*; *nam quantum ad effentialia non differt ab excommunicatione jufta*. Altera ejufdem authoris conclufio ibidem mox fubditur: *Quando Caufa eft dubia; fi feratur excommunicatio in favorem unius partis, ligat in Confcientia. Verbi gratia Petrus, & Joannes litigant fuper fundum, & advocati infignes pro utraque parte dicunt juftitiam effe pro fua parte: Judex præcipit Petro fub excommunicatione latæ Sententiæ, ut intrà certum terminum tradat fundum Joanni, tenetur obedire fub excommunicatione in foro exteriori, & etiam interiori, fi non appellet, vel quærat alia remedia juris: & fi celebret poft talem excommunicationem, erit irregularis, quantumcumque fui Advocati dicant, talem fententiam, effe injuftam. Sic Soto, & communiter Magiftri*.

Si verò Excommunicatio fecundùm allegata quidem, & probata, à regulis juftitiæ non deviet; excommunicatus tamen reverà innocens fit, afferit hic author contra plurimos in foro interiori effe invalidam. *Nihilominus*, inquit, Dubio 3. *Ifte excommunicatus tenetur in foro exteriori fe gerere, ut ex-*

excommunicatus. *Ita Soto Ledesma, Covar. locis ubi supra. Victoria in Sum. num.7. Conclus.1. Probat. hoc Covar. ex multis textibus unde si publicè ingerat se Divinis, peccat mortaliter*.

Qualiscumque proinde placuerit inter Sententias Doctorum, saltem probabiles, nullam reperies damnato articulo suffragari: *Excommunicationis injusta metus numquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Numquam eximus ab Ecclesiâ, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus*. Omnes scilicet catholici conveniunt in illud S.Gregorii homilia 26. in Euangelia: *Utrum justè an injustè obliget Pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is qui subest, & cum injustè forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo, vel absolvere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem qui sub manu pastoris est, ligari timeat, vel injustè. Nec pastoris sui judicium temere reprehendat, ne etsi injustè ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat*.

Maximè verò excommunicationis Sententia, uti ex Doctorum omnium consensu perspicimus, semper grave malum est, & omni diligentia devitandum, utpote quod ingentibus, etiam innocentes bonis spoliat; communione scilicet fidelium, Divinorumque participatione mysteriorum, quibus ne assistere quidem excommunicatus permittitur: peccaturus graviter si horum quidpiam ante absolutionem attentare præsumpserit. Sacerdos etiam irregularitatem contrahit, saltem exteriorem, & in foro militantis Ecclesiæ, si sacris fuerit operatus, potissimum publicè. A veritate pariter alienum est, innocuos, & Christo intimè charitate conjunctos, expelli numquam ab Ecclesia [quæ Societas fidelium est unione visibili, & participatione Sacramentorum invicem colligata] quamvis ad eandem interiore charitatis vinculo arctissimè juncti pertineant.

5 Dices: nonne consonum veritati est, excommunicationes aliquas laborare istiusmodi injustitiæ vitio, & nostra quædam debita esse talia, ut excommunicationum illarum formidine averti minimè debeamus, imò neque possimus licitè ab incumbente nobis onere officii?

Nullus iverit inficias; sed non propterea desinet fatua esse, & perniciosa maximè, quæ hinc inferretur conclusio, quasi qualiber, & undecumque orta excommunicationis injustitia sufficeret, ut numquam, à nostri etiam qualicumque impletione debiti, & in quibuscumque circumstantiis impediamur. Sæpe enim, ut Doctor Angelicus, & cæteri communissimè theologi, legumque Ecclesiasticarum interpretes superiùs allegati fatentur, talis injustitia est, quæ robur Sententiæ non infringat. Sed ut debiti ratio generica, latissimam patitur significationem, & gradus varios, ut subinde momenti gravissimi debitum sit, & obligationem inferens indispensabilem, aliàs verò ponderis sit levioris, quin & levissimi: humanaque solùm authoritate, non Divinâ, non naturali, ac prorsus inviolabili, seu indispensabili lege impositum. Quod humani tantummodo juris est, eliditur malo imminente aliàs graviore. Aliud religiosi debitum est voti essentialis observatio, aliud regulæ simplicis dirigentis. Sic ipsi adversarii de *debito* non strictè dicto, explicari modo cupiunt assertum articulo 82. *Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia lectionibus Sacrarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere*.

Humani generis Conditor singulos mortalium constituit vitæ propriæ custodes. Ab hoc debito naturæ officio, non liberat nos cujuslibet levis incommodi metus, neque temporalis boni levissimi obtinendi, vel retinendi desiderium; licèt permittat sæpe, & aliquando exigat bonum ordinis superioris, ut propter illud vita præsentissimo exponatur discrimini. Evidens istud est in Pastoribus, qui si alii defuerint Sacramentorum administri, tenentur ea subditis etiam peste laborantibus conferre. Quis Christianus laude dignum non existimet illum, qui infanti in fluvium delapso, & constituto in mortis articulo succurreret, ut eum Sacro baptismate cœlo transcriberet, contempto mortis suæ corporalis discrimine? Ita charitas semper laudabitur S. Joannis de Deo, de quo in horis Canonicis legimus, *Quod cùm maximum in Regio Granatensi valetudinario excitatum fuisset incendium, impavidus prosilierit in ignem, huc illuc discurrens quousque tum infirmos humeris exportatos, tum lectulos è fenestris projectos ab igne vindicavit, ac per dimidiam horam inter flammas, jam in immensum succrescentes versatus, exinde divinitus incolumis, universis civibus admirantibus exivit, in Schola charitatis edocens, segniorem in eum fuisse ignem qui foris usserat, quàm qui intus accenderat*.

Si-

Sicut igitur vitæ propriæ custodiendæ debitum non semper nos retrahere debet, quin urgente aliquando charitatis officio, eam exponamus discrimini. Sic etiam, & quidem faciliùs detrimentum aliquod patiemur valetudinis, & religiosus regulæ, quam prudentia dictaverit cedere debere, graviore id exigente, seu propria, seu proximi necessitate. Omnibus denique exploratum est, latissimam esse *debiti* significationem, & prout illud gravius fuerit, aut levius, comparatum malo opposito, quod timetur, ad prudentiam attinêre, ut statuatur cui cedendum potius sit, quodve alteri postponendum.

Iniquissimum itaque est, aut malesanum, inter debita non distinguendo, quodlibet cujuscumque generis, gradus, aut etiam levitatis fuerit, pluris facere, quàm observationem excommunicationis in genere aliquo injustæ. Exempla passim occurrentia eam lucem afferunt veritati, ut Quesnelliano articulo, non nisi crassa ignorantia, aut malevolentia turpior valeat patrocinari.

6 Inter Christiani hominis debita sunt communio Paschalis, & diebus Dominicis, & festis omnibus præsentia in Missæ Sacrificio, in Religiosis etiam pluribus, & beneficio gaudentibus Ecclesiastico frequentatio chori quotidiana. Quis verò sapiens dubitet, quin à Superiore legitimo juxta juris ordinem excommunicatus, etsi aliunde sibi conscius innocentiæ, teneatur reverentiâ censuræ à memoratis officiis, aliàs debitis abstinere, saltem in publico, ne scandalum proximo pariat, & authoritatis contemptor improbus censeatur. Talibus quidem malis, quantumvis gravibus, & ingentem progignere solitis Ecclesiæ turbationem, minimè terretur novatorum temeritas, seu nova Quesnellianæ sectæ religio. Cujus illustre, sed luctuosissimum simul specimen dédit infelicis recordationis Archiepiscopus nuper Sebastenus, in fœderatis Belgii Provinciis Vicarius aliàs Apostolicus, Supremâ postmodum authoritate Vicarii munere depositus, atque iteratâ Sanctæ inquisitionis Sententiâ post obitum declaratus, sepulturâ indignus Ecclesiasticâ, & suffragiis catholicorum. Adeò in reprobum sensum miser-actus fuerat, malesana Quesnelliani dogmatis persuasione: *Excommunicationis injustæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Numquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus*. De infelicis istius Antistitis luctuoso casu sermo redibit copiosior cap. 5.

Famosior in Galliis est Monialium Portus Regii annis plurimis in adamando hæretico Jansenii sensu quasi catholico pertinacia, cum publico excommunicationis contemptu. Hunc præsens scilicet novi Symboli firmarat articulus, *Excommunicationis injustæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito &c.* ut supra. Mereri id fortè videbitur narrationis paululum amplioris cap. 3. Interim stabilita hic robore inconcusso maneat credita hactenus à Christi fidelibus, & ubique usu receptissima veritas, quod excommunicatio etiam injusta, adeóque ejus metus, ab implendo debito retrahere nos aliquando debeat.

7 Non nisi priorem Quesnelliani articuli partem convellere hactenus visus sum; Verùm omnis ea authoritas, & ratio, quæ, ut ex Superioribus liquet, pro anathematum etiam injustorum quorumdam valore, saoè gravissima est, simul manifestè conficit, *exire* nos aliquando *ab Ecclesia* militante, etiam *quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem intimè affixi sumus*. Est nempe Ecclesia juxta receptam communiter Bellarmini definitionem lib. 3. de Ecclesia cap. 2. *Cœtus hominum ejusdem Christianæ fidei professione, & eorumdem Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè unius in terris Christi Vicarii*. A Sacramentorum autem communione arceri percussos anathemate, etiam injusto, quoties validum est, aut quasi tale ab Ecclesia propter servatum juris ordinem judicatur, ex superioribus indubitatum est. Ut autem omnes ambiguitatis tenebræ depellantur, in quibus unicum erroris præsidium est; nota aliud esse manere in Ecclesia, corpore & animo, aliud animo solo: posterius convenit justis sententia aliquo modo iniquâ, sed tamen validâ ab Ecclesiæ corpore separatis. Priori autem ratione justum extra Ecclesiam esse neque definit Apostolica Sedes, neque nos contendimus. Porrò separari ab Ecclesiâ etiam solo corpore, ingens malum est, & abunde sufficiens, ut ejus metu ab alicujus impletione debiti impediamur. Eripit enim, ut jam monui, communionem cum fidelibus, & participationem, potissimùm publicam, Sacramentorum. Accedit prohibitio ne ulli liceat interesse Sacrificio, aut alteri functioni Sacræ, interdictum præterea sepulturæ Ecclesiasticæ, & solitorum Ecclesiæ suffragiorum.

Im-

Impugnavi hactenus Quesnelli articulum juxta significationem ejus obviam; minimè verò malitiam ejus minuit circumstantia authoris, eique adhærentium sensus. Arcanum, & intimis animorum recessibus latentem non scrutor, Dei judicio reservatum; sed intentionem solummodo considerabo, luculentis exteriùs indiciis ab ipsis authoribus manifestatam. Hanc tuis Lector oculis expositam dabo tribus proximis capitibus.

CAPUT II.

Damnati articuli sensus, prout à suis authoribus contra Bullas S. Pii V., Gregorii XIII., Urbani VIII., Innocentii X., Alexandri VII., Clementis IX. in praxim deducitur.

1 IN Quesnelli eique adhærentium Systemate, omne contra eos, aut eorum sententias anathema necessariò illegitimum est, injustum, & nullius roboris, utpote proveniens ex errore intolerabili Scripturis Sacris, ac traditioni contrario. Præterea juxta Propositionem præcedentem *Ecclesia* quidem *authoritatem habet excommunicandi, ut eam exerceat per primos Pastores*; sed attentè considera nefariam conditionem *de consensu saltem præsumpto totius corporis*. Hic scilicet à novis istiusmodi Augustini discipulis quandonam contra sua dogmata, aut praxim præstitus est? Quandonam præsumi sapienter potuit, aut poterit deinceps, ubi comperta adeò eorum est de universis suis opinionibus velut Augustinianis confidentia, & post damnationem pertinacia, nullis moveri solita Ecclesiæ Decretis, definitionibus aut censuris?

Pius V. Constitutione, quæ incipit *Ex omnibus afflictionibus*, damnat 79. Baji, & Sociorum ejus articulos, velut *erroneos, hæreticos*, aliisque respectivè afficit censuris, *interdicens quibuscumque de iis disputandi facultatem, qui secus fecerint*, inquit Sanctissimus Pontifex, *ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & Officiis perpetuò privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus. Vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus Romano Pontifice inferior, valeat ipsos, excepto mortis articulo liberare*. Idem anathema confirmavere Gregorius XIII., & Urbanus VIII.

Pontificiam censuram prævenerant Academiæ complures, etiam Sorbona: Universa postmodum consensu tacito probavit Ecclesia; Bajo etiam se submittente, & retractante publicè: adeò ut, ipso agnoscente Noaillio, in Epistola ad Clementem XI. anno 1711. *Apostolicis istis contra Bajum definitionibus, nihil desit, ut universam obligent Ecclesiam*. Quid autem Gabriel Gerberon cujus in defendendis Baji, & Jansenii dogmatibus audacia Quesnellianæ palmam aliquando præripere visa est? *In Adumbrata Ecclesia Romana defensione* fictitio nomine *Ignatii Eyckenboom*. pag. 1. *Si*, inquit, *in Bajo, & Jansenio eam doctrinam .... quæ in eorum operibus verè legitur, censuris istiusmodi proscriptam consitemur*, *Leydeckerus* [Calvinista] *Ecce triumphat, ex sola librorum Baji, & Jansenii inspectione ... convictus, eam, quæ à Bajo, & Jansenio verè exponitur, doctrinam non aliam esse ab illa, quæ ab antiquis recentioribusque schola Augustiniana, & Thomisticæ discipulis genuina agnoscitur Apostoli, & Augustini sententia*.

Pag. 18. *Baji opera æternis sæculis digna priscam SS. Patrum, maximè Augustini doctrinam ubique spirant*. Idem libello cui titulus: *Disquisitiones duæ de gratuita prædestinatione, & gratia se ipsa efficaci* pag. 9. ait: *Quod Bajus catholicum Sancti Augustini intellectum circa proscriptos articulos tradiderit, nemo cordatus, & in Augustino versatus potest inficiari*.

Quomodo igitur anathema iisdem inflictum articulis, & cuilibet eorum in posterum defensori, non habeatur in nova Ecclesia injustum, ut nemo propterea ab iisdem debeat dogmatibus absterreri, nemo retrahi à propugnandæ prætensæ debito veritatis? In nova operum Baji editione cum vindiciis impudens rursus Gerberon post relatum Pii V. contra articulos istos anathema, post etiam promissam à Bajo Constitutioni obedientiam, *Utinam* (inquit) *adeò diligens, & accurata fuisset ista inquisitio, ut aliquas Sanctorum Patrum, ac Conciliorum sententias non reprobasset, & in alias brutum, & irritum fulmen non contorsisset*! Ibidem observ. 5. dicitur: *Delatores, ac impostores suis fraudibus, ac mendaciis ita circumvenisse Pium V., ut tandem ab eo censuram, ac diploma adversùs has sententias extorserint*. Ibid. *Animadvertendum est secundò Pii V. Bullâ Articulos condemnari.... qui intellectum fidei, ac Catholicæ S. Augustini doctrinæ planè consentaneum ubique præseferunt, nudè ac simpliciter proscribi in multam Sedis Apostolicæ injuriam, ac grave omnium eruditorum scandalum*. Quid aliud requi-

quiras, ut in Gerberonii Sententia Pontificium anathema injustum habeatur, & irritum, *brutum* ipse vocar, & *irritum fulmen*.

Post plura istiusmodi sic concludit, *Ex quibus aquiores arbitri deducunt, non inutilem modò; sed fovendis, & augendis, quàm sedandis, ac componendis contentionibus aptiorem; imò magis in Catholica veritatis perniciem, quàm in errorum extirpationem latam esse arbitrantur censuram hanc*.

Universam hanc turgentem mendaciis perniciosis, & acatholicis hypothesim, quisquis veluti veritati congruã venditat, quomodo sibi persuaderi sinet, ut Bajanos à se articulos abdicet formidine censuræ, quæ ejus judicio injusta, exitialis, & irrita est, *brutum, & irritum fulmen*?

2 Explorata sunt Innocentii X. & Alexandri VII. contra Doctrinam Jansenii, quinque propositionibus comprehensam anathemata. His minimè commotus Quesnellus, propositiones illas verbis prorsus æquivalentibus, imò subinde durioribus inserit suo *Moralis Euangelica compendio*, seu *Moralibus in Novum Testamentum observationibus*, ut Tomo primo locis à me pluribus ostensum est; Ideo ut refertur in processu contra eum juridico, seu Causâ Quesnelliana Art. 9. *Dolet nimium adhuc authoritatis in Jansenii adversariis esse, & non satis luminis in judicibus, ut ei illata injuria reparetur*.

Interim, inquit Petrus de Ligny inter Duacenos ob Jansenismum exules famosus, ut referunt *arcana partis Jansenianæ*, juxta editionem anni 1691. pag. 66. *Persuasum prorsus habeo Iprensium Antistitem à Molinistica fuisse factione condemnatum, cumque non alias de gratia sententias tradidisse, quàm Augustinianas; imò nullum umquam Pontificem clariora dedisse fallibilitatis sua indicia, quàm propositiones 5. feriendo in sensu Jansenij. Propterea libros omnes de Jansenismo agentes lego sinè scrupulo*. Non minùs sinè scrupulo approbationem atque insigne elogium dedit septem thesibus purum continentibus Jansenismum, quas verè Arnaldicas credidit, dum erant ab Arnaldo fictitio subornatæ. Subscripsit illis conclusionibus Petrus anno 1690. die 18. Novembris; ut nempe debitum impleret obediendi supremo sicut credidit, novæ Ecclesiæ capiti Arnaldo, qui videbatur talem ab ipso, & Sociis exigere subscriptionem.

Ut enim ipsi non minoribus, quàm Judæi Messiam, suspiriis tempus expectant, quo eloqui apertè liceat, quod sentiunt, quemadmodum detectis ea occasione literis ipsorum legimus declaratum, illud tunc advenisse tempus ab eis creditum est, quamvis non absque formidine de opposito: quia, ut plures se explicabant, fortem timuere similem ei, quæ paulò ante obvenerat Jacobo Gilbert Academiæ Duacenæ Cancellario, videlicet Regis Christianissimi jussu exilium. Minima verò cura erat, imò nulla de evitando Innocentii X., & Alexandri VII. contra Jansenii Doctrinam anathemate; quia nempe illud sæpius in variis novæ Ecclesiæ tribunalibus de injustitia fuerat condemnatum: Definiente quoque Quesnello Arnaldi discipulo intimo, & pro novæ gubernatione Ecclesiæ, veluti Vicario generali, *Excommunicationis injusta metus numquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Numquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulsi quando Deo Jesu Christo atque ipsi Ecclesia per charitatem affixi sumus*.

Exilii metus, ut eventus docuit, non inanis fuit; quamvis tunc inefficax, ut eos à prætenso Jansenianæ professionis debito implendo abstraheret. In illa novorum dispersione Apostolórum Petro de Ligny obvenisse Polonia dicitur: an aliquem eius operâ progressum in Regno illo, novum Euangelium fecerit, non habeo exploratum. Idem antea fidei professionem insigniter Jansenianam, duodecim complectentem articulos, miserat ad Episcopum similibus autumans dogmatibus imbutum.

Remotissimus pariter ab omni scrupulo, & anathematis metu est Ægidius Candidus, ne propter illud à defendendo strenuè Jansenismo, quò debitum sibi vix ullum arctius agnoscit, ullo se removeri tempore patiatur. *In Apologiâ Panegyrios Jansenianæ* pag. 22. *Demonstrandum* (inquit) *perspicuis rationibus, quod perquàm est facilè, doctrinam Ecclesia magis jam esse illigatam Jansenio, seu personæ, ac scriptis ejus, quàm umquam personæ Athanasii innexa fuit. Una conveniet declarare, Scriptoris gloriosi volumen, tum dignitate materia, tum excellentiâ Sapientia, tum pietatis afflatu, libris omnibus, quos Ecclesia Dei post canonicas Scripturas protulit, aut non cedere, aut palmam etiam eum laude auferre*. Idem in Augustino Iprensi vindicato pag. 373. *Si alterutrius esset facienda optio, an ut sensus librorum S. Augustini Hipponensis in materia liberi arbitrii, & gratia Dei, an verò sensus libri Jansceniani juxta Constitutionem Clementinam* (cui initium *Vineam Domini Sabaoth*) *Theologia tironibus ejerandus esset, minus à*

condemnatione prioris, quam è poſterioris Catholica Chriſti Eccleſia pateretur.

3 Quid igitur miri Janſeniſtas, Auguſtini ſe diſcipulos eſſe gloriantes, de Iprenſi Auguſtino intelligi oportere potiùs quàm de Hipponenſi? Hinc circa præſentem articulum collige uſum ejus in nova Eccleſia minimè infrequentem eſſe, & pro ſtabiliendo novæ ſuæ fidei Symbolo maximè opportunum: *Excommunicationis injuſta metus numquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro*, quale omnis Theologi Chriſtiani eſt catholicæ defenſio veritatis.

Hanc ſibi Antonius Arnaldus à matre unicè commendatam acceperat, Queſnello teſte in *Causâ Arnaldinâ*: hnic ſe Doctoratum accipiens jurejnrando obſtrinxit *uſque ad effuſionem Sanguinis*. Quomodo igitur injuſti, nt ab ipſo prætenditur, formido anathematis virum hunc à talis ſui impletione debiti abſterruiſſet? Perſuaſum ſibi habuit in Apologia pro Janſenio pag.92. *Quemadmodum Deus reſervaverat Salomoni ædificationem templi, ita materiam de gratia Chriſti à Deo Antiſtiti Iprenſium Janſenio reſervatam fuiſſe clariùs dilucidandam.* Ita Arnaldus triennio poſtquam Urbani VIII. Conſtitutio *in Eminenti* declaraverat, *Ex diligenti, & maturâ ejuſdem libri* [Janſenii] *cui titulus*, AUGUSTINUS, *lectione compertum fuiſſe, in eodem libro multas ex propoſitionibus à noſtris* [inquit Pontifex] *prædeceſſoribus olim damnatis contineri, & magno cum catholicorum ſcandalo, & authoritatis dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes, & probibitiones defendi. Nos huic malo in ſcandalum totius Reipublicæ Chriſtianæ, & Fidei Catholicæ perniciem vertenti opportunum remedium adhibere volentes &c.* Tum renovat cenſuras, & pœnas omnes, inter quas vinculum eſt anathematis Pontifici maximo reſervati, contra omnes Damnatorum à Pio V., & Gregorio XIII. dogmatum impoſterum defenſores.

Arnaldus autem, ut dixi, triennio poſt, anathemate illo, & pœnis omnibus minimè territus, in præfatione Apologiæ pro Janſenio: *Non poteſt*, inquit, *ſinè voluntaria excæcatione, & portentoſa pertinacia negari, propoſitiones Baji, quæ reperiuntur in Janſenio eſſe puncta capitalia doctrinæ S. Auguſtini*. Sic Arnaldus à magiſtro ſuo Joanne Vergerio Sancyrano Abbate edoctus fuerat, definitiones Pontificias, etiam Tridentinum Concilium aſpernari, & floccifacere anathemata. Sic pariter ipſe diſcipulum ſuum Queſnellum inſtituit: *Excommunicationis injuſtæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro*; quale ſcilicet omnis iſtiuſmodi theologi eſt, doctrinam defendere Auguſtini, prout eam ſibi quilibet intelligit, & pro libito interpretatur: *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam*, inquiebat in Belgio famoſi author Tirocinii ad reſuſcitandos aliquot Baji articulos ſtudioſè compoſiti. Sic autem ille non in Tirocinio, ſed in theſibus anni 1677. 8. Martii ad diſputandum propoſitis. Quam excerptam ex iis concluſionem Alexander VIII. inter Propoſitiones 31. penultimam condemnavit, & prohibuit, *itaut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam diſputativè publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem à qua non poſſit, præterquam in articulo mortis ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.*

3 Arnaldus nihilominus, & Queſnellus *in Difficultatibus Steyaertio propoſitis* parte 9. pag.171., & aliquot ſequentibus eundem articulum ſuſcipiunt copioſiùs defendendum. Lutherus autem, Calvinus, Wickleffus, & quis alius hæreticus doctrinam ſuam non clarè ſe perſpicere aſſerit in Doctore maximo?

Sic facilè ſecuritas præſtatur; ſed fatua contra quaslibet Sedis Apoſtolicæ cenſuras, temerè eas, & pro cujuſque placito, veritati, & juſtitiæ fingendo eſſe contrarias. Imbutus Queſnelli dogmatibus de lectione Scripturarum, præſertim ſeptuageſimo nono: „ Utile, & neceſſarium eſt, „ omni tempore, omni loco, omni perſo- „ narum generi ſtudere, & cognoſcere ſpi- „ ritum, pietatem, & myſteria Sacræ Scri- „ pturæ. 84. Abripere è Chriſtianorum „ manibus Novum Teſtamentum, ſeu eis „ illud clauſum tenere, auferendo eis mo- „ dum illud intelligendi, eſt illis Chriſti „ os obturare. 84. Interdicere Chriſtianis „ lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim „ Euangelii, eſt interdicere uſum luminis „ filiis lucis, & facere, ut patiantur ſpe- „ ciem quamdam excommunicationis „; His, inquam imbutus dogmatibus ſtatuet lectionem illam eſſe procul dubio inter debita Chriſtiani hominis officia. Cùm autem Latini idiomatis, ut ſupponitur, ſic ignarus, arripit Novi Teſtamenti Codicem gallicè translatum, editumque, ut præfefert *Montibus Hannoniæ*. Verùm accidit forte

fortè adesse theologum probè catholicum, qui moneat de sententia lata à Clemente IX., ne quis librum illum legat, vel retineat, incursurus aliàs *excommunicationem ipso facto*.

Respondet Quesnellianismi proselytus verbis Arnaldi, & Quesnelli in difficultatibus Steyaertio propositis pag. 9. „ Esset „ Christianos tractare veluti Judæos, si iis „ diceretur, quemadmodum videris velle, „ ut Pontifices, & Episcopi dicant, parête „ nostris præceptis, etiamsi à vobis, & ve„ stris Pastoribus ignoretur, quæ ratio „ præcipiendi sit. Cavete à talis lectione „ voluminis; grave aliàs delictum com„ missuri; licèt nemo exponere vobis va„ leat rationem, quæ nos moverit ad pro„ hibendum.

Pag. 14. Pergunt Arnaldus, & Quesnellus: „ Utinam liceret sermonem non in„ stituere de ejusmodi materiis nimiùm „ odiosis! Sed eò nos adigis. Quis enim „ sibi licitum esse arbitretur silentium, „ ubi agitur de elidendo conatu, quo fi„ delibus universis imponere vultis jugum „ intolerabile obedientiæ cæcæ, quod ne„ que Deus, neque Ecclesia, neque ratio „ imposuit? Minima nunc cura est, ut ali„ cujus circa gratiam fides exploretur, vel „ praxis administrandi Sacramenta; sed „ quæritur utrum legere audeat libros „ prohibitos. Nova ista Inquisitionis spe„ cies est, quam conamini introducere... „ Satis apparet, quod talis servitus, si eam „ stabiliri contingeret, non exiguus obex „ foret convertendis hæreticis... Chari„ tatis igitur est tollere hanc petram scan„ dali, quæ innumera animarum millia à „ via salutis averteret, & detineret in „ schismate „. Et quidem nominatim de versione Montensi dicitur in iisdem difficultatibus parte 6. pag. 30. *Censores Romani fuêre in illa condemnatione decepti*. Pag. 48. *Numquam fuit condemnatio rectæ rationi magis repugnans*. Proinde sinè dubio *injusta* est contra ejus lectionem *excommunicatio*, cujus *metus* juxta præsentem articulum, *numquam debet nos impedire ab implendo debito nostro*; Quod Arnaldo, & Quesnello est intolerabilis, ac perniciosæ aversio servitutis. Catholici verò rationem æquissimam sententiæ Pontificiæ in ipso vident expressam diplomate, quod nempe versio illa sit *temeraria, damnosa, ab editione vulgata difformis, & offendicula simplicium continens*. Deprehendunt pariter nihil hac afferi censurâ quod non luci publicæ expositum fuerit à Scriptoribus Orthodoxis.

5 Eodem mense Aprili ab eodem Pontifice Clemente IX. *sub excommunicatione latæ sententiæ ipso facto incurrendæ*, prohibitus est liber Gallicus vulgò dictus *Rituale Aletense*, in quo *non solùm continentur nonnulla ab ipso Rituali Romano jussu felicis record. Pauli Papæ V. edito aliena; sed etiam doctrinæ quædam & propositiones falsæ, singulares, in praxi periculosæ, erroneæ & consuetudini in Ecclesia communiter receptæ, atque Ecclesiasticis Constitutionibus oppositæ, & repugnantes, quarum usu & lectione Christifideles, in jam damnatos errores sensim induci, ac pravis opinionibus infici possent*.

Quid ad hæc Arnaldus & Quesnellus? In memoratis contra Steyaertium Difficultatibus parte 9. pag. 48. *Circa librorum*, inquiunt, *condemnationem nihil umquam forsitan actum est magis peregrinum, quàm proscriptio Ritualis Aletensis*. pag. 49. „ Liber „ ille est quædam collectio eorum om„ nium, quæ Antistes sanctissimus, piissi„ mus, & salutis animarum sibi à Deo „ commissarum studiosissimus, judicaverat „ momenti esse præcipui ad fidelem Sacra„ mentorum, quorum à Deo constitutus „ dispensator fuerat, administratio nem. „ Legi non potest, quin ubique se prodat „ lumen & unctio Spiritûs; uti & doctrina „ moralis tam pura, ut præcellere debeat „ omnes, qui vel rudem obligationis Euan„ gelicæ notitiam consecuti sunt.

Misera itaque Sedes Apostolica, cum omnibus tuis S. Officii Cardinalibus Consultoribus & Theologis, quò tandem ignorantiæ, si Arnaldi & Quesnello credimus, prolapsa es, ut tempore Clementis IX. ne eadem quidem obligationis Euangelicæ notitiam habueris! Neque instructa meliùs apparuisti imposterum; utpote quæ à doctrina morali illius temporis discessisse haetenus nusquam deprehenderis, neque oppositam, quæ in Rituali illo tantopere displicuerat, hoc tempore approbare. Imò prætensæ illæ Romanorum tenebræ diffusæ conspiciuntur per Ecclesiam universam, utpote Romanæ Sedis dogmatibus etiam moralibus, & usibus inhærentem. *Puritas* autem illa & *unctio Spiritûs* extra Galliam quin & in Gallia extra novatorum conventiculum, ignota est. *Albine* igitur *an atri Spiritus* ea *unctio* fuerit, dubitare Author ille potuerit ferè ut de revelante sibi Spiritu Luthetus.

Prosequitur cum Quesnello Arnaldus pag.

pag. 53. *Condemnatio istius Ritualis fuit obtenta subreptitiè, fraudibus hypocritarum & improborum mendaciis*: atque adeò illegitima, & justitiæ regulis minimè conformis.

Post obitum Arnaldi Quesnellus, sensuum ejus hæres, & communibus Portûs Regii suffragiis, novæ Ecclesiæ regimen adeptus, audaciam cumulavit. Cujus specimina non vulgaria continet liber ejus *Colloquia circa Romanum Decretum feriens Novum Testamentum Catalaunense cum Reflexionibus moralibus*. Illic Pag. 10. „ Visne „ (inquit) tertium exemplum Decreti „ quod vindictæ studium (non amor justi- „ tiæ aut veritatis) peperit? Nosti Ritua- „ le Aletense. Nullum hactenus opus ex- „ titit magis perfectum in suo genere. „ (Pag. 11.) Ejus condemnatio opus fu- „ roris extitit. (Pag. 163.) Decretum „ istud subreptitium est, Romanæ quidem „ Curiæ administri flagrantes odio adver- „ sùs sanctum Aletensem Episcopum, eam „ extorsêre censuram novo Pontifici (Cle- „ menti IX.) rerum istiusmodi ignato.

Proinde non est in Quesnelliana hypothesi cur lata in voluminis illius Lectores excommunicatio nos terreat; Imò ab Ecclesiæ Pastoribus, & Ministris *Sacramentorum* videtur exigere sui muneris ratio, ut consulant & sequantur Rituale cum Sanctis adeò & Divini Spiritûs unctione plenis considerationibus, quas Episcopo illi sanctissimo ipsa videtur pietas dictasse. Adhærentibus igitur Quesnello Pastoribus & Confessariis, etiam hic subvenit præsens institutio: *Excommunicationis injustæ metus numquam debet nos impedire ab implendo nostro debito*.

6 Grati animi debitum à Quesnello exigere visum fuit, ut Archiepiscopi Sebasteni Mecœnatis sui, in Janseniana cifra *Patris Bonifacii* causam contra Sedem Apostolicam susciperet, quod quam strenuè executus fuerit videbimus capite 5. Hic tantummodo ex ejus vindiciis decerpo, quod ad Aletensem attinet Antistitem, & proscriptum anathemate Rituale. Anno 1704. Quesnellus edidit *Monita*, quæ vocare ipsi placuit *Sincera ad Provinciarum fœderatarum Catholicos circa Decretum Inquisitionis Romanæ contra Archiepiscopum Sebastenum Hollandiæ Vicarium*. Illic in præfatione ait. „ Si Authores sententiæ contra Rituale „ Aletense autumaverint, eam fore Sedi „ Apostolicæ honorificam, necesse est eos „ excutiisse.

„ Quomodo enim tam fatuè potuerint „ sibi blandiendo imponere, quasi reve- „ rentiam delaturi simus Romano diplo- „ mati, illud ad Rogum condemnanti abs- „ que ullius speciei rationis; sed solo vin- „ dictæ spiritu adversùs Antistitem sancti- „ tate conspicuum? .... Nihil æquè fide- „ les ædificat, quàm tanta in Apostolico „ Antistite demissio animi: nihil magis ædi- „ ficationi contrarium, quàm inflexibilis „ Romanæ Curiæ pertinacia in negando „ altero, quod petebatur, libri examine. „ Ut potuissent Romani optatum consequi „ politicis suis molitionibus successum, „ debuissent eruere oculos omnibus, qui- „ bus aliquid luminis est, ne perspicerent, „ Censores illos de injustitia esse convi- „ ctos. Episcopi memoria semper in bene- „ dictione erit, nequidquam obstrepenti- „ bus istiusmodi censuris, quæ hominibus „ sanctis gloriæ sunt, ut gloriatur Aposto- „ lus in Cruce, & stigmatibus Domini no- „ stri Jesu Christi.

Tum pro se ipso Quesnellus Pontifici insultans enuntiat: „ Præsentis Authot „ operis satis exploratam habet Inquisito- „ rum illorum indolem, à qua sperare „ minimè valeat futurum ut censuram ef- „ fugiat; sed facilè se consolatur, quisquis „ in Indice librorum tales nactum se con- „ spicit damnationis socios. „ Sententiam à Quesnello adversùs Romanos Judices, tamquam *de injustitia convictos*, jam latam vidimus. Defendendi autem Aletensis Episcopi præter dignitatem characteris in Ecclesia adeò venerabilem gemina ipsi ratio singularis est, & huic propria Antistiti. Prima ejusdem in sensu Jansenii hæretico contra torius Ecclesiæ judicium retinendo pertinacia: altera ex priore genita adversùs Sedem Apostolicam rebellio. Quapropter inter *Filios iniquitatis* ab Alexandro VII. declaratos numerari à Catholicis meruit; à Quesnello autem vel propterea magis laudibus in cœlum evehi, & contra Summum Christi Vicarium, eique obedientem Ecclesiam impudentiùs vindicari.

Hæc igitur gloriosis adeò Jansenismi Confessoribus à Quesnello veluti Jansenistarum Principe defensio debebatur, suffragante præsenti ejus axiomate: *Excommunicationis injustæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito nostro*.

7 Istud novæ Ethicæ fundamentum ad omnem contra Christi Vicarium rebellionem excusandam accommodatissimum est; facilè enim quivis de genere malignantium, finget sibi qualecumque debitum, cui definitio

finitio vel mandatum Sedis Apoftolicæ adverfetur. De pietate eximia in Aletenfi Antiftite à Quefnello tam magnificè prædicatâ nihil miror; pridem enim à Catholicis obfervatum eft, vix aliquem effe Janfeniano confperfum pulvere, qui ut maximis naturæ & gratiæ dotibus præditus in nova Ecclefia non celebretur. Verùm penès Catholicos fides non quidem prima gratia eft, ut Quefnellus fomniat; fed prima virtus, juftitiæ radix & falutis initium. In quibus autem minimè probata fides eft, meritò etiam fufpecta habebitur omnis affectatio fanctitatis.

Francifcus Simonis aureum Tractatum de fraudibus hæreticorum inchoat ab hac prima, *Mentiri fanctitatem vitæ*. Et S. Hieronymus illud Chrifti apud Matth. cap. 7. „ Attendite à falfis Prophetis qui veniunt „ ad vos in veftimentis ovium, intrinfecus „ autem funt lupi rapaces (monet) fpe„ cialiter de hæreticis intelligendum effe, „ qui videntur caftitate, continentiâ, je„ junio quafi quadam pietatis fe vefte cir„ cumdare; Intrinfecus autem habentes „ animum venenatum, fimplicium fratrum „ corda decipiunt. „

Liber alius à Clemente IX. condemnatus eft *Defenfio difciplinæ, quæ obfervatur in Diœcefi Senonenfi circa impofitionem pænitentiæ publicæ pro peccatis publicis*. Arnaldus & Quefnellus in Difficultatibus Steyaertio propofitis parte 9. pag. 68. „ Prohibitio „ hæc (inquiunt) approbari non poteft; „ fed injufta eft fecundùm omnes fuas cir„ cumftantias. (Pag. 61.) Quantumvis pa„ rum fani judicii cujpiam fit, legere hunc „ librum nequit, quin dignum cenfeat om„ nibus elogiis, quibus eum Illuftriffimi „ decoravere approbatores. „ Quod igitur periculum à prohibitione eft, aut quod malum ab anathemate, cuilibet librum illum fpretâ condemnationis fententiâ legenti, fi Quefnelli fubfiftit articulus: *Excommunicationis injuftæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito noftro*?

8 Sed nihil æquè ingenium prodit Janfeniftarum fchifmaticum, quam Quefnelli, Ægidii Candidi, & iterum Arnaldi de contempta Sede Apoftolica, ejufque proculcatis excommunicationibus impudens gloriatio. Quefnellus in *Colloquiis circa Decretum Romanum contra Novum Teftamentum Catalaunenfe cum Reflexionibus moralibus*, tantifper nos regredi jubet ad Teftamentum Montenfe, quod vidimus fub excommunicatione prohibitum; „ Hæc verfio (in„ quit) renitente fruftra Decreto Roma„ no, celebratur tamquam opus præftan„ tiffimum. Apologiæ pro ea evulgatæ „ prorfus eam vindicant ab adverfariorum „ calumnia; maximè autem triginta & for„ fitan plures factæ ejufdem editiones qua„ draginta annorum fpatio „ poft condemnationem.

Ægidius Candidus in *Epiftola Confilii fpiritualis ad Devotam Deo Virginem circa prohibitionem Novi Teftamenti Embricenfis* [quæ verfio Belgica ejufdem Ægidii Candidi eft] pag. 22. ait. „ Novum Teftamen„ rum Montenfe non abfque fingulari Di„ vinæ providentiæ difpofitione celebrius „ ab adverfariis redditum eft, & toto orbe „ difperfum, tantâ piorum ac fanctorum „ omnium virorum laude & approbatione, „ ut vix à prætenfa damnatione elapfus „ fuerit annus, quo non unâ vel pluribus „ inter perfecutiones omnes fuerit editio„ nibus donatum. Sic Deus benedixit li„ bris fanctis, ut, quafi continuo prodi„ gio, ficut olim fides Chriftiana, perfe„ cutionibus uberiùs propagentur, & avi„ diùs requirantur.

Sic quoque Arnaldus & Quefnellus in famofis *Difficultatibus* parte 9. pag. 42. „ A multo tempore non fuit liber precum „ tanti æftimatus, quanti officium Ecclefiæ „ ac Divæ Virginis Latinè & Gallicè, vel, „ ut aliter vocari folet, Horæ porrus Re„ git. [Pag. 46.] Edicito nobis: credifne „ valde graviter peccatum fuiffe non obe„ diendo iftius operis prohibitioni; fed „ editiones profequendo ufque ad 20., 30. „ & amplius? Putafne centum millia ho„ minum, quibus non fuit alius liber pre„ cum, haud potuiffe ex eo Deum orare „ fine culpa lethifera?

Sic nempe in regula decima Indicis Tridentini decernitur: „ Si quis libros hære„ ticorum vel cujufvis authoris fcripta, ob „ hærefim vel ob falfi dogmatis fufpicio„ nem damnata atque prohibita legerit, „ five habuerit, ftatim in excommunica„ tionis fententiam incurrat. Si verò libros „ alio nomine interdictos legerit, aut ha„ buerit, præter peccati mortalis reatum, „ quo afficitur, judicio Epifcoporum feve„ rè puniatur. „ Ubi de quibufcumque libris authoritate Sedis Apoftolicæ prohibitis decernitur, eum *peccati mortalis reatum incurrere qui eos legerit, aut habuerit*.

Quapropter temeraria & malefana Arnaldi & Quefnelli contra dilucidam adeò fanctionem interrogatio eft. Quod de centum millibus hominum à Novatoribus refertur, quafi non alium habuerint librum reci-

recitandis precibus idoneum, hypothesis non magis verisimilis est, quàm quæ legitur in iisdem difficultatibus parte 6. pag. 48. contra Belgii Austriaci Episcopos; cùm juxta Romani Pontificis sententiam interdicerent lectionem Novi Testamenti Gallici Montensis. Illic Arnaldus & Quesnellus solitâ sibi confidentiâ supponont Episcopos illos *pravidisse, vel pravidere debuisse maximam subditorum partem non obtemperaturam*. Ita jactabant è Bruxellensi suo latibulo *vix paucis amicis noto, paucioribus pervio*, ut ad Norisiom scribebat aliàs Quesnellus, & unde non nisi noctepedem efferre metus carceris permittebat.

Sic igitur illi non nisi in tenebris ambulantes, totius quodammodo Belgii prospiciebant adversùs Episcopos rebellionem; sed mera sunt, & maximè inania schismaticorum somnia, facilè sibi fingentium, quam tantopere amant & invehere moliuntur totius Populi contra Ecclesiæ sanctiones inobedientiam. Qui verò mecum in Belgio nati, & vitæ parte maxima educati, statum ejus longè meliùs exploratum habent, quàm duo tenebriones extranei; existimant, inter cives, aut rusticos, etiam linguæ Gallicæ non penitùs ignaros, vix unum è millibus reperiri, qui Testamentum Montense in ædibus teneat. Quod verò ad libros attinet Asceticos, quis nesciat, vix usquam alibi frequentiorem, quàm in Galliis, esse istiusmodi operum editionem? Quisquamne illic bibliopola est qui præter officium sive *Horas portus Regii* venalem non habeat librum aliquem precum formulas continentem?

9 Loco citato Arnaldus & Quesnellus impudentiam spiritu schismatico prosequuntur. *Istud* (inquiunt de Horis Portûs Regii) *exemplum invictè probat, esse quasdam librorum prohibitiones, quas noxium foret observare, etiam ubi nulla occurrit obreptio*. Imò juxta omnes catholicè sentientes exemplum istud probat invictissimè, tam esse Jansenistis fictitiam religionem, quàm mendacem erga Pontifices reverentiam. Quæ enim erga Sedem Apostolicam reverentia est, libros ab illa prohibitos novis viginti, quin & triginta protrodere editionibus, & maximis passim encomiis commendare? Quid irreligiosius, quàm *centum millibus hominum* eos tradere, velut aptissimos ad orandum, quos certissimè noverunt sub culpa prohiberi lethifera? Addo & sub pœna anathematis, cùm esse vetitos constet *ob falsi dogmatis suspicionem*.

De Horis illis anno 1688. die 10. Aprilis sic declaraverat Parisiis ipse Metropolitanæ Ecclesiæ Officialis. „ Omnibus consideratis, invocato Sancto Dei nomine, „ condemnavimus & condemnamus Breviarii Romani editionem & versionem „ Gallicam, tamquam novitatem Conciliis, spiritui & usui Ecclesiæ contrariam, „ & tamquam versionem neque sinceram „ neque fidelem, continentem quoque „ plures sententias in errorem inducentes, „ ac pluribus hæresibus fundamentum ac „ fomitem subministrantes, ac denique „ tamquam versionem multis erroribus at„ que hæresibus ab Ecclesia damnatis con„ spersam. „ In illa inter cætera ex Hymnis penitùs sublatum est, *Jesu Redemptor omnium*. Quo quinta destruitur hæresis Janseniana.

Respondent subdoli versionis patroni, institisse in hoc suos vestigiis Urbani VIII., qui ex aliquibus illud Hymnis expunxerat. Verùm longè aliud est ex aliquibus auferre mutationis gratiâ, quando frequentiùs occurrit, aliud eliminare penitùs ex omnibus, ut dogma Catholicum nullibi appareat; sed ubique veluti ad novæ confirmationem hæreseos abdicatur. Juxta legem igitur Ecclesiasticam annexa isti Portûs Regii officio excommunicatio ipsâ incurritur lectione. Hæc animi dispositio est, quâ suos nova Ecclesia ad Deum docet accedere non verè supplicibus, & salutiferis cum precibus exorando; sed novis semper lacessendo criminibus, ut sacrilega potiùs aspernatio Numinis, quàm religiosa oratio censeatur. Ut autem etiam *ad centum hominum millia* pernicies derivetur, curant detestabiles hypocritæ eam quaquaversus triginta novis post anathema editionibus diffundi. Subducunt pariter studiosè alia omnia orationum opuscula, ut quicumque ad orationis exercitium indiget libelli subsidio, non aliud in promptu habeat, quàm Portûs Regii sub anathemate interdictum.

Ne verò authoritatis supremæ reverentia, præcepti religio, aut metus anathematis, aliquos à lectione deterreat, Arnaldus & Quesnellus formidinem eximunt asserendo, ut supra, *à multo tempore non fuisse librum tantopere æstimatum*, & quidem ab omnibus pietate & eruditione præstantibus, quales Janseniani omnes suo judicio sunt; ab his omnibus condemnationem rejici ut procul dubio injustam: *hoc scilicet exemplum invictè probat, esse quasdam librorum prohibitiones, quas noxium esset observare*. Præsens quoque Quesnelli suffragatur Articulus „ Excommunicationis inju„ stæ

„ stæ metus, numquam debet nos impedi-
„ re ab implendo debito nostro. Numquam
„ eximus ab Ecclesia, etiam quando ho-
„ minum nequitiâ ab ea videmur expulsi,
„ quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi
„ Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.

CAPUT III.

Dogmatis Quesnelliani usus tempore Innocentii XI. & Alexandri VIII. pergit illius amplius demonstrare perniciem.

1 QUis novæ Doctor aut propagator hæreseos non sibi persuadeat muneris sui debitum esse, novum suum omnibus tradere Euangelium, & ab adversantium quorumcumque, etiam Romanorum Pontificum, vindicare censuris? Neminem Belgium in eo genere audentiorem vidit, quàm Eugenium de Gelder sanctissimi Ordinis professione religiosum; sed à sanctis majoribus & sociis ut patuit, infelicissimè degenerem. Concioni ejus Lovanii interfui cùm in Ecclesia S. Jacobi, festo S. Liborii ingentibus extolleret laudibus Episcopum, qui zelo dejiciendi superbum Goliath gratiæ se ipsa efficacis adversarium, juvenis se in Galliam contulerat ubi ad scribendum institutus, in Belgium rediit, infulis dignus Episcopalibus, ad quas postmodum promotus est. Ille [ut prosequebatur Eugenius] *ex torrente Augustiniano quinque limpidissimos selegit lapides, quibus Goliathum & universa ejus agmina prostravit*. Quibus prætensam Jansenii de Molina ejusque sociis victoriam indicari, nemo fuit qui non intelligeret.

Idem Janseniani præco imperterritus Euangelii, cum libellis etiam famosis nulli parceret ordini, ne suo quidem, ubicumque sibi aut novitatibus quempiam conspiceret repugnantem, coerceri tandem domestico carcere debuit. Inde profugus & lateos in oppido Hollandiæ finitimo, ac dein sponte redux, suis insciis moderatoribus, *Libellum supplicem ad Innocentium XI.* typis edidit veluti *vocem ultimam zelatricis innocentiæ* ut ipsa testatur Epigraphe.

Toto opere Pontificem alloquens Constitutiones Apostolicas impudentissimè proculcat, nullâ authoritatis supremæ absterritus reverentiâ, nullâ formidine excommunicationis. Pag. 30. ait *quod Urbanus VIII.* [Constitutione *in Eminenti* contra librum Jansenii, & resuscitatos in eo Baji articulos] *Quod*, inquam, *Urbanus VIII. in eo fuerit deceptus, patet ex propria ejus Bulla*.

Pag. 31. „ Quod Innocentius X. in
„ damnatione quinque Jansenii Proposi-
„ tionum fuerit deceptus, ad oculum de-
„ monstratur. [Pag. 32.] Quòd Alexan-
„ der VII. fuerit deceptus, ex eo constat,
„ quod liber Jansenii numquam Romæ rite
„ fuerit examinatus, & quod prima Propo-
„ sitio de præceptorum impossibilitate in
„ terminis inveniatur in Jansenio lib. 3. de
„ gratia Christi cap. 13. sed in ejus sensu sit
„ catholicissima. „

Pag. 115. „ Sicut [Adversarii] per
„ vafrè fabricatas quinque Propositiones
„ doctrinam Jansenii Romæ procurarunt
„ damnari, ut per latus Jansenii, doctri-
„ nam Sancti Augustini, à doctrina Janse-
„ nii reverà inseparabilem, arietarent &
„ dejicerent; sic etiam fortassis multas Pro-
„ positiones Michaelis Molinos talibus
„ terminis concepère, quod vix à positio-
„ nibus fundamentalibus à Sanctis Patri-
„ bus Dionysio Areopagita, Augustino, &
„ aliis, ac Theologiæ mysticæ Doctoribus
„ Bonaventura, Henrico Susone, Taule-
„ ro &c. nobis propositis, distingui pos-
„ sint, ita ut per condemnationem Moli-
„ nos, quem aliqui magis infelicem, quàm
„ nocentem autumant, & prætensæ ejus
„ doctrinæ videantur voluisse eliminare il-
„ lud parum, quod restat supernaturalis
„ operationis Spiritûs Dei vivificantis; sed
„ quidquid conentur, quidquid machi-
„ nentur, quidquid subdolè per se & suos
„ efficiant [Adversarii] spiritus, illis frendentibus, ubi vult spirabit. „

2 Num satis Eugenius enimadvertit censuras hæreseos, Blasphemiæ & alias respectivè ab Innocentio XI. inflictas Propositionibus 68. Quietisticis cum hac clausula,
„ Deque iisdem & similibus omnibus &
„ singulis post hac quoquomodo loquen-
„ di, scribendi, disputandi, easque cre-
„ dendi, tenendi, docendi, aut in praxim
„ reducendi facultatem quibuscumque in-
„ terdiximus, & contrafacientes omnibus
„ dignitatibus, gradibus, honoribus, be-
„ neficiis, & officiis ipso facto perpetuò
„ privavimus, & inhabiles ad quæcumque,
„ decrevimus, vinculo etiam anathematis,
„ eo ipso innodavimus, à quo non nisi à
„ nobis, & à Romanis Pontificibus succes-
„ soribus nostris valeant absolvi „.

Verùm, sicut Eugenio illi sententia Pontificis, quoad *multas Propositiones* non videbatur justitiæ consona, tutum se crediderit præsente Quesnelliani Symboli articulo,

culo, „ Excommunicationis injustæ me-
„ tus, numquam debet nos impedire, ab
„ implendo debito nostro. Numquam exi-
„ mus ab Ecclesia, etiam quando homi-
„ num nequitiâ videmur ab ea expulsi,
„ quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi
„ Ecclesiæ per charitatem affixi sumus. „

Ne maledicam Eugenium petulantiam aut hæreseos studium ad hæc scribenda propulisse existimes, obtendit unicè *zelatricem innocentiam*, tum suam, tum Jansenii, & Michaelis Molinos, ac traditorum ab utroque dogmatum; quapropter non adeò velut suum; quàm ipsius veritatis & justitiæ libellum supplicem voluit à Pontifice considerari. Denique necessaria Eugenio visa est veritatis, justitiæ, & in utraque fundatæ innocentiæ defensio; Indubitatum pariter Christiani hominis, religiosi potissimum eruditi debitum, ne errante in definitionibus dogmaticis Apostolica Sede orbis Christianus damnatas in Jansenio, & Molinos sententias horreat ac detestetur, veluti blasphemas, hæreticas aut aliis infamiæ notis dignas, quæ nihil contineant nisi Catholicum, & Augustini aliorumque Patrum ac Doctorum Traditione consecratum.

Concludit Eugenius, quod si Pontifex etiam *hac voce ultimâ zelatricis innocentiæ* excitatus, tantis non adferat malis remedium, aliud judicari nequeat, quàm relictâ militante Ecclesiâ ad cœlos justitiam avolasse. Latâ contra impiam Quietistarum sectam à Pontifice sententiâ, incessit me & plures alios expectatio avida, quod consilium inituri essent Jansenistæ cæteri, qui suæ cum quietistica Ecclesia, si ei res prospere successissent, unionem fuerant meditati. Non parum scilicet subsidii à Quietistarum progressibus polliceri sibi poterant Janseniani, tum propter dogmatum in multis similitudinem, tum propter multitudinem & potentiam Sectatorum, etiam fœminarum nobilium, quæ minimè contemnendæ æstimantur à Novatoribus suppetiæ ad illiciendos viros, etiam sublimi dignitate fulgentes judicio quidem, ut supra vidimus, Episcopi Mirapincensis. Sed Quietismo ignominiosè nimiùm dejecto, desperatâque ejus in posterum restitutione, plerisque Jansenianis prudentia persuasit receptui canere, relictisque in sua clade fœderatis intrà castra se pristina continêre. Luctum interim, quem in publico dissimularunt, ex Walonii literis discimus; sed odiosa nimiùm historia est, quàm ut deduci expressis nominibus expediat: neque illa præsenti necessaria instituto est.

3 Speculum impietatis rectiùs vocasset Gerberonius, quod edidit appellatum *Speculum pietatis*. Gravibus illud censuris mulctavit Cardinalis Camus Episcopus Gratianopolitanus Adversariis minimè suspectus anno 1678. die 8. Septembris, ut sequitur: „ Invocato Spiritu Sancto, & præmisso di-
„ ligenti examine libri, cui titulus *Speculum pietatis*, auditis etiam pietate &
„ scientiâ præstantium Theologorum sen-
„ tentiis, judicavimus eum continêre mul-
„ tas Propositiones malesonantes, duras,
„ implexas, idoneas turbandis conscien-
„ tiis, infirmis ad desperationem inducen-
„ dis, & resuscitandis erroribus antea con-
„ demnatis à Sanctis Patribus, à Pontifici-
„ bus Innocentio X., Alexandro VII., at-
„ que à Galliæ Episcopis. Proinde eum
„ ut talem damnamus, ac simul ejusdem
„ lectionem omnibus Diœceseos nostræ fi-
„ delibus interdicimus sub pœnis in jure
„ contentis. „ Inter quas est excommunicatio.

Similiter Cardinalis Grimaldi Archiepiscopus Aquensis opus illud prohibuit velut complectens *doctrinam falsam, temerariam, scandalosam, & hæreticam; quia renovat Propositiones condemnatas ab Innocentio X., & Alexandro VII.*

Non tacuit Gerberonius; sed contra Gratianopolitanum Antistitem dedit alterum *Speculum* quod vocat *sine macula*. Ubi pag. 180. cap. 15. sic eum impudens alloquitur: *Ne tibi persuadeas Speculum illud* [pietatis] *censeri opus diabolicum; quia dicis illud subjisse supplicium Dæmonum* id est fuisse flammis traditum. *Imò potius illud est, quod librum hoc tempore cumulat gloriâ. Sic enim eandem nanciscitur sortem quæ libris obvenit maximè excellentibus, & à Spiritu Sancto dictatis.* Censuram Eminentissimi Archiepiscopi directè impetit Gerberonii audax *Epistola ad Theologum circa censuram Cardinalis Grimaldi, & edictum Senatus Provinciæ adversùs Speculum pietatis*. Pag. 26. Sic Eminentissimum aggreditur. „ Decla-
„ rat Archiepiscopus se proscribere do-
„ ctrinam Speculi pietatis veluti falsam,
„ temerariam, scandalosam, & hæreticam;
„ quia renovat Propositiones condemna-
„ tas ab Innocentio X. & Alexandro VII.
„ At nihil poterat Decretum convincere
„ meliùs tamquam injustum & irritum.
„ Nihil enim manifestiorem continet falsi-
„ tatem quàm illa suppositio. „

Pag. 36. „ Fideles non tenentur obe-
„ dire Archiepiscopi Decreto; quia inva-
„ lidum

„ lidum eſt & nullum. „ Pag. 37. Senatum Regium ſic pariter vellicat. „ Edictum quod Provinciæ Senatus dedit adversùs librum hunc, & verſionem Novi Teſtamenti Montenſem, apparet fœtus paſſionis, & zeli falſi eorum qui ſuos ſtabilire errores & dogmata perniciosa nequeunt, niſi impugnando veritatem de gratia, & Euangelium.... Quandoquidem Cardinalis non aliud condemnavit, quàm Jeſum Chriſtum, qui ipſa veritas eſt, Senatores Provinciæ confirmant ſententiam.... Qui Jeſum Chriſtum ſic damnant ad rogum temporaneum, non ne habent quod ſibi metuant ab æterno?

Gerberonius itaque ab obedientia Cardinali Archiepiſcopo & Senatui Regio præſtanda fideles utrique ſubditos liberat, ſua definiens authoritate, utriuſque diplomata poteſtatis, injuſta eſſe & irrita. At ullumne umquam Decretum Gerberonio, Queſnello, Arnaldo aut eorum ſodalibus adverſum, ab iiſdem non eſt publicè de injuſtitia accuſatum? Eſtne ullus Eccleſiaſticus aut laicus Princeps, quem reveriti illi fuerint, & non laceſſiverint convitiis, ſicubi ſtatuentem viderint aliquid Baji aut Janſenii novitatibus repugnans? Omnis ſcilicet ea Janſeniſtarum contra Eccleſiam & quoſcumque Principes ac Senatus rebellio & irreverentia, non eſt niſi *impletio debiti*, novis hæreticis ad impiorum propagationem dogmatum incumbentis.

4 Nemo igitur miretur à Queſnello ſcriptum quod „ excommunicationis injuſtæ metus numquam debeat nos impedire ab implendo debito noſtro, quod numquam exeamus ab Eccleſia etiam quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulſi, quando Deo, Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus „. Ubi nam charitatem ſibi non fingit impudentia aut cæcitas hæreticorum? Etiam Arius ſuam adversùs Dei Filium blaſphemiam & contra Chriſti Eccleſiam odium obtegere voluit ſpecioſæ pallio charitatis: ſic orditur Epiſtolam ad Euſebium, cujus patrocinium implorat: *Proficiſcente Nicomediam Patre meo Ammonio poſtulare viſa eſt officii mei ratio, ut tibi per illum ſalutem dicerem, ſimulque inſitam tibi charitatem, & affectum, quo fratres propter Deum, & Chriſtum ejus proſequeris, admonerem &c.* in quem locum Franciſcus Simonis parte 1. de Fraudibus hæreticorum fraude 2. ita monet *Verſipellis hypocrita, omnis expers charitatis, ſolâ flagrans ambitione, & odio. jam jamque Veſtem Chriſti diſciſſurus, ut prædixerat S. Martyr Petrus Patriarcha Alexandrinus &c.*

Plura cenſuræ Eccleſiaſticæ à Janſenianis contemptæ ſub idem tempus, atque eodem injuſtitiæ obtentu ſpecimina prætermittens, ad Alexandri VIII. venio Pontificatum. Quanta apparuit Janſeniſtarum, ſeu vera, ſeu ſimulata exultatio Cardinale Ottobono ad Summi Pontificatus ſolium evecto! Teſtis eſt præcipuorum in Hollandia Janſenio, & Arnaldo adhærentium ad Alexandrum VIII. Epiſtola, ſubſcriptis ſingulorum nominibus, qua ſuam, & *omnium*, ut ajunt, *Chriſtum ſincerè diligentium* lætitiam exponunt, propter electionem ejus, cujus pro fidei, ac morum puritate zelum pridem habuerint documentis certiſſimis comprobatum. Sed ea Novatorum acclamatio ſimilis fuit Judaicæ, qua Chriſto Jeroſolymam ingredienti occurrit turba gratulantium, quæ brevi à Phariſæis, & Sacerdotum Principibus concitata eundem blaſphemiis oneratum, ad crucem violentis clamoribus poſtulavit. Sic novi Pontificis encomia in contumelias mox commutavit eorumdem rabies Novatorum.

Anathema ei dicentes Walonium, Arnaldum, & Queſnellum ſuperior contra Propoſitionem 90. diſputatio exhibuit. Occaſio autem furoris fuit Decretum contra 31., pleroſque Janſenianos articulos, & ſubſecutum diploma alterum contra Propoſitiones quatuor, quas recens Galliæ Clerus Pontificiæ oppoſuerat authoritati. Decretum prius maximè bilem movit phlegmaticæ aliàs Janſeniſtarum hypocriſi, ut in ipſum Chriſti Vicarium retorqueret anathema, quo ſuos nuper articulos ab eo ſenſerat condemnari. *Excommunicationem* conſtituerat Pontifex, in quam *ipſofacto* incideret, quiſquis eos *conjunctim*, *vel diviſim defenderet*.

Pupugit ea cenſura præ cæteris Walonium; ſed cùm in Urbe degeret, edendis contra Definitiones Apoſtolicas lucubrationibus minimè opportunâ, Queſnelli contra cenſuram ſtudium, & calamum requiſivit. Suſcepit ille onus alacriter; verùm cùm in executione operis, eruditio deficeret, ſuppetiæ petendæ fuerunt ab Arnaldo, tunc quaſi octogenario. Has illæ tunc novæ Eccleſiæ præſtitit non minùs ſecurâ, aut obduratâ conſcientiâ, quàm poſtulaverat Walonius; uterque Queſnelliano nixus axiomate, *Excommunicationis injuſtæ metus numquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro, numquam eximus ab Eccleſia etiam quando hominum nequitiâ ab ea videmur*

mur expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.

Prius Quesnelli opusculum fuit *Epistola Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*; unde lacinias subinde decerpsi, prout occurrens novi dogmatis impugnatio requirebat. Verùm articulus præsens ad universas se quodammodo extendens materias, & personas, quibus aliquando contigit, vel contingere imposterum posset inflictio excommunicationis, videtur amplioris aliquid exigere relationis, quo censuræ Ecclesiasticæ contemptus in Quesnello multiplex, & familiaris maximè demonstretur.

Pag. 11. *Quod attinet* [inquit] *ad triginta, & unum Articulos, indubiè te incessit admiratio, sæviisse in eos anathema; evidens enim est plerosque pati sensum optimum: & quamquam eis quoque possit tribui perversus; ad hoc tamen violenta requireretur contortio verborum. Sensum autem pravum à nemine umquam traditum fuisse, omnibus exploratum est.*

5 Sic pridem antea Natalis Delalane, Tussanus de Mares, Ludovicus de Saint-Amour, Nicolaus Manessier, Ludovicus Angran Jansenistarum apud Innocentium X. Oratores anno 1653. 19. Maji in libello supplice, cui titulus erat: *Brevissima quinque propositionum in varios sensus distinctio*, universam Pontificis contra quinque Jansenii hæreses definitionem eludere se posse arbitrati sunt, designando singulis sensum exoticum, *qui propositionibus malignè affingi posset; sed quem legitimè sumpta non habent.*

Huic sensui Oratores facilè dixêre anathema, atque ita suam erga Pontificem obedientiam umbratilem probavêre, Jansenianis illusoribus dignam. Hodie verò post duo Innocentii XII. ad Belgii Austriaci Episcopos Brevia, quibus declarat Pontifex proscriptum à suis prædecessoribus in quinque Jansenii Propositionibus fuisse *sensum obvium, quem verba per se exhibent*, atque ita eas damnari oportere ab omnibus qui formulæ Alexandri VII. jurejurando subscriberent, Janseniani arte qua valent fingendi quidlibet, & authoritate mutandi significationes nominum, definiunt sensum, quem sub Innocentio X. rectè vocaverant *alienum, qui propositionibus* non nisi *malignè affingi posset, sed quem legitimè sumpta non habent*, imposterum habendum esse veluti *proprium, obvium, quem earum verba per se exhibent.*

Hoc modo Quesnellus in *Defensione Ecclesiæ Romanæ, & Summorum Pontificum*, permittit Propositiones ab omnibus velut hæreticas condemnari, quo scilicet sensu neque à Jansenio neque ab ejus discipulis traditas fuisse, etiam nos agnoscimus. Ita sacrilegè illi, & impudentissimè jurant, quod se Constitutionibus Innocentii X., & Alexandri VII. subjiciant, *& quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus excerptas, & in sensu ab eodem authore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejiciant, ac damnent.*

Ita pariter *plerosque* inter 31. Atticulos ab Alexandro VIII. justissimè condemnatos, Quesnellus *pati sensum optimum* affirmat; imò *non posse eis tribui sensum perversum*, nisi *violenta* adhibeatur *contortio verborum*. Attamen author *Notarum Brevium, & modestarum* Lovanii, notissimus Quesnelli Cliens, Decretum Pontificis admittere se profitetur, atque in sensu proprio articulos damnare; sed ita eos subdolus explicat, ut qui Quesnello, & nobis quoque sensus alienus, exoticus, & à nemine traditus meritò reputatur, ab ipso fictione ridicula simuletur proprius, & censurâ Pontificia nnicè condemnatus. Quæ demum Sedis Apostolicæ, aut etiam Concilii Oecumenici sententia eludi ratione simili non poterit, & proscripta doctrina eodem quo à suis procusa authoribus est, velut intacta ab anathemate sustineri? De hoc ampliùs differendum occurret tomo quarto contra Propositionem ultimam de Juramento.

Prosequendum modò nobis in Quesnelli Epistola, qua excommunicatio, injustitiæ obtentu, despicitur. Pag. 30. *Extra omne dubium est, quin modus, quo nostra in Galliis Decreta civilia conduntur longè æquior appareat, quàm quo Romana Curiæ* in dogmaticis definitiones. Ideo inquit, *pridem collum obduximus fulminibus inquisitionis, ipsique Romani sapientiores sunt, quàm ut terreri nos existiment excommunicationibus ipso facto incurrendis, & reservatis Pontifici.*

Pag. 44. „ Quid sibi Romani volunt „ proscriptione hujus articuli 28. *Valet* „ *baptismus collatus à Ministro, qui omnem* „ *ritum externum formamque baptizandi* „ *observat, intus verò in corde suo apud se* „ *resolvit: non intendo quod facit Ecclesia?* „ Nonne evidens est, censuram aliud pro- „ ducere non posse, quàm turbas infinitas „ in scholis, & conscientiis. Neque sinè „ præsumptione valde temeraria posse sibi „ Romanos persuadere nos ab omnibus „ propositioni faventibus recessuros, ut se-

„ sequamur Consultores aliquot aut pa-„ rumperitos, aut nimiùm præoccupatos „ suis opinionibus, quas vellent hujus „ authoritate Decreti præscribere univer-„ sis „ ? Turbatio merè imaginaria est, & adeò parum *infinita*, ut ne triginta quidem annorum spatio, vel minimum usquam apparuerit turbationis initium, sive in scholis, sive in populo. Sed in solius Quesnelli eique adhærentium Phantasia, seu capite minus sano.

6 Ad propositionem hanc 18. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.* „ Istius [inquit Quesnellus] articuli con-„ demnatio est eruditissimorum inter Do-„ ctores proscriptio, & subversio dogma-„ tis, quo nullum est in traditione cer-„ tius „. Sic omnis eruditio, omnis notitia traditionis, derelictâ Ecclesiâ Romanâ, ad novam se recceperit Jansenistarum. Verùm in ipso opere quo suorum Quesnellus jactat adeò magnificè eruditionem, nihil ipse istiusmodi scientiæ; sed furoris, & insaniæ plurimum prodit: Qualia sunt, quæ sequuntur.

Pag.51. „ Quandonam Senatus noster „ obstrictum se credet ad sistendas Roma-„ næ Curiæ molitiones; si non credat mo-„ dò ?

Pag.53. „ Virium nostrarum magnitu-„ dinem non satis novimus, neque causæ „ nostræ æquitatem satis defendimus.

Pag.39. „ Non miror Monachorum ad „ obtinendum hoc Decretum machinatio-„ nes; sed quomodo Romanæ Curiæ ad-„ ministri eò se factione abduci fiverint, „ istud est quod non assequor.

Pag.45. „ O si liceret præclaros istos „ Romanæ Curiæ Theologos spectare, for-„ mato legitimo juxta regulas certamine, „ congredientes cum uno è nostris Do-„ ctoribus! quomodo constricti argumen-„ torum ejus laqueis se expedirent „ ? Adeò scilicet terrifica disputandi ratio penès Jansenianos est, forma adeò plena acumine, ut præcipuæ pro Quesnello vindiciæ non nisi moles indigesta sit textuum, fallendis solùm simplicibus idonea, non theologis, quibus otium, & animus est, authorum in ipsis fontibus explorare sententias, ut mihi non defuit in præsenti opere, quo ex allegationibus adversariorum universis paucissimas reperi fideles, nullas damnatis dogmatibus patrocinantes. A desiderio tamen isto Quesnelli minimè alienus sum; imò utinam non vulgarem aliquem de novaturientium grege Doctorem, sed præcipuum, ipsumque totius ducem exercitûs Quesnellum conspicere hîc licuisset, aut liceret ejus hoc tempore successorem! Experimento disceret theologicas disceptandi regulas haud paulò accuratiùs servari à Doctoribus in Ecclesiæ Christianæ Metropoli, quàm in suorum conventiculo Schismaticorum. Ex iis autem qui ad propositionum librorumque hîc solent examina adhiberi, videret quemlibet, vel mediocrem, quorum me profiteor infimum, facillimè dissolvere quælibet tanto à novatoribus jactata fastu, tot libellorum strepitu, argumenta.

Denique tota Quesnelli epistola præter contumelias adversùs proscriptorem dogmatum Denuntiatores, Censoresque, & præter inanissimas de eorum finibus, sive intentionibus suspiciones, nihil magnopere continet confutatione dignum: Unde ipsis displicuit Jansenistarum Romæ Agentibus. Postquam scilicet Walonius anno 1691. 13. Julii ad Quesnellum scripserat *Expecto avidè lucubrationem contra Decretum de 31. Propositionibus*; Cursore sequente eadem advenit, de qua sic sensum Walonius exprimit: *Epistola Abbatis nos hic multum perculit. Persuasum nobis fuerat, quod Decreti fundum discuteret, eumque ostenderet ratione solidâ destitutum, plerosque Articulos ab anathemate vindicans. Ecce autem non est nisi collectio circumstantiarum, & factorum singularium, quæ, hinc subministrata acceperas. Istud Dominum Maille gravissimè affligit, qui existimat Romanos facilè asseenturos, opus illud ex transmissis hinc instructionibus fuisse compositum.*

Afflictis solatium præstare voluit Arnaldus, & grandioris molis opere supplere defectum Discipuli. Octo partibus difficultatum Steyaertio propositarum, nonam addidit cæteris prolixiorem, agentem unicè de librorum, dein 31. dogmatum proscriptione. Nos, præteritis, quæ ad libros attinent, sola delibemus Dogmatibus propria.

Pag.125. „ In hoc (inquit Arnaldus) „ Decreto multi doctrinæ Articuli sunt, „ quorum Denuntiatores non alio fine pe-„ tiere censuram, quàm ut luxarent præci-„ pua Christianæ Ethicæ fundamenta. „ Speciminum loco sint Propositiones se-„ ptima, & octava: *Omnis humana actio de-„ liberata est Dei dilectio, vel mundi: Si Dei, „ charitas Patris est: si mundi, concupiscen-„ tia*

„ *tia carnis, hoc est, mala est*: Et *Necesse est* „ *infidelem in omni opere peccare*.

Pag.171. de Propositione 30. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam*, Sic Arnaldus enuntiat: „ Dubitari non potest, quin hujus Articuli accusatoribus scopus fuerit reddere inutilem doctrinam S. Augustini de prædestinatione „. Declarantem autem superiùs vidimus Quesnellum, se *minimè mirari Monachorum pro hujus impetratione Diplomatis machinationes*. Ergone Monachorum contra Augustini de Prædestinatione sententiam conspiratio est? Nempe Quesnelli contra Decretum rabies usum ei sustulerat rationis, ne perspiceret authoritatis nimium se tribuere adversariis, seque ipsum reddere suspectum, quod Augustinianæ Prædestinationis nomine, non Thomisticam intelligat; sed Calvinianam.

Prosequitur Arnaldus pag.198. „ Esset abuti quàm maximè Decreto contra 31. Articulos, si quis prætenderet, quod à puncto aliquo capituli doctrinæ S. Augustini de gratia, quale est quod *omnia opera infidelium sint peccata*, teneremur recedere propter Bullam „. Pag.262. „ Decretum hoc scatet istiusmodi fallaciis „. Pag.206. „ Non potest condemnari Propositio 12. nisi condemnando Aquinatem, & Theologos passim „. Pag.207. „ Idem dico de Propositione hac 28. *Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque Baptismi observat; intùs verò in corde suo apud se resolvit: Non intendo quod facit Ecclesia* „. Pag.219. „ Obtestor omnes rationis compotes, ut considerent memoratam de omnibus infidelium operibus Propositionem, quomodo ejus prohibitio conciliari valeat cum illa axiomatum serie, qua Augustinus utitur ad defendendam Ecclesiæ fidem contra unum ex præcipuis Pelagianorum erroribus, quod *gratia detur secundùm merita* „. Quæ infidelibus merita affingere hic videtur Arnaldus, nullus in iis reperit Catholicus.

7 Pag. 234. de Propositione secunda. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ea non excusat*. „ Hujus [inquit] damnatio Articuli multum nocebit Ecclesiæ „. Pag. 267. „ Quintum obreptionis argumentum est Propositio 25. *Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in templo collocare*. Nulla est Propositio, quæ clariùs demonstret Decretum esse subrepticium „. Pag.285. Frustrà expectaveris, fore ut qui antea non approbaverant, quod imago Dei Patris formâ humanâ in Ecclesiis collocetur, sententiam mutent propter Decretum hoc subrepticium „. Ibid. „ Sextum obreptionis argumentum est Propositio 31. *Bulla Urbani VIII. In Eminenti est subreptitia* „. Pag.286. „ In eo consistit obreptio, vel subreptio, quod Propositionis istius 31. condemnatio obtenta sit dissimulatis rationibus, quæ nos moverant, ut Bullam Urbani crederemus subreptitiam „. Pag.292. „ Potestne videri incongruum, quod Bullam Urbani vocaverimus subreptitiam? Fabricata fuit ab Assessore S. Officii contra mentem Pontificis. Facilè fuit post annos 40. & amplius omnibus illis dissimulatis emungere condemnationem Articuli hujus 31. *Bulla Urbani VIII. In Eminenti est subreptitia*. Atque istud est propter quod, sicut jam monui, Decretum Alexandri VIII. Propositionem hanc feriens, rejici oporteat, ut subreptitium „.

Hactenus Arnaldus, cujus quidem quoad omnia sententiam maximè probabat Walonius; Verùm cum suis in Urbe consultoribus tulit ægerrimè, quod eam inseruerit *Difficultatibus Steyaertio propositis, quem suum esse fœtum Arnaldus non dissimulat*. Sensum hunc suum Walonius Quesnello perscribit anno 1692. 8. Decembris: & magis antea 22. Novembris: *Mœrorem* (inquiebat) *& perturbationem incredibilem nobis affert, quæ proximè futura nuntiatur divulgatio Nonæ partis Difficultatum*. Quia scilicet prævidebat homo callidus, convincenda hinc sua suorumque mendacia de Arnaldi religione, pietate, modestia, atque erga Sedem Apostolicam reverentiâ. Inde & fraus altera detegebatur non minùs Ecclesiæ perniciosa, quâ Jansenistæ soliti erant infames contra Ecclesiam libellos, non solùm à se compositos inficiari; sed etiam imponere adversariis, quasi ab iis dolo pessimo conscriptos ad excitandam Catholicorum Principum, & Romanæ potissimum Curiæ contra Augustini Discipulos indignationem. De hoc quasi Diabolico Anti-Jansenianorum stratagemate, & perfidia, conquerebantur amarissimè apud omnes, quos videbant talium operum malitiâ commotos, eorum etiam authores velut detestabiles aversari; dum interim Janseniani inter suos plauderent, & apud vulgus novi-

novitatis avidum, libellorum istiusmodi robore tanquam invictissimo gloriarentur.

Famosis opusculis contra Sedem Apostolicam, ejusque de fide, & moribus definitiones Belgium, & Galliæ replebantur: Episcopi, Religiosi Ordines, & quicumque novitatibus adversantes, omni proscindebantur quotidie convitiorum atque calumniarum genere, neque fas quodammodo nobis erat de injuria conqueri, dum ipsimet nobis hanc consciscere nequiter infamiam dicebamur, & credebatur à plurimis. Quapropter Walonius vafritie secundus nemini, vehementissimè cum suis Romæ sociis deceptoribus, conturbatus est nimiâ hac Arnaldi confidentiâ, volentis librum istiusmodi suis palam notis operibus annumerari: Librum scilicet, quo nullus ab hæretico contra Sedem Apostolicam ejusque Sanctissimas definitiones hactenus comparuit petulantior; proinde solus incutiendo sufficit Catholicis horrori sectæ adeò execrabilis, cujus principem conspiciunt tam exitialibus minimè veritum scriptionibus gloriari. Hinc conjectura prudentibus oritur non iniqua, Authorem cum suæ fautoribus impietatis, esse reverà è numero eorum, quos Divina sapientia lupos esse monuit vestitu ovium circumdatos, nec nisi inanem pietatis speciem dolosis aliàs sermonibus præseferentes, virtutem autem ejus cum fide Catholica abnegantes. In Processu juridico, seu *Causa Quesnelliana Difficultates* illæ Steyaertio propositæ dicuntur *Quesnello Arnaldica*; quia, licèt tanti Operis gloriam sibi Magister potissimùm vindicaret; à nemine tamen vocabitur in dubium, quin contubernalis discipulus, & ipse tunc novæ Ecclesiæ Magisterio maturus, senieulo annis, & laboribus fatiscenti manum præstiterit auxiliatem.

8 Neutri palmam temeritatis concedere voluit Gerberonius in *Quæstione juris Pontificii circa Decretum adversùs Propositiones 31., Eminentissimis S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus dicatâ*: ubi juris utriusque se candidatum simulans, hujus semper nomine in tertia persona respondet. Sic Pag. 5. *Estne hujusmodi Decretum validum? Respondet juris Pontificii Candidatus, esse ipso jure nullum. Nam primò est inutile Reipublicæ Christianæ, & nihil illi conducit*. Pag. 7. *Secundò prætensum Decretum magìs in Ecclesiæ perniciem, quàm in ejus bonum vergit*. Pag. 9. *Tertiò Decretum, de quo hic agitur, est per se injustum*. Totum Opusculum talibus juris Pontificii definitionibus plenum est. Atque istud quidem typis editum. Aliud brevius habetur ipsius Gerberonii manu propria exaratum; Propositiones scilicet cum Notis ad singulas brevissimis simul, & maximè virulentis, ut hîc sequuntur.

Prop. 1. *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, quâ voluntarium, & liberum fuit in causa sua, peccato Adami, & voluntate Adami peccantis*. Gerberon: *Est vera in Anselmo*: dixisset rectiùs in Jansenio, cui primæ, & tertiæ hæreseos fundamentum est.

Prop. 2. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ; hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali*. Gerberon: *Est Catholica in sensu quo asseritur à Theologis*; Jansenio scilicet, & ejus Sectatoribus, consona hæresi eorum tertiæ.

Similia ferè ubique à Gerberonio notantur ad Propositiones cæteras. Faciliori compendio suam prodit impudentiam, & expertem religionis animum Dialogo 2. *Abbatem inter, & Jesuitam Belgam de artibus, quibus Archiepiscopus Mechliniensis conatur introducere subscriptionem Formulæ Alexandri VII. contra Jansenium: & de fraudibus, quibus Bulla Pii V., Urbani VIII. &c. contra Bajum, & Jansenium obtentæ sunt*. Illic Pag. 39. de Alexandri VIII. Diplomate contra Propositiones 31. dicitur: *Censura illa ambigua, est Romanæ Curiæ scandalum, Sancti Officii dedecus, & Pontificatûs Alexandri VIII. opprobrium*.

Pag. 40. *Quamcumque in partem verteris hoc decretum, non potest nisi probro esse suis authoribus*. Pag. 41. *Quod mihi hactenus de hoc Decreto asseruisti, abundè sufficit, ut velut infame, & scandalosum à religionem habentibus contemnatur*: Quin potiùs abundè sufficit, ut omnibus catholicè sentientibus persuadeat, Gerberonium, & ei similes nihil habere erga Sedem Apostolicam reverentiæ: nihil religionis: forsitan addent alii, nihil verecundiæ aut publicæ honestatis.

Arnaldus Gerberonio significaverat, non boni odoris esse, quod Religiosus è Monasterio & patria profugus, metu Regis, ut ajebat, carcerem minitantis, inter hæreticos degeret, civibus adscriptus Roterodamensibus, consultius fore famæ ejus & conscientiæ, si in aliquē se reciperet Regularium inter Belgas Austriacos Conventum. Verùm cujus Sacri Ordinis illic corrupta novitatibus adeò familia est, quæ tam effrænem scribendi licentiam toleraret? Totum igitur quod à Monacho hoc execullato potuit obtineri, fuit ut relictâ Hollandiâ Bruxel-

Bruxellis sibi latebras eligeret vestem rencenturus laicam, & sub custodia Virginis, novis Apostolis devotæ, cujus Fratrem Melchior Leydeckerus Calvinista lib. 1. de dogmatibus Jansenii cap. 11. *Laudamus*, inquit, *ut Jansenistam ingenuum præ cæteris, ipsoque Patriarcha meliorem*. Illic Gerberonio non minùs turum & commodum videbatur scribere quidlibet, quàm in Hollandia: nactus etiam fuerat sibi fidum & promptum ad omnia typographum. Unicus supererat metus à vigilautia Archiepiscopi, eique ministrantium sagacitate, quam fallere non semper potuit. Carcerem ei ad resipiscendum Divina videbatur clementia destinasse; sed nimia dein Rectorum in Galliis indulgentia, conversionem perfidè simulanti credula, miserum, non satis coërcendo, perdidit.

Illic scilicet fictâ subdolè pœnitentiâ, tandem morti proximus, schedam confecit perfidiæ suæ & obstinationis indicem, nolens infelicem animum, nisi in hæresi exhalare Jansenianà: idque [prætermisso quidem hæreseos nomine] ad complementum vesaniæ jussit Clementi XI. denuntiari. Ultimum istud Professionis Jansenianæ debitum arbitratus est, à cujus impletione, ne metu quidem moriendi in anathemate, deberit absterreri, utpote securus axiomate Quesnelliano *Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro*. *Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus*.

CAPUT IV.

Articuli damnati penès Jansenistas usus tempore Innocentii XII.

1 QUæ ab Arnaldo scripta superiùs retuli ex ejus difficultatibus Steyaertio propositis parte 9., etsi contra Alexandri VIII. Decretum edita fuerint, quia tamen Pontificatus ille perbrevis fuit, absolvi lucubratio non potuit, neque lucem aspicere, nisi Innocentio XII. Thronum Apostolicum occupante. Sub hoc Pontifice scribebat Ægidius Candidus, advenisse *Tempus loquendi*. Hac epigraphe insigniebat suam Panegyrim Jansenianam anno 1698. Walonius scilicet Quesnellum & per eum Jansenistarum Ecclesiam suis mendaciis reddiderat confidentiorem ex Urbe scribens anno 1691. die 1. Septembris, *si præsens Pontificatus, quantumlibet miserabilis quoad regimen, & res dogmaticas, perseveret, poterit in Congregatione S. Officii aliquid boni fieri contra Molinismum*, qui juxta Jansenistas ad omnia extenditur, suis novitatibus adversa; ut aliàs omnia *Thomismus* erant, Lutheranæ contraria impietati,

Suam contra Innocentium calumniam confirmavit Walonius epistolâ anni 1697. 26. Octobris: *Pontifex in Quæstionibus istis est velut O in cifra*, id est, nihil intelligit. Faveute adeò fictitiâ suis progressibus opportunitate à Walonio denuntiatâ, felici hoc *loquendi tempore* proclamato publicè à Candidorum Principe Jansenistarum, utendum illi strenuè censuerunt, nihil ampliùs novi anathematis metuentes, & contemnentes vetera. Gerberonius in primis laxavit audaci calamo habenas in *Reflexionibus Religionis*, *& statûs* anno 1692. contra Archiepiscopum Mechliniensem. Illic pag. 9. dicitur: *Scopus eorum, qui omnia adhibent, ut jubeant credere, & jurare, quòd damnatus sit sensus Jansenii, alius esse nequit, quàm sub nomine hujus Episcopi, doctrinam S. Augustini evertere, ut stabiliant in Ecclesia Pelagianismum*. Pag. 7. *Ecclesiasticos qui se offerunt ad Sacros Ordines, & facultatem pro audiendis Confessionibus, obstringere ut subscribant Formulæ Alexandri VII., est illos adigere ad mendacia, ad calumnias, ad falsa testimonia, & perjuria, atque ut per tot crimina ad filii Dei ministeria accedant*.

Pag. 22. „ Formula Alexandri VII. non „ aliò tendit, quàm ut sub nomine sensûs „ Jansenii abjuretur doctrina S. Augustini, „ aut potiùs Ecclesiæ circa gratiæ mysterium, & ut quaqua versus diffundatur hæ„ resis Arminianorum, quæ germen hære„ seos Pelagianæ est „. Pag. 8. „ Si solem„ niter jurando profiteamur sensum hære„ ticum in quo 5. Propositiones damnatæ „ sunt, esse sensum Jansenii, agnoscere „ oportebit doctrinam Pauli Apostoli, & „ Augustini de Prædestinatione, & gratia „ esse hæreticam.

Quærentibus numerum Jansenistarum, respondet Gerberonius: *In Ethica laxiori impugnatâ pag. 35.* „ Si hoc Jansenizare „ est, fatemur Jansenismum plus rei habe„ re, quàm sibi persuadeat Mechliniensis „ Archiepiscopi Defensor, imò tot penè „ Jansenistas esse, quot S. Augustino studuerunt, & legerunt librum Jansenii; „ cùm pauci sint, qui sciant quid doceat „ S. Augustinus, & legerint librum Janse- „ nii,

„ nii, quin convicti agnofcant, Augufti„ num Iprenfem eadem loqui, fentire ea„ dem, quæ Hipponenfem.

Ne verò exiftimes Gerberonium in folo facto, ut ajunt, dogmatico erraffe, non intelligendo fenfum Janfenii; Evidens eft illum, & in Janfenii fententiis apprimè verfatum effe, eafque exprimere accuratè, & fequi folitum. Ita de ejus *Expofitione fidei* enuntiat Eminentiffimus Noailles, judex Adverfariis non fufpectus, in Cenfura anni 1696. 20. Augufti. „ Nos opus illud „ folicitè examinari curavimus, atque ipfi„ met diu expendimus, in quo facilè no„ bis fuit, venenum omne Janfeniani dog„ matis reperire. Prima Propofitio, quæ „ cæterarum radix quodammodo, & fun„ damentum eft, illa fcilicet, quæ juftis „ cadentibus denegat gratiam, finè qua „ nihil poffumus, afferitur illic velut dog„ ma fidei.

„ Non eft neceffe Propofitiones alias cō„ demnatas, quas author Operi fuo infper„ fit, ftudiosè difcutere, uti neque abufum „ nominis Auguftini, & aliorum aliquot „ Doctorum... Adhærentes itaque Con„ ftitutionibus Innocentii X., & Alexan„ dri VII., præmiffâ maturâ deliberatio„ ne, & Dei nomine invocato, condemna„ mus librum, cui titulus *Expofitio fidei de* „ *Gratia, & Prædeftinatione*, editum Mon„ tibus Hannoniæ typis Gafparis Migeot „ tanquam continentem Propofitiones re„ fpectivè falfas, temerarias, fcandalofas, „ impias, blafphemas, adversùs Deum, „ contumeliofas, & derogantes ejus boni„ tati, percuffas anathemate, & hæreticas: „ Denique tanquam refufcitantes doctri„ nam quinque Propofitionum Janfenii: „ vel inde minùs tolerabili temeritate, „ quod author, velut dogma fidei vendi„ tare foleat non folùm quod fidei minimè „ eft; fed etiam prorfus ei contrarium, „ atque ut tale univerfa deteftatur Eccle„ fia: libri lectionem interdicimus fub ex„ communicatione, & cæteris pœnis à ju„ re expreffis. Præcipimus quoque fub „ iifdem, ut qui libri exemplar aliquod pe„ nès fe habet, Nobis, aut Vicariis noftris „ Generalibus tradat „.

2 Hactenus cenfura hodierni Archiepifcopi Parifienfis, quam anno proximo fecuta eft Apoftolicæ Sedis. Contra Archiepifcopalem inverecundè more fuo invehitur Gerberonius, ut refertur in *Caufa Quefnelliana* Artic. 19. ubi fic legitur pagin. 424. *Horrent probi omnes ad Scriptoris illius effrontem audaciam. Author qui bufdam vifus creditufque eft Quefnellus.* Quam quidem hic accufationem depellit epiftolâ ad D. Boileau Doctorem datâ anno 1698. die 18. Febr. qua authorem graviter reprehendere videtur, ut eam ipfe Archiepifcopo ad eum decipiendum exhiberet: Scripfit enim interim Quefnellus aliis, Gerberonii Opufculum laudans, atque ipfe contra eandem Archiepifcopi Cenfuram compofuit lucubrationem aliam, è cujus tribus titulis non difficilis fict de infami Opere conjectura. Tit. 1. *Edictum Parifienfe per fe ipfum de errore prima Propofitionis convictum*. Tit. 2. *Janfenius, Arnaldus, & author Expofitionis confixa, per ipfum Edictum quo configuntur, abfoluti*. Tit. 3. *Ad Illuftriffimi, ac Reverendiffimi Archiepifcopi Parifienfis Edictum, 20. Augufti 1696. datum Quæftiones non otiofa*, quibus fcilicet Archiepifcopus cum fuo contra Gerberonium Diplomate, indigniffimè exagitatur. Attamen ubique Quefnellus gloriari magnificè folitus eft, fe effe *Parifienfis Diœcefis Presbyterum*. Ita fingulis *Proteftationis* fuæ contra Conftitutionem *Unigenitus* exemplaribus manu propriâ fubfcribit.

Quod verò in epiftola ad Clementem XI. data anno 1712. die 22. Julii, & iterum 22. Septembris, fubfcripfit fe *Parifienfis Diœcefis Presbyterum indignum*; Si cum impudenti adeò contra Archiepifcopum rebellione conferas, dicturus indubiè es; nihil fubfcriptione illa unquam à Quefnello prodiiffe verius. Quis enim dignum cenfeat illâ Diœcefi Presbyterum, qui non ex ea folùm; fed tota Gallia profugus, in ditione Catholica veftem abjiciens Ecclefiafticam, omnes Ecclefiæ poteftates, etiam fupremam libellis profcindit infamibus, ipfum quoque fuum Parifienfium Archipræfulem propter æquiffimam hærefeos condemnationem, tantâ laceffere audet temeritate? Vidimus fæpius, Quefnellum fcribentem nomine *Abbatis ad quemdam Romana Curia Prælatum* Pag. 4. *Quando Romanorum Pontificum fulmina jufta funt: Quando non apparet admixta eis paffio, Quando veritati nullatenus prajudicant, Quando nihil feriunt nifi errores, & quando in forma legitima eos damnant, laudamus, & approbamus fententiā, quanquā tribunal agnofcere non poffumus.*

Minùs etiam judicari voluit in Tribunali Archiepifcopi Mechlinienfis in cujus Diœcefi ultra decennium latuit. Ipfum denique, quem fuum publicè; fed fubdolè profitetur Antiftitem Parifienfem, veluti Reum ad fuum evocat temerarius tribunal, Archiepifcopalem contra Gerberonii hærefim

resim rescindit sententiam, ipsumque Judicem veluti de hæresi convictum damnat. Nonne igitur Quesnellus meritò interrogabitur, quem igitur in terris judicem agnoscere in dogmaticis velit? Alius non superest quàm Concilium Oecumenicum, quod satis conscius est, minimè esse propinquum, prioremque sibi fore vitæ terminum, quàm illius initium. Interea væ Regionibus, unde Sacra exulat Inquisitio; si illas aliquando novitas invaserit, audacium freta Sectatorum multitudine, & potentiâ patronorum! Humana tunc nulla authoritas erit, nulla censura coercendæ sufficiens temeritati: *Romani scilicet majore pollent ingenio, quàm ut existiment terreri nos* [inquit Quesnellus] *sententiâ lata excommunicationis Pontifici reservata*. Ita ipse in epistola *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* pag.30.

Pag.18. *Habemus nos hoc singulare præ aliis, quo nobis bene est, quodque semper retinebimus, eandem scilicet semper prosequi semitam, quidquid à Romanis Censoribus opponatur, & quodcumque Decretum ab hoc emanaverit Tribunali*. Unum istud è præcipuis novæ Ecclesiæ, & securioris, si Superis placet, Ethicæ fundamentis est. Verùm talia non aperto Quesnelli; sed obscuro Abbatis fictitii nomine in publicum protruduntur. Aliud minùs horridum; sed magis subdolum mavult suo nomine proferri: *Excommunicationis injusta metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulsi quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus*.

Dixi *minùs horridum, & magis subdolum*; Superiores enim textus, nimium irreverentiæ præseferunt erga Apostolicam Sedem, neque Christianam ullatenus, minùs Sacerdotalem sapiunt modestiam; sed magis schismaticam temeritatem. Posterior autem enuntiatio, quantumlibet appareat castigatior, juxta novæ usum Ecclesiæ ad eundem prorsus deducitur effectum. Cuicumque enim statutum fixumque animo est, Apostolicæ, aut alteri cuilibet derogare obedientiam Constitutioni, facile est contra eam accusationis quidpiam comminisci, unde injustitiæ vitium obtrudatur.

3 Si cavillationis nihil ratio suppeditat, apprehenditur dictum aliquod obscurius sive in Scripturis, sive in Patribus, præcipuè Augustino. Quæ enim tam insulsa hæresis est, quæ non aliquod inde patrocinium sibi fingat, & quasi sufficiens fundamentum, ut quidquid Ecclesiastica, vel sæcularis, sive suprema, sive inferior potestas præceperit, in promptu semper sit oppositio injustitiæ; unde omnis mandati authoritas infringi, omnis cessare in subditis obligatio videatur. De hac fallacia pridem moniti sumus à Vincentio Lirinensi commonitorii cap.35. *Videas eos*, inquit, *volare per singula quaque Sanctæ legis volumina... lege Pauli Samosateni opuscula, Priscilliani, Eunomii, Joviniani, reliquarumque pestium, cernas infinitam exemplorum congeriem: prope nullam omitti paginam, quæ non novi, aut veteris Testamenti sententiis fucata, & colorata sit; sed tantò magis cavendi, & pertimescendi sunt, quantò occultiùs sub divinæ legis umbraculis latitant; sciunt enim fœtores suos nulli ferè citò esse placituros; si nudi & simplices exhalentur: atque idcirco eos cœlestis eloquii, velut quodam aromate aspergunt*. Cap.37. *Si quis interroget quempiam hæreticorum: unde probas, unde doces?.... statim ille: Scriptum est enim, & continuò mille testimonia, mille exempla, mille authoritates parat de lege, de Psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus novo, & malo more interpretatis, ex arce Catholica in hæreseos barathrum infelix anima præcipitetur*.

Non minùs familiare est hæreticis ad Sanctos Patres refugium, eodem teste Vincentio Lirinensi Commonitorii cap.11. *Qui, cum sub alieno nomine hæresim concinnare machinantur, captant plerumque veteris cujuspiam viri scripta, paulò involutiùs edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant, ut illud, nescio quid, quodcumque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur*. Hinc pronus efficitur descensus ad usum præsentis Articuli. Quod enim Scripturis, quod Sanctis Patribus, Augustino præsertim à pluribus Conciliis, ipsisque Romanis Pontificibus approbato congruit, quis dubitet, quin adoptetur innoxiè, atque ab omni justo sit anathemate securum? Injusti autem timor inanis est, maximè ubi de retinenda, vel abdicanda veritate dogmatica agitur. Tunc enim potissimùm occurrit Quesnelliani Symboli Articulus 91. *Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro*.

Libellum Gerberonius famosum edidit stylo ligato, quem *strenam* vocat *Inquisitoribus oblatam* anno 1700. Stropharum aliquot Gallicarum sensum exhibeo. „ Patiamini, ut Decreta omnia, omnes vestras Constitutiones habeamus tamquam „ nullas, quibus proscribitis Augustinum, cu-

„ cujus nequidem latinũ intelligitis idio-„ ma. Millies dicite, in Jansenio doctri-„ nam legi parum sanam quinque Proposi-„ tionum, circa quas omnis versatur dis-„ ceptatio. Contrarium testantur nobis „ oculi, quibus plus habendum fidei est, „ quàm omnibus vestris Constitutioni-„ bus, & Decretis. Cur Vestra Politica „ nobis prohibet *Panegyrim* [*Jansenianam* „ Ægidii Candidi?] Historias nobis refert „ verissimas, licèt vobis ignominiosas. Si „ novus hic Panegyricus elegantiâ Ser-„ monis, & fide Catholicâ insignis, nihil „ retulit nisi verum, quæ vobis ratio sua-„ dere tantam contra eum duritiem po-„ tuit? Quando noxiam dissolutorum clas-„ sem, laxamque ejus proscribitis Ethi-„ cam, omnes agnoscimus, & prædicamus „ palam æquitatem judicii. Si igitur vul-„ tis, ut vestra, & Pontificum revereamur „ Decreta, nihil condemnate inposterum, „ nisi de cujus perversitate constiterit „; Jansenistis scilicet, penès quos solos est de legum sive Pontificiarum, sive Episcopalium æquitate judicium, à quo nulla sit, nisi ad Generale Concilium appellatio.

Carmina ipsa Gallicè leguntur in *Processu Officii Fiscalis Curiæ Ecclesiasticæ Mechliniensis contra Domnum Gabrielem Gerberon Ordinis S. Benedicti Congregationis S. Mauri Religiosum presbyterum, qui è Gallia profugus sub veste laica, & ficto nomine Augustini Kergrè in Belgio per plures annos latitaverat* cap.6. continente *libellum alterum Additionalem* Procuratoris contra Gerberonium comparentem Bruxellis anno 1703. 20. Decembris.

4 Libellum Gerberonii famosum acceperat Walonius Romæ initio anni 1700. de quo scribens Quesnello die 30. Januarii, ita sensum suum exprimit: *Appulerunt huc strena directa ad Inquisitores Romanos. Satis perspicitur stylus, & modus esse Domini Kergrè. Qui venit ipsi in mentem componere versus, & typis edere libellos istiusmodi, qui non possunt non nocere, & concitare animos Romanorum?*

Procurator Fiscalis pag.38. relatis versibus famosis, & Walonii de iis judicio, jungit quod statuitur lege unica Codice de famos. libell. *Si quis famosum libellum, sive domi, sive in publico, vel quocumque loco ignarus repererit, aut corrumpat, priusquam alter inveniat, aut nulli confiteatur inventum. Si verò non statim easdem Chartulas, vel corruperit, vel igne consumpserit; sed vim earum manifestarit, sciat se quasi auctorem hujusmodi delicti, capitali sententia subjugandum*. Istud ideò Procurator commemorat; quia Gerberonius, etsi scripto manu propriâ Catalogo Operum à se *editorum* convincitur de editione, negat tamen Opusculum hoc à se compositum fuisse, quasi hac ratione evasurus capitale supplicium, quod Procurator eum esse promeritum demonstrat juxta rigorem justitiæ, quia *famosam Chartulam*, ut ait, ab alio scriptam, adeò non statim corrupit, vel igne consumpsit, ut ejus vim non uni solummodo, aut alteri manifestarit; sed typorum subsidio exposuerit oculis universorum.

Interim ea Gerberonii tergiversatio, & trepidatio ex supplicii metu proveniens, parum ipsi honorifica est juxta Quesnelliani symboli Articulum 66. penès quem *timor passionibus brutalibus* comparatur: & penès 91. *Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro*, quod Gerberonio minimè leve est, Jansenianæ contra omnes Pontifices veritatis defensio. Proinde si consequenter loqui, & agere novis Theologis placuerit, non deberet Gerberonium, & simile corporalis supplicii horror à tanti implerione debiti impedire. Suppono scilicet Gerberonium non discedere ab Arnaldi pro Jansenio Apologia, ubi pag.92. dicitur, quòd *sicut aliàs ædificatio Templi reservata à Deo fuerat Salomoni, ita fuerit reservata Jansenio materia de gratia clariùs dilucidanda*.

Suppono etiam Gerberonio Ægidii Candidi, quo nullus ipsi audaciâ, & sensibus conjunctior est, placere sententiam, quam in *Apologia Panegyreos Jansenianæ* legimus pag.22. *Demonstrandum* [suscipio] *perspicuis rationibus, doctrinam Ecclesiæ magis jam esse illigatam Jansenio, seu personæ, ac scriptis ejus, quàm unquam personæ Athanasii innexa fuit*; imò addit ipse Gerberonius in *Reflexionibus Religiosi, & statûs* editis anno 1692. pag.8. *Si professione solemni, & jure jurando asseritur, sensum hæreticum, qui in 5. Propositionibus est condemnatus, eumdem esse Jansenii, oportebit agnoscere doctrinam Pauli Apostoli, & Augustini de Prædestinatione, & Gratia hæreticam esse, & condemnatam*.

Idem in *Adumbrata*, ut vocat, *Ecclesiæ defensione* pag.1. jubet omnes credere *Eam quæ à Bajo, & Jansenio verè exponitur, doctrinam aliam non esse, quàm quæ genuina agnoscitur Apostoli, & Augustini sententia*. Suppono denique quod non inanis in sensu Quesnelli, & ei adhærentium sit ostentatio Causæ Arnaldinæ anno 1699. à Quesnello editæ,

editæ, cui præfigitur imago Arnaldi, & manu impositâ *Sancto Jesu Christi Euangelio*, promittitur ejus defensio *usque ad effusionem sanguinis*. Quapropter illis novæ Ecclesiæ Doctoribus non leve debitum apparet Jansenianæ de prædestinatione, & gratia doctrinæ propugnatio, utpote Paulinis atque ita Euangelicis dogmatibus, integre consentientis. Quæcumque verò eis contraria definitio, sive Episcoporum, sive Apostolicæ Sedis, necessariò injusta est, quam proinde juxta novi Symboli Articulum 91. postponere oportet debiri hic qualiscumque impletioni.

5 Quemadmodum superiùs vidimus Gerberonium pro implendo suo Janseniano debito contemnentem omnes Sedis Apostolicæ contra novam hæresim definitiones, & quæcumque eas comitantur anathemata, sic contra Galliæ Clerum eodem anno 1700. in Comitiis Generalibus congregatum, edidit Gallicè carmen famosum strophas septemdecim complectens, è quibus tres quoad sensum, pro specimine refero. „ Quæ Traditio, aut quæ Scriptura „ revelare potuit hanc definitionem [quod „ Janseniana hæresis non merum phantasma sit:] quod umbra, quæ neque subsistit, neque durat non sit verum aberrantis phantasiæ figmentum? Nonne potiùs, & verissimè dicemus Clerum nostrum somniasse, ac etiamnum dormitare, quàm quod phantasma res aliqua „ subsistens sit, quemadmodum servatâ „ judicii formâ à nostris Præsulibus declaratum est? Eccum ab iisdem lege gravi; „ sed infelici omine definitum, Augustini sententiam esse in Jansenio hæreticam „. Quis proinde Augustini Batavi discipulus non existimet, se fidei suæ debito adstringi, ut talem à Gallicanis Præsulibus illatam, propulsset ab Ecclesia sua contumeliam? Augustinum scilicet Africanum Batavo consentire, indubitata Jansenianis suppositio est; sed Catholicis Doctoribus ridicula, convicta, & explosa centies, neque melioribus fundata rationibus, quàm Wicleffi, Lutheri, Calvini ab Ecclesiæ definitionibus provocatio ad Augustinum veluti damnatis suis opinionibus patrocinantem. Notandum hic Lectori Catholico, carmen illud contra Clerũ Galliæ, esse compositum pro Cantilena, sive ut Gerberonius exprimit Gallicè *sonnet*, ut etiam à pueris puellisque in domibus, & per compita caneretur. Talis novæ Ecclesiæ religio est, talis eam propagandi modus perquam idoneus.

Istud etiam ex similibus liquet, non solos Pontifices, Cardinales, & Romanæ Curiæ Administros Jansenianis esse despectui; sed omnes etiam Episcopos, & Clerum Galliæ universum, quoties senserint suis novitatibus adversari. Unicum Comitiorum Generalium crimen fuit condemnatio libellorum, quibus Janseniana hæresis inter phantasmata collocatur. Istiusmodi autem Gerberonii, Quesnelli, Arnaldi, Ægidii Candidi scripta, qualia præsenti, & superiore capite relata sunt, cui Sapienti, & Catholico non persuadeant, decantatam ab eis toties, & tam magnificè suam velut Augustini doctrinam, religionis puritatem, modestiam, pietatem, charitatem perpetuam, *omnisque expertem mixtionis*, nihil prorsus rei habere; sed inter inanium phantasmatum simulachra, & figmenta, locum sibi non infimum vindicare?

CAPUT V.

Articulus condemnatus Jansenianæ rebellionis & pertinaciæ fomes perpetuus toto tempore Pontificatus Clementis XI.

1 ANnus hujus seculi primus initium dedit Pontificatui Clementis XI. laudari hic ante Pontificatum meruerat ab ipso Walonio, tanquam æqui & recti amans; in quo tamen istud displiceret unicum, quod crederet Jansenianam hæresim aliquid rei esse, neque meris phantasmatibus annumerandam: esse videlicet sectam reveta hæreticam, Discipulos se Augustini mentientium, contra quos utilis & necessaria sit requisitio juramenti juxta formulam à Rege Christianissimo, & ejusdem Regni Episcopis expetitam; atque ab Alexandro VII. præscriptam.

Innocentius XII. omnium Ordinum, etiam Legatorum, qui ad Rysvvicensem pacem Hagam-Comitis convenerant, gravissimis excitus querelis contra Novatores, reliquum in Hollandia religionis Catholicæ corrumpere & pessumdare molientes, Congregationem instituerat ex Cardinalibus partim S. Officii, partim de Propaganda fide compositam, in qua negotium istud, referente Eminentissimo Albano, pro momenti gravitate diligentissimè discuteretur. Discussum est, judicatumque zizaniorum illic succrescentium indicia esse minimè levia; non expedire tamen ut ferretur sententia, nisi evocato Romam, & audito Vicario

cario Apostolico. Vocatus fuit, & quidem ut famæ ejus consuleretur & honori, non citatione juridicâ velut reus; sed invitatione humanissimâ ad Anni Sancti Indulgentias, & visitanda Apostolorum limina, quod singulorum debitum Episcoporum est singulis quadrienniis, ab ipso ne semel quidem, tertio elapso quadriennio impletum.

Addebatur etiam esse quædam ad Missionem illam pertinentia, de quibus sibi Sanctissimus duceret cum suo Vicario conferendum. Verùm Vicario illo, qui erat Petrus Codde Archiepiscopus Sebastenus, non benè sibi conscio, ideoque exquisitis obtentibus iter subterfugiente, invitationem oportuit in imperium commutari additâ Vicariatûs Apostolici privatione, ni obtemperaret. Innocentius XII. Relatorem causæ instituerat Eminentissimum Albanum, qui antequam Vicarius Romam appelleret, promotus est ad Pontificatum. Sebasteni mox secuta in Urbem receptio, non solùm benigna fuit; sed etiam magnifica, missis obviam ad pontem usque Milvium variorum rhedis Cardinalium, etiam Caroli Barberini, qui Congregationi præerat de *Propaganda fide*. Receptio illa Sebasteni tam honorifica ab itineris ejus & defensionis sociis, mox in Belgium perscripta, à Gazettariis illic celebrata est, & variis exornata circumstantiis, non absque præcoci omine successuræ feliciter causæ principalis. Toto ea biennio pertractata est diligentiâ maximâ: auditus Sebastenus quoties & quantùm voluit; sed tandem ab Eminentissimis Patribus, atque ipso in primis Sanctissimo deprehensum est, cum non posse diutiùs in Vicarii Apostolici munere absque gravi animarum periculo, imò pernicie tolerari. Quare primùm suspensus à munere, postea penitùs sublatus est.

2 Proponi ipsi Romæ Clementissimus Pontifex curaverat, num si suprema authoritas ab ipso exigeret juratam subscriptionem formulæ Alexandri VII. contra Jansenium, animo foret ad obediendum parato. Hic lapis Lydius fidem Sebasteni exploravit, detexitque hypocrisim. Post affectatam enim hactenus pietatem, quando ad professionem fidei ventum est, scripto declarare non est veritus; Non permittere Christianam simplicitatem & veritatem, ut talis à se fieret subscriptio juramenti. Tale credidit incumbere Janseniano Antistiti, & novarum partium antesignano debitum, spreto qualicumque censuræ, aut etiam privationis periculo. *Excommunicationis injustæ metus nunquam nos impedire debet ab implendo debito nostro. Numquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus*, ut præsens docet Quesnelli Articulus. Contra metum carceris sibi prospexerat apud Acatholicos Hollandiæ Ordines, qui præscindentes à munere Vicarii, eum repetebant veluti civem sibi intrà menses quatuor reddendum; clausuri aliàs omnia Pontificiorum illic Oratoria.

Ne igitur unius in Urbe detentio rem Christianam penitùs in Hollandia pessumdaret, à Pontifice non solùm permissum Reo est, sed etiam imperatum ut discederet, absque ulla tamen spe muneris unquam exercendi. Antequam Româ discederet, rogaverat Pontificem ut sua Causa revideretur in plena S. Officii Congregatione, quæ quidem postulatio importuna, & tot Eminentissimis prioris Conventûs Patribus videri poterat contumeliosa, non tamen à Papa verè Clementissimo rejecta est. Verùm Reus inde graviorem retulit condemnationis sententiam, & Vicariatûs Apostolici perpetuam privationem.

Luctuosam miseri Antistitis cæcitatem vel inde certiùs perspicies, quod ille compertissimum habens, Jacobum Catsium Missionarium Ultrajectinum esse Sedi Apostolicæ rebellem, & à Clementis XI. apud Colonienses Nuntio, ipsius mandato Pontificis, denuntiatione publica excommunicatum, nihilominus adeò sibi non statuerit fugiendum, quin ejus frui voluerit ad finem vitæ contubernio, atque ita quoque suam contra Pontificem rebellionem & censurarum omnium contemptum insigni coronide reddere celebriorem. Dum lenta eum conficeret infirmitas, vitâ interim à medicis desperatâ, tempus fuit Coloniensi Nuntio, ut ultimum ei charitatis officium impenderet, misso iteratis vicibus Coloniâ Ultrajectum Auditore suo, qui suprema ei salutis monita impertiret, orans & obtestans, ne æternitatis iter, viris etiam sanctissimis adeò terrificum, ab Ecclesiæ communione se junctus, temerè susciperet.

3 Suggerebat autem pro ejus cum Sede Apostolica reconciliatione tria esse necessaria: primum ut Jansenianam hæresim Alexandrinæ subscriptione formulæ detestaretur: Secundum ut latæ contra se Pontificiæ sententiæ se submitteret: Tertium ut excommunicati ædibus sineret se efferri. Verùm quis credat eò provehi potuisse infausti Antistitis pertinaciam, ut cùm plures in promptu essent Presbyteri, ægrumque invise-

viserent nullo perstricti anathemate, non tamen ab alio, quàm publicè excommunicato accipere, ut dicitur, Viaticū voluerit; quasi non satis criminis ad Divini tribunal Judicis delaturus, nisi novum moriens accerseret sacrilegium. Illud nempe ultimum Janseniana vitæ debitum æstimavit, à quo absterrere debuerat incurrendus iterum anathematis reatus; sed cujus totâ vitâ animum novitatis dementia occupavit, difficile est ut eam, sicut oportet, exuat moribundus, mentis acie, morbi angustiis distractâ nimiumque debilitatâ. Neque defuit illi Jansenianus in schismate, & fortè hæresi confirmator, instructus Quesnelliani Symboli Articulo: *Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Numquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.*

Repulsus itaque semel ac iterum Nuntii Apostolici Auditor Coloniam redux, de immobili Antistitis contumacia Dominum suum reddidit certiorem, atque hic Pontificem Maximum, à quo casus ad Congregationem S. Officii delatus, sacrum illud tribunal horrore perculit, expressitque ab eo luctuosam sententiam privandi cadaver sepulturâ Ecclesiasticâ, atque infelicem animam suffragiis fidelium, si ante exitum mens ei sanior non rediisset. Proximus autem Cursor Romam detulit Rei obitum in pertinacia, qua intellecta ab Eminentissimis S. Officii Cardinalibus prior sententia confirmata est, atque à Summo Pontifice iterum approbata. Verùm minimè concidit animus Jansenistarum, qui vitam defuncti veluti sanctam obitu felicissimo terminatam, elogiis immensis & epitaphiis celebrarunt. Sepultus dicitur in pago Belgicè *Waermond*, Latinè *verati ore*, atque idem locus propter etymologiam nominis à præcipuis ad sepulturam deligi Jansenistis, etiam Quesnelli, si rectè memini, cineribus donatus.

S. Inquisitionis sententia contra duo Sebasteni scripta, *Declarationem* & *Responsionem* prodiit anno 1704., lata die 3. Aprilis, feria v. Summo Pontifice præsente & approbante. Prohibiti autem & condemnati fuere Libelli isti, *uti continentes doctrinas & assertiones ad minimum suspectas, singulares, atque Ecclesiasticis Constitutionibus repugnantes, quibus Christifideles in jam damnatos errores induci, ac pravis opinionibus infici possent; ita ut nemini in posterum cujuscumque gradûs, aut conditionis existat, eosdem Libellos, vel eorum alterutrum ullo modo, & sub quocumque prætextu imprimere, vel imprimi facere, aut impressos legere, vel apud se retinere liceat; sed illi Ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ab omnibus, qui eos habuerint, statim & cum effectu tradi, & consignari omnino debeant sub pœnis in indice Librorum contentis.* In Regula autem Indicis decima sic decernitur: *Si quis Libros hæreticorum, vel cujusvis authoris scripta ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat.*

Libellos illos Archiepiscopi Sebasteni damnatos atque prohibitos esse ob falsi dogmatis suspicionem, nudâ Decreti lectione convincimur. Nova autem Jansenistarum Ethica sententiis inimica probabilibus, benignitatis expers, solis addictam se mentiens certis, & undequaque securis, denique rigida nomine & ostentatione, excommunicationes istiusmodi propter suppositam injustitiam, novatoribus semper evidentem, monet despici oportere, & contrariis actibus abrogari. Quapropter utrumque Sebasteni opusculum Janseniani novis in Belgio typis editum, & pluribus confirmatum vindiciis, ad manus omnium sibi credulorum summâ impudentiâ divulgarunt.

3 Præcipuum Sebastenus contra Sedem Apostolicam defensorem nactus est Paschasium Quesnellum, qui grati animi debitum à se maximè postulare censuit, hoc erga suum suorùmque *Patrem Bonifacium*, ut in Janseniana cifra exprimitur. Edidit itaque pro eo *Monita*, quæ vocat, *Sinceraad Provinciarum fœderatarum Catholicos circa Decretum Inquisitionis Romanæ &c.* Illîc pagina 65. ait: *Peritiores interim Theologi Romæ & in Gallia, & quicumque legerunt Responsiones Archiepiscopi Sebasteni: atque de iis judicant non ex præoccupatione, censent illas omnino satisfacere, & confundere adversantes.* Pag. 67. *Causa ejus erat tum æqua, ut nullum uspiam tribunal sit, in quo non triumphasset; si modò auditus fuisset à Judicibus non suspectis*; Quales Quesnello & sociis in Romana Ecclesia nulli sunt.

Pag. 118. *Doctrina Ethica, & praxis Euangelii ac Sanctorum Patrum est, quæ à Censoribus doctrina singularis, & prava vocantur opiniones.* Pag. 123. *Debetne in conspectu fieri Apostolorum contra Archiepiscopum, quod Imperatores idololatras contra Christianos, Diis suis infensissimos agere putuisset?* Pag. 141. *Et hoc quidem judicium est,* quod

quod Romani vellent nos admirari, cuique vellent nos sine querela subscribere! Faciat istud qui voluerit, seque injustitiæ tam enormis participem reddat; verùm omnes quibus intellectus sanus, & voluntas recta est, eam semper gemitibus prosequentur, & ubi opportunum videbitur, etiam querelis. Pag. 150. *Maculam inurit Sanctæ Sedi quisquis tale ei Decretum attribuit. Quapropter deberemus omnes vires jungere ad amoliendam banc ab ejus nomine & dignitate infamiam... Quod qui non videt, oculos sibi clauserit necesse est.* Non deerit fortè inter Catholicos, qui tantâ Quesnelli contra Sedem Apostolicam impudentiâ, & contumeliosis clamoribus commotus, eos Sirenarum & Draconum planctibus comparet, de quibus Hieronymus in caput 1. Michææ, *Planctum sunt* [inquit] *aliquando Dracones, quando viderint Draconem maximum captum, & in bamo pendere piscantis, & mirè desolatum: & lugebunt, quasi filiæ Sirenarum.*

Ardentiorem *Pater Bonifacius* in Quesnello vindicem nactus est, quàm in Erasmo Lutherus, pro quo moderatiùs; licèt non minùs nequiter illum perorantem legimus in epistola ad Fridericum Saxoniæ Ducem. *Hujus* [inquiebat] *lucubrationes nec tueri meum est, nec improbare, ut quas hactenus non legerim, nisi carptim. Certè vitam hominis nemo qui novit, non probat: quæ cùm longissimè absit ab omni suspicione avaritiæ, atque ambitionis, & morum innocentiæ vel apud Ethnicos favorem inveniat &c.* Lamentantes etiam Dracones hæreticos, Pelagianos scilicet Antistites Cœlestino Pontifici scribens exhibet Nestorius, mox futurus ipse Draco maximus. Sic eum Baronius scribentem refert anno 430. num. 3. „ Julia„ nus, & Florus, & Orontius, & Fabius, „ dicentes se Occidentalium partinm Epi„ scopos, sæpe piissimnm, & prædicatissi„ mum Imperatorem adierunt, ac suas „ causas defleverunt, tanquam orthodoxi „ temporibus orthodoxis persecutionem „ passi: sæpe eadem & apud nos lamentan„ tes, ac sæpe rejecti eadem facere non „ desierunt; sed instant per singulos dies „ implentes aures omnium, vocibus la„ crymosis. „ Quesnelli in eo confidentior querela est, quod neminem sinat Sedis Apostolicæ subscribere judicio, ac ne Sebastenum quidem se ei submittere, *ne injustitiæ tam enormis se reddat participem.*

Eadem Sebasteno suggesta de Catsio hospite suo ratio non illum passa est excommunicati deserere contubernium, ne censura judicio suo injustissima, alterius electione hospitii, approbari videretur, quod est contra Christiani hominis officium, magis etiam contra *debitum* Antistitis. *Debitorum* autem maximum in nova Ecclesia est, non abdicare à se Jansenii sensum circa quinque famosas Propositiones à Sede Apostolica sæpiùs damnatas. In hoc Sebasteni consensio candori potiùs, quàm sacrilegæ Quesnelli perfidiæ, quod ille cum animo Janseniano componere noluerit juramentum Formulæ Alexandri VII. quod mirifica Quesnelli industria licitum definivit, ut jurejurando scilicet exterius affirmes, quod totâ negas & pernegas mente.

4 Illustrissimus D. Joannes Baptista Bussius Nuntius Coloniensis, qui nunc est Eminentissimus Cardinalis, anno 1711. die 17. Januarii, jussu Clementis XI. Pontificis Maximi Joannem Christianum Van Erckel Missionarium aliàs apud Delphenses in Hollandia Apostolicum, declaraverat excommunicatum propter Libellum ab eo typis editum impium & scandalosum, quem neque monitus retractare voluerit. Sententiam hanc Nuntius per literas significavit die 23. Februarii quatuor vicinis Missionariis, quarnm copiam nactus Erckelins novo opusculo typis divulgato excommnnicationem & literas Nuntii impudentissimè exagitavit. Sic nempe pag. 51. Ministrum Pontificium vellicat. „ Testatur D. Nuntius in epistola, se in magno mœrore, & „ perpetua cordis amaritudine versari ex „ eo quod ad talia devenire fuerit compul„ sus; verùm qui omnes veritatis, justitiæ, „ juris ac rationis regulas transgressus no„ scitur, deberet ab istiusmodi abstinere „ vocibus. Pergit Nuntius in epistola, „ paratum se asserere, ut absolutionis mihi „ beneficium impertiat, modo illud facto„ rum pœnitens expetiero. Sed nulla hic „ mihi opus absolutione est; Quin Nun„ tium ipsum apud Summum Judicem se„ curus expecto, interim tamen dum ad„ huc in via sumus, salutarem ipsi pœni„ tentiam exopto.

Idem Erckelius in priore Belgico Opusculo cui titulus *Monitum &c.* pag. 23. „ Si „ (inquit) ineptam excommunicationis „ chartam discutere, animus esset, volu„ mini implendo materia non deforet. „

Pag. 38. „ Palpabiles errores, defe„ ctus, ineptias istius excommunicationis „ tam quoad materiam, & fundamenta, „ quàm quoad formā ubique detegimus, & „ quomodo proinde nullam æquitatis spe„ ciem, nihil roboris habeat. Prudentes „ igitur Catholici Legum Ecclesiastica„ rum

„ rum periti non ægre ferent, quòd audito „ sapientûm consilio, & fusis ad Deum „ precibus declarem, me excommunica„ tionis sententiam ob rationes varias ir„ ritam æstimare & nullam, quodque eâ „ prorsus conteptâ gregem meæ sollici„ tudini commissum, more solito curatu„ rus sim, & functiones cæteras obiturus, „ confidens pariter eundem sapientiâ satis „ imbutum, cassis fulminibus & tonitribus „ minimè terrendum.

Idem Nuntius mandato Sanctissimi excommunicationis sententiam biennio ante, nempe 1709. 14. Martii divulgaverat adversùs Matthiam Torkium Ultrajecti in Hollandia Missionarium, contra quam mox Torkius insurrexit infami Opusculo in lucem edito 8. Aprilis. Illic pag. 7. dicitur: „ Si tale mandatum Pontifex, quale refert „ excommunicatio, dederit, malo credere „ Sanctissimum deceptum fuisse, quàm hor„ rendæ adeò injustitiæ complicem. „ pag. 14. „ Tam injustam sententiam audet „ Nuntius pronuntiare, *Christi nomine in„ vocato*, &, ut quidem ait: *Solum Deum „ præ oculis habens*. Nonne istud est, Deum „ & sanctissimam ejus religionem ludere „ ac irridere? „

Ibid. „ Si ulla me excommunicationis „ illius tangeret reverentia, si vel mini„ mus ejus metus me angeret, deberem „ profectò asinus esse, aut lepus, aut stul„ tus. „

5 Talibus instituti moribus & documentis Hollandiæ Missionarii fuere ab Arnaldo & Quesnello ex Gallia transfugis: ante quorum adventum nihil in illis Missionibus unquam simile auditum est, imò nihil erat illic Missionariis ergaSedem Apostolicam reverentius, nihil submissius. Definitio Quesnelli gemina digna schismatico, & novæ sectæ Principe legitur in processu, seu *Causâ Quesnellianâ* Art. 2. §. 5. pag. 139. Consultus ab Heussenio, uno ex quatuor Sebasteni Provicariis, à Clemente XI. depositis, Quesnellus fuerat, primò an in præsentibus circumstantiis non esset licitum (contra Pontificem) recurrere ad Magistratum Acatholicum: Secundò an sibi & sociis à Sebasteno constitutis Provicariis non liceat imposito fungi munere, licèt à Pontifice omnis eis potestas adempta fuerit, & omne exercitium sub anathemate interdictum. Dignus uterque tali Provicario casus.

Utrumque certissimè licitum esse, definit Quesnellus; posterius etiam necessarium. Prioris ab eo hæc ratio redditur: quia „ Evidens est plus rationis esse Hol„ landiæ Magistratibus, ut dispiciant, num „ Romanæ Curiæ Decreta nihil contineant „ regimini suo politico adversum; non „ enim minima Monachorum cura nosci„ tur, ut illuc introducant quidquid mi„ nus tolerabile est sub Romanorum jugo, „ atque hi pariter omni modo studeant suum „ in has Provincias invehere dominatum. „ In eam Quesnelli resolutionem Procurator Fiscalis ita breviter, sed aptissimè animadvertit: *Quid hoc differunt à Calvini calumniis?*

Prosequitur Quesnellus. „ Protestan„ tes sunt indubiè magis idonei ut de cau„ sa Sebasteni & adhærentium ei Presby„ terorum contra Libellos famosos ferant „ sententiam. „ Inter istiusmodi Libellos Quesnello & schismaticis ejus Missionariis sunt Clementis XI. contra eos Brevia & excommunicationes à Coloniensi Nuntio jussu Pontificis denuntiatæ. Sic etiam Torkius Libellum suum superiùs memoratum concludit: *Obtestans supremos Patriæ Magistratus, ut* [inquit] *me & cæteros injustè oppressos defendere ac protegere velitis, ne qui præ omnibus fidissimi & Reipublicæ* [Hollandiæ contra Pontificem Romanum] *utilissimi sumus, non penitùs opprimamur.*

In *Causa Quesnelliana* pag. 248. refertur epistola Prauvvelii adhærentis Sebasteno Missionarii scripta anno 1703. die 28. Maji ad Quesnelli Secretarium, occasione Decreti Ordinum Hollandiæ contra Religiosos. *Is* [inquit] *fructus Pontificii Brevis* [contra Sebastenum & ejus socios] *est: cras alterum Hollandiæ diploma habebimus, quo Breve illud tanquam Libellus famosus & seditiosus prohibebitur ... BONNA nobis tradita est: nunc intercepturi imus Namurcum, & liberaturi miseros Lovanienses* [à Romana Curia] *oppressos, demique ejecturi Blondum* [in cifra D. Internuntium] *& omnem illam hominum facem* [sive ut in Gallico est] *&* TOUTE CETTE CANAILLE, *quæ viros opprimit honestos*. Pontificius scilicet Bruxellis Internuntius cum omnibus illic Apostolicæ Sedi obedientibus, fæx illa hominum est tam gravis & molesta viris honestis, quales Prauvvelio non alii sunt, quàm novæ Ecclesiæ devoti.

6 Suum etiam hìc zelum desiderari passus non est Hammius Berulliani Oratorii Presbyter vulgo dictus *Masculus valde zelosus pro Sancto Cornelio* (Jansenio) & vel inde forsitan instituendis Tironibus judicatus maximè idoneus; quibus etiam Libellos divenderet illius *S. Cornelii* dogmata complectentes. Is in epistola anni 1703. 28. Ja-

28. Januarii relinquit *aliis judicandum, an aberraverit à vero, qui proditurum Romā Antichristum asseruit, cujus nota primaria dominandi libido est*. Ibid. *Gens illa nulli cedere novit, at per fas nefasque universo dominari*. Per nefas autem juxta præclarum hunc Tironibus præfectum indubiè fit, quidquid *Sancti* sui *Cornelii* dogmatibus definiri viderit adversum: unde neque anathematis metu impediri se debere arbitratus est, quin Magisterii sui impleret debitum, documenta damnata tironibus inspirandi & subministrandi Libellos ad promovendam *S. Cornelii* Jansenii doctrinam studiosè compositos.

Anno hujus seculi secundo Janseniani dolosissimum excogitaverant stratagema, famosum *Conscientiæ casum*, quo fingerent Presbyterum, qui Formulæ Alexandri VII. contra Jansenii sensum quinque Propositionibus comprehensum, jurejurando subscripserat; nihilominus credens à Jansenio nihil esse traditum nisi orthodoxum: & proinde universam ejus doctrinam animo retinet, velut sanam & ab omni intactam anathemate. Ita Jansenianus se exponens Confessario, ab hoc sinè absolutione dimittitur. Casu autem ad Sorbonicos delato, quadraginta, subscriptis nominibus, declararunt, non debuisse absolutionis beneficium denegari.

Walonius Romæ accepto Resolutionis hujus nuntio die 3. Februarii 1703. datâ ad Quesnellum epistolâ sic respondit: *Maximi res momenti est, quod subsistente eâ Doctorum definitione, prætensus Jansenismus in fumos abeat*. Non quasi doctrina Jansenii per eam abolita in posterum censenda sit, imò per eam in scholis solium ipsi erigitur, cùm universæ ejus velut Catholicæ in mente retentio obesse minimè debeat, quin in Sacramento pœnitentiæ quilibet eam Confessario professus, velut probè Catholicus absolvatur.

Hoc modo quilibet universis Jansenii dogmatibus imbutus, nihilominus jurare poterit Formulâ Alexandri VII. & dum jurejurando declarat, se *Quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem authore intento, prout illas per dictas Constitutiones* (Innocentii X., & Alexandri VII.) *Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicere ac damnare*, poterit simul sensum Jansenii de iisdem Propositionibus veluti sanum, & Augustino prorsus consentaneum, amplecti animo & inconcussâ perpetuò firmitate confovere. Ita volumen Jansenii quantum est, de omnibus contra se Apostolicæ Sedis toto orbe receptissimis Constitutionibus, & condemnationibus triumphabit. Verùm subdolâ hac Jansenistarum machinâ ad Clementem XI. perlatâ Sanctissimus satis prospexit, quò ea vergeret, ad notissimam videlicet hæresim protritis omnibus contra eam Constitutionibus in Ecclesia stabiliendam. Quapropter die 13. Februarii anni 1703. duo contra eam fortissima Brevia expedivit: unum ad Regem Christianissimum, alterum ad Cardinalem Noailles Archiepiscopum Parisiensem, ut exitialem adeò molitionem & audaciam debitis castigationibus reprimentes, in ipsis veluti incunabulis præfocarent.

Non defuere muneri suo Rex Christianissimus atque Archiepiscopus adigendo mox ad palinodiam Doctores, qui *Casum conscientiæ* temerariis subscriptionibus approbarant. Quesnellus quoque operam suam commilitonibus in suscepta professione confirmandis minimè passus est desiderari, commonefaciens eos officii ac debiti quod in susceptione Doctoralis laureæ contraxerant per Christi Euangelia jurantes, se veritatem perpetuò, etiam effusione sanguinis defensuros. Unde deducebat consequens, eosdem censuræ cujuslibet sive à Pontifice, sive ab Archiepiscopo imminentis, sive exilii & cujuscumque supplicii forsitan gravioris, à Principe inferendi formidine injustè incussâ, non debere ab implendo debito impediri: & quidem, ut plus ponderis haberet adhortatio, Quesnellus se Episcopum mentiens eam typis edidit velut *Epistolam Episcopi ad Episcopum*. Sed plus valuit apud plerosque Regis & Archipræsulis armatum justis comminationibus imperium, quàm inanis larva Episcopi & religionis. E quadraginta Doctoribus, triginta sex approbationem improvidam retractavere, duobus interea ad Dei tribunal evocatis, duorum aliorum pertinacia, Regem, Archiepiscopum, Facultatem Theologicam sensit perfidiæ & rebellionis ultricem.

7 Audiantur Sorbonica Comitia habita anno 1704. die 1. Septembris, quibus interfuere plusquam centum, & quinquaginta Magistri. Illic *communibus votis sic censuit Sacra Facultas, Propositionem qua dicitur sufficere submissio reverentia, & silentii circa id, quod Ecclesia definivit, circa Factum Jansenii, damnandam esse, ut temerariam, scandalosam, injuriosam Summis Pontificibus, & Episcopis Galliæ, atque etiam, ut prabentem occasionem renovandæ ex integro*

post

post damnationem Jansenii doctrinæ: & in quantum eadem Propositione dicitur, illud obsequium reverentiæ, & silentii sufficere, etiam iis qui subscripsere formulæ fidei, quæ adjunctum habet juramentum ex Sanctione Alexandri VII. prædictis notis hanc etiam esse adjiciendam, ut & adjicit, nempe quod faveat mendacio, & perjurio.

Doctrinam casûs conscientiæ altiùs imbiberant Moniales Portus Regii, etiam antequam proponeretur Sorbonicis approbanda. Hanc sibi retinendi debitum crediderunt indispensabile, adeò ut nulla eas Ecclesiæ censura, utpote Magistrorum suorum judicio injusta, ac ne Monasterii quidem ab imis usque fundamentis subversio, ab errore pestifero potuerit dimovere. Tandem singulæ per varios dispersæ Monialium Conventus, postquam Catholicarum Virginum diù exercuere patientiam, ægrè cessere ardentibus Episcoporum monitis, nec nisi instante mox ad æternitatem itinere.

Clementis XI. saluberrima Constitutio *Vineam Domini Sabaoth* prodiit anno 1705. 17. Kalendas Augusti. Hæc, ut securim ad Jansenianæ hæreseos radicem ponere visa est, *Ægidio Candido*, sectæ inter Jansenistas *Candidæ* primipilo, exhausit patientiam dicam an rabiem? Præcipuum Sanctionis illius Apostolicæ, & nullo tempore condemnandum crimen penès Ægidium est quod ibi legitur: „ Iidem inquieti homines sparsis undequaque Scriptionibus, ac libellis, exquisitâ ad fallendum arte compositis, non sinè gravi Apostolicæ Sedis injuria, maximoque totius Ecclesiæ scandalo docere non sunt veriti, ad obedientiam præfatis Constitutionibus [Innocentii X. & Alexandri VII.] debitam non requiri; ut quis prædicti Janseniani libri sensum in antedictis quinque Propositionibus damnatum, interiùs ut hæreticum damnet; sed satis esse, si eâ de re obsequiosum, ut ipsi vocant, silentium teneatur. Quæ quidem assertio quàm absurda sit, & animabus Fidelium perniciosa, satis apparet, dum fallacis hujus doctrinæ pallio non deponitur error; sed tegitur: vulnus absconditur, non curatur: Ecclesiæ illuditur, non paretur: & lata demùm filiis inobedientiæ via sternitur ad fovendam silentio hæresim; dum ipsam Jansenii doctrinam, quam ab Apostolica Sede damnatam Ecclesia Universalis exhorruit, adhuc interiùs abjicere, & corde improbare detrectant.

„ Quin etiam eò impudentiæ nonnullos devenisse compertum est, ut veluti naturalis honestatis, nedum Christianæ sinceritatis obliti, asserere non dubitaverint, præfatæ Formulæ à memorato Alexandro Prædecessore præscriptæ subscribi licitè posse etiam ab iis, qui interiùs non judicant prædicto Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri. quasi verò contrà quam scriptum est: Qui loquitur veritatem in corde suo: & : Qui jurat proximo suo, & non decipit, hujusmodi erroris Sectatoribus liceat Ecclesiam ipsam jurejurando decipere, simulque Apostolicæ Sedis providentiam fallere, dum ejusdem Formulæ conceptis verbis loquuntur, quod Ecclesia loquitur; quod tamen sentit ipsa, non sentiunt: seque parere Constitutionibus Apostolicis profitentur, quibus animo contradicunt.

Tum approbatis, confirmatis, innovatis contra Jansenii doctrinam definitionibus Innocentii X., & Alexandri VII. „ Insuper (inquit Clemens XI.) ut quævis in posterum erroris occasio penitùs præcidatur, atque omnes Catholicæ Ecclesiæ filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solùm [nam, & impii in tenebris conticescunt] sed & interiùs obsequendo, quæ vera est, & Orthodoxi hominis obedientia, condiscant, hac nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione, obedientiæ, quæ præinsertis, Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri; sed damnatum in quinque præfatis Propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præseferunt, ab omnibus Christi fidelibus, ut hæreticum, non ore solùm; sed & corde rejici, ac damnari debere, nec aliâ mente, animo, aut credulitate supradictæ Formulæ subscribi licitè posse, ita ut, qui secùs, aut contra quoad hæc omnia, & singula senserint, tenuerint, prædicaverint, verbo, vel scripto docuerint, aut asseruerint, tanquam præfatarum Apostolicarum Constitutionum transgressores, omnibus, & singulis illarum Censuris, & pœnis omninò subjaceant, eâdem authoritate Apostolica decernimus, declaramus, statuimus, & ordinamus... Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis, approbationis, innovationis, decreti, declarationis, statuti, & ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc atten-

„ attentate præfumpferit, indignationem „ Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, „ & Pauli Apoftolorum ejus fe noverit in- „ curfurum.

8 Hactenus Clementis XI. Conftitutio, cui univerfa Chrifti Ecclefia, maximè Gallia prona affenfum præbuit atque obedientiam anno 1705. Dubitare de hoc neminem finunt tum ipfius Cleri in Comitiis Generalibus Lutetiæ congregati Acta typis edita, tum Eminentiffimi Parifienfis Archiepifcopi epiftola ad Clementem XI. data anno 1711., ac demùm ipfius Regis Chriftianiffimi data ad eundem Pontificem die 29. Junii ejufdem anni. Verùm Ægidius Candidus contemptis omnibus Sedis Apoftolicæ receptiffimis ubique Cenfuris, utpote judicio fuo injuftis, in *Depulfione excommunicationis per Illuftriffimum D. Buffi Coloniæ Nuntium Pontificium attentatæ in R. D. Matthiam Torkium* &c. pag. 13. fic intrepidus enuntiat: *Quid, amabo, ullo tempore horribilius Ecclefia Dei vidit Conftitutione illâ VINEAM DOMINI SABAOTH de exordio nuncupata?* Pag. 14. *Ecce ego minimus Sanctorum, in me recipio perfectam Janfenii cum magno Auguftino, cum Apoftolo Paulo, cum Chrifti Evangelio confonantiam contra quofcumque oppugnatores ad folares radios demonftrare.* Ibid. *Nihilominus nullis jam de fœderato hoc Belgio venalis eft Pontificis hodierni gratia, nifi juxta præfixam legem à D. Nuntio Buffio, horrificæ ifti Bullæ Vineam Domini Sabaoth dictæ fubfcribant. Ubi fumus o dilecti, & electi Dei?*

In Hollandia es, O Ægidi! ditione Acatholica, non fcriptorus talia impunè fub ullo Principe Orthodoxo. Quod omnes Ecclefiæ definitiones hærefi tuæ adverfas, omnia anathemata defpicias, velut injufta, & hujufmodi obtentu à tuis omnibus floccifacienda, pridem novimus. Quam jactas, te Janfenii cum Auguftino, cum Paulo Apoftolo, cum Chrifti Evangelio confonantiam ad folis radios demonftraturum, pridem à Janfenianis tentatum vidimus confidentiâ fimili, fucceffu haud meliore, quam nacta fuerit Wickleffi, Lutheri, Calvini, de fuo cum Auguftino, cum Apoftolo, Divinis literis confenfu gloriatio. Quod te *Sanctorum minimum* appellas, & omnes tuos *Dilectos, & Electos Dei*, eodem fenfu accipimus, quo illi memorati cum fuis Difcipulis hærefiarchæ, Sancti, & Electi Dei à fuæ fectæ præconibus celebrantur.

Adeò autem non terretur Ægidius ille Candidus *indignatione Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoftolorum ejus*, aut quibufcumque iteratis toties Cenfuris, quibus Conftitutionis illius transfgreffores fubjacere Sedes Apoftolica declaravit, ut ipfemet velut anathemate dignam Conftitutionem dilaceret, atque univerfæ denuntiet Ecclefiæ reprobandam. Libello famofiffimo titulum fecit authoris temeritati, & impudentiæ parem: „ Denuntiatio Solemnis Bullæ Clementinæ, quæ incipit „ VINEAM DOMINI SABAOTH, facta „ univerfæ Ecclefiæ Catholicæ, ac præfertim omnibus Hierarchis ejus, tanquam „ evertentis doctrinam gratiæ, qua Chriftiani fumus: tanquam refufcitantis Pelagium cum fuis affeclis: tanquam objicientis Ecclefiam extraneorum fcandalo: diffidia jam nimiùm diu durantia, „ acerbiùs exulcerantis, atque fub fenfus „ Janfeniani involucro, prima, & certiffima „ Chriftianæ pietatis, humilitatis, gratitudinis, fpei, & charitatis principia, ac „ fundamenta, hoc eft, gratiam Dei per „ fe efficacem, & prædeftinationem Electorum gratuitam, hæretico carbone „ notantis.

Titulo convenit apptimè totum Opufculum, & quæ pag. 11. fequitur conclufio: „ Quamobrem (inquit) ut unde cœpi, redeam, Conftitutionem jam fæpius memoratam ego minimus in domo tua, O „ Sponfa Chrifti! Præfectis omnibus per „ orbem fparfis denuntio, ut inimicam „ gratiæ Dei, ut fautricem Pelagianæ fuperbiæ, ut calumniatricem infignis Epifcopi (Janfenii) ut deftructricem Hierarchici ordinis, per ea quæ extorqueri „ mandat perjuria, ut omnis boni, quod „ à fola vera gratia manare poteft, obtruncatricem, omnis mali iliadem, animarum „ ruinam, falutis excidium, & tuam apertam, & inevitabilem ftragem.

9 Similia idem habet Ægidius in Auguftini Iprenfis vindiciis uberioribus anno 1711. contra Archiepifcopum Cameracenfem, atque ipfum quod magis mireris Pafchafium Quefnellum, quâ parte *Denuntiationem Bullæ Clementinæ* invadunt. Archiepifcopus fcilicet doctrinam Ægidii; Quefnellus autem doctrinæ confentiens folam infectatur fcriptionis imprudentiam, & acerbitatem, cujus ipfum reprehenforem non minùs convicimus alibi, & fæpius reum. Sic autem Ægidius pag. 43. „ Sed „ quidquid circumveniantur Pontifices, „ dormitent Epifcopi, fileant eruditi, me „ folum relinquant, Clemenrinam Bullam „ vanis effugiis, & cavillis frigidiffimis „ tueri pergant, quidquid demum recla-

„ ment contra me inimici, vel deficiant à
„ me amici &c.

Pag.46. „ Veræ pietatis ædificium ex-
„ trui nullo modo potest, nisi positis à Cla-
„ rissimo Jansenio Sanctissimis, & humilli-
„ mis innixum basibus; qui & propterea
„ inter veræ sapientiæ mysticæ patronos,
„ Doctores, ne dicam Coryphæos non im-
„ meritò numerandus est „. Aliàs contra Steyaertium scribens cæteris Jansenianis se audentiorem esse gloriabatur, *singularis sum ego* [inquiebat] *donec transeam*. Cui Steyaertius non incongruè respondit, in mentem revocans Divinum oraculum, quod horribilem vineæ suæ stragem considerans dixit: *singularis ferus depastus est eam*. Opto autem, etiam *fero* huic adeò *singulari*, cujus manus contra omnes est, & omnium contra ipsum, ut ad mentem redeat saniorem, antequam hinc transiturus sit ad Christum judicem, cujus Vicarium tot scriptis infamibus insectatus est; ne aliàs, qui *minimum Sanctorum*, *minimum se in Ecclesia* vocat, habeatur *minimus in Regno Cælorum* sensu Salvatoris in Matthæi Euangelio cap.5. ut explicant Chrysostomus, & Theophilactus apud A lapide: „ *Minimus*
„ *vocabitur*, vilis reputabitur, contemptui
„ erit in Cœlis Deo, & Sanctis Angelis,
„ quasi hominum postremus, & planè in-
„ dignus qui in Regnum Cœlorum admit-
„ tatur, ideoque damnabitur, & relegabi-
„ tur ad gehennam. Unde S. Chrysosto-
„ mus, & Theophilactus *minimus* inter-
„ pretantur nullus.

Petrus Gratianus famosus in Hollandia Missionarius, Janseniana quidem hæresi Ægidio conjunctissimus; etsi in Divini Codicis interpretatione ad graves usque inimicitias dissentiens, adeò non metuit Sedis Apostolicæ anathemata, quæ Janseniani sensus defensoribus Constitutione *Vineam Domini Sabaoth* infliguntur, ut vel propterea suum ipse Christi Vicario anathema comminetur in Epistola altera ad Clementem XI. pag.3. „ Gratia Christi [inquit]
„ quæ à nullo duro corde respuitur, apud
„ Romanos impugnatur. Hæc tu Cle-
„ mens XI. coram vides, & taces, & probè
„ noscis, & dissimulas: & adhuc ægrè fe-
„ res quod dicaris inimicis gratiæ Christi
„ favere? Ad hæc enim non solùm taces,
„ quæ à te, si Christi gratiam, & charita-
„ tem haberes, deberent damnari, & ana-
„ thematizari; Verùm quod amplius est,
„ & horrendum, tu ipse in Jansenio ean-
„ dem Christi gratiam, quâ Christiani su-
„ mus, condemnasse videris, & diceris
„ apertè, non sine summa verisimilitudine.
„ Parum abest quin dicam tibi anathema.
„ Verum est Domine Clemens, quod præ-
„ decessores tuos, etiam ipsum Alexan-
„ drum VII. hactenus excusaverim, &
„ adhuc excuso, & eximo ab hæresi Semi-
„ pelagiana non solùm; sed etiam Moli-
„ niano errore, qui pejor est priore. Ast
„ Beatissime quidem in ore hominum; sed
„ miserrime Clemens, quomodo te exi-
„ mam non solùm à Moliniana hæresi;
„ verùm etiam à tyrannide, & hæresi alte-
„ rius speciei?

Difficile id, fateor, Gratiano illi fuerit; imò impossibile, quandiù helleboro, aut alio remedio forsitan potentiore cerebrum ipsi ab insania expurgatum non fuerit.

10 In Quesnello, & omnibus ei adhærentibus, animum ab omni excommunicationis formidine liberum, testantur innumera ab eis edita in lucem opuscula, quibus Bullam Unigenitus impugnant, condemnatam illic hæresim, & subdolum ejus patrocinium, spreto anathemate, resuscitantes.

Collectio Poematum circa Constitutionem prodiit anno 1714. plena satyris, & cantilenis contra Sedem Apostolicam, & Constitutionem, præfixâ Tertulliani Sententiâ adversùs Valent. cap.6. *Congruit, & veritati ridere, quia laetans* est. Unum tantummodo breve specimen ex Gallico refero, quod pro cantico obruditur pagin. 28.
„ Cœlos repete Divina veritas, cui extra-
„ neæ in terris nullus uspiam asilus est.
„ Ut te exulare jubeat, proscribit Consti-
„ tutio Euangelium. Vix ipsa tibi Eccle-
„ sia locus est securus. Pastores forsitan,
„ quorum zelus magnificè adeò jactari so-
„ let, pro tui defensione Synodum cogunt;
„ Sed heu! Clerus etiam fortè nimium
„ docilis contrarium tibi Decretum suffra-
„ gio confirmabit. Gratia, lex, pœniten-
„ tia, amor Dei, & oratio nobisne eritis
„ exitiales? Eritis indubiè si censuræ, &
„ omnibus ejus erroribus fides est „. Facilè perspicis hinc, Lector, quàm procul remoti ab excommunicationis formidine sint, quotquot ex Quesnelli institutione profecerint. Sed nempe omnia Vaticani fulmina contra novos Augustini discipulos vibrata Alpinis sistûtur, ac dissipantur montibus, ne ferire valeant Gallorum quempiam, aut Belgarum. Ita Malpaisium de Alexandri VIII. contra Articulos 31. anathemate declarantem vidimus in epistola ad amicum anno 1691. die 2. Februarii.
„ Quando nobis abblandiebamur, nimium
cre-

„ creduli, quasi Roma veritati patrocinaretur, & justitiæ, prosiliens è Vaticano fulmen terrifico murmure auribus nostris insonuit, videbaturque verricibus imminens minitari, nisi allisum feliciter Alpibus coerceretur.

Declarata quoque à Quesnello Tribunalis Pontificii recusatio typis edita in Epistola *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* Pag.4. Dein allegata recusationis istiusmodi, & contemptus possessio pag.18. & 30. nemini dubium relinquunt, quin obduratus Quesnelli ejusque sodalium animus ab omni liberrimus excommunicationis metu sit. Quietem mentibus eorum præstat imperturbabilem appellatio ad Concilium Oecumenicum, quod minimè verisimile sit Appellantium tempore futurum. Denique, etsi præsens adforet, quomodo contra novos Augustini discipulos ferri unquam posset excommunicationis sententia, quando ad unius hominis punitionem consensus saltem præsumptus, requiritur universorum? Ita scilicet Quesnelli definit Articulus 90. *Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu totius corporis, saltem præsumpto*: quo deficiente, sententia excommunicationis illegitima est, & ut non consona suppositæ juris regulæ, eatenus videbitur etiam injusta. Quæcumque autem hoc titulo à se, suisque Ægidius Candidus abigit anathemata, in ipsos convertit Romanos Pontifices. Ita Opusculo, cui epigraphe est: *Depulsio excommunicationis attentatæ in Matthiam Torkium*. Pag. 8. ait: „ Nullos toto orbe Christiano magis vinculis excommunicationum irretitos esse, quàm Romanos ipsos Pontifices, & eorum Ministros, utpote qui maximè dirarum, & anathematum, quorum aperta injustitia oculos omnium peritorum ferit, terrificis fragoribus detonant: atque ita fit, ut cum nullis hominibus calamitosiùs agatur, quàm qui dominantes super populum Dei, omnia se tonitribus, & fulminibus suis concutere, ac sternere posse credunt.

11 Idem Ægidius in *Augustino Iprensi vindicato* anno 1711. pag.292. invehitur in Bullam *Cœnæ Domini*, atque excommunicationem à Clemente XI. emissam adversùs scripta quædam Archiepiscopi Sebasteni, & Sociorum: „ Tum [inquit] qui hasce tendiculas, aut casses fortasse effugerint, quomodo se extricabunt è diris atque excommunicationibus, quæ per Brevia, aut Pontificias Bullas sinè fine quotidie invalescentes vibrantur in Defensores quarumdam Propositionum iisdem Bullis, aut Brevibus damnatarum? Jesuitæ cum suis quo pacto evadent excommunicationes, jactatas ab Innocentio XI. in Protectores Propositionum verbotenus ex primariis eorum authoribus descriptarum, & ab Alexandro VIII. in Philosophi defensores peccati? Ac vicissim Janseniani cum suis, quo se pacto expedient ex anathematibus Gregorii XIII., Innocentii X., aut ejusdem Alexandri VIII. detonantis in defensores Propositionum 31., quarum aliquæ penès Jansenianos ad fidem pertinent?

„ His adde diras conjectas in libros cujuscunque artis, & scientiæ: modò dumtaxat quidpiam in sulsis, & toti retrò antiquitati incognitis opinationibus ultramontanis contrarium, vel delicatis Romanorum auribus asperum in se contineant. Nam nequidquam personantibus Romanis tonitribus, hujuscemodi libros omnium, quorum interest, manibus teri, & sinè scrupulo evolvi constat.

„ Calculo igitur ritè inito, si excommunicationes à Curia Romana his, aut illis de causis emissæ, apud superos valeant, ferè totus Christianus, qua patet orbis, anathemarum vinculis irretitur, & ipsa Universalis Ecclesia quodammodo à se exulat. Quin & inter cuncta Ecclesiæ membra, quod mireris, nemo illis ligaminibus fortiùs constringitur, vel urgetur, ipsomet Romano Antistite; quia secundum Scripturas, & Patres excommunicationes illegitimæ, in ejus caput, à quo perperam feruntur recurrunt„. Pag.293. „ Cùm igitur in aperto sit, infinitas diras invitis Euangelii, & Ecclesiæ legibus, à novis, & antiquis Pontificibus, atque ab hoc non paucas etiam emanasse, consequitur juxta sententias memoratas, eum nullis hac in re calamitosiùs agi, quàm qui dominantes in Cleris omnia sese fulminibus, & fragoribus suis quassare, & concutere posse credunt, & velut in sublimi positi, subjectos sibi calcibus proterunt, & conculcant.

Hactenus Ægidii mendacissimis turgens suppositionibus oratio, quod nempe Anathematum Pontificiorum aperta injustitia omnium feriat oculos peritorum, accepta ab hæreticis putida calumnia est. Soli isti scilicet cum institutis in Janseni-

ſtarum gymnaſio ſciolis aliquot libertinis, Ægidio judice, univerſam conſtituunt peritorum multitudinem. Gregorius Magnus in cap. 19. Job. cap. 12. *Habent hoc* [inquit] *hæretici proprium, ut de inani ſcientia ſua arrogantia inflentur, & rectè credentium ſimplicitatem ſæpe derideant, & nullius eſſe meriti vitam humilium ducant. At contra Sancta Eccleſia in omni quòd veraciter ſapit, ſenſum ſuum humiliter deprimit, ne ſcientiâ inflетur, ne requiſitione occultorum tumeat*; Et in cap. 30. Job. cap. 10. *Perverſa hæreticorum mentes, dum ſibi ſuperbè intellectum tribuunt, quaſi certas dare ſententias etiam de incognitis præſumunt: unde fit ut ipſa eos elatio, qua intùs apud ſemetipſos elevat, à veritate foras repellat.*

12 Quod de Propoſitionibus quibuſdam Moralibus ab Innocentio XI. condemnatis, & peccato Philoſophico deſcripto ineptiſſimè ab authore, & juſtiſſimè prohibito ab Alexandro VIII. Ægidius comminiſcitur, quaſi Jeſuitæ inde paſſim anathemate cônſtringantur, jus tribuit accuſatis, ut ex adverſario quærant, num ordinis adeò numeroſi Theologum, vel alium quempiam, ſaltem unum in promptu habeat, qui Pontificium contra illos Articulos Decretum irreverenter exceperit, aut definitioni docuerit oppoſitum? Si deſignare neminem Ægidius valuerit, ſuam adeò præcipitem in calumniando corrigat debitâ palinodiâ temeritatem. Ante Eccleſiæ ſententiam errare, humanum, & veniâ dignum eſt, neque ulli obnoxium excommunicationi, quæ in errantibus ſupponit pervicaciam. Hæc autem procul eſſe ſolet à Religioſis illis, quos præ cæteris duxit adverſarius inſectandos.

Molinæum Cauſidici aliqui juriſdictionis Eccleſiaſticæ hoſtes, inde contra eam argumenta depromptori, avidè legere dicuntur, parum veriti ſalutis naufragium; De quibus pridem memini à ſapientibus obſervatum, eorum ruinam à Magiſtris communiter provenire, quos in ſtudiis Philoſophicis nacti fuerint Janſeniano pulvere conſperſos, & cathedræ infenſos Apoſtolicæ. E fidelibus cæteris pauciſſimi ſcientes, & volentes prohibitorum voluminum lectionibus incumbunt. Quis Regni, aut Reipublicæ regimine, militiâ, mercaturâ, arte mechanicâ, vel agriculturâ diſtentus tempus terere amet volvendis opuſculis propter falſi dogmatis ſuſpicionem condemnatis? Talium ſolummodo lectioni, aut retentioni excommunicatio annexa eſt, quæ fortè vix unus attingat è millibus, niſi ubi Janſeniana perfidia lupos pro Paſtoribus intruſerit, novitatis virus ſtudio improbo diſſeminantes. Magis frivolum eſt, & ſolo dignum aſſertore ſchiſmatico, quod dicitur *in aperto eſſe, infinitas diras invitis Euangelii, & Eccleſiæ legibus à Romanis Pontificibus, etiam non paucas à Clemente XI. emanaſſe.*

At nemini exploratum habenti Scriptoris ingenium, & fidem novam, occurret dubitatio, quin ſubintelligat *invitis fieri Euangelii, & Eccleſiæ legibus*, quidquid Janſenianis dogmatibus, & hæreſi adverſum eſt. Proinde fallit turpiter *calculus* ab Ægidio *initus* [etſi apud Superos Romanæ maximè valeant excommunicationes] *totum fere Chriſtianum Orbem anathematum vinculis irretiri, & ipſam quodammodo univerſalem Eccleſiam à ſe exulare.* Janſenianam in aliqua Galliæ parte, & obſcuriore Belgii angulo deliteſcentem, à religione, & ſalutis ſemita aberrare veriſſimum eſt, atque utinam ab Eccleſia univerſali, Catholicâ, & Apoſtolicâ exularet apertiùs! Etenim à ſinu, & corpore exitialis anguis remotior, non tam facile ejus depaſceretur viſcera: atque omnium ſententiâ, amicum mentiens proditor, longè pernicioſior eſt hoſte, infeſtum publicè animum declaranti.

Caſtigari pluribus mereretur adverſarii temeritas; verùm reſponſa hactenus Lectori catholico, & non deſipienti ſufficiunt; adverſario autem Janſenianâ pertinaciâ in ſenſum acto reprobum, vereor ne reſponſio amplior furorem augeret potiùs, quàm revocaret ſanam mentem. Quapropter ad diſſolvenda aliorum nobis hîc adverſantium argumenta properemus.

CAPUT VI.

Nihil in Sacris Literis, vel Auguſtino eſt quod Queſnelliano dogmati ſuffragetur.

1 INter adverſarios convenit in oggerendo nobis Actuum Apoſtolicorum cap. 5. v. 29. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* A Collatore additur illud Joannis cap. 12. v. 42. & 43. *Verumtamen, & ex Principibus multi crediderunt in eum; ſed propter Phariſæos non confitebantur, ut è Synagoga non ejicerentur; dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.*

Obedientiam Deo potiùs quam homini-

nibus præstandam esse, solus Atheus negabit; neque debuere Judæorum Principes, injustæ excommunicationis formidine, Christi prætermittere confessionem. Erubescentiæ hujus perversæ ratio ab Euangelista redditur etiam vana gloria: *Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*. Haberi scilicet à Pharisæis, & Sacerdotibus maluerunt constantes in fide Patrum, quam recentis Sectatores Ecclesiæ, inquiunt Augustinus, Cyrillus, Beda, Chrysostomus, Theophilactus, & alii passim interpretes. Unde fides illorum convincitur fuisse destituta charitate, neque ad beatitudinem sufficiens, ut dicitur ad Romanos cap. 10. *Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem*; & clara est Salvatoris sententia Lucæ 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cùm venerit in Majestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum*.

Redit autem hic argumenti vitium, quod in plerisque notavimus aliàs Scripturarum allegationibus, pro quocumque damnato dogmate penès adversarios usitatis, à termino scilicet particulari, sive ut Dialectici ajunt non distributo, ad distributum, seu generalem deducta consecutio. Excommunicatio illa Pharisaica non injusta solùm injustitiâ qualicumque, aut levissimâ laborabat; sed gravissimâ, undequaque iniquâ, & illegitimâ, quæ excommunicationem prorsus irritam redderet, & sacrilegam. Rursus Christianæ fidei professio debita est jure Divino, & uti vidimus necessaria ad salutem. Quæ hinc iterum argumenti species est, quâ conficias, nullum esse adeò exile debitum, etiam juris solummodo humani, in pacto, vel promissione, in regula, vel consuetudine non rigidè admodum obligante fundatum, à quo adimplendo non oporteat unquam injusti cujuscumque formidine anathematis abstinere?

2 E Patribus contra nos adducitur præcipuè Augustinus, quem ubi adversariis extorserimus, facilè illi sibi desperandum conspicient de patrocinio cæterorum. Citatur is lib. 1. contra Donatistas cap. 17. Gallicè quidem à præcipuo in Propositiones *Observatore*; sed fraude subdolâ, & corruptissimè. *Spirituales* (inquit Augustinus) *sive ad hoc ipsum pio studio proficientes non eunt foràs; quia cum aliqua, vel perversitate, vel necessitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur, quàm si intus permaneant, cùm adversùs Ecclesiam nullatenus eriguntur; sed in solida unitatis petra, fortissimo charitatis robore radicantur*.

Ita Augustinus, cujus sensus est: *Spirituales non eunt foràs*, sive non se ab Ecclesia segregant, quemadmodum Donatistæ, & alii hæretici simul, ac Schismatici: sed quæcumque eis adversitas, fortè etiam ab Ecclesiæ Rectoribus accidit, patiuntur eam Spiritu Charitatis, neque *ullatenus adversùs Ecclesiam eriguntur; etiam cum aliqua, vel perversitate, vel necessitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur, quàm si intus permaneant*. Novatoribus hic maximè placet quod Augustinus dixerit *expelli videntur*, unde illi colligunt, non expelli eos reipsa. Confirmari quoque suam existimant opinionem ex eo quod additur; *sed in solida unitatis petra fortissimo charitatis robore radicantur*. Verùm quidquid obscuritatis parere istud aliquibus potuit, clarissimæ lucis fulgore depellitur, ex eo quòd Doctor Maximus statim addit: *Ibi magis probantur, quàm si intus permaneant*.

Non igitur illi tunc juxta Augustini sententiam intus permanent; sed reipsa exclusi exulant. Istud conspicatus Adversarius in *Observationibus circa* 101. Quesnelli *Articulos*, adeò esse dilucidum, ut solus verborum Intuitus de Augustini mente neminem sinat rationis compotem dubitare, textum versione Gallicâ dolosissimè corrumpit. Ubi enim in textu dicitur: *cùm aliqua perversitate, vel necessitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur; quam si intus permaneant, cùm adversùs Ecclesiam minimè eriguntur*, vertit Jansenianus interpres Gallicus: *Cette preuve les purifie davantage, que s' ils y etoient demeurez en paix*. Quasi Augustinus diceret: *illa probatio eos magis purificat, quàm si ibi in pace permansissent*. Nullum scilicet hac in versione est oppositionis indicium inter *ibi*, ubi *probantur*, nempe extra Ecclesiam, & inter *intus*, seu in Ecclesia ubi eos *non permanere* asserit Augustinus: *Ibi magis probantur, quàm si intus permaneant*.

Illud itaque in Augustini sententia *expelli videntur*, simile utcumque est ei quod de justis persecutionem, etiam mortem patientibus dicitur Sapientiæ cap. 3. v. 2. *Visi sunt oculis insipientium mori*, sive ut A Lapide cum cæteris interpretatur, visi sunt oculis insipientium *interire tam animâ, quàm corpore*. Ita Excommunicatio injusta, quæ juxta receptissimam jurisperitorum Sententiam sæpe valida est, non desinit tunc hominem verè expellere ab Ecclesia, licèt non sicut vulgus hominum hujus injustitiæ ignarum autumat, judicans reum culpæ minimè levis, & velut membrum mortuum, ac pa-

putridum, dum vitâ vivit interius perfectissimâ gratiæ, & charitatis.

3 Intorquetur nobis prætereà fragmentum ex epistola Augustini ad Classicianum à Benedictinis Patribus in editione nova additum post epistolam 250. „ Istud planè „ non temerè dixerim, quod si quisquam „ fidelium fuerit anathematizatus injustè, „ ei potiùs oberit, qui faciet, quàm ei qui „ patietur injuriam. Spiritus enim San„ ctus habitans in Sanctis, per quem quis„ que ligatur, aut solvitur, immeritam „ nulli pœnam ingerit: per eum quippe „ diffunditur charitas in cordibus nostris, „ quæ non agit perperàm „. Hunc textum objiciens observator in Propositiones 101. remittit nos ad causam 11. quæst.3. Canonem 87. ubi hæc Augustini sententia refertur, cum additione hujus glossæ in margine; „ Quidam prælatus insulsè quemdam suum parochianum excommunicavit: Quæsitum fuit ab Augustino, cui talis sententia potiùs obsit: & respondit: „ prælato; & hoc probatur una ratione, „ scilicet, quia Spiritus Sanctus nulli inge„ rit pœnam immeritam, & peccata tenet, „ vel dimittit secundùm arbitrium Dei, & „ non hominum „.

Unde patet, quòd Augustinus non de foro exteriori Ecclesiæ agat; sed de foro Cœli; juxta quod *Spiritus Sanctus habitās in Sanctis, immeritam nulli pœnam ingerit*; in foro enim Ecclesiæ, etiam ab eo cui Spiritus Sanctus propter privatā pœnitentiā reconciliatus integre est, nullo remanente pœnæ debito, penès Summum Judicem solvēdo, non ideo statim tollitur fori Ecclesiastici excommunicatio, ut ab omnibus jura callentibus agnoscitur. Evidens istud fit in iis, quos Ecclesia, occurrente mortis articulo, absolvit, quo postmodum definente, redit etiam ad sanctificatos anathema. Non quasi Spiritus Sanctus inhabitans, puniat innocuos; sed Ecclesia castigat, nondum in foro suo, quantum leges humanæ exigunt, justificatos.

Prætereà non negat Augustinus excommunicationis sententiam, etiam injustam, inferre detrimentum ei, cui infligitur; sed asserit graviorem inde provenire perniciem excommunicanti, propter reatum, quem contrahit ejus animus coram Deo; unde pœna ipsum manet longè gravior, quàm sit malum quodlibet innocenti ab eo intentatum apud homines. Ideo ait Augustinus *Istud planè non temere dixerim, quod si quisquam fidelium fuerit anathematizatus injustè, ei potiùs oberit, qui faciet, quàm ei qui patietur injustitiam*. Ubi supponitur non qualiscumque injusta excommunicatio, ad quam extenditur Quesnelli Articulus, etiam quæ servato juris ordine inflicta foret; sed restringitur ad eam, quam malevolentia intulit Judicis. Unde iterum cum irrefragabili Augustinianæ sententiæ veritate, optimè componitur Quesnellianæ perversitas assertionis, ac proinde Pontificii contra eam anathematis à nemine fidelium revocanda in dubium æquitas; imò & consideratis circumstantiis, necessitas maxima.

Nihil itaque præsidii iterum habet Quesnelli damnata novitas, quod expectet à Doctore maximo, cui gravissimam infert injuriam, in patrocinium eum vocando erroris adeò exitialis.

4 Similis responsio convenit textui qui à *Collatore* producitur ex Augustini epist.78., aliàs 137. *Quid obest homini, quod ex illa tabula* [Diptychorum] *non vult eum recitari humana ignorantia; Si de libro vivorum non eum delet iniqua conscientia*. Argumentum epistolæ est, quod exhibet Lugdunensis editio anni 1586. „ Apparet quemdam è „ sodalitio Augustini parum secundæ famæ „ juvenem intendisse crimen Bonifacio „ Augustini Presbytero, quod ab eo fue„ rit de stupro interpellatus. Cùm res evi„ dentibus argumentis, nec refelli, nec „ argui posset, jussus est uterque adire se„ pulchrum Felicis Martyris, ut miraculo „ transigeretur judicium. Id ut clam fieret, „ curaverat Augustinus. Verùm quoniam „ res eruperat in notitiam hominum, hor„ tatur omnes ne temerè judicent, neve „ ob paucorum delicta, vel ipsi deficiant à „ pietate, vel de omnibus malè suspicen„ tur: declarans, nullam fuisse tam feli„ cem sodalitatem, in qua non aliquod „ flagitium extiterit. „

In Presbyteri innocentiam magis propendet Augustinus; quâ suppositâ, impudentissima fuerit juvenis accusatoris calumnia. Uterque autem erat de Augustini familia: & accusator quidem nondum sacris Ordinibus saltem majoribus initiatus, ad eos *vehementissimè* aspirabat; *cùm autem ego*, inquit Augustinus, *nullo modo adducerer, ei homini, de quo tantum* [calumniæ] *malum existimarem, manus ordinationis imponere, aut per commendationem meam alicui fratri meo eum subintroducere, turbulentiùs agere cœpit, ut, si ipse in Clericatu non promoveretur, nec Presbyter Bonifacius in suo gradu esse permitteretur. In qua ejus provocatione cùm viderem Bonifacium nolle quibuslibet infirmis, & ad suspicionem propensis, de sua*

sua vita dubitatione scandalum fieri, paratumque esse honoris sui apud homines damnum perpeti potiùs, quàm in ea contentione, in qua non posset ignorantibus, & dubitantibus, vel ad malè suspicandum proclivioribus suam demonstrare conscientiam, usque ad Ecclesiæ perturbationem inaniter progredi; elegi aliquod medium, ut certo placito se ambo constringerent, ad locum sanctum se peregrinaturos, ubi terribiliora opera Dei non sanam cujusque conscientiam multò faciliùs aperirent, & ad confessionem vel pœnâ vel timore compellerent.

Nomen autem Presbyteri propterea non ausus sum de numerò Collegarum ejus vel supprimere vel delere, ne Divinæ potestati, sub cujus examine adhuc causa pendet, facere viderer injuriam, si illius judicium meo vellem præjudicio prævenire.... Et in Episcoporum Concilio constitutum est, nullum Clericum, qui nondum convictus est, suspendi à Communione debere, nisi ad causam suam examinandam se non præsentaverit. Bonifacius tamen hanc humilitatem suscepit, ut nec literas acciperet, quibus in peregrinatione honorem suum quæreret, ut in eo loco, ubi ambo ignoti sunt, circa amboe æqualitas servaretur: & nunc, si vobis placet, ut nomen ejus non recitetur, ne iis qui ad Ecclesiam accedere nolunt, sicut ait Apostolus, demus occasionem quærentibus occasionem, non erit nostrum hoc factum; sed eorum, quorum causâ fuerit factum. Tum sequitur allegata ab adversario sententia: *Quid enim obest homini quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia; si de libro vivorum non eum delet iniqua conscientia?*

Ex integro autem, ut retuli, contextu liquet non fuisse illatum Presbytero anathema; hoc enim veluti pœna infligitur peccati, quod hic neque ab Augustino, neque ab ejus Clero, aut ullo Judice imputatur. Fuit itaque solummodo suspensio à Sacerdotii exercitio, & à recitando ejus nomine inter illius Cleri Presbyteros. Neque illa qualiscumque suspensio, tanquam supplicium decreta fuit, utpote ad quod requiritur delictum, saltem suppositum; hic autem Presbyter à nullo Judice reus declaratur; sed Augustinus solummodo monet, quod si Clericis suis ad impediendas gentilium & hæreticorum adversùs Ecclesiam calumnias expediens visum fuerit, nomen ejus inter Presbyteros non recitari propter ignorantiam an reus sit, an innocens, nolit in eo judicio habere partem, neque gravari conscientiam suam; sed eorum propter quorum maledicentiam evitandam ita deprimitur is, quem magis eredit à crimine immunem, cujusque interim prædicat modestiam & demissionem animi, quòd *hanc humilitatem*, sive humiliationem *susceperit, ut nec literas acciperet, quibus in peregrinatione honorem suum quæreret.*

5 Qualiscunque autem, inquit Augustinus, ea sit honoris apud homines jactura, exigui & quodammodo nullius, penès æquos & sapientes arbitros, momenti est; *Quid enim obest homini, quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro vivorum non delet iniqua conscientia?* Humana dicitur ignorantia; non error. Cùm enim duobus oppositum asserentibus, non appareret evidens cui esset habenda fides, etsi major foret pro Sacerdote præsumptio, certum est, neminem potuisse contra eum prudens ferre judicium; sed solummodò suspendere assensum in partem alterutram. Unde casus hic adversariis minimè favet; sed officit. Non enim lata, vel intentata est excommunicatio, neque Augustinus censuit Presbyterum, suppositâ innocentiâ debuisse, vel potuisse prosequi in adimplendo Sacerdotis officio, ac detrectare iter ad alienum Episcopum sinè testimonio, & literis commendatitiis Ordinarii.

Obfuit itaque Presbytero illi innocentiæ suæ penès cæteros ignorantia, ne in Sacerdotum numero nomen ejus ex tabula recitaretur, neque sineretur offerre sacrificium, neve ei ad alium Episcopum proficiscenti à proprio Antistite commendatio, seu testimonium concederetur. Non igitur negat Augustinus absolutè malum aliquod Presbytero illi accidere, etiam suppositâ ejus coram Deo innocentiâ: sed ait scriptionem nominis in libro vitæ tanti ponderis bonum esse, ut sicut cum eo comparatum bonum quodlibet temporaneum, exigui & nullius quodammodo momenti est, ita & malum omne temporale facilè contemnatur.

Non vident pro cæcitate sua adversarii, vel quod deterius est, nequiter dissimulant, illius exemplo Presbyteri se condemnari potiùs, quàm adjuvari. Is enim quantumvis, ut supponitur, ab imposito crimine immunis, demissè sustinuit infamiam, abstinuit à sacrificando, & aliis ad Ordinem suum pertinentibus officiis; Quesnellus autem, & ejus socii contumaces centenis licèt excommunicationibus constricti, adversùs Supremum Christi Vicarium, ejusque Constitutionem, totius assensu Ecclesiæ confirmatam, detestabili insurgunt pertinacia, sacri-

crilegis pugnant contumeliis, ſacrificium verò adeò non prætermittunt, ut exemplo ſcandaloſiſſimo Queſnellus in apertum Sedis Apoſtolicæ, & inflicti ab ea anathematis contemptum, Miſſam celebraverit, non ſolùm publicè, ſed Patriarchali quodammodo magnificentiâ, pluribus Presbyteris ad aram aſſiſtentibus. Similem cenſuræ Pontificiæ, & totius quodammodo Eccleſiæ deſpectum nulla Catholicos inter ſpectaverat vetuſtas, omnis ſemper poſteritas horrebit & execrabitur.

6 Nullum denique adverſariis præſidium eſt in celebri caſu Innocentii III. cap. Literas. Extra de Reſtitut. ſpol. lib. 2. tit. 13. ubi interrogatus Pontifex de muliere, quæ ad reddendum marito conjugale debitum obſtricta à Judice ſub excommunicationis pœna, obedire nihilominus recuſabat propterea, quòd Matrimonium ſuum certò ſciret eſſe nullum; quamvis id probare non poſſet: interrogatus, inquam, hac de re Innocentius reſpondet: *Fruſtra in tali caſu adjudicaretur reſtitutio ſpoliato; cùm illa contra Deum non debeat in hoc Judici obedire; ſed potiùs excommunicationem humiliter ſuſtinere.* Ex caſu hoc maximè ſingulari, injuſtitiæ ſcilicet à fœmina certiſſimè cognitæ, neque minùs claræ malitiæ à Judice imperatæ forſitan contra naturæ legem nullâ auctoritate Eccleſiæ diſpenſabilem, eruitur maleſana, & in ſimilibus refutata centiès concluſio de omittenda nunquam qualiſcumque impletione debiti, etiam leviſſimi, quoties injuſta fuerit, vel apparuerit excommunicatio.

Juxta Queſnelli Articulum 82. *Dies Dominicus à Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum.* Ideo plurimis in Gallia Latini idiomatis ignaris obtruditur Novi Teſtamenti verſio Gallica Montenſis, vel famoſior hodie Catalaunenſis Queſnelli cum *Obſervationibus moralibus*: ſæpe neque verſio alia in promptu eſt. Debet igitur illa ab iis omnibus, nequidquam obſtante anathemate, diebus Dominicis legi, quia à novis Auguſtini diſcipulis declaratur inflictum ejus Lectoribus anathema injuſtum: *Excommunicationis* autem, inquiunt, *injuſtæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro.*

Innumeri piis Congregationibus, ſive, ut vocant, Confraternitatibus, & ſodalitiis adſciti, juxta præſcriptum regulæ intereſſe debent quotidie Miſſæ Sacrificio: Cappellani etiam ratione Beneficii celebrare; Multa alia iſtiuſmodi debita ſunt: unum præ cæteris memorabile, incumbens Theologis Doctoribus defenſio veritatis. Hæc autem, ut Queſnellus ejuſque ſocii judicant, traditur toto Janſenii Volumine, omnibus Michaelis Baji Opuſculis, damnatis ab Alexandro VIII. novorum Auguſtinianorum Articulis; maximè verò 101. à Clemente XI. proſcriptis, quorum cenſura penès novam Eccleſiam injuſtiſſima eſt, proinde minimè curanda, occurrente qualicumque debito, cujus impletio cum talis evitatione anathematis conſiſtere nequeat.

Hic te arbitrum poſtulo, Catholice Lector, an horrificæ, & latè adeò ſe extendentis invectio novitatis, imò fidei, & morum ſubverſio, deducatur legitimè è reſponſo Innocentii III. de caſu rariſſimo, & prorſus ſingulari. Quamvis enim, ut ſuperiùs demonſtratum eſt, ſenſus Propoſitionis obvius neque conſonus veritati ſit, neque in Eccleſia tolerandus; attamen multò magis deteſtabilis convincitur conſideratâ ſimul circumſtantiâ authoris, & praxeos, omnem Eccleſiaſticam cenſuram, eique debitam obedientiam eludentis. Perſpicit itaque, quiſquis voluntariè cæcus non eſt, præſentem Articulum cum reliquo conſpirare Queſnelli Syſtemate, quo ad impiam libertinorum Sectam via latiſſima aperiatur. Iſtud primi Tomi exordio oſtendere cœperant Prolegomena eo ſucceſſu, ut cenſuerint viri ex omni ordine graviſſimi, eadem cum directa ad Filium Dei Unigenitum dedicatione ſufficere, ut Propoſitionum deregant turpitudinem, authoris eique adhærentium fidem peſſimam, fraudem hæreticis familiarem, & ſcopum bonis omnibus execrandum.

Verùm qualiacumque cum Dedicatione Prolegomena fuerint, nonniſi velitatio graviori prævia certamini, videri, me quidem judice, debuerunt, ſi comparerentur eis, quæ trium reliquo tomorum opere ſecuta ſunt. Quin etiam; niſi me fallat fiducia, Tomus quartus, in ſolis decem, quæ ſuperſunt Propoſitionibus, etſi non dogmaticis, plagam inferet novitati, quàm cuncta ſimul præcedentia, vix leviorem. Denique ſecutura ibidem Orbis Catholici pro Conſtitutione UNIGENITUS teſtimonia novam hæreſim conficient vulnere, nullis Janſeniſtarum artibus, aut fraudibus medicando.

FINIS TOMI TERTII.

I N D E X
CAPITUM, ET DOCTRINÆ
in his contentæ Synopſis.

SEXAGESIMA TERTIA PROPOSITIO DAMNATA.

Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat; aut adimpleat ex ſolo timore. *Obſer. Mor. Rom.6. cap.14.*

C A P U T I.

Propoſitionis impugnatio. à Columna 1. ad 9.



Ive in ſenſu verborum obvio, ſive cum circumſtantia authoris, & aliorum ejus dogmatum connexione præſens Articulus accipiatur, cenſuram meretur minimè levem; Si juxta enunciationis latitudinem intelligatur, iiſdem tenetur Baptizatus legibus, quibus Judæus, etiam ceremonialibus: Quod non veritati ſolùm notiſſimæ; ſed fidei quoque catholicæ adverſatur: Si verò circumſtantia & alia authoris dogmata expendantur, Baptizatus omni non ſolùm habitu ſanctificantis gratiæ, ſed omni pariter ſupernaturali privatur auxilio, ipſique juxta Queſnelli ſententiam perpetua obvenit peccandi neceſſitas.

Longè à Queſnelliana diſſimilis eſt Angelici, aliorumque orthodoxorum interpretum explicatio textûs Apoſtoli à quo effati adeò exotici Queſnellus arripuit fundamentum; aliud enim eſt in ſenſu aliquo ſub lege eſſe, aliud ſub ea eſſe ſimpliciter *ſicut Judæum.*

C A P U T II.

Infringuntur adverſantium tela fabricata temerè ex Sacris literis, & S. Thoma. à Col.10. ad 18.

Propoſitionis occaſio non data; ſed temerè accepta eſt ex pluribus Apoſtoli textibus, in quibus tamen, ut videre eſt, juxta Angelici commentarium nihil tale habetur, unde legitimè inferas Baptizatum &c.

Nec plus præſidii eſt damnato Articulo, quod Angelicus aſſerat in novo Teſtamento eſſe aliquos carnales nondum pertingentes ad perfectionem novæ legis; non enim hinc ſequitur quod ideo deſtituantur omnibus Chriſtianis immunitatibus & prærogativis, ſubjecti legum multitudini, qua premitur Judaiſmus: & longè aliud eſt, ad Chriſtianiſmi perfectionem, quæ charitas eſt, non pertingere, aliud à Chriſti excludi Eccleſia, & in ſervitutem incidere Judæorum. Vide totum ſententiæ objectæ contextum.

C A P U T III.

Immeritò allegatur pro damnato Articulo Auguſtinus. à Col.18. ad 26.

Auguſtinus lib. de natura & gratia cap.57. agens contra Pelagium inculcat neceſſitatem gratiæ, quia lex tantùm indicat facienda, ſicut Pædagogus, vires autem ad operandum non tribuit. Quod autem de timore enuntiat minùs honorificum, intelligit de naturali, quem extollebat Pelagius; non verò de ſupernaturali, qualis noſcitur eſſe timor gehennæ, qui non eſt ſerviliter ſervilis; ſed talis unde ſalutaris naſcitur attritio.

Duo juxta Bellarminum quaſi gradus diſtingui poſſunt in timore ſervili; *primus eſt quando impedit opus externum peccati; ſed non voluntatem: & hic timor eſt bonus; ſecundus eſt quando non ſolùm opus externum peccati, ſed etiam peccandi voluntatem coercet; & hic eſt melior, & de eo loquuntur Theologi cùm dicunt attritionem ex timore conceptam, diſpoſitionem eſſe ad juſtificationem, & Sacramento accedente juſtificare, ut perſpicuum eſt ex Concilio Tridentino Seſſ.14.c.4.*

Queſnellus nullum timoris gradum excipit, & utrûmque eâdem afficit contumeliâ, imò ad beſtias rejicit: omnibus præterea legis tranſgreſſoribus, vel eam obſervantibus ſolo metu, omne penitùs denegat gratiæ auxilium, omnemque poteſtatem vel unius ſervandi præcepti, aut ullius vitandi peccati, niſi fortè incurrendo in Pelagianiſmum, à quo licet videri velit tantopere averſus, non ſatis ſe removet: Quid enim aliud ex duobus his in unum confluentibus conficias? *Baptizatur adimplens legem ex ſolo timore, eſt adhuc ſub lege ſicut Judæus.* Eſſe autem ſub lege ſicut Judæum, *eſt eſſe ſinè gratia*, ſive *nullum omnino accipere à Jeſu Chriſto influxum; ergo &c.*

SEXAGESIMA QUARTA PROPOSITIO DAMNATA:

Sub maledicto legis nunquam fit bonum; quia peccatur, ſive faciendo malum, ſive illud nonniſi ob timorem evitando. *Obſ. Mor. Gal.5. v.18.*

C A P U T I.

Propoſitionis error multiplici ratione debellatur. à Col.27. ad 36.

Hæc Novatoris doctrina abrogat peccatoribus omne opus bonum, & omnia arguit peccati ſub *maledicto legis*, ſub quo omnis peccator eſt, nec poteſt non eſſe juxta Queſnellum: Quomodo enim ad pœnitentiam ſalutiferam ſe diſponat ille miſer? Non per novi delicti commiſſionem, hæc non eſt congrua ad juſtificationem præparatio; Non per Fidem, quæ cùm per Adverſarios ſit prima gratia, homini proinde non eſt libera; Non per charitatem, hæc in Nova Eccleſia cum Fide confunditur, ſeu in eundem confluit actum, ut conſtat ex Propoſ. 28. 49. 51.58.

Dices cum Queſnello, nullo noſtro ad juſtificationem conamine opus eſſe. Sed hoc aſſerere non eſt Catholicum.

Pars ultima Propoſitionis aſſerit peccari, quoties malum declinamus ac deteſtamur ſolâ formidine, ejus error, cùm in 62. Articulo omnis generis authoritate, imò & ratione convictus fuerit, hic obiter expugnatur.

a CA-

CAPUT II.

Eliduntur Adversantium argumenta desumpta ex Scripturis. à Col.37. ad 41.

Ex Apostoli textu Rom. c.6. v.14. *Peccatum vobis non dominabitur &c.* sequitur quidem peccatum dominari infidelibus, & peccatoribus quibuscumque, vel uno crimine, seu noxâ lethifera sub potestate Diaboli redactis; non tamen tale esse seu peccati, seu Diaboli in singulos sibi subditos dominium, ut nulla in iis actio honesta sit, ut Quesnellus asserit; nec ejus Propositionis alius potest esse sensus, nisi *sub maledicto peccare semper*; aliàs prioris periodi confirmatio esset ineptissima.

Ex alio Apostoli loco *Quicumque ex operibus* &c. à *Collatore* nobis objecto nil pariter, suppositâ Angelici explicatione, pro eodem Articulo eruitur. Ex eo enim quod omnes qui in operibus legis confidunt, & quidem merè ceremonialibus, sub maledicto sint, neque se liberare ab eo possint per istiusmodi legis opera, in quibus unicè confidunt, exclusâ Servatoris fide & gratia; minimè sequitur, omnes qui hac ratione sub maledicto positi sunt, nunquam boni aliquid moraliter agere, nunquam à novo abstinere vitio; sed semper aut malis incumbere operibus, aut peccatum committere solâ illud formidine evitando.

CAPUT III.

S. Augustinus Quesnello minimè suffragatur. à Col.41. ad 57.

Quatuor hominis status ab Hipponensium Antistite Enchiridii cap.118. num.31. describuntur; ante legem scilicet, sub lege, sub gratia, in pace. Hinc concludunt Adversarii, quod homines singuli ad quemcunque è quatuor statibus pertinentes non solùm sæpiùs; sed in omnibus actibus ea impleant prædicata, quæ suo Ordini tribuuntur propria; nec animadvertunt, quod à majore parte desumitur ibi denominatio.

Verum quidem est Beatitudini cœlesti, quæ quatuor statuum postremus & uniens omnimodè perfectus est, competere, ut homines singuli in eo positi, sint *In pace plena atque perfecta, ubi nulla est concupiscentia carnis*: Sed non ideo in tribus aliis mortalium statibus actiones singulæ cujuscunque hominis in eorum aliquo constituti in idem conveniunt prædicatum. Aliàs omnia opera Infidelium essent peccata, & Philosophorum virtutes essent vitia. Quod, ut superiùs vidimus, est manifestè contrarium Summorum Pontificum definitionibus, ipsique Augustino, qui in aliquibus primâ hominum conditione comprehensis asserit reperiri quædam opera bona, & ab omni immunia iniquitate: Si autem in Impiis & Idololatris admittendæ quædam sunt actiones à rationis, honestatis, justitiæ regula non discrepantes, quo argumento verisimili denegabitur omnis actio proba & innocua omnibus prorsus peccatoribus *sub lege* degentibus, vel etiam sub ejus maledicto?

Ipsi, inquies, sub lege ejusque maledicto liberrimâ se constituerunt voluntate: hæc evasio in Quesnelli Systemate Propositione 39. 40. & aliis, frivola est; non enim potuit homo impedire ne in maledictum incideret.

CAPUT IV.

Frustrà Adversarii patronum invocant Gregorium Magnum. à Col.57. ad 63.

In Hexaplis objicitur nobis textus Gregorii lib.9. Moralium cap.41. cujus circumstantias discutere non possumus, cùm editio nostra non numeret in illo libro nisi capita Quadraginta, nec in ultimo aliquid simile reperiatur; Verùm videtur sensus istiusmodi: *Tunc solum Deo vera obsequia reddimus, cum eum propter amoris fiduciam non timemus*; per vera obsequia intelligendo vera antonomasticè, meritoria scilicet ex charitate perfecta, de qua dicitur à Joanne Epist.1. c.4. *Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foràs mittit timorem &c.*

Quod in objecta Gregorii sententia sequitur, Nam *qui à perversitatis opere ex timore restringitur, perversa libenter ageret, si liceret, nequaquam ergo veraciter rectus est*, &c. de ignavo & naturali timore intellige, qui fugam pœnæ præferat vitationi culpæ: Aliam autem saniorem pœnæ formidinem, quæ sit aptissima ad spem, dilectionemque dispositio, agnosci à Gregorio patet ex ejusdem plurimis à nobis relatis textibus.

CAPUT V.

Refertur subdola Hexaplorum pro Quesnello Apologia. à Col.64. ad 66.

Si Hexaplorum apologiæ credimus, plurimis in Observationum Moralium libro, sententiis asseritur bonitas timoris & utilitas; verùm quàm ea sit frivola & fraudibus plena ex capite sequenti intelligitur.

CAPUT VI.

Apologia subdola confutatur. à Col.66. ad 80.

Quatuor à Quesnello contra peccatores inferuntur calumniæ; videlicet quod nihil in ipsis unquam sit operis boni: quòd omnis in illis actio peccatum sit: quod in iisdem omnis quæ apparet vitatio mali, ac proinde omnis quæ videtur opposita peccato actio honesta profluat ex timore: quod nullum motivum aliud bonum formidinem comitetur. Ex his nullam à damnato Articulo vel authoris sensu amolitur textuum, quos copiosè Hexapla conquisiverant, collectio: Timor enim cujus Quesnellus in illis agnoscit utilitatem, non est timor hominis à lege maledicti, de quo hic agitur, sed hominis justi, quod turpiter & fide pessimâ dissimulant adversarii, ut eorum invicti principiis demonstramus.

SEXAGESIMA QUINTA PROPOSITIO DAMNATA.

Moyses, Prophetæ, Sacerdotes & Doctores legis mortui sunt absque eo, quòd ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint, nisi mancipia per timorem. *Observ. Mor. in Marci caput 12, v.1.*

CAPUT I.

Error convincitur Scripturis Sacris, etiam supposito aliorum Quesnelli dogmatum præsidio. à Col.80. ad 86.

Solâ Ninivitarum pœnitentiâ, etiam juxta alia Quesnelli dogmata, præsens ejus articulus de errore convincitur. Quòd illa timore inchoata ad Deum clamaverit, & ab eo audita fuerit, clarissimè Scriptura enuntiat, neque de eo ullus Catholicus dubitat; atqui per Quesnellum *Sola charitas est quæ Deo loquitur*: ergo inchoatam timore pœnitentiam dilectione terminarunt Ninivitæ; adeòque Jonas si prius mancipia fecerit per timorem, necesse est, ea in filios postea converterit per dilectionem.

CA-

CAPUT II.

Profecatio librorum Sacrorum: ubi sola Machabaeorum historia convincendæ calumniæ sufficit. à Col.86. ad 96.

Libro 2. Machabæorum cap.6. legimus Eleazarum Sacerdotem, non instar mancipii invitè pertractum; sed voluntariè procedentem, imò præeuntem alacriter ad supplicium, libenter passum fuisse, cùm posset à morte liberari, & voluisse præmitti in infernum potiùs, quàm sanctæ & à Deo conditæ legis constituta, quæ à puero optimæ conversationis actibus religiosè servaverat, dissimulare, eorumque se fingere transgressorem.

Quale verò hoc modo vitâ discedens, exemplum suis reliquerit pro sanctis & conditis à Deo legibus moriendi, Quales discipulos effecerit æquus arbiter statuat ex septem fratrum Machabæorum cum Matre suppliciis, quorum passio etiam à Christianis annoa devotione Kalendis Augusti meruit celebrari.

CAPUT III.

Idem error authoritate SS. Patrum & Interpretum, etiam Josephi Hebrai testimonio convellitur. à Col.97. ad 105.

Sola Machabæorum historia utpote ad convincendum errorem sufficientissima, Patrum, & Interpretum Commentariis illustratur, imò Chrysostomi, Ambrosii, Cypriani, Leonis, Gregorii Nazianzeni omissis brevitatis causa sententiis, aliquid tantummodo ex Theophili Alexandrini commentario delibavi. „ victa sunt [in- „ quit] in eis omnia crudelitatis ingenia, & quidquid „ ira persecutoris invenerat, *patientium fortitudo supe-* „ *ravit*, iotet *pœnas magis paternæ legis, quam dolorum* „ *memores* . . . liber erat animus, & mala præsentia fu- „ turorum spe despiciebant. Lassabantur tortores, & „ non lassabatur fides. „

Quid servile, aut liberorum fortitudini minimè congruum in his animadvertit Quesnellus? si certius Charitatis testimonium excogitavit, in medium proferat: hactenus apud omnes divini amoris probatio fuit piorum executio operum, & sanguinis potissimùm pro cœlestia reverentia mandati religiosa profusio.

CAPUT IV.

Propositionis exponitur fundamentum & origo, unde plurimùm crescit erroris perversitas. à Col.106. ad 112.

Fundamentum erroris adeò adversùs Populum Dei electum contumeliosi, est Articulus sextus, in quo summa Deo affingitur erga Judæos inclementia & crudelitas in exigenda sub pœnis gravissimis observantia mandatorum impossibili: quam falsitatem etiam postquam Alexander VIII. in Articulo V. inter triginta & unum damnaverat, Quesnellus sustinere non veritus est, & suum ut defenderet errorem, eo temeritatis devenit, ut populum Judaicum in Atheismo, aut illi non dissimili impietate perpetuò fuisse, quodammodo asserere non dubitarit; Etenim juxta Prop.57. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.* Peccatorem esse populum & hominem quemlibet Dei non amantem, probatione non indiget maximè apud Quesnellum, penès quem, nec Deus est, nec Religio, ubi non est Charitas: hanc autem ab omnibus filios populi, utpote mancipiis, exulasse præsens Articulus enuntiat.

CAPUT V.

Confecta ex Sacris literis approbatio erroris destruitur. à Col.112. ad 118.

Pro sua contra Judaicum populum confirmanda calumnia, ab Adversario objicitur illud Joan.1. v.17. *Lex per Moysen data est; gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Illud ad Rom. cap.8. *Non enim accepistis Spiritum servitutis* &c. Et ad Corinth.3. v.7. *Qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non litera, sed spiritu: litera enim occidit; spiritus autem vivificat.* In his tamen nullus Sacrorum Interpretum hactenus reperit novi Quesnelliani dogmatis veritatem; sed omnes agnoscunt, & nos cum ipsis agnoscimus justitiam non esse per legem; sed per fidem, & gratiam Christi meritis impetratam, non in Christianis solummodo novi fœderis; sed etiam in Moyse, Prophetis &c. qui quemadmodum legis veteris imperfectio efficere non potuit, quin gratiâ ex Christi meritis acceptâ justificati fuerint, ita neque imperfectio ministerio illorum propria, quâ Sacerdotium vetus cedit novo, impedire illos debuit, ab excitandis hominibus ad Dei cultum, omniumque Mandatorum accuratissimam impletionem.

CAPUT VI.

Sancti Patres & Tridentina Synodus pro errore perperam adducuntur. Col.118. ad 123.

Qualis data Divinis oraculis, prorsus convenit etiam Patribus explicatio, nullumque ex his deducitur argumentum ad affirmandum quod salutifera Christi operatio seu gratia ante Incarnationem, Moysi & Prophetis non denegata, ad ipsos tantùm in antiquo fœdere fuerit restricta, itaut aliorum nemini collatum fuerit justitiæ donum.

CAPUT VII.

Collatoris observatio dolo plena subvertitur. Col.124 ad 131.

Collatoris observatio est, quod Moyses, Prophetæ &c. nullum Deo dederint Filium, *in quantum ministri fuerunt veteris Testamenti*; Hæc supposita restrictio est quidem proscripti dogmatis mitigatio, sed virus minimè imminuit, non enim audet benignam adeò de Quesnelli mente asserere interpretationem, quasi videlicet agnoverit Moysen, Prophetas &c. sub alia consideratione dedisse Deo Filios per amorem; sed ab hoc omninò præscindit.

DIGRESSIO.

Parallelum inter Synagogam veterem, & novam Jansenistarum Ecclesiam.

PARS I.

Sintne Jansenistæ filii per charitatem, & non mancipia magis per timorem? Col.132. ad 147.

Quales discipulos, & quali imbutos spiritu, Deo dederint filios illi, qui ejurare quinque dogmata in sensu à Jansenio intento, & tamen ejusdem sensum, velut inoxium, mentre retinere non dubitarunt? Qui pœnitentiam vaferrimè simulantes, & quamcunque præscriptam fidei professionem amplexi, ut carcere dimit-

mitterentur, ad suos postea redeuntes, priorem perfidiam deteriore auxerunt pertinacia? ii qui nè à gradu impedirentur Academico, aut beneficio excluderentur Ecclesiastico, Constitutionem, quam cane pejus & angue oderant, se admittere simularunt? ii qui abusum Sacramenti sacrilegum, nè Episcopis denunciarentur, jactare minimè horruerunt? ii qui Catonicam affectantes in publico gravitatem, cum sexu tamen sequiore clàm familiariores fuerunt, quàm hic deceat explicari, Quales, inquam, discipulos Deo dederint isti Jansenianorum Heroes, & præposteri Catholicæ reformatores Ecclesiæ, tuo, lector catholice, submittimus arbitrio judicandum.

PARS II.

An Quesnellus & ejus Secta in Hollandia Deo Filios dederit per Charitatem. Col.147. ad 156.

Quesnelli in Hollandia commoratio, temporis quantumvis exigui, benevolis tamen ejusdem receptoribus maximè fuit perniciosa; hos enim tum hypocrisi, tum falsis de Romana Curia narratiunculis, à Sede Apostolica paulatim cœpit avertere, & in hæreseos impietatisque suæ trahere societatem, nec alium eis nisi audaciæ, temeritatis, ac schismatis suggessit spiritum.

SEXAGESIMA SEXTA PROPOSITIO DAMNATA.

Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut timorem sicut bestiæ, sed per fidem & per amorem sicut filii. *Observ. Mor. Hebr. 12. v. 20. edit. anni 1693.*

CAPUT I.

Propositio est contraria Scripturis & rationi. Col.157. ad 164.

Timorem passionibus Brutorum annumerat Quesnellus: Scripturæ tamen divinitùs revelatæ testimoniis erudimur, quod ille retrahit nos à criminibus committendis, commissa jubeat plangere, nobisque omnium vitiorum studium, etiam charitatis persuadeat: *Sapiens timet & declinat à malo*: Prov.14. *Qui timet Deum, faciet bona*. Psal.2. &c.

CAPUT II.

Damnatus error destruitur à SS. Patribus: Col.164. ad 173.

S. Gregorius hom.34. in Evang. Prava mens, *si non priùs per timorem evertitur, ab assuetis vitiis non emendatur*. S. Augustinus Tract.9. in Epist.1. Joan. *Opus est ergo ut intret timor primò, per quem veniat Charitas, timor medicamentum, Charitas Sanitas*. S. Bernardus: sinè timore & amore Dei salus esse non potest. Præterea perseverantiæ incertitudo, aut, ut ait S. Leo, *ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ*, omnibus etiam Sanctissimis, quamdiu in hac vita sunt, non exigui timoris est argumentum.

CAPUT III.

Error Tridentino Concilio & Apostolicis definitionibus convincitur. Col.173. ad 177.

Tridentina Synodus Sess.6. & 14. timorem, conceptamque ex eo detestationem criminum prædicat veluti perutilem reconciliandis Deo Peccatoribus dispositionem.

Alexander VIII. Propositiones asserentes timorem gehennæ non esse supernaturalem loco 31. damnavit.

CAPUT IV.

Damnata Propositio adversatur Scholasticorum omnium, ac totius Ecclesiæ sensui. Col. 177. ad 183.

Per S. Thomam part.3. quæst.85. art.5. ad tertium *motus timoris procedit ex actu Dei convertentis cor* ..... Per S. Bonaventuram lib.5. cap.4. timor servilis donum Spiritus Sancti est; ergo per neutrum ex istis Scholarum Principibus, quos secuti sunt omnium ordinum & Nationum Theologi, timor est passio brutalis, qualis à Quesnello asseritur.

CAPUT V.

Propositionis origo & fundamentum. Col.183. ad 187.

Quesnellus in universo suo de Charitate Systemate, non aliam, ut Lutherus, agnoscit gratiam Christi meritis præparatam, quàm Numinis dilectionem: hinc fit, ut per ipsum quicumque timor non gignitur à dilectione, ideoque profluens ex amore proprio aut mundano, non possit non ab eo venenum contrahere, Deique displicere Sanctitati.

CAPUT VI.

Refelluntur argumenta opposita. Col.187. ad 194.

Apostolus ad Rom.8. Non accepistis *spiritum servitutis* &c. Non agit de peccatoribus converti cupientibus; sed de justificatis, & Deo charitatis spiritu intimè unitis, quibus spiritus amoris magis convenit, quàm timoris, neque hunc tamen velut bestialem definit. Sic pariter 2. Timoth.1.v.7. *Non enim dedit Deus spiritum timoris*. juxta D. Thomæ, & Cornelii à Lapide interpretationem, intelligendus est timor humanus, mundanus, & Divino oppositus; non autem Dei vindicis, æternorumque suppliciorum timor.

Neque solidioris ratiocinii sunt consectaria, quæ ex D. Chrysostomi, Augustini, & Prosperi textibus deducunt adversarii.

CAPUT VII.

Collatoris Observatio plena fraudibus convincitur. Col.194. ad 199.

Collator in suis Observationibus simulat, quasi non timor, sed sola Charitas, seu fidei per dilectionem operantis abscotia Quesnello displiceat; timor autem quoties ad eum saltem amor Numinis accesserit, bonus sit, atque ad Deo appropinquandum utilis: simulat illud inquam, non asserit tamen, neque admittere potest, nisi subruto universo Quesnelli Systemate, cujus & nimiùm conscius est & tenax; in quo, ut supra vidimus, nulla agnoscitur fides supernaturalis, adeòque nec formido ex gratiæ subsidio, Christi meritis comparato, nisi ti-

ſi timor ipſe ſimul charitas benevolæ Dei propter ſe fuerit, vel ex ejus dimanans imperio.

SEXAGESIMA SEPTIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem. *Obſerv. Moral. in Luc.19. v.21.*

CAPUT I.

Error convincitur Scripturis Sacris. à Col. 199. ad 203.

Juxta Scripturam Sacram & Angelici interpretationem, Spiritus timoris Domini, eſt Spiritus Sanctus faciens in aliquibus timorem ſervilem, in aliis amorem. Ergo falſa eſt Queſnelli aſſertio: aliàs Spiritus Sanctus author eſſet impietatis, & blaſphemiæ; atque ita Spiritus Sanctus eſſe deſineret.

Præterea Deus apud Malachiam cap.1. Omiſſionem timoris ſui, & quidem ſervilis peccatoribus exprobrat: hæc autem exprobratio in Queſnelliana hypotheſi faceret hunc ſenſum, Si Dominus ego ſum ubi eſt timor meus, non me repræſentans, niſi ut Dominum durum, imperioſum &c. qui ſenſus, ut patet, Divinâ Sapientiâ, & Sanctitate eſt indigniſſimus.

CAPUT II.

Error Traditioni, etiam Tridentinæ contrarius. à Col.203. ad 212.

Baſilius, Hieronymus, Bernardus, Auguſtinus Bonaventura, Franciſcus Saleſius, timorem ſervilem vel uti bonum, utilem, ſalutarem, & Sanctitatis operatorium prædicant; idem ſentiunt Thomas Stapletonus, Jacobus Bajus, Guilielmus Eſtius, Joannes Eckius, Bellarminus, & Franciſcus Sylvius qui quæſt.19. art.4. enuntiare non dubitat velut dogma fidei: *Quod timor ſervilis ſit bonus, & ad ſalutem perutilis, ſide certum eſt, deſinitum in Tridentino, & antea à Leone X. contra Lutherum*. Evidens itaque eſt timorem iſtum alieniſſimum eſſe à repræſentando ſibi Deo, ut injuſto, imperioſo, intractabili; cum iſtiuſmodi enim contra Deum conceptus, minimè ſalutaris eſſet, minimè operatorius Sanctitatis, & provocandæ erga Deum dilectioni idoneus, ſed odio potiùs & deſperationi.

CAPUT III.

S. Auguſtinus iniquiſſimè à Collatore in ſubſidium vocatur. à Col.212. ad 217.

Verba Auguſtini Epiſtolæ 145. ad Anaſt. num.4. juxtà Seraphicum, intelligenda ſunt de habitu peccati, in quo timoris ſervilitas conſiſtit, non autem de actu & generaliter; aliàs S. Doctoris ſententia Sacris literis & traditioni foret contraria, & ipſe ſententias ſuas mutua oppoſitione colliderct. *Inaniter itaque ſe eſſe putat victorem peccati, qui pœna timore non peccat*, quia non hoc ipſo peccatum antea commiſſum expellitur; ſed remanet habitu, quo *peccator quantum in ipſo eſt, mallet non eſſe juſtitiam peccata prohibentem* &c. Interpretationi Seraphicæ addi poteſt alia cum eadem facilè componenda, ut videre eſt pag.215.

Quomodocumque autem ſententiam Auguſtini accipias, etiam in odioſo & maximè erroneo ſenſu qui ab Adverſariis obtenditur, ejuſdem allegatio ſemper eſt ineptiſſima, utpote nequaquam ad dogma propoſitum pertinens.

CAPUT IV.

Collatoris obſervatio Aquinatem inaniter fingit damnato Articulo ſuffragari. à Col.217. ad 220.

Angelicus in objecta à Collatore ſententia definit timorem ſervilem, non cujuſcunque generis; ſed qui majoris lucis gratiâ à Scholaſticis dicitur *ſerviliter ſervilis*: ineptè proinde à *Collatore* confunditur omnis timor pœnæ ab amore ſejunctus, cum *ſerviliter ſervili*, ſive cum eo, qui in Aquinatis ſententia *pœnam formidat ſicut principale malum*.

CAPUT V.

Diſcutitur fraudulenta Queſnelli Proteſtatio circa præſentem Articulum. à Col.220. ad 226.

Negat Queſnellus ſe aſſeruiſſe, timorem quemlibet *non ſibi repræſentare Deum, niſi ut Dominum durum* &c.; ſed tantùm id affirmaſſe de *formidine ſervili*, ſeu ut additum eſt in editione anni 1699. *de formidine merè ſervili & perperam intellectâ*. Quidquid ſit de iſta additione, ea minimè extitit in editione anni 1693. neque prudenter à denuntiatoribus, aut judicibus potuit ſupponi, vel ſubintelligi: præterea Theologi communiſſimè omnem formidinem merè ſervilem ſtatuunt *ſerviliter ſervilem*. Deinque *perperam intellectâ* effugium oſtenditur prorſus frivolum.

CAPUT VI. & VII.

Doloſa Queſnelli Proteſtatio de lege veteri exhibetur, & dolo convincitur. à Col.226. ad 242.

Inutilia & pariter fraudulenta ſunt quæ de infirmitate, impotentia, impoſſibilitate legis ad conferendam per ſe juſtitiam allegantur; cùm neque de iſtis ullus Catholicus dubitet, neque hinc apologiæ vel minimam damnatis accedat articulis; Neque enim in his de infirmitate legis, vel robore quæſtio eſt; ſed de infirmitate & impotentia hominis à Deo abſque ullo derelicti auxilio ſufficiente, ut aſſerit Queſnellus edoctus à Janſenio, inficiantur Catholici tutiore duce Angelico.

Doloſa quoque, & nimiùm claudicans eſt ſimilitudo, cum de prætenſa Judæorum veterum impotentia, quam Queſnellus modo *conſequentem & voluntariam* appellat, aſſerit eam non magis à lege, aut à gratiæ abſentia oriri, quàm vulnus mortiferum, quod homo ſuis ſibi armis intulit, profluat à lege ſuicidium prohibente, vel à Chirurgi abſentia, vel à privatione remedii. Diſpar ratio eſt multiplex. In primis Adæ Poſteri non propria, ut in ſimilitudine ſupponitur, ſed alienâ voluntate peccatores ſibi vulnus intulerunt.

Accedit quod cœleſtis noſter medicus Judæos in infantia juſtificatos, hoc ipſo ſuſceperit in amicos, pollicitus ſe eos minimè deſerturum, niſi peccato novo, & libero ab iis antea deſeratur.

Proteſtantis autem chirurgus ſi cum cœleſti medico comparari velit, ſupponendus eſt obſtrinxiſſe fidem ſuam, fore, ut hominem qui ſuis ſe armis læſerat, jam pœnitentem, veluti amicum & filium non deſereret; ſed adforet ſemper arte & auxilio promptus reddere ſanitatem, niſi reſumptâ ultro malitiâ ipſum inhumanus repelleret.

INDEX CAPITUM,

SEXAGESIMA OCTAVA PROPOSITIO DAMNATA.

Dei bonitas abbreviavit viam Salutis, claudendo totum in fide & precibus. *Observ. Mor. Act.* 2. v. 2.

CAPUT I.

Damnatus error evertitur. à Col. 242. ad 247.

Abrogato jejunio, abdicata cum Sacramentis omnibus pœnitentiâ, expunctis omnibus Dei & Ecclesiæ præceptis, fide & oratione tantummodo retentâ, viam salutis abbreviat Quesnellus, & facilem capiendi regni cœlorum methodum, Christo & Ecclesiæ ignoram, atque ad quietismum quodammodo vergentem fabricat, novamque hæresim ex Euchitarum & Eunomii hæresibus conflat.

CAPUT II.

Nihil in Sacris literis favet damnato articulo. à Col. 247. ad 253.

Pro solutione Sacrorum textuum quibus adversarii innituntur, Tridentina sufficiat expositio Sess. 6. cap. 8. ubi cùm dicitur *justificari hominem per fidem, ea verba* [inquit Concilium] *in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus, Ecclesiæ consensus tenuit & expressit; quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.* Non autem quasi fides etiam sola justificet, vel si Dei invocatio accesserit. Longiorem actuum seriem describit Synodus, quibus homo disponitur ad ipsam justitiam. Actuum autem illorum primus est fides, dein divinæ justitiæ timor: tertius spes, quartus Dilectio Dei, quintus tandem inde odium ac detestatio peccatorum.

CAPUT III.

Frustrà pro damnato Articulo allegantur Cyprianus, Augustinus, & Tridentinum Concilium. à Col. 254. ad 262.

Cypriani sententia ab adversariis allegata, nihil aliud asserit, quàm Deum gratias non denegare petentibus; sed inde non sequitur solam nobis orationem, nulla verò præterea opera bona esse necessaria ad salutem, ubi facultas non deficit, & urget præceptum.

Augustinus lib. 1. quæst. ad Simplic. ait quidem, in nova lege *innumerabilibus* veteris legis *observationibus* duo Christum dominum substituisse præcepta, fidei videlicet fui in animo, & confessionis in ore; sed non propterea abolitam Sanctus doctor censet spei, dilectionis, & in peccatoribus pœnitentiæ obligationem. *à fide* [inquit idem Sanctus hom. 16. de verbis Apostoli, *incipit homo; sed quia & Dæmones credunt, necesse est addere spem & charitatem.*

A Concilio Tridentino ad quod ab Adversariis remittimur, requiritur præter fidem, voluntatis motus, & quidem fide posterior; non autem apparet quis voluntatis motus posterior fide ad justificationem sit necessarius, si in fide totum, quod ad salutem hic requiritur Deus concluserit. Præterea aliud est quod fides sit initium, fundamentum & radix, aliud quod sit res ipsa ad quam radix dirigitur.

Quesnellus ne Calvini vestigiis insistere videatur, in opere Gallico cui titulus est *Constitutio Clementis XI. &c. cum observationibus* ad præsentem articulum ait, *opera supponi*: verùm quidquid de indicata suppositione operum asseritur, est fraudolentum. Constat enim ex universo ejusdem Quesnelli Systemate, ipsum præsenti articulo, in fide qualibet, & oratione ex auxilio supernaturalis gratiæ elicitis constituere pondus sufficiens ut justificent, præscindendo ab omni opere, actibus fidei vel orationis superaddito.

SEXAGESIMA NONA PROPOSITIO DAMNATA.

Fides, usus, augmentum, & præmium fidei totum est donum puræ liberalitatis Dei. *Observ. Mor. Marci* 9. *vers.* 22.

CAPUT I.

Propositionis error dejicitur. à Col. 263. ad 268.

Si usus, augmentum, & præmium fidei tam dona sint puræ liberalitatis Dei, quàm ipsius fidei initium, & illa gratia, qua vocamur ad cognoscenda & credenda fidei mysteria; consequens est nos nihil mereri dum constantes ac fortes in fide perstamus; adeòque æternam illam ac beatam vitam quæ toties nobis in Scripturis ut merces proponitur, tam gratis Electis rependi, quàm gratuita fuit illorum ad fidem vocatio. Quod Scripturis, SS. Patribus atque Conciliis est manifestè contrarium.

CAPUT II. & III.

Referuntur testimonia, quæ pro damnato Articulo Collator accumulat, quorum nullum adversario suffragatur; adversantur pleraque; & novo Scripturarum ac Traditionis robore censura Apostolica confirmatur. à Col. 268. ad 277.

Nullus est inter Catholicos Theologus, qui cum Augustino, aliisque SS. Patribus non fateatur gratiam Dei esse, quæ nos ad merendum idoneos constituit, quæ sic constitutos illuminat, excitat ad opus bonum, & ad operandum illud vires præbet, ita ut illius sit causa principalis; non tamen unica: *Dei enim adjutores sumus in bonum*, & gratiæ cooperamur adeòque, ut ait Bellarminus, *posita Dei voluntate, & pacto, quo non vult à nobis exigere opera nostra gratis*, meremur illius augmentum, & vitam æternam.

Verùm itaque est quod ait Apostolus *nihil nos habere quod non acceperimus*; quia quod habemus, venit à divina gratia vel vocante, vel præveniente, vel adjuvante: & sic de nullo gloriamur nisi in Domino *qui omnia nostra bona opera operatur in nobis*; sed non sine nobis liberè cooperantibus.

CAPUT IV.

Dolosa Collatoris observatio confutatur. à Col. 278. ad 287.

Fidei suum esse præmium, adeòque & meritum, si Collatori credimus, admittitur à Quesnello qui, ut ait Collator, *compluribus locis disertè adstruit meritum bonorum operum*. Verùm non nisi more suo solito, fraudulenter scilicet *præmium* fidei nominat Quesnellus, & sanè quomodo potest is in fidei usu meritum sincerè agnoscere, qui ab actibus meritoriis necessitatem antecedentem nullatenus removet, gratiæque operationem comparat operationi Dei *incarnantis suum filium, aut resuscitantis, ex nihilo creaturas educentis aut resuscitan-*

tunt is mortuos? cujus videlicet *manum omnipotentem nihil impedire aut retardare potest*.

CAPUT V.

Quesnelli observatio discutitur. à Col.287. ad 298.

Demus Quesnello, quod dum libertatis vocabulo addidit *puræ*, noluerit, ut hic ait, significare, *nos in operibus bonis nihil operari, nihil velle, nihil diligere; sed habere nos velut instrumenta passiva, quæ à divina, prout hæc voluerit, gratia moveantur*: demus inquam, quod ipse sibi id non proposuerit: quæ tamen libertas activa, & ab omni necessitate antecedente soluta stare potest cum definitione gratiæ ab ipso tradita? quæ cooperatio libera & expedita, qualem postulat Ecclesia ad merendum in statu naturæ lapsæ, fingi potest, cum ea gratia, cui non magis possumus resistere, quàm creationi res increatæ, resuscitationi corpora inanima, ipsaque Christi humanitas incarnationi Verbi resistere poterant?

CAPUT VI.

Num Adversarii se rectè ab Hæreticis discernant. à Col.298. ad 311.

Quesnellus hæreseos notam à se amoliri cupiens, datâ operâ Jansenii loquendi modum devitat; idem tamen quod ille, sentit ac verbis aliis enuntiat; Sic impossibilitatis nomine non utitur, nec asserit omnibus efficiente gratia destitutis mandata esse impossibilia; sed affirmare eidem sufficit, neminem sinè efficiente gratia posse mandata servare, nemini illa servatu esse possibilia. Non dicit juxta hæresim Jansenii *Christum pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuum esse*. Sed omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvari infallibiliter. Denique non exprimit cum Jansenio, quod ad merendum sufficiat libertas à coactione; sed idem affirmat, meritum conjungens cum illa gratia cujus effectus nequeat impediri.

Non magis à Calvino & Luthero, quàm à Jansenio in præsente materia secernitur.

CAPUT VII.

Examinatur Quesnelli Protestatio. à Col.311. ad 321.

Quadraginta Galliæ Episcopos hic cæcitatis arguere Quesnellus minimè dubitat: Verùm non oculis caruerunt quin Novatoris fraudes animadverterint, viderunt enim ab eo pugnantia inter se malignè conjungi, & cohærenter ad sua principia non aliam bonorum operum mercedem, nisi fictam & impropriam ab eodem admitti.

Tridentinæ Sessionis, cap.10. docemur quidem orare cum Ecclesia, *Da nobis Domine fidei, spei & charitatis augmentum*: illud proinde precibus impetrare possumus; sed aliud est præmium ratione meriti; aliud per orationem impetratio; hæc potest peccatoribus competere, non meritum & præmium propriè dictum, quod statum justitiæ necessariò supponit. Si quidquid in hac materia sentiunt Tridentini Patres, idem Quesnellus, ut ipse gloriatur, recipit, dicat cum illis anathema negantibus *liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum.. posse dissentire si velit*.

Non est quod Meldensem Episcopum sibi patrocinantem jactet Quesnellus, nunquam nisi deceptus pro ipso stetit.

CAPUT VIII.

Prætensorum Galliæ Theologorum observationes dissolvuntur. à Col.321. ad 335.

Vana est Anonymi Quesnellum sub nomine Theologorum Galliæ defendentis observatio: quasi ille non de quolibet actu fidei locutus fuerit; sed de eo qui charitatem præcedit, & quo se homo disponit ad justificationem, quique ex omnium consensu meritorius non est; vana est, inquam, nam Quesnellus ea nonquam usus est defensione, imò ipsam rejicit, nec nisi sibi contradicendo, etiamsi vellet, posset admittere.

CORONIS DISPUTATIONUM DE GRATIA. *à Col.335. ad 352.*

Hic habetur Dialogus Catholicum inter & Jansenistam, in quo ostenditur quo pacto Quesnelli & Jansenii circa gratiam doctrina ducat ad Atheismum: Asserunt enim Jansenistæ in bonis, malisque actibus necessitatem; ubicunque autem bene agendi necessitas, nullum meritum est; ubi peccandi, nullum demeritum. Adeóque frustraneum boni agendi, malique fugiendi studium est. Deum sibi præterea fingunt injustum æternis punientem suppliciis reprobos, quorum nullus præstare obedientiam potuit.

SEPTUAGESIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Nunquam Deus affligit innocentes: & afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem. *Observat. Moral. Joan.9. vers.3.*

CAPUT I.

Error convincitur. à Col.353. ad 360.

De cæco à nativitate interrogant Magistrum Apostoli, *quis peccavit hic aut parentes ejus ut cæcus nasceretur*. *Neque hic peccavit*, respondit Christus *neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei in illo*. Sicut de Lazaro docuit, *Infirmitas hæc non est ad mortem*; Sed potius ut ait Augustinus, ad miraculum.

Alium tribulationum finem, quàm punitionem aut purgationem peccatorum agnoscunt Laurentius Justinianus, Chrysostomus & alii, præsertim Apostolus qui gloriabatur in tribulationibus.

CAPUT II.

Nullius ponderis sunt argumenta adversariorum ex Sacris literis petita. à Col.361. ad 363.

In adducendis Sacrarum literarum pro damnato articulo testimoniis, Collator simulat se non percipere discrimen afflictionem inter & condemnationem punitionemque, adeóque ejus studium non solum irritum; sed fraudulentum simul deprehenditur.

CAPUT III.

Non favet adversariis celebris sententia S.Augustini lib.1. operis imperfecti.cap.39. à Col.363. ad 369.

Nequit sub Deo justo [inquit Augostinus, *miser esse quisquam, nisi mereatur potest*: sed non omnia, qui afflictionem patitur *miser* est; miseria propriè opponitur beatitudini: discimus autem ipsius veritatis testimonio, non miseros; Sed *Beatos esse qui persecutionem patiuntur propter justitiam*.

Quidquid anathematis Bajus, Jansenius, Quesnellus, aliique ejusdem farinæ homines sustinentur, ad persecutionem justitiæ non ad peccati punitionem adscribitur à Quesnellianis: Quidquid verò extra novam Ecclesiam patimur, semper est penes eosdem peccati punitio, aut ad justificationem peccatoris dispositio.

CAPUT IV.

Neque usquam alibi Augustinus damnato dogmati suffragatur. à Col.370. ad 376.

Verissimom est, quod grave ignorantiæ jugum & inordinatorum concupiscentiæ motuum non fuisset, nisi, ut ait Augustinus lib.4. adversùs Julianum, delicti originalis meritum præcessisset. Sed non ideò omnia quæ mortales patimur ex corruptæ radicis vitio proficiscuntur, ut plurimorum exemplo Sanctorum comprobatur, Deiparæ præsertim & Josephi; idem pariter ex Scripturarum testimoniis colligitur, ipso consentiente Augustino epist.28. ad Hieronymum.

Si *miseria* ut miseria, quâ homo verè & propriè miser dicitur, naturam præcederet, non incongruè vocaretur recti ordinis atque universitatis perturbatio; Sed cùm omnis afflictio non sit talis miseria, ruit adversariorum instantia ex Augustino desumpta.

SEPTUAGESIMA PRIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege quam Deus condidit propter ejus utilitatem. *Observ. Moral. Marc.c.2. vers.28.*

CAPUT I.

Damnatus error convellitur. à Col.376. ad 380.

Jurisperitis & Theologis indubitatum est, dispensandi facultatem non penès subditum; sed penes legislatorem, vel ejus successorem & superiorem solum esse; tamen ut ex sensu obvio præsentis articuli apparet, hæc potestas ad omnes homines, nullo gradûum aut sexûs discrimine amplissimè extenditur; adeòque juxta ipsum in lege jejunii, matrimonii &c. non amplius ad Pontificem, ad Episcopos, aut ad alios superiores est recurrendum, habente privato quolibet dispensandi se potestatem:

Hæc Quesnelli novitas minimè sapit rigorem, quo aliàs novus Theologus ad cæterorum invidiam gloriatur; imò resuscitandæ ex 65. Propositionibus ab Innocentio XI. damnatis, decimæ octavæ ansam præbet amplissimam.

CAPUT II.

Nihil in divinis literis, nihil in SS. Patribus; aut alibi est quod fundamentum præbeat errori. à Col.380. ad 387.

Historia Machabæorum die Sabbati pugnantium; & Discipulorum spicas vellentium damnato articulo minimè patrocinantur, cum in neutrâ sit dispensatio privati hominis; sed explicatio legis congrua, remanente jure & rigore ejusdem legis integro. Vide Cornelii à Lapide interpretationem.

Subdola Quesnelli evasio mutato scilicet *utilitatis* vocabulo in *conservationis* hic detegitur & refutatur.

CAPUT III.

Expenditur Quesnelli temeritas insultantis opusculo cui titulus: Venenum 101. Propositionum à Clemente XI. *damnatarum*. à Col.387. ad 390.

Author supradicti opusculi in Quesnelli Articulum observavit, quòd cùm nulla sit lex, etiam juris naturalis, quâ utilitas hominis à Deo non intendatur, nulla pariter erit, à qua homo ob sui conservationem se nequeat dispensare; hoc aliaque ejusmodi argumenta callidè dissimulans Quesnellus, solùm vellicat, & quidem fide pessimâ à se relatum de polygamia exemplum, quam author catholicus non simpliciter & passim; sed in casibus rarorum quos indicat rarioribus, ex damnato articulo colligit licitam.

Temerariis istis in divina lege dispensatoribus terrorem incutere deberet illud Christi apud Matth.5. *Nolite putare quoniam veni solvere legem. . . Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.*

PARS III.

Refellens reliquas triginta Propositiones quæ sunt de Ecclesia; & Ecclesiæ Disciplina, *ad quam videlicet referuntur* Lectio Scripturæ Sacræ, Usus Sacramenti Pœnitentiæ, Sacrificium Missæ, Excommunicationis sententia &c. à Col.392.

SEPTUAGESIMA SECUNDA PROPOSITIO DAMNATA.

Nota Ecclesiæ Christianæ est quòd sit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos & justos terræ & omnium seculorum. *Observ. Moral. Hebr.12. v.24.*

CAPUT I.

Damnationis æquitas defenditur. à Col.392. ad 396.

Quod non solis justis ut ex obvio damnati Articuli sensu deducitur, constet Ecclesia; sed peccatoribus quoque, nec occultis tantummodo, sed cognitis & manife-

nifeſtis plurimis SS. Patrum textibus comprobatur, ſi enim ſolis juſtis conſtaret, apoſ non haberet Sacramento Pœnitentiæ; Epiſcoporum nulla in peccatores eſſet juriſdictio; inviſibiliſque redderetur Ecclesiæ nota; electio enim quæ in mente divina eſt, & juſtitia in Sanctorum animis latens non pervia aſpectibus hominum eſt.

CAPUT II.

Nihil in SS. Literis eſt quod Articulo proſcripto faveat. à Col.396. *ad* 399.

Unicum nobis *hexapla*, unicum eundemque *Collatis*, ex divinis oraculis objiciunt textum Apoſtoli ad Hebræos cap. 12. verùm ſive ut ſonat, ſive juxta probatum quemcunque interpretem conſideretur, nullum ineſt vocabulum quod patrocinium errori præbeat.

CAPUT III.

Auguſtinus ab adverſariis fruſtrà vocatur in ſubſidium. à Col.399. *ad* 403.

Aliud eſt quod Auguſtinus Eccleſiæ Chriſtianæ commendet excellentiam, aliud quod ejus partes deſcribat univerſas, in objectis adverſariorum textibus, Sanctus Doctor ſibi propoſuit, Eccleſiæ conciliare apud Neophytos venerationem, adeòque, prout Encomiaſtis eſt, membra ejus nobiliora produxit.

CAPUT IV.

Examinatur ſubdola Collatoris obſervatio. à Col.403. *ad* 407.

Juxta *Collatoris* obſervationem Queſnellus pluribus in locis aſſerit *malos eſſe in Eccleſia*; & nota in ejuſdem articulo deſignata ex contextu Eccleſiam reddit viſibilem. Verùm proſcriptus articulus de juſtis tantummodo facit mentionem, totoque contextu dum Eccleſia viſibilis prædicatur, ejus *Notæ*, ex qua præcipua hæc ejus proprietas oſtenditur, ipſa viſibilitas derogatur.

SEPTUAGESIMA TERTIA PROPOSITIO DAMNATA.

Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus Perſona, redemptorum ejus Sanguine, viventium ejus Spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri ſeculi? *Obſerv.* *Moral.2. Theſſalon.1.verſ.1. edit. Anni* 1693.

CAPUT I.

Propoſitio impugnatur. à Col.408. *ad* 417.

Acephala in primis eſt hæc Eccleſiæ definitio, nullum viſibili capiti tribuens locum; nec eſt legitima, cùm omnia ad quæ eadem ſe extendit non amplectatur membra.

Juxta SS. Patres & Tridentinæ Synodi catechiſmum, eſt neceſſarium caput viſibile ad unitatem Eccleſiæ conſtituendam & conſervandam.

CAPUT II.

Propoſitionis impugnatio confirmatur à centum Galliæ Epiſcopis. à Col.417. *ad* 419.

Antiſtites Pariſiis congregati animadverterunt, Eccleſiam in damnatis Queſnelli articulis deſcribi tanquam inviſibilem, & omni proinde ſpoliatam authoritate; veramque ipſi fidelibus tradiderunt Eccleſiæ definitionem à Queſnelliana longè diverſam.

CAPUT III.

Queſnellianæ Propoſitionis pars prima refellitur. à Col.419. *ad* 425.

Si Queſnello credimus, accuratam & theologicam Eccleſiæ definitionem tradere minimè ſibi propoſuit: ſed dum talis præmittitur interrogatio *quid aliud eſt Eccleſia*, &c. Quid aliud, quæſo, intelligi poteſt, niſi ab eadem excludi, quidquid reddito mox reſponſo non comprehenditur?

Quod verò Queſnellus annotationes ſuas Sacris Literis, non adaptet; ſed præconceptis ſuis novitatibus Spiritum Sanctum quantumlibet invitum jubeat deſervire, exemplis pluribus demonſtratur.

CAPUT IV.

Confutatur Proteſtationis pars altera, quæ eſt de Eccleſia viſibili. à Col.425. *ad* 431.

Queſnellus hic damnatæ ſuæ Propoſitioni callidè addit *Profeſſionem unius doctrinæ, & baptiſmatis ſuſceptionem*, quæ utraque exterior eſt & ſenſibus perceptibilis; ſed neutram exprimit damnata definitio; Et quia utraque ad juſtos ab Authore reſtringitur, Eccleſiam catholicam non magis viſibilem reddit, quàm Calviniana.

Quod Eccleſia Chriſtiana in Scripturis, *Sanctorum Eccleſia* nominetur, nullius proſcripto articulo præſidii eſt, non enim Sancta dicitur, quaſi nil aliud ſit quàm congregatio juſtorum; ſed quia plurimi in ea Sancti ſunt: leges præterea, cæremoniæ, omnia Sacramenta, Sacrificia Sancta ſunt, Sancta Fides, doctrina Sancta: in omnibus verò hæreticorum ſectis nulla ſit Sanctitas.

CAPUT V.

An ſuam Eccleſiæ definitionem diſcernere ſatis Queſnellus valeat à Calviniana. à *Col.*431. *ad* 434.

Calvinus in ſolis Electis Eccleſiam conſtituit, Queſnellus in juſtis omnibus, qui cùm obtentam ſemel gratiam ſanctificantem (ut ex aliis ejuſdem propoſitionibus ſequitur) amittere nequeant, ſintque prædeſtinati, apparet veriſſimum quod Queſnellus aſſerit, *non eſſe* ſcilicet *amplius ſolidum diſcrimen ſuos inter Auguſtini diſcipulos, & Calviniſtas in materia de gratia*.

CAPUT VI.

De manifeſta fraude convincitur author Obſervationum in Propoſitiones 101. *allegans pro damnato articulo Bellarminum. à* Col.435. *ad* 436.

A veritate alienum eſt, quod Bellarmino affingitur eum cenſuiſſe de peccatoribus univerſis, eos videlicet in Eccleſia eſſe ſicut capillos, aut malos humores in corpore humano, quod ſolis applicat iis, qui nec fidem qui-

quidem habent: sed solummodo propter luctum temporale, vel metum, fidem simolant, Sacramentis, & fidelibus communicantes sub regimine Pastorum.

SEPTUAGESIMA QUARTA PROPOSITIO DAMNATA.

Ecclesia, sive integer Christus Incarnatum Verbum habet ut Caput: omnes verò Sanctos ut membra. *Obser. Mor.* 1. *Tim.* 3. *vers.*16.

CAPUT I.

Propositionis impugnatio. à Col.437. *ad* 440.

Catechomeni multi sunt Sancti, non tamen propriè adhuc Ecclesiæ corpori aggregantur; in rigore igitur non est admittendum, *omnes Sanctos esse membra Ecclesiæ.*

Alius Propositionis defectus gravior est, quem in duabus præcedentibus reprehendimus, ubi Ecclesia solorum Sanctorum numero circumscribitur, quod indicat Christi integri in suas partes distributio, quæ sicut enuntiatur simpliciter, supponi debuit adæquata, cum partium designatio traditur indefinita.

CAPUT II.

Nihil est in Sacris Paginis quod fundamentum præbeat damnatæ Propositioni. à Col.440. *ad* 444.

Apostoli Scopus in textu unde Quesnellus novitatis suæ fundamentum derexit, est monere Timotheum & cæteros, ut pro discendis ad salutem necessariis, eam semper consulant Ecclesiam, quæ testante per Apostolum Spiritu Sancto, est *columna, & firmamentum veritatis*; Quesnello autem interprete, remitteret nos Paulus ad Ecclesiam invisibilem, qualis in damnato articulo describitur.

In textu Isaiæ abHexaplia objecto, Christi adumbratur Ecclesia, quam nemo negaverit esse Sanctam, non quod ea solis constet Sanctis; sed quia innumeros continet Sanctos, & ut ait Bellarminus, professio ejus est Sancta.

CAPUT III.

Nulla Patrum sententia Quesnellum aut ejus Articulum excusant. à Col.444. *ad* 447.

Ex Augostini enarratione 2. in Psalm.30. malè deducunt adversarii Corpus Christi mysticum accipi pro solis Sanctis; nam juxta Augustini mentem, eique consentientium Patrum, non solis constituitur justis; sed Christi fidelibus. De quo nos ambigere non sinit eadem Augustini enarratio his verbis: *Loquens*, [Apostolus] *de membris Christi, hoc est de fidelibus, non ait, sic & membra Christi; sed totum hoc quod dixit, Christum appellavit*: neque de solis dixerit justis; sed de fidelibus illimitatè.

SEPTUAGESIMA QUINTA PROPOSITIO DAMNATA.

Ecclesia est unus solus homo compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia & persona: unus solus Christus, compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator. *Observ. Moral. Ephes.*2. v.16.

CAPUT I.

Propositio convincitur erroris digni censurâ gravissima. à Col.448. *ad* 455.

Iterum hic à Quesnello Corpus Ecclesiæ componitur ex solis Sanctis; iterum contra Pastores, Episcopos atque ipsum Pontificem à novo Theologo definitur, eos ab Ecclesia rescindi, si à justitiâ deciderint: Rursus Ecclesia redditur invisibilis; at novis undique conquisitis Scripturarum Patrumque suppetiis, magis magisque suam perfidiam novator pergit detegere.

CAPUT II.

Argumenta opposita dissolvuntur. à Col.445. *ad* 460.

Ecclesia non habens *maculam aut rugam*, juxta Angelici interpretationem est Ecclesia triumphans, ut futura est in cælestibus. Quod si nihilominus velis de Ecclesia præsentis temporis etiam affirmari; respondeo Ecclesiam dici Sanctam, sine macula & ruga, ex eo quod Ecclesiæ caput, scilicet Christus, & præcipua ejus membra sint Sancta, non autem quod mali Christiani vera ejusdem Ecclesiæ non sint membra.

Ex mystica illa unitate Christi cum tota sua Ecclesia, quam ex Gregorio magno objiciunt adversarii, minimè sequitur, nullum peccatorem esse ejus membrum, alioquin ut Christus nè levissimè quidem delinquere potuit, in nullo fidelium esset culpa vel minima.

SEPTUAGESIMA SEXTA PROPOSITIO DAMNATA.

Nihil spatiosius Ecclesiâ Dei, quia omnes Electi, & justi omnium seculorum illam componunt. *Obser. Mor. Ephes.*2. v.22.

CAPUT I.

Omni spoliata præsidio novitas destruitur. à Col.460. *ad* 465.

Spatiosior procul dubio est Ecclesia, si præter Electos omnes contineat etiam fide præditos peccatores; quâ igitur ratione in præsenti articulo affirmat Quesnellus, *nihil spatiosius Ecclesia &c.* exclusâ peccatorum multitudine? locutiones (inquit) meæ similes in Augustino & Gregorio inveni. Verùm Augustinus in locis ab ipso citatis, videlicet in Psal.36.Serm.3.præter justos in Ecclesia connumerat etiam fideles omnes.

Quoad Gregorium, aliud est quod Sanctos & Electos in Ecclesia tanquam membra præcipua recenseat; aliud quod solo eorum numero, ut Quesnellus, eandem circumscribat. Præterea idem Sanctus in Christi Ecclesia labruscas, nec sanè paucas agnoscit, & palmites minimè Sanctos.

CAPUT II.

Imprudentes adversariorum vindiciæ, causam Propositionis & Authoris deteriorem reddunt. à Col.465. *ad* 471.

De Calviniano proscripti articuli sensu, nos dubitare non sinunt applicatæ ei à suis hic defensoribus, tùm Isaiæ, tum Augustini sententiæ quarum neutra tamen, si rectè perpendatur, eliminat omnes ab Ecclesia peccatores. Etenim apud Isaiam loco ab Adversariis objecto, habetur Sermo de solo Electorum populo, cui uti-

utique soli, non autem justia temporaneis obveniet status beatitudinis, qui perseverantibus hic promittitur; Praeterea aliud est, omnes justos esse Dei populum, aliud, solos justos esse populum Dei, quod contra Jeremiam, Michæam, ipsumque Dominum Quesnellii novitas affirmat.

CAPUT III.

Reprimitur Janseniana adversùs Sedis Apostolicæ Theologos petulantia. à Col. 472. ad 483.

Quod Quesnellius cum Sociis Romanos Censores & Theologos sæpissimè criminetur & conviciis proscindat, nihil miror; in hoc enim Calvini, Lutheri, Melanchtonis & aliorum ex heterodoxis vestigia premit. Tu verò Lector catholice audi Cyprianum: *Cogitandum, tat esse Romanas, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non potest habere accessum.*

CAPUT IV.

Digressio I.

Cur Adversarii contemnant adeò Scholasticos, & tantopere tironibus velut necessariam prædicent lectionem veterum, præcipuè Augustini. à Col.483. ad 496.

Hæresi propagandæ maximè idoneum videtur Novatoribus, si rudes Theologiæ Candidati, abjecto Scholasticæ studio, incumbant unicè lectioni Patrum, Augustini præcipuè de peccato originali, Gratiâ, & Prædestinatione contra Pelagium. &c. adeòque toti sunt in hoc eis persuadendo; ex illis tamen libris perperam intellectis, hæreses suas conflavere Lutherus, Calvinus, & Jansenius, neque à lapsu simili securus est, quisquis sinè duce & interprete probè catholico, principiis Theologiæ Scholasticæ, aut nullo modo, aut leviter tinctus lectionem istiusmodi temerè aggreditur.

CAPUT V.

Digressio altera.

De prætensa scriptorum Cardinalis Aguirre contra Jansenistas retractatione. à Col. 496. ad 508.

Qualiscunque facta est à Cardinale retractatio, illa neque dogmati obest catholico, neque hæresi patrocinatur aut novitati: quidquid enim ad doctrinam attinet, constantissimè, nullo mutato apice, retinuit; licèt quos antea hæreticè locutos, hæreticè sensisse fuerat arbitratus, nunc præstito contra Jansenium juramento crediderit resipuisse; adeoque nihil detrahit authoritatis omnibus, quas ex eodē descripsimus sententiis; non enim desumpsimus *ex Defensione Cathedræ*, quam solùm respicit retractatio, sed *ex Theologia S. Anselmi, commentariis & disputationibus dogmaticis & theologicis illustrata, & quidem ex editione nova, aucta & correcta Romæ anno 1688.*

SEPTUAGESIMA SEPTIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Qui non ducit vitam dignam filio Dei, & membro Christi, cessat interiùs habere Deum pro patre, & Christum pro capite. *Obser. Moral. Joann. cap. 2. v. 22.*

CAPUT I.

Perniciosus error justissimè proscriptus ostenditur. à Col.508. ad 517.

Nemini dubitare licet catholico, quin Deus velit ab omnibus fidelibus, etiam criminum reis agnosci Pater; paternum enim suum erga peccatrices animas affectum, se non dimittere, plurimis Scripturarum oraculis testatum reliquit. Nec solos justos; sed vel maximè peccatores, Christus Dominus docuit orandi modum septem petitionibus comprehensum, cujus præfatio captandæ Dei benevolentiæ, & excitandæ in orantibus fiduciæ in primis idonea est, *Pater noster qui es in cœlis*.

Quod autem orationem hanc peccatoribus familiarem esse voluerit, communis est Ecclesiæ sensus, & ex ipsa colligitur formula, juxta quam dimitti nobis debita nostra postulamus, sicut dimittimus debitoribus nostris. Debita hæc interpretatur Lucas cap. 11. Græcè peccata. Non omnes itaque & singuli qui à justitiæ deflectunt tramite, cessant *interiùs habere Deum pro Patre*, sicut novæ Propagator Ecclesiæ hic docet.

CAPUT II.

Connexio præsentis Propositionis 77. cum plurimis aliis absurdissimis & meritò condemnatis. à Col.517. ad 527.

Quæ in præsenti articulo est duritiea exotica, non casu vel inconsultè Quesnello excidit; sed ex ejus deducitur stabilitis aurea principiis, vel connexa prorsus dir consectaria, quæ in eundem conveniunt errorem; Nam si omnis qui vitam Dei filio dignam non ducit, Deum cessat habere pro Patre, quid mirum, si ad generalem redigatur, impoenitentiam omnis laboris pii, orationis &c. ? Si nulla, à Deo propter Christum, & per Christum defluat in eum gratia efficax, nihilque boni agere possit, & Judæi instar sub lege fit?

CAPUT III.

Occurritur objectionibus depromptis ex Scriptura Sacra. à Col.527. ad 534.

Verum quidem est, quod peccatores suis criminibus redditi filii & membra Diaboli, desinunt esse filii adoptionis divinæ, hæredes Dei, cohæredes Christi, eique velut capiti sanctificante gratiâ uniti; sed non propterea cessant habere Deum pro Patre, ut Creatorem scilicet ad cujus imaginem & similitudinem conditi sunt, neque cessant Dei gubernationi subjici, aut pertinere ad illam benignissimi Patris voluntatem seriam, salvandi omnes & singulos homines, etiam peccatores, modò ipsi pervicaciter non obsisterint. Ruit itaque adversariorum objectio petita ex Scripturis, ubi Judæis dictum est *vos ex Patre Diabolo estis*, ex Diabolo enim sunt peccatores *non nascendo* [ut optimè distinguit Augustinus] *sed imitando*.

CAPUT IV.

Nullus è Patribus doctrina nobis opposita suffragatur. à Col.534. ad 546.

Augustinus, Gregorius Nyssenus, Cyprianus, & quilibet alius ex Patribus, quorum sententias nobis hic pro damnato articulo objiciunt Adversarii, negant *Patris* appellationem Deo, intuitu impiorum, illam accipiendo in strictiore significatione, videlicet *adoptionis*, qua ratione nos etiam Patris titulum Deo, intuitu eorumdem minimè tribuimus; sed hinc non sequitur destrui cæteros, Creationis, scilicet, gubernationis, Redemptio-

personis titulis, quibus Deus omni homini, etiam reprobo, & dilectione vacuo Pater est, ut pluribus constat Scripturarum testimoniis, parabolâ præsertim de filio prodigo, qui Patris nomine, quem graviter offenderat, & a quo nondum reconciliationis beneficium erat consecutus, compellare non dubitavit, luculentis præterea catechismi tridentini textibus utriusque sensu Ecclesiæ idem declaratur, nullo hactenus Catholico refragante.

SEPTUAGESIMA OCTAVA PROPOSITIO DAMNATA.

Separatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundùm Euangelium, quàm non credendo Euangelio. *Observ. Mor. Act.3. v.23.*

CAPUT I.

Propositio gravibus censuris digna convellitur. à Col.546. ad 552.

Separantur ab Ecclesia peccatores excommunicatione, Schismate, aut alienæ fidei professione: Quod autem à Dei populo non quolibet sejungantur delicto, etiam gravi & mortifero, pluribus Sacrarum literarum textibus demonstratur, Isaiæ præsertim cap.64. ubi populus Judaicus etiam dum sua peccata agnoscit, tamen vocat se populum Sanctum, Deumque patrem suum prædicat; & Matthæi 18. ubi Christus ipse nos docet, peccatores ab Ecclesiæ gremio ante excommunicationis sententiam minimè separari; Aliàs si quolibet peccato ista fieret separatio, solisque justis constaret Ecclesia, eo ipso eadem visibilis esse desineret, veri Ecclesiæ Pastores ab illegitimis non dignoscerentur, neque Prælati oves suas ab extraneis possent discernere; falsa enim & simulata justitia à vera non facilè dignosci potest.

CAPUT II.

Communis sententia contra damnatum Articulum confirmatur à S. Gregorio hom.18. à Col.552. ad 555.

Totum ac integrum retulimus D. Gregorii textum, quia egregiè vindicat contra adversarios veritatem, & efficaciter non minus quam disertè probat in Ecclesia Christi nec malos sinè bonis, nec bonos sinè malis esse posse.

CAPUT III.

Malæ causæ Patrocinium nullum est in Scriptura, Patribus, aut Bellarmino. à Col. 555. ad 565.

Anathema non infligitur ab Apostolo Corinth.16. omnibus qui non sunt in charitate, ut volunt adversarii; sed hæreticis qui, ut ait Angelicus, *non amant fidem Christi, & isti sunt excommunicati: Vel si quis usque ad finem mortis non perseverat in amore Domini nostri, in adventu erit separatus à beatis.*

Ad Augustini textum ex lib.1. de Baptismo nobis objectum, respondemus cum Bellarmino lib.3. de Ecclesia militante: *Quando Augustinus dicit malos non esse in Ecclesia, debere intelligi, non esse eo modo quo sunt boni, id est non esse ut membra corporis viva;* non esse utiliter & ad salutem. Cæterum ex pluribus ipsius Augustini textibus idem Bellarminus probavit, etiam *malos ad Ecclesiam* pertinere.

Ad ipsum Bellarminum lib.3. de Ecclesia, recurrunt adversarii; verùm solâ quam ipse tradit Ecclesiæ definitione ostenditur, quàm perperam eum interpretentur.

DIALOGUS.

Quesnellistam inter & Catholicum circa Propositiones Septem de Ecclesia. à Col.565. ad 583.

Ibi non solum multa adversariorum subterfugia refelluntur; sed etiam detegitur quibus gradibus Systema Quesnellianum peccatorem agat in desperationem & atheismum.

SEPTUAGESIMA NONA PROPOSITIO DAMNATA.

Utile & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere Spiritum, pietatem, & mysteria S. Scripturæ. *Obser. Mor. 1. Cor.14. v.5.*

CAPUT I.

Error subvertitur ratione multiplici, & Patrum authoritate. à Col.584. ad 591.

Duobus annorum millibus, absque Sacris Divini Verbi codicibus mundus in Dei obsequio, & cultu persistit. A Moyse usque ad Christum fuere quidem Scripturæ Sacræ; sed penès solos Judæos, si eas excipias quas LXX. Seniores annis ante Christi natalem fermè trecentis græco Sermone donarunt. *Fuisse Ecclesiam à Christi adventu annos multos sinè Scripturis*, habetur à Bellarmino lib.4. de Verbo Dei non Scripto; Irenæi etiam tempore, fuisse gentes aliquas Christi fide imbutas, quæ absque ullis Scripturis Christianè & piè viverent, ipse testatur lib.3. c.4.

Non igitur necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studium Scripturarum; Quod de contentis ibi mysteriis præcipuè est asserendum; *neque enim*, ut ait Basilius, *omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur.*

Ad rectam Scripturarum intelligentiam [juxta Augustinum] *opus est cognitione troporum & metephorarum, cujus defectu, quo laborare solet imperitum vulgus, proximum lapsus est in errores & hæreses*, ut plurimis hic probatur exemplis.

CAPUT II.

Damnata Propositio contraria statutis Romanorum Pontificum, Conciliorum, & Antistitum, præcipuè Gallorum. à Col.591. ad 597.

Non posse Scripturarum studium omni hominum generi familiare esse, nisi in vulgaria illæ universorum Idiomata transferantur, perspicuum est; nemo enim omnes Latinum calleat, Græcum, aut Hebraicum: Promiscuas autem istiusmodi versiones vernaculas & lectiones pridem displicuisse Romanis Pontificibus, ex Innocentii III., Gregorii VII., Pii IV. cujus approbatione edita est *Indicis* Regula quarta, Clementis VIII. & aliorum declarationibus habemus compertum.

In eandem de non permittenda omnibus Scripturarum

rum in linguis præsertim vulgaribus lectione, pridem ivere sententiam Concilium Tolosanum, Narbonense, Cameracense, Mechliniense, totusque Clerus Gallicanus in comitiis generalibus Lutetiæ Parisiorum anno 1661. congregatus, ut constat epistolâ ejusdem nomine data ad Alexandrum VII.

CAPUT III.

Joannes Gerson Academiæ Parisiensis olim Cancellarius, dein etiam facultas Theologica universa cum Supremo Galliæ Senatu damnata novitati opponuntur. à Col.597. ad 606.

Cum solis ferè Gallis aliquot hic nobis contentio est, quapropter Gallicanam potissimùm Novatoribus istis opponimus authoritatem. Joannes Gersonius cujus eximia in Galliis authoritas est, existimat quod in *grande sit præjudicium & scandalum Catholicæ veritatis*, à laicis haberi Biblia in linguam vulgarem translata, & abusum istum minimè tolerandum autumat. Idem censuit Sorbona anno 1527. dum adversùs aliquot Erasmi articulos censuram tulit triginta duobus titulis constantem.

CAPUT IV.

Articuli impugnatio confirmatur amplius argumentis & authoritate Petri Lizetii à Galliarum Præsulibus approbati. à Col.606. ad 611.

Dialogum *de Sacris libris in vulgare eloquium minimè vertendis* scripsit Petrus Lizetius, in quo temerariam vulgus editiones illas vernaculas lectitans curiositatis arguit, dicens cum Tertulliano *solis Christianis esse fidei tenere regulam, Regula autem fidei*, ut subjungit, *est ut jam hinc, quid credamus profiteamur*.

CAPUT V.

Altera à Clero Gallicano adversùs novitatem educta machina. à Col.611. ad 614.

Clerus Gallicanus anno 1661. ad sistendum quantùm potuit, hæreseos contagium versionibus Scripturarum gallicis, & promiscua earum lectione quotidie se diffundens, novâ luce donari voluit Spiritûs Roteri *de non vertenda Scriptura Sacra in vulgarem linguam, de que occidente litera & vivificante Spiritu* dissertationem, in cujus Epistola dedicatoria Author Regem alloquens deplorat *Scripturam Sacram, temerario carnalique plurimarum sensu & abusu conversam esse in unum chaos deliramentorum &c.* ipsumque rogat, ut eas versiones jubeat interdici, *quòd unitati fidei pacique publicæ officiant plurimum, ansamque carnalium, pravorumque sensuum inde arripiant imperiti.*

CAPUT VI.

à Col.614. ad 620.

Hic trium doctissimorum Cardinalium Roberti Bellarmini, Jacobi Perronii, Stanislai Hosii, contra Quesnelli novitatem referuntur sententiæ.

CAPUT VII.

De versionum vulgarium, & lectionis promiscua effectibus. à Col.620. ad 626.

Ingens hæreticorum numerus Hebræos inter, Græcos, Latinosque ingenio valentes minimè hebeti, in divini codicis lectione eam sensit caliginem, ut à veritate atque obedientia Ecclesiæ defecerit, licet idiomatia sui peritia videretur excellere; Quos igitur fructus ex Sacris literis vernaculè translatis capiet plebs rudis & imperita? non alios profectò, ait Poncetus, *nisi quales pomum ex arbore scientiæ boni & mali decerptum, & curiosiùs contra prohibitionem Numinis gustatum, primis attulit Parentibus.*

Præterea si Sacra Scriptura passim omnibus, laicis præsertim idiotis tradatur legenda, ejus procul dubio reverentia minuetur & æstimatio; & laicorum quilibet cum magno religionis periculo de Secretioribus fidei mysteriis audebit disputare, *fientque plebeii & ignari homines non Deo, sed Diabolo dociles* ut de Germanis olim ajebat Ambrosius Catharinus: *sed Diabolo dociles*.

CAPUT VIII.

Quo authore, & quo consilio, seu fine communiter suaderi videatur Scripturarum versio vernacula, & promiscua lectio. à Col.626 ad 629.

Spiritus Roterus *dissertatione de non vertenda scriptura sacra in linguam vulgarem* nos admonet, Sacrarum literarum versiones vulgares, non à bono sed maligno Spiritu se in Angelum lucis transformante fuisse suggestas, ut ipsarum in primis deprimatur authoritas & obnubiletur intelligentia, imperiti autem vulgaresque homines easdem lectitantes, de literâ satis, ut sibi videtur intellectâ sic extollantur, sicque suo adhæreant sensui pertinaciter, ut à veris Angelis lucis ubi aberraverint, vix possint in viam veritatis revocari.

CAPUT IX.

Depulsio argumentorum, quæ adversarii obtendunt ex Scripturis. à Col.629. ad 639.

Optat quidem Paulus, ut in Colossensibus *Verbum Christi habitet in omni sapientia*, ad docendum se & alios; verùm hic *perfectionis gradus magis pertinet ad gratias gratis datas*, qualis est peritia linguarum, etiam barbararum, prophetia &c. Neque est eam habentibus necessaria ad salutem, ad quam sufficit in gradu infimo; Sicut charitas & gratia habitualis minima hominem inhabitans, salvando ipsi sat est idonea.

Non itaque ab omnibus exigitur, ut doctores sint, ut ex Apostoli textu videntur velle deducere adversarii, dum ex ejusdem textibus perperàm intellectis inferunt tanquam *utile & necessarium*, omnes esse saltem sibi Scripturarum interpretes, etiam quoad difficillima intellectu mysteria.

Non majus Novatoribus est præsidium in Josue cap.1. Deuteronomii cap.3., aut Esdræ lib.2. cap.8. ibi enim ex facto penitùs singulari, inferunt more solito, velut legitimam consecutionem, dogma generale, & nullo prorsus limite circumscriptum.

CAPUT X.

Error frustrà implorat suffragia Sanctorum Patrum. à Col.639. ad 646.

Chrysostomum velut maximè fervidum ad lectionem Sacram hortatorem, Calvinistarum insistentes vestigiis nobis objiciunt adversarii, quibus cum Bellarmino respondemus, *verba Chrysostomi, quæ in concionibus proferebat, semper accipienda esse juxta mentem ipsius, & occasiones quibus ad ea dicenda adducebatur*. Neque enim commune vulgus ad divinorum monumentorum lectionem excitasset, si Sataniceas insidias ea in re latentes,

ut nunc plurimis exemplis, rerumque experimentis docemur, suo tempore cognovisset.

Quod de Chrysostomo, idem de Athanasio, aliisque dicendum.

CAPUT XI. & XII.

Refertur Quesnelli contra centum Galliæ Episcopos, atque ipsam Sedem Apostolicam Protestatio, & plena fraudibus convincitur. à Col.646. ad 664.

Si Quesnello *Protestanti* credimus, centum Galliarum Episcopi dati sunt in reprobum sensum, sive ut verbis ejus utar, *spiritui calumniæ traditi*, nam *ne umbra quidem eorum quæ Episcopi imputant, in meis observationibus continetur; sed propositiones quoad omnia contrariæ*. Verùm nihil adversario tribuunt Antistites, quod in damnatis ejus observationibus, juxta sensum obvium non contineatur; afferunt quidem, Sacras literas legendi necessitatem omnibus ibi à Quesnello fuisse impositam; quod non solùm præsens damnata propositio; sed alii plures etiam authoris indicant articuli, qui de ejus sensu perversissimo non sinunt dubitare: quid aliud enim significant dogmaticæ ejus ac illimitatæ locutiones. *Lectio S. Scripturæ est pro omnibus* Prop.80. *Obscuritas Sancta verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione* Prop.81. *Abripere è Christianorum manibus novum testamentum, seu eis clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare* Prop.84.

CAPUT XIII.

Protestantis dolosa hypocrisis amplius convincitur. à Col.665. ad 686.

Quod ait *Protestatio* non asseri in Articulo necessariam Sacrarum literarum lectionem; sed tantummodo studium & cognitionem, prorsus inane est, & ad excusandas excusationes in peccatis nequiter excogitatum; quisquis enim Ciceronianæ eloquentiæ studium sibi à Magistro intelligit inculcari, minimè dubitat quin sibi Ciceronis lectio commendetur vel etiam præcipiatur.

Collator cæteris Quesnelli desensoribus, atque ipso quodammodo Quesnello hic astutior, aliam adhibet cavillationem, dicendo *per vocem illam necessarium intelligendam esse, non necessitatem absolutam; sed moralem quamdam seu utilitatem longè maximam*; verùm hæc Collatoris explicatio ipsius est figmentum interpretis, non intentio authoris, aliàs ab ipso in tot undique accersitis cavillationibus non prætermittenda. Vocabuli quoque *Necessarium* proprietas, cum sequentium Articulorum præsertim 84. & 85. circumstantiâ *Collatoris* effugio aditum intercludit. Quis enim licitum duxerit *os Christi occludere, & filiis lucis interdicere*, vel eripere *usum luminis*?

OCTOGESIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus. *Observ. Mor. in Act.8. v.28.*

CAPUT I.

Error ostenditur contrarius rationi. à Col. 686. ad 692.

Habent Scripturæ Sacræ metaphoras, parabolas, & ænigmata in quibus perscrutandis viri doctissimi non parùm insudarunt, textus præterea habent innumeros, qui prima facie sibi ex diametro videntur oppositi, & quibus cum antiqui, tum recentiores hæretici, in suam aliorumque perniciem usi sunt. Hinc facilè apparet, an expediat [ut Quesnellus asserit] eas ab omnibus indifferenter legi.

CAPUT II.

Error convincitur authoritate & praxi Ecclesiæ, potissimum Gallicanæ. à Col.692. ad 698.

Cùm non omnes idioma calleant latinum, græcum, aut hebraicum, vulgaribus necessariò Sacrarum Scripturarum versionibus indigent ii qui cum Quesnello sentiunt lectionem S. Scripturæ esse pro omnibus. Verùm quam hujusmodi versiones sint Christianæ Reipublicæ damnosæ, ex Conciliorum canonibus, Universitatum, Sorbonæ præsertim statutis, atque Principum, magistratuumque decretis fit manifestum.

CAPUT III.

Respondetur objectionibus desumptis ex Scriptura Sacra. à Col.698. ad 703.

Reginæ Candacis Eunuchus legebat Isaiam Prophetam: Timotheus ab infantia noverat Scripturas: Quid inde? ergo *talis Scripturarum ars est*, quam omnes etiam rustici, levissimi ac penitùs inepti sibi *passim vendicare meritò valeant*? Eunuchus erat vir primarius & literatus; Timotheus Juvenis pius & bene educatus, neque tamen quaslibet noverat Scripturas; sed eas quæ ut ait Apostolus, ipsum poterant *instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu*.

Non plus præsidii adversariis est id, quod ex Apostolo intorquent, *quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam Scripta sunt*, nam eodem modo dici potest, quæcunque alimenta sunt in mundo ad nostrum usum condita sunt; Num ideo quilibet quolibet uti potest alimento?

Fatemur cum Apostolo Scripturas Sacras magnam fidelibus adferre consolationem, sed doctis quidem dum leguntur, indoctis autem dum à Concinnatoribus explicantur.

CAPUT IV.

Expenduntur objecta Patrum testimonia. à Col.703. ad 714.

Quòd Origenes Christianos optaverit *in domibus exerceri & meditari in lege*, nullius præsidii damnato articulo est, Origenes enim, ut de Chrysostomo ait Liarius, *de omnibus eidem aptis & convenientibus intelligi debet; ita ut non idiotas vulgaresque literarum expertes, ad eam, quæ ipsis haudquaquam conducibilis fuisset, lectionem inducere voluerit*; multo minus adversariis patrocinatur, quod ipse à puero Sacras evolvere Scripturas permissus fuerit à Leonide parente suo prudenti ac pio; nam non omnes eadem indole & ingenio ornati sunt.

Adde quod multiplex & gravissimus Origenis in dogmatibus lapsus argumentum potius contra adversarios conficit minimè leve. Si enim tantis naturæ & gratiæ donis præditus, tam exoticos ex Sacro Codice conceperit errores, quid rudis, ac imbecillis ingenii adolescentibus, & viris, quid malesanis mulierculis non metuendum?

Illud Clementis Alexandrini *Si non didicisti legere, non est quod de auditu te possis excusare* probat fideles interesse debere divini verbi explicationi, non autem tradendas omnibus esse divinas Scripturas, à quo maxime fuit alienus, ut ex ejus Lib.1. Stromat. colligitur.

CAPUT V.

Solvitur objectio de erepta per Constitutionem libertate. à Col.714. ad 721.

De erepta sibi Sacros legendi codices libertate queruntur adversarii, quasi verò potestas quidlibet agendi sit vera libertas, nec superiores subditis, aut filiis Parentes quidquam vetare possint, quin isti doleant de libertatis juribus violatis: Audiant Quesnellistæ D. Paulum, *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à Servo; sed sub tutoribus, & actoribus est.* Parvuli autem in Ecclesia sunt innumeri, Rudes, Mulieres, debiles in fide, Impii, quibus tutum non est Parentis testamentum, idest Scripturas divinas, reserare, cùm illud eisdem obsignatum voluerint tot Conciliorum, Episcoporum, atque Pontificum decreta.

Libertas Christianorum propria, ea est qua nos Christus donavit, dum servitute Diaboli, mortis æternæ, peccati, imo & legis veteris onere liberavit.

CAPUT VI.

Excusationes ab adversariis frustrà tentatæ adhibitæ antea à Chamiero Calvinista. à Col.721. ad 727.

Ut Chamieri ubique eadem assertio, & excusatio est, quæ Hexaplorum, eadem quoque probatio, & contra Orthodoxos Theologos calumnia, necnon gloriatio de *Patrum omnium patrocinio nemine eorum penitùs dissentiente, quoad sensum scilicet articuli obvium & connaturalem, quidquid sit de exotico & peregrino.* Nos verò superiùs ostendimus, iterumque affirmamus præsentes articuli sensum obvium meritò à Clemente XI. condemnari, nullaque veterum authoritate fulciri, reprobari à Sanctis communiter: eosdem quoque lectionem divini voluminis commendantes, de ea agere prout illis temporibus extabat Sacro idiomate, Latino, Græco, & Hebraico, in quo etiam hoc tempore lectio omnibus permittitur.

CAPUT VII.

Mantissa, sive Auctarium à Clero Galliæ approbatum. à Col.727. ad 742.

Sententiam Poncetii doctoris Sorbonici de Sacro volumine in linguam gallicam non vertendo jam pluribus rationibus vidimus comprobatam; non abs re tamen fore visum est, hic fusiùs referre rationem, quam desumpsit ex ordine quem in Ecclesia sua esse, ac servari voluit Christus Dominus, qui ut ait Apostolus Eph.4 *alios quidem dedit Pastores, & doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Hinc in Pastoribus munus & obligatio dicendi, in aliis autem necessitas, & obligatio discendi & audiendi.

At inquies, hæreticum non est aut per se malum Scripturas vulgari idiomate donare, aut legere: Esto quod per se & speculativè id sit indifferens; cùm experientiâ tamen constet, multa inde orta esse scandala meritò hoc vetatur ab Ecclesia, sicut olim multa etiam pia & sancta postea vetita sunt.

OCTOGESIMA PRIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Obscuritas Sancta Verbi Dei non est laicis ratio dispensandi seipsos ab ejus lectione. *Observ. Moral. in Act. cap.8. v.31.*

CAPUT I.

Impugnatio erroris quoad præceptum laicis, fictione impositum Janseniana. à Col. 742. ad 752.

Laicis hic à Quesnello non obscurè lex præscribitur legendi Sacrum Codicem; legem enim supponit necessitas dispensationis: hanc olim soli admisere legem Lutherani aut Calvinistæ, quotquot autem vixere Patres, Doctores, Episcopi, maximè qui regulas secuti sunt Indicis Tridentini, eandem ignoraverunt. Neque dicas in Gallia Tridentini regulas minimè fuisse receptas, approbante enim Clero Gallicano, earum authoritate usa est Facultas Sorbonica in condemnatione Renati Benedicti, qui Sacra Biblia gallicè verterat.

CAPUT II.

An Divini Codicis obscuritas nequeat esse laicis ratio sufficiens, ut multi ab ejus abstineant lectione. à Col.752. ad 762.

Obscuritas sive difficultas intelligendi divina volumina, & comparatio Apostoli de non porrigendo cibo solido infantibus, pridem Sorbonicam Theologorum movit facultatem, ad feriendum hunc tertium Erasmi articulum: *Me authore Sacros libros leget agricola, leget faber, leget latomus*; hujus vestigiis cum Quesnellus inhæreat, meritò eâdem notatur censura.

CAPUT III.

Satisfit argumentis quæ opponuntur ex Scriptura. à Col.762. ad 767.

Remittunt nos adversarii ad illud Psalmi 118. v.2. *Beati qui scrutantur testimonia ejus*, perinde ac necessarium esset ad beatitudinem consequendam, legere & Scrutari omnes Scripturas; quæ autem sint illa Dei testimonia quorum à Davide scrutatio, seu custodia suadetur, ex ejusdem Psalmistæ verbis intelligimus, Dei scilicet præcepta, hortationes & consilia: non verò obscura quæque mysteria, ut contendit Quesnellus.

Victoriam sibi Collator non minus inaniter spondet ex illo Petri Epist.2. c.1. *Habemus firmiorem propheticum Sermonem, cui bene facitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Optimè quidem faciunt homines, dum Christi doctrinam Prophetarum oraculis audiunt confirmatam; sed sunt in Ecclesia qui eam doceant; Imò quia obscura est, & lucet in *caliginoso loco*, opus habent fideles Magistro, qui ipsorum oculis lucem illam debilem atque malignam attemperent, & medias inter tenebras, incertos dirigant gressus.

CAPUT IV.

Sancti Patres damnato Articulo minimè suffragantur. à Col.767. ad 782.

Clementi XI. insultat *Collator* ei objiciendo S. Clementem Romanum, qui ut ipse ait, *Corinthios atque adeò cujusvis generis plebejos homines hortatur, Scripturas ut diligenter legant, ipsasque Pauli epistolas in manus sumant.* Cùm nulla inter Clementem primum & undecimum sit sententiarum oppositio, fidem adhibemus utrique: Clemens primus hortatur, non præcipit, quemadmodum damnato articulo præceptum fingitur, quod dispensatione egeat; si tamen ratio ulla novatoribus videatur ad dispensationem sufficiens.

Quod autem Clementis primi adhortatio non extendatur ad *indoctos*, & *instabiles*, videtur manifestum,

tum,

rum, quia S. Petrus epistolas Pauli ab iisdem temerè legi conqueritur, *& ad suam ipsorum perditionem depravari*; tùm quia Græcos sermo, quo tunc conscriptum erat vetus testamentum, indocto vulgo, ut asserit Lindanus, neutiquam communis erat; sed viris literatis peculiaris.

Ad objectionem desumptam ex Origene lib.7. contra Celsum: dicimus neminem etiam hoc tempore prohibere, ne ii qui populum Sacris lectionibus & concionibus edocent, quasdam divini codicis Sententias ad mores potissimùm & fidem necessariam pertinentes, verbis vernaculis exponant; imò istud à Pastoribus exigit Ecclesia; Hoc tantùm negamus quod indè inferunt adversarii; versiones scilicet Scripturarum vernaculas ad usum quarumlibet gentium tum fuisse familiares.

OCTOGESIMA SECUNDA PROPOSITIO DAMNATA.

Dies Dominicus à Christianis debet Sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum: Damnosum est, velle Christianum ab hac lectione retrahere. *Obser. Moral. in Act. Apost. cap.15. v.21.*

CAPUT I.

Regula quarta *Indicis* denegans absolutionis beneficium iis qui Biblia vulgari idiomate conscripta legunt ac retinent, non acceptâ à Superioribus facultate, definit indubiè lectionem istam atque retentionem illegitimam, esse peccatum mortiferum. Verùm præsens indefinitus Quesnelli articulus ad omnes etiam pueros rationis compotes se extendens eadem legere ac retinere jubet, ut Diem Dominicum modo debito possint sanctificare. Sacrilegos itaque in nova Secta esse oportet imperitos Sacri idiomatis universos, qui Sacramenti alicujus die Dominico participes esse voluerint; non enim à novis animorum directoribus approbatur, aut permittitur petitio facultatis.

Temeritatis cumulum auget & damnationis reatum, quæ in fine articuli additur calumnia adversùs Ecclesiæ Præpositos, ejusdem Regulæ quartæ observantiam exigentes; quasi damnum animis intulerint, versiones Scripturarum vernaculas, earumque usum promiscuum prohibendo.

CAPUT II.

Digressio.

Cum novi Theologi Fideles arceant à perceptione Sacramentorum Confessionis & Communionis, ut ex Arnaldi, Quesnelli, & Saneyrani textibus fit manifestum; huic piæ & fructuosissimæ occupationi aliam ab Ecclesia respectu plurium damnatam ipsis visum est substituere, lectionem scilicet Scripturarum.

CAPUT III.

Vult Collator ut benignè interpretemur illud Quesnelli verbum *debet*, ita ut utile & conveniens significet; hanc Quesnello indulgentiam negant omnes fermè Gallicanum Episcopi, duce Summo Pontifice: neque id illi concedunt, quod libro ubique pio & catholico, qualis est catechismus Romanus, concedi solet, quia mens adversarii aliunde satis patet.

CAPUT IV.

Actorum Cap.13. habetur quod per omne Sabbatum voces Prophetarum omni populo legerentur: non autem quod libri Sacri essent in omnium manibus: constat enim Sacerdotes & levitas solos fuisse illos asservare, & certis diebus legere populo. Quod etiam fit hodiè, nempe post lectionem Evangelii Parochus audiente populo explicat quæ ad fidem & mores faciunt.

CAPUT V.

Solis, qui dicitur, die, omnium [inquit Justinus Martyr] *qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit: & commentaria Apostolorum, aut Scripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur*. Simile est Tertulliani testimonium; nihil novitati tamen ponderis additur, nihil apostolicæ detrahitur censuræ, sua enim utrique textui stat veritas; etsi promiscuæ plebi Sacra lectio non committatur; minùs etiam fingatur debita. Satis ad populi pietatem, institutionemque conferre potuit, ut solet etiam hoc tempore, lectio, & explicatio Sacerdotum Doctorumque coram multitudine populi auscultantis. *Homo Fide, Spe, & Charitate subnixus non indiget Scripturis*, inquit Augustinus, *nisi ad alios instruendos. Multi per hæc tria, etiam in solitudine sine codicibus vivunt.*

Minimè vocamus in dubium, quin plurima Sanctorum exempla sint, qui mirificos ex Sacri codicis lectione fructus, robur, & arma contra Dæmones invictissima sibi compararint; Verùm & volumina densa implerentur funestis casibus plurimorum, quos malesana curiositas scrutandi mysteria Scripturarum, in errorem impium, & Hæreticum egit præcipites.

CAPUT VI.

Placet, & adoptatione digna videtur, Spiritùs Roteri declaratio, qui quemquam idoneum à Sacræ Scripturæ lectione avertere, minimè intendit; sed eos tantummodo quibus, ut ratione & experientia est manifestum, nuda litera absque declaratione Catholicorum interpretum, non solùm non prodesset, sed potius officeret plurimùm.

OCTO-

OCTOGESIMA TERTIA PROPOSITIO DAMNATA.

Est illusio sibi persuadere, quòd notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione Sacrorum librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex Superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses. *Obser. Moral. in Joann. 4. vers. 26.*

CAPUT I.

Propositionis pars prima gravibus digna censuris convincitur. à Col. 817. ad 827.

Gemin as Propositio complectitur partes à veritate aberrantes; prior tamen gravioribus est obnoxia censuris, utpotè asserens necessariam esse fœminis divini codicis lectionem, nec tantummodo quoad partes aliquas faciliores; sed etiam abditissima quæque Religionis *mysteria* continentes.

Cùm verò superiùs evidens fuerit non esse *necessarium omni personarum generi studere & cognoscere mysteria Scripturæ sacræ*, satis est hic Quesnellum Pelagii, cujus se hostem alias implacabilem profitetur, ostendere sectatorem; contra hæreticum hunc scribens Hieronymus, sic ei ridendo exprobrat: *Verùm tu tantæ es liberalitatis, ut favorem tibi apud Amazonas tuas concilies, ut in alio loco scripseris, scientiam legis etiam fœminas habere debere, cùm Apostolus doceat, esse tacendum mulieribus in Ecclesia, & si quid ignorant, domi viros suos debere consulere.*

CAPUT II.

Pars posterior damnatæ propositionis expenditur. à Col. 827. ad 838.

Fœminis, ut tenerioris sunt ingenii, maximè metuendum est à lectione promiscua divini codicis, & quidem vernacula; ubi enim semel errorem conceperint, nihil est in eo mordicus retinendo pertinacius, nihil fortius in persuadendo; harum proinde suppetias semper imploravere pravorum dogmatum authores, quarum subsidio pleræque hæreses, ut notat Hieronymus, fuerunt stabilitæ, atque propagatæ. Licèt igitur posterior hæc pars historica ad fidei dogmata non pertineat, silentio minimè fuit prætereunda, ut à Christi Vicario sapientissimè condemnata.

CAPUT III.

Damnato Errori Scriptura Sacra nullibi suffragatur. à Col. 838. ad 841.

Joannes cap. 4. Dei Filium exhibet Samaritanæ fœminæ revelantem præcipuum christianæ religionis mysterium; hinc Quesnellus suam deducit assertionem, imò ad eam Christus ipsum, ut ait, *induxit*, ac *determinat*. Verùm cùm Servatorem Euangelista vivæ vocis præconio, non autem scripti voluminis lectione exhibeat revelantem, Sacræ historiæ magis est consentaneum, si inde inferas, fœminis sufficere prædicationem.

Alter divini Codicis locus à *Collatore* objicitur ex lib. 2. Esdræ cap. 8. v. 2. & 3. qui fide tamen pessimâ reticet ejusdem capitis versum quintum, & nonum quibus prælens articulus convellitur manifestè.

CAPUT IV.

Neque traditio Patrum damnato Articulo patrocinatur. à Col. 841. ad 854.

Præcipuum adversarii novitatis suæ præsidium collocant in S. Hieronymo, qui mulieres aliquas docuit & induxit, ut Sacras legerent Scripturas, nempe Marcellam, Paulam, Eustochium, aliasque; sed prompta ex Ambrosio Catharino habetur ad eam objectionem responsio; illæ enim mulieres nobilissimæ, inquit, *jam erant linguis eruditæ quibus minimè opus erat hujusmodi versionibus; erant & separatæ à mundo & dicatæ Deo, & jam veram humilitatem didicerant, promptissimæ captivare intellectum in obsequium fidei.... Dent autem isti nobis Marcellas, Paulas, Eustochia, & nos libenter illis dabimus lectionem, & meditationem Scripturarum.*

Non in solo Hieronymo sistunt adversarii: proferunt etiam Gregorium Nyssenum, Augustinum, Ambrosium, ac tandem Concilium Aquisgranense. Vide solutionem argumentorum quæ ex eorum textibus conficiuntur; interim tamen memineris, ineptissimum disputandi genus esse [ut observant omnes Polemici Scriptores,] ex iis quæ olim permisit, suasit, imo præcepit Ecclesia, argumentum deducere veluti necessarium ad tempora quævis etiam ubi circumstantiæ & dispositiones fuerint longè dispares. Suaderi olim poterat divina lectio viris etiam vulgaribus, & fœminis: quia penès paucissimos erat ea temeritas divinis eloquiis abutendi, quæ modò frequentissima est.

OCTOGESIMA QUARTA PROPOSITIO DAMNATA.

Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum, seu illis illud clausum tenêre, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare. *Observ. Mor. in Matth. cap. 5. v. 2.*

CAPUT I.

Propositio censuris gravibus digna ostenditur. à Col. 854. ad 857.

Quesnellus præsenti articulo, ut pluribus aliis animum suum prodit Schismaticum, semperque intentum avertendis à Summo Pastore gregibus, suæque stabiliendæ malignantium Ecclesiæ; ibi enim Romanum Pontificem, eique adhærentes Episcopos velut antichristianos depingit, qui os Salvatoris fidelibus obstruant, quo obstructo, nulla miseris mortalibus expectanda est salus.

Non levi eodem articulo Apostolis & Euangelistis impingitur calumnia, quando differendo annis pluribus Scriptionem Sacram, Verbum Christi tamdiu subtraxerint omnibus, os Christi saluti ferum obturando. Instauratur præterea sententia Lutheri, Calvini & recentiorum istiusmodi hæreticorum, ab omnibus catholicis damnata, solam videlicet Scripturam, non autem Traditionem esse Verbum Dei.

CAPUT II.

Frivola Propositionis defensio repellitur. à Col. 857. ad 862.

Quamvis Sacræ paginæ, potissimùm novi fœderis descripta in se contineant Dei & Christi eloquia, at-

que

quae hac ratione metaphorica dici valeant *Os Christi*; nihilominus ut aliis modis plurimis Servator homini loquitur, ita os ejus non solis restringitur Scripturis; sed ad innumera se extendit ejus opera, quibus voluntatem & attributa sua mortalibus patefaciat.

Multiplicem hunc divinæ locutionis modum breviter ac dilucidè deducit *Collectio* Gallica *documentorum pertinentium ad Constitutionem* &c.

OCTOGESIMA QUINTA PROPOSITIO DAMNATA.

Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis. *Obser. Mor. in Luc.* 11. *vers.* 33.

CAPUT I.

Erroris absurdi convictio. à Col. 862. *ad* 870.

Scripturæ Sacræ absentiam, divini omnis luminis esse privationem, præsens asserit Quesnelli articulus, ex hoc maximè detestabilis, quod quemlibet carentem Sacro Codice, aut non legentem, statuat omni penitus usu luminis destitutum, atque ita nihil boni salutiferi operantem, nihil volentem pertinens ad justitiam. Cuicunque scilicet erepta fuerit lucerna una, si ei substituatur altera, non dicetur simpliciter & absolutè prohiberi usus luminis.

Divinus Salvator qui, testante Apostolo Joanne, est *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Magos vocavit, eosque sinè voce & literis erudivit, tacitusque in ipso Matris utero suum illuminavit Præcursorem, nec ullus evenit casus, in quo qualiscunque jactura luminis quæ homini privato & Latini idiomatis ignaro, ex omissione lectionis sacræ oritur, compensari nequeat libris asceticis, & frequentium auditu concionum, piique consilio directoris.

Eadem propositio manifestè schismati viam sternit, hæreticorum adversùs Apostolicam Sedem, ipsamque Ecclesiam Romanam calumnias confirmans. Quasi illa homines ab usu divini luminis, atque adeo à vera justitia, & beatitudine avertat. Verùm si ad superni usum luminis necessaria est Scripturæ Sacræ, præsertim Evangelii lectio, evidens fit usum illum non in omnium esse potestate, non enim in potestate relinquitur ignorantium literas, & innumerabilium è barbaris conversorum ad Ecclesiam, plurimorumque è Catholicis quibus comparandi sibi Sacrum Codicem paupertas denegat facultatem.

CAPUT II.

Satisfit argumentis oppositis ex Scriptura Sacra. à Col. 870. *ad* 873.

Quemadmodum Moyses edoctus à Domino Sacrum Codicem in abscondito & quasi sub modio, minimè posuit, quia non omni populo legendum tradidit; ita neque Supremus Christi Vicarius dum jubet eum in divinis officiis legi publicè, & decantari à Ministris, in Scholis à Doctoribus, in concionibus à Pastoribus, aliisque divini Verbi præconibus, ratione dilucida, ac facili ad intelligentiam exponi ac declarari, non autem tradit idiotis pro libitu terendum manibus. Ruunt itaque adversarii argumenta ex Luc. cap. 11., Psalm. 118., & Epist. 2. S. Petri cap. 1. desumpta.

CAPUT III.

Diluuntur argumenta desumpta ex SS. Patribus. à Col. 873. *ad* 884.

Augustini & Irenæi Sententiæ, quæ pro damnato articulo proferuntur, similes sunt illi quæ ab hæreticis adducitur ex Chrysostomo, eâdem proinde utimur explicatione qua lib. 2. de Verbo Dei usus est Bellarminus ad locum Chrysostomi. *Hortabatur* [inquit] *omnes ad lectionem Scripturarum, non quod vellet omnes omnino etiam rudissimos id facere; sed ut saltem id facerent, qui cum fructu poterant, sciebat enim se cum iis agere, qui talibus amplificationibus indigerent.*

OCTOGESIMA SEXTA PROPOSITIO DAMNATA.

Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ & intentioni Dei. *Observ. Moral. in* 1. *Cor.* 14. *v.* 16.

CAPUT I.

Sensus Propositionis varius exhibetur: magis obvius ostenditur meritò condemnatus. à Col. 884. *ad* 890.

Enuntiatio Quesnelli sensu rigido, qui apparet obvius, ita intelligitur ut *eripere simplici populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ*, sive in Ecclesiastico officio, sive in Missa, *sit usus contrarius praxi Apostolicæ & intentioni Dei*; digna proinde anathemate quòd usum à Gallicano diversum, quem reliqua Christi ubique gentium sequitur Ecclesia, proscindat publicè velut praxi Apostolicæ, & Dei intentioni contrarium.

CAPUT II.

Impugnatur secundus Propositionis sensus. à Col. 890. *ad* 898.

Centum galliæ Episcopi, ita propositionem intelligunt, ut *Divini Officii celebrationem, postulet fieri in idiomate vulgari, aut recitationem communi clara voce*, utque consuetudinem oppositam rejiciat, veluti *praxi Apostolicæ, & Dei intentioni contrariam*. Verùm Apostoli praxim, qualis in Romana Ecclesia passim hoc tempore observatur, suo ipsi opere comprobarunt; Nam cum possent, utpote dono linguarum præditi, novum scribere testamentum linguis earum regionum, quas doctrinâ excolendas evangelicâ nacti erant; græcè tamen solùm hebraicè, & latinè conscripsere.

Exemplo pariter Christi Domini præsens praxis Ecclesiæ confirmatur, si enim divini celebratio officii vulgari idiomate esset, ut à Quesnello statuitur necessaria, Ecclesiam suam in tanti momenti errore minimè reliquisset, neque in Summi celebratione sacrificii quod in altari crucis Deo pro totius mundi salute obtulit, voces *Eli Eli lamma sabacthani*, non modo non à Romanis, sed nè à Judæis quidem intellectas emisisset.

Traditio nostra etiam à tempore Apostolos subsecuto, confirmari potest plurimis Sanctorum Patrum testimoniis, quibus partes aliquæ ex Missa & Divinis Officiis referuntur iisdem verbis, quibus hodie in Missa, & officiis utimur.

CAPUT III.

Ad utilitatem populi non est necessaria ipsi intelligentia, potissimum distincta orationis publicæ, quæ pro ipso fit in Divinis officiis. à Col.898. ad 904.

Calvini dogma necessitatem illam adstruens, omnes semper Catholici, velut erroneum detestati sunt. Subruitur autem ex Testamento tum vetere, tum novo; Levitici præsertim cap.16. ubi habetur, quod ingrediente Pontifice Sancta Sanctorum, ut pro se, & universo Israel precaretur Dominum, nemini manere in Tabernaculo licuit, ita ut neque videret Populus, neque audiret quid intus à Pontifice ageretur. Sciebat solummodo generatim Pontificem orare pro omnibus, cui pia vota sua & preces jungebant singuli; quod ad inflammandam pietatem sufficit fructusque ex Ecclesiæ precibus consequendos, ut gemina similitudine aptissima serpentium & medicinæ probatur ab Origene hom.20. in Josue.

CAPUT IV.

Tertius Propositionis sensus de Canone alta voce pronuntiando subvertitur. à Col.905. ad 914.

Si proscripto Quesnelli dogmate asseritur, quod asseri suspicantur centum Galliæ Episcopi, consuetudinem Ecclesiæ legendi Missæ Canonem in Silentio, *esse contrariam intentioni Dei*, evidens est Quesnellum feriri anathemate Tridentini Concilii lato Sess.22. can.9. *Si quis dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse anathema sit.*

Præcipua religionis mysteria, vulgi auribus non esse committenda, ratione, plurimisque SS. Scripturarum documentis fit manifestum; quod autem in Canone peragitur consecrationis mysterium, esse inter mysteria augustissimum atque Sanctissimum à Catholicis agnoscitur, ideoque si aliquod vulgi auribus non sit ingerendum, illud indubiè est.

CAPUT V.

Convellitur Quartus Propositionis sensus de vertenda Missæ formula in linguam vernaculam, & à populo promiscuè legenda tempore Sacrificii. à Col.914. ad 925.

Delata Romam Missalis versio vernacula, præmissâ debitâ deliberatione, damnationis sententiam subiit, ut ab Alexandro VII. petierant Episcopi Parisiis congregati epistolâ non minus forti & solida contra novitatem, quàm erga Summum Christi Vicarium submissâ.

CAPUT VI.

Judicia Sorbonæ contra versionem Gallicam Missalis Romani, Sacræ Scripturæ, Ritualium, atque Officii Divini. à Col.926. ad 931.

Quamvis in quamcunque linguam vertantur Sacræ Literæ suapte natura Sanctæ sint & bonæ, perspectâ tamen hominum malitiâ, periculosæ ac perniciosæ sunt hujusmodi traductiones: quare in re ad salutem non necessaria, censet Sorbona, potius consulendum esse multorum profectui, ipsas interdicendo, quàm paucorum utilitati eas permittendo cum gravi multitudinis incommodo.

CAPUT VII.

Animadversiones in argumenta utroque Superiore capite exhibita. à Col.931. ad 935.

Ex deliberationibus Cleri Gallicani, ejusque tùm epistolis ad Alexandrum VII. & absentes à Comitiis Episcopos, tum directis ad Regem precibus, pro obtinenda Decreti sui in omnibus Regni provinciis executione, manifestum est Missalis Romani versionem anathema subiisse, non propter translationis vitium; sed abusum, si ejus lectio omnibus permittatur.

CAPUT VIII.

Depulsio objectionis præcipuæ. à Col. 935. ad 942.

Conveniunt omnes Quesnelli vindices in hoc nobis intorquendo Apostoli textu: *Qui loquitur lingua, oret ut interpretetur, nam si orem* (lingua peregrinâ) *Spiritus meus orat, mens autem mea sinè fructu est.* &c. Ea tamen sententia adversariis minimè patrocinatur; nam juxta Bellarminum, Apostolus hoc loco non agit *de Divinis Officiis, nec de publica Scripturarum lectione; sed de canticis spiritualibus quæ Christiani componebant ad laudandum Deum, & gratias ei agendas.*

Ex eo autem quod vellet Apostolus ut ista cantica fierent lingua vulgari, non sequitur eum voluisse, ut divina etiam officia eodem celebrarentur modo; fiebant enim *divina officia lingua græca, quam multi de populo intelligebant, etsi non omnes: & hoc satis erat; non enim volebat Apostolus ut omnes possent respondere.*

CAPUT IX.

Dissolvuntur argumenta adversariorum reliqua. à Col.942. ad 946.

Plures hìc SS. Patrum objiciuntur sententiæ, quas plurimum veneramur; sed nullum hinc tamen adversariis præsidium est juxta Cardinalis Hosii observationem, in Dialogo exemplis pluribus confirmatam. *Non statim oportet talia in exemplum trahi* inquit idem Tridentini Concilii Præses. Et iterum paulò inferiùs, *quæ pertinent ad ritus, quando res ita postulat, citra tumultum Ecclesiæ mutare, nunquam est nefas habitum; fieri namque potest, ut quod expediebat illo tempore, non expediat hoc.*

CAPUT X.

Dejicitur fraudulenta Collatoris observatio. à Col.946. ad 955.

De jungenda voce populi & ministrorum in divinis decantandis laudibus; Si Collatori credimus, *unicè agit Author*, Quesnellus, à cantus idiomate præscindens, proindè cum latinè canitur ut usus obtinet, liceat eidem populo eâdem linguâ concinere, modo saltem eorum quæ cantantur notitia sive per explicationes, sive per fideles versiones eidem populo procuretur.

Verùm si Quesnellus aliud non voluit, cur restrictionis istiusmodi nullum fecit indicium, cur ejus vindices in Apologiis proferunt textus manifestè agentes de Sacrificio, præsertim sententiam Tridentini Concilii quæ tota est de Missa ejusque mysteriis? Cur Missale Romanum gallicè versum promiscuè obtrudunt? fallax Collatoris observatio est, & ad declinandum anathema minimè sufficit; etenim sive verba Quesnelli illimitata consideres, sive circumstantias authoris, eumque vindicantium apologias, evidens est eum, non solummodo

do

do de laudum canticis agere; sed etiam de tota Missæ formula à plebeis viris ac mulieribus cum celebrante presbytero pronuntianda.

OCTOGESIMA SEPTIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Modus plenus Sapientiâ, lumine, & charitate, est dare animabus tempus portandi eum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi Spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur. *Obser. Mor. act.6. v.9.*

CAPUT I.

Propositionis iniquitas compendio exhibetur. à Col.956. ad 963.

Hæc dogmatica Quesnelli Propositio cùm regulam statuat universali similem, à veritatis tramite maximè aberrat, utpote resuscitans decimam septimam inter 31. ab Alexandro VIII. profligatas; plurimamque animis affert perniciem, præsertim attritis tantùm, docente Augustino Epist.180. ad Honoratum, plurimas perire defectu Sacramenti qui ejus subsidia ad superos evolassent: sed demus adversariis, ut hujusmodi attriti supervivant usque ad absolutionem, eorum tamen opera cùm sinè charitate fiant, juxta Angelicum *non sunt satisfactoria*.

Dices cum authore Specim. moral: *vel peccator efficaciter intendit converti, vel non*. Intendit & efficaciter quidem sed sola hactenus attritione pœnitens; quâ ad absolutionem disponitur, absque eâ minimè salvandus.

CAPUT II.

De mora, quam Quesnellus exigit pro acquirendo Spiritu pœnitentiæ ante reconciliationem. à Col.963. ad 969.

Nè præscripta pœnitentibus dilatio gravis accidat, tempus ejusdem quousque sit protrahendum minimè aperit Quesnellus, sed Confessariis solùm suæ conscilis intentionis committit id opere exequendum; his verò non sufficiunt contritionis indicia, etiam non levia, in pœnitentiæ tribunali exhibita, requirunt præterea opera extra illud non pauca, & tempore exercita non exiguo, interimque blandioribus verbis Indificantur miseros, quorum plurimi dilatæ absolutionis tempore, morte subita oppressi, cum *modo isto pleno Sapientiæ* ad inferos demerguntur.

CAPUT III.

De Contritionis, & Pœnitentiæ spiritu petendo ante reconciliationem, à Col. 969. ad 974.

Ad omnes actus ut innoxii sint, requirit adversarius charitatem; deinde articulo 28. asserit primam gratiam esse peccatorum remissionem. Quomodo igitur opus est tempore non exiguo suspendere reconciliationem? Si hæc cum prima gratia præstatur, imo ipsa prima gratia est, unico infunditur momento, nescit enim tarda molimina Spiritûs Sancti gratia. Spiritus itaque contritionis tamdiu juxta Quesnelli artiembum postulandus nequit is esse Spiritus seu gratia, quæ justificationi est prævia, neque is quo ipsa jam præbita; in prima gratia remissio peccatorum est, unde indeclinabilis dimanat consecutio, spiritum pœnitentiæ tanto tempore petendum non intelligi spiritum ad justificationem necessarium; sed solummodo ad justitiæ augmentum.

CAPUT IV.

Non sola Propositio 28. sed totum Quesnelli Systema reddit impossibilem peccatoribus diuturnam, quam postulat, dispositionem, antequam reconcilientur. à Col.975. ad 981.

En tibi lector catholice Quesnelliani Systematis de charitate compendium. Primo omne opus non prædictum bonitate supernaturali, sive solis naturæ viribus exercitum, peccatum est. Secundo nullum est opus bonum, supernaturale potissimum, nisi amor Dei, vel actus ex illo profluens. Tertio Nullus est amor Dei bonus, & homine Christiano dignus nisi charitas. Quarto Omnis charitas justificat.

Ex quatuor istis doctrinæ Quesnellianæ capitibus, colligitur evidenter, actionem quamlibet innocuam, vel justificantem esse, vel hominis justificati. Quo supposito nemo sani judicii asseret, novatores istiusmodi loqui seriò dum longam bonorum actuum requirunt seriem, velut absolutioni necessariò præmittendam.

CAPUT V.

De satisfactionis initio ante Reconciliationem in Quesnelli sententia requisito. à Col.981. ad 993.

Texenda fallaciæ, & eludendis Romani judicii censuris idoneum cogitavit Quesnellus illud *incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei*: quasi illo suo satisfactionis initio non requirat istiusmodi, quod per se & ante Sacerdotis ministerium gratiam obtineat sanctificantem verùm ex ejus principiis manifestè aperitur, eum non inferiore satisfactionis initio contentum esse, quàm justificante.

CAPUT VI.

Qualis potissimum satisfactio Novatoribus placeat. à Col.993. ad 1004.

Optimum videtur Arnaldo, pœnitentiæ, sive satisfactionis genus, *abstinentia ab Eucharistia*: Author *Speciminum Moralium* ei calculum suum adjicit, novisque Theologis placet, quod ut ajunt, ad ejus participationem mysterii, puritas quodammodo angelica, à pravis motibus, & operationibus phantasiæ libera, amor quoque purissimus requiratur.

Ex Concilio Tridentino, & ex Apostolo habemus quidem, magnam ad Sacramentum Eucharistiæ exigi reverentiam & Sanctitatem; non tamen necessariò eximiam, seu *amorem purissimum*; alias Homines non è vulgo solum fidelium; sed Religiosi quoque necesse erit à Sacramento Eucharistiæ avertantur in perpetuum; ut Arnaldi liber *de frequenti communione*, & alter ejusdem Sororis cui titulus *Corona Sanctissimi Sacramenti*, indicant eum animo intendisse.

CAPUT VII.

Fraus Articuli circa reconciliationem detegitur, & confutatur error. à Col. 1004. ad 1009.

Obvia reconciliationis intelligentia hoc tempore justificationem denotat peccatoris; Sententia tamen Quesnelli Sanctitatem præsupponere debet & de solac-

accipi justificati reconciliatione cum Ecclesia; Unde apparet nullam à Novatore in Sacerdotibus agnosci potestatem remittendi confitentibus peccata, nisi quæ ante absolutionem condonata fuerint pœnitentium dispositione. Quod est contra Christi verba, contra Ecclesiæ sensum, contra Tridentini definitiones.

An in ejusdem Quesnelli sententia absolutio saltem secundam conferat gratiam, minùs habemus exploratum: Sancyranus affirmat *verba absolutionis* non operari remissionem; sed tantummodo declarare.

CAPUT VIII.

Propositio Scripturis, earumque SS. interpretibus opposita. Fraus multiplex Novi Testamenti Gallici in Belgio Montibus editi. à Col. 1009. ad 1016.

Filio prodigo redeunti jubet Pater evangelicus proferri *citò stolam primam* nec eum remittit, ut pascendo porcos, diutius *portet cum humilitate, & sentiat statum peccati*. Vox *citò* utpote indicans reconciliationis accelerationem Montensi interpreti non placet, illamque ideo versione sua eliminavit.

Eidem pariter displicet quod Apocalypſ. cap. 3. inquit Dominus *ecce sto ad ostium & pulso &c.* quare præsenti tempori substituit futurum. *Faites penitence, car je serai bientost à la porte, & je frapperai*. Pluribus aliis Sacrarum literarum textibus quos hic videre est, nostra confirmatur sententia contra præsentis articuli novitatem.

CAPUT IX.

Error Conciliis, & Patrum Traditioni contrarius. à Col. 1016. ad 1022.

Ex Tridentino habemus absolutionem præviam satisfactioni, & peccatorum culpam cum pœna æterna remissam Sacramento pœnitentiæ ante satisfactionem, qua solùm pœna remittitur temporalis, post absolutionem residua. Hæc autem praxis non est à Tridentino primùm instituta; sed est, teste catechismo Romano, antiquissimus Ecclesiæ usus; ut hìc etiam Patrum authoritate comprobatur.

CAPUT X.

Catechismi & Scholastici Doctores refragantur novitati. à Col. 1022. ad 1028.

Satisfactio etiam minima justificationem præsupponit, ut ex Adriano VI., Joanne Leonæo doctore Lovaniensi, Bellarmino, Eckio, aliisque colligitur, *impossibile* namque est inquit Angelicus, *quòd aliquis Deo satisfaciat, nisi Deo placeat*. A novis igitur directoribus miserè deluduntur pœnitentes, quando his reconciliatio differtur, obtentu præmittendæ satisfactionis impossibilis.

CAPUT XI. & XII.

Centum Galliæ Antistites damnato Articulo adversantur, & contra reprehensores temerarios defenduntur. à Col. 1028. ad 1036.

Si Quesnellus non censeat ut Magister suus Arnaldus, communiter differendam esse absolutionem primâ vice peccatum lethiferum confitenti, præmittendamque absolutioni satisfactionem, edicat clarè, nec ea scribendi ratione utatur, ex qua centum Galliæ Episcopi, in ejus propositione regulam intelligant generalem, quæ adversante Tridentino Concilio, confundat pœnas velut medicamina præscriptas, & eas quæ ad satisfaciendum pertinent. Tunc ei Antistites gratulabuntur conversionem, nec errorem pristinum deinceps exprobrabunt.

CAPUT XIII.

Confertur Propositio Quesnelliana cum damnata olim in Petro d' Osma, & nova Adversarii contra Episcopos Galliæ insultatio reprimitur. à Col. 1036. ad 1042.

Propositio Petri d' Osma statuebat, prout in Apostolica Sixti IV. Constitutione exprimitur: *Non peracta pœnitentia confitentes absolvi non debere*. Unde vocum potius, quam sensuum est discrimen à Quesnelli articulo; nam *peracta pœnitentia*, quæ scilicet a Confessario imponitur, & de qua sola Petrus d' Osma loquutus esse convincitur, non est integra, quæ Dei justitiæ debetur satisfactio; sed minima ejus particula, initiumque levissimum.

CAPUT XIV.

Fraudulenta Propositionis excusatio rejicitur, & censura Apostolica amplius vindicatur. à Col. 1043. ad 1048.

Licèt vocem *universim* in sua propositione explicitè non apposuerit Quesnellus, non tamen à censurâ fuit immunis, ea enim ut Galliæ Episcopis visum est, & à nobis fuit demonstratum, in sensu obvio subauditur.

Lectorem non pigeat iterum iterumque notare Quesnelli nequitiam, circà illud *incipiant satisfacere justitiæ Dei*, juxta quod superiùs memorati Antistites asserunt Quesnelln sufficere, quod pars pœnitentiæ à Sacerdote impositæ peragatur ante reconciliationem. Nobis vero apparet dolus in eloquio, & ab authore istud non intelligi; sed potiùs quod non debeat integrè prius satisfieri divinæ justitiæ, cui nè totius quidem pœnitentiæ impletionem posse in rigore satisfacere indubitatum est. Hanc autem Quesnellianæ mentis intelligentiam non nisi attentis circumstantiis authoris, magistrorum ejus, atque sodalium asserimus.

CAPUT XV.

Eripitur novitati fundamentum temerè quæsitum in Scripturis. à Col. 1048. ad 1054.

Ex geminis Prophetarum sententiis, Ezechielis scilicet cap. 13. & Jeremiæ cap. 6. à *Collatore* objectis, nihil aliud colligere possumus, quàm quod dispositione necessaria carentibus, non sit impertienda absolutio; non autem quod dispositione illâ præditis sit deneganda neque alium in antiqui fœderis oraculis invenies locum, juxta quem pœnitentibus dilata fuerit, vel differenda cum Deo reconciliatio. Vix David confessus fuerat delictum dicens *peccavi Domino*, cum Nathan mox Dei nomine denuntiat: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris*.

Quod autem de Saulo dicitur cap. 9. act. *Et erat tribus diebus non videns; & non manducavit, neque bibit*, præsenti articulo minimè patrocinatur non enim Saulus illo triduo portavit & sensit statum peccati, sed dejectus in terram statim à Christo apparente conversus & justificatus fuit.

INDEX CAPITUM,

CAPUT XVI.

Frustrà confugiunt Adversarii ad Sanctos Patres. à Col.1054. ad 1058.

Nec S. Cyprianus, nec Clerus Romanus, nec Ambrosius Sanctus damnato favent articulo, in textibus enim à *Collatore* allegatis, agunt contra solos aut infamis libelli, vel thuris oblati crimine, ab Ecclesia rescissos, aut contra nonnullos qui *possent pœnitentiam* publicam, ut *statim sibi reddi communionem vellent*, repugnantibus Ecclesiæ Canonibus, qui communionem publicis pœnitentibus denegant. Vide eorum textus fideliter à nobis relatos, non autem mutilos ut ab Adversario referuntur.

CAPUT XVII.

Frustrà recurrunt Adversarii ad S. Carolum. à Col.1058. ad 1065.

Si quando S. Carolus monuit, absolutionem esse differendam, non fuit propter illimitatam Quesnelli regulam de dando animabus tempore portandi cum humilitate statum peccati, sed ut ipse ait, *ne confessionem in postremos illos quadragesimæ dies differant, quibus Sacerdotes ob mysteriorum celebritatem, assiduo divinorum occupatione abundantibus confessionibus impediuntur*. Vel dum confitentes probabilem confessario faciunt metum, quod se non eximent à peccato.

Cæterum plurimis ejusdem Sancti Sententiis præsens impugnatur damnatus articulus; audiatur ipse Ægidius solito suo candore sodales arguens: *Certum enim est multos esse casus particulares, in quibus absolutionem dari jubet aut permittit S. Carolus, in quibus nos eam dandam non putamus.*

CAPUT XVIII.

Damnati dogmatis origo, & præcipui Promotores. à Col.1065. ad 1071.

Inter Quesnelliani dogmatis progenitores, primum occupat locum Petrus d'Osma, cujus error cœpit resuscitari ab infami Apostata Marco Antonio de Dominis, hujus autem vestigiis insistere, minimè puduit Antonium Arnaldum, qui libentius tamen patitur sibi ducem attribui Joannem Vergerium Abbatem Sancyranum, quem D. Joannes de Jovaud [ut ejus jurejorando habemus confirmatum] audivit asserentem, *Contritionem perfectam ad pœnitentiæ Sacramentum esse necessariam, imperfectam, sive attritionem non sufficere. Ante absolutionem Sacramentalem præsuppoui remissionem peccatorum contritione impetratam: Absolutionem non esse nisi declarationem remissionis.* &c.

Non nihil etiam ex Michaëlis Baji damnatis propositionibus ad hunc Quesnelli articulum derivavit.

OCTOGESIMA OCTAVA PROPOSITIO DAMNATA.

Ignoramus, quid sit peccatum, & veram pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem. *Obser. Moral. Lucæ 17. v.1.*

CAPUT I.

Propositio impugnatur. à Col.1072. ad 1076.

Narratio de decem leprosis cui præsens Novatoris affingitur observatio, eidem est manifestè contraria: non enim differi Sanitatis gratiam postulant; sed præstari quamtocyus: Christus autem jam mundatos ad Sacerdotes remisit, ut ab eis judicati mundi statim hominum convictui redderentur.

Inauditum hactenus fuit in Ecclesia, Spiritum Sanctum peccatoribus suadere ut aliquo tempore hærerent in peccato; hærerent autem si de bonorum recuperatione quibus peccando fuerant spoliati, minimè forent soliciti; Hoc Atheis, & libertinis proprium est; non autem Christianis qui optimè intelligentes quid sit peccatum, gratiam sibi restitui quamprimum cupiunt.

CAPUT II.

De protrahenda juxta adversarios Sac. Communionis dilatione. à Col.1077. ad 1086.

Statim à novæ Ecclesiæ exordio, fundatoribus ejus cura inter præcipuas fuit Sacram communionem reddere quàm possent carissimam. Illud eorum consilium, & privatis Sancyrani instructionibus, & famoso volumine de *frequenti Communione* redditur manifestum. Oppositum censet Ecclesia Catholica, cujus præsens usus comprobatur S. Ambrosii, S. Thomæ, S. Francisci Salesii, S. Caroli, aliorumque authoritate, præsertim Augustini, qui epist. 118. Sic ait: *Si peccata non sunt, ut excommunicandus quisquam judicetur, non se debet à medicina Dominici corporis separare.*

CAPUT III.

De differendæ absolutionis diuturnitate. à Col.1086. ad 1094.

Ex novatoribus alii censent ad mortis articulum quibusdam peccatoribus absolutionem esse differendam, alii in mundum alterum videntur reservare, noluntque distinguere pœnitentiam canonicam seu fori externi, ab ea quæ fori interni est, & ad Sacramentum pertinet; distinguendam tamen convincit communio concessa pœnitentibus tempore pœnitentiæ, sive ante reconciliationem canonicam.

Morinus summæ apud novos Theologos autoritatis idem docet quod Catechismus Romanus, consuetudinem scilicet absolvendi statim post confessionem *esse ab ipsis Ecclesiæ incunabulis*: Neque Patres & Canones, ut ex Concilio Toletano Primo colligitur, pœnitentiam præcipientes, de privata, & peccatis occultis debitâ; sed de publicâ & fori exterioris locuti sunt.

CAPUT IV.

De humiliatione & confusione, quam à Pœnitentibus Propositio exigit. à Col.1094. ad 1101.

Aliqui procul dubio dantur casus in quibus dilatio absolutionis medicamen est opportunum & subinde necessarium; verùm promiscua, & passim adhibita cujuscunque peccati mortiferi recentis, obtentu portandi cum humilitate & sentiendi statum peccati, ferendi confusionem ex relatione publica peccati occulti, & separatione à Sacramento Eucharistico, cum qualicunque infamia, non est medicina, neque castigatio congrua, nunquam invitis pœnitentibus adhibita ab Ecclesia, à solis malevolis & imprudentibus Confessariis contra om-

omne fas usurpata, & à tribus Pontificibus justissimè proscripta.

Hic lepida narratur historiola de Parocho Jansenista peccatum lethiferum confitenti, statimque à Confessario Franciscano absolutionem propter famæ suæ periculum exigenti; unde apparet Novatorum iniquitas imponentium onera gravia & importabilia in humeros hominum quæ ipsi digito movere nolint vel attingere.

CAPUT V.

Fructus doctrinæ rigidæ de differenda communiter absolutione peccatorum, & S. Eucharistia. à Col. 1101. ad 1108.

Suspiciones, detrimenta famæ, scandala ex promiscua absolutionis dilatione, præsertim in Religiosorum & monialium domibus oriuntur quamplurima. S. Leo & alii, plurimos adultos perire defectu baptismi, vel absolutionis, agnoscunt, cum Sacramento, si frui licuisset salvandos. Validum adversus peccata frænum est confitendi pudor, ut habetur ex Can. 88. de pœnitentia; repulsi à Novatoribus confitendi abjiciunt sæpe cogitationem, vel de salute desperando, vel de divina gratia in mortis articulo præsumendo. Quæcumque proposita fuerit Indulgentia, nullus eam peccator consequi poterit absolutione destitutus: Hæc omnia flocci faciunt novi Theologi.

CAPUT VI.

Detegitur alius modus magis subdolus humiliationis & confusionis pœnitentibus procuranda, à Col. 1108. ad 1112.

Confessionem de peccatis solummodo venialibus abrogant Novatores, ut Ecclesia [inquiunt] se peccatoribus pro delictorum expiatione jungere possit: perinde ac orare pro ipsis nequeat, nisi quos tales nominatim cognoverit. Deplorant proinde, quod quisquis lethalis noxæ reus est, etsi solummodo occultæ, se publicè peccato mortifero contaminatum non profiteatur, qualis professio fieret sublatâ venialium confessione.

Præsens articulus lepida terminatur historia de Parocho avertente populum à confessione venialium & singulis, ut ipse ajebat hebdomadis confitente.

OCTOGESIMA NONA PROPOSITIO DAMNATA.

Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod cùm sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ, *Obser. Mor. Luc. 15. v. 23.*

CAPUT I.

Proscriptus error convellitur. à Col. 1112. ad 1118.

Nè nimium patula sit præsentia enuntiationis falsitas, unicum, inquiunt Novatores, quod hæc peccatoribus denegat, est jus Sacrificio Missæ assistendi, quod justis solummodo competere sustinemus. Quidquid sit de istiusmodi sensu, quem tamen constat non posse esse talem, attentis Quesnelli de charitate articulis, ex quibus evidens fit, singulos actus qui charitas non sint, vel ejus imperio eliciti, esse peccata; Quidquid, inquam, sit de istiusmodi sensu, non propterea immunis est à censurâ; jus enim fidelium, etiam peccatorum fundatur in baptismo, quo Ecclesiæ aggregati sunt velute ejus membra, ac proinde jus obtinent assistendi Sacrificiis, quæ Ecclesiæ nomine offeruntur, nisi peccata adeò gravia, & publica sint, ut ob ea prohibeantur lege aliqua interesse. Fundatur præterea jus illud in natura Sacrificii à Christo clementissimè instituti, ut per illud impetretur peccatoribus propitiatio.

Provida ideo Mater Ecclesia optimè conscia fructuum, qui ex Missæ Sacrificio præsentibus proveniunt non solummodo permittit peccatoribus, ut Divino isti Sacrificio intersint; sed eos etiam ad hoc urget & obligat diebus festis & Dominicis; id autem minimè faceret, si tale jus non haberent.

CAPUT II.

Scripturæ pro damnato Articulo ineptissimè allegantur. à Col. 1118. ad 1122.

Ex Matthæi textu *nolite Sanctum dare canibus* &c. & ex Angelici in eundem locum commentario infertur quidem, non esse peccatoribus licitam Dominici Corporis ac Sanguinis sumptionem, quamdiu immundi sunt, & impuris animalibus, porcis & canibus comparati: non autem, ut volunt adversarii, non licere Mysteriorum celebrationibus interesse, ut participes fiant fructuum, & potentiorem impetrent gratiam, qua ab immunditie liberentur. Nec plus præsidii damnato articulo est, quod ex Sophoniæ cap. 1. proferunt hexapla, falsò enim supponunt omnem hominem, qui cum delicti gravis antea commissi conscientia, Sacrificio interest, *arroganter ingredi super limen, & complere domum Domini Dei sui iniquitate & dolo*; cùm experientia constet rarissimos esse, qui ratione illiusmodi scelerata intrare Ecclesias, & Sacrosanctis assistere mysteriis præsumunt.

CAPUT III.

Damnatus Articulus nihil præsidii habet in Traditione. à Col. 1122. ad 1130.

Dionysius Areopagita, sive quicumque alius sit auctor libri de Hierarchia Ecclesiastica, cap. 3. ait quatuor genera hominum voce præconis ad Sacrificium non vocari, Catechumenos scilicet, Energumenos, publicè Pœnitentes, & præ cæteris illos qui *detestabilissima obsidione criminum tenebantur*: Quod autem posteriorum nomine non intelligat omnes peccatores evidens est; Etenim infirmitate semel laterius solummodo lapsus non dicitur *detestabilissima teneri obsidione sententiis moribusque perditis Dæmonibus consentire*, quod propriè hæreticorum & sceleratorum est.

Ad illud Chrysostomi ex hom. 3. in cap. 1. Epistolæ ad Ephesios; dicimus hunc Sancti Doctoris locum benigniore intelligendum esse ratione, quàm verba obviè sonant, & tùm de peccatoribus publicis ejiciendis, tum de expellenda ab aliis socordia & qualibet conscientiæ impuritate, esse explicandum.

CAPUT IV.

Adversantium observationes petulantiæ multum, nihil solidæ rationis continent, à Col. 1130. ad 1139.

Inter argumenta, quæ pro damnato articulo proferuntur, hoc præcipuum est, quod Ecclesia scilicet ex indulgentia singulari peccatoribus ante reconciliationem concesserit, imò lege imperaverit, ut Sacrificio die-

diebus festis & Dominicis assisterent, com tamen primis seculis id mioimè passa fuerit. Temerè io primis asseritur, quod primorum seculorum Ecclesia peccatoribus occultis prohibuerit divino interesse Sacrificio: Sed etsi olim vetuisset, quod indulget modo & præcipit, ex hac indulgentia & præcepto, peccatores hoc jus procul dubio acquirerent, adeò ut non sioè injuria illo valerent ab inferioribus spoliari; Quicunque enim beneficiom ab altero accipiunt, ut Antistites à Pontifice Episcopatum, accepto beoeficio vere io illud jus acquisivisse diceodi sunt.

NONAGESIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu salrem præsumpto totius corporis. *Observ. Moral. in Matth. cap. 18. v. 17.*

CAPUT I.

De præcipuis damnati dogmatis authoribus, potissimùm Edmundo Richerio, cujus utrâque palinodiâ error Quesnelli destruitur. à Col. 1139. ad 1147.

Hæc malesana opioio quæ divi Petri Successoribus circà regimen Ecclesiæ adimit potestatem, priùs ab Edmundo Richerio, quàm à Quesoello tradita fuit; sed hic Sorbonicus primùm subdolè, deinde morti proximus siocerè & sinè ambiguitate retractavit, fusèque refellit, dicens se eandem ex putridis Lutheri & Calvini fontibus hausisse; *fatendum* autem *esse in Ecclesia & statum & regimen ejusdem in persona Summi Pontificis consistere; Cui omnes Christiani jure divino in Spiritualibus parere tenentur.*

CAPUT II.

Animadversiones in posteriorem Richerii palinodiam, & condemnati erroris iterata convictio. à Col. 1147. ad 1164.

Si *Christus fundans Ecclesiam, priùs, immediatiùs & essentialiùs*, ut Richerius in exitiali opusculo loquebatur, *claves seu jurisdictionem toti dedisset Ecclesiæ, quàm Petro & aliis Apostolis*, Romano autem Pootifici, atque aliis Episcopis solùm instrumentaliter, & qooad executionem tantùm, modus adigendi rebelles subditos ad officium nullus Pontifici, nullus Episcopis superesset. Instromeotom scilicet moveri à se ipso non potest; Sed io omnibus actibus dependet à causa superioris ordinis, penès quam facultas movendi est.

Si verò, ut Richerius se catholicè corrigens fatetur, *Christus claves jurisdictionis Ecclesiasticæ primò, immediatè & essentialiter, non per accidens Petro dederit, deinde per Sanctum Petrum Prælatis Ecclesiæ contulerit*; Excommunicandi authoritas, potestas ligandi & solveodi, imponendi præcepta, residebit immediatè io Pootifice, eaque dum ab eo descenderit in Episcopos, non dependebit à populo, *& toto corpore* ut Quesnelli prætendit novitas ad reddendam irritam qoamlibet superiorum in subditos censuram.

CAPUT III.

Centum Gallicanorum Antistitum de Quesnelli propositione sententia, eorumque contra adversarium defensio. à Col. 1164. ad 1167.

Centum & amplios Galliæ Episcopi in documento pastorali sic observant. *Defensores Jansenii, qui contra Ecclesiam rebelles insurgunt, ejusque censuras metuunt, & excommunicationes, omnia moliuntur, ut se adversus eas præmuniant &c.* In eos invehitur Quesnellus, & præter clamosam impudentiam nihil aliud profert.

CAPUT IV.

Nullius roboris telum est quod sibi fingunt adversarii ex Sacro Codice. à Col. 1167. ad 1170.

Ex eo quod Apostolus epist. 1. Corinthiorum Ecclesiam jusserit excommunicationem enuntiare adversùs fornicarium abominaodum, virum divitem atque hac ratione metueodum, turbandæque Ecclesiæ peridoneum, ex hoc inquam facto unicè contingenti & libero adversarii more solito perpetuam inferunt pro excommunicatione qualibet obligationem & necessitatem.

CAPUT V.

Quod observator ex Augustino objicit, minimè favet Dogmati condemnato. à Col. 1170. ad 1173.

Nobis objicitor Aogustinus tract. 124. in Joannem cap. 5. ubi dicitur; *Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claves ab eo Regni cælorum accepit in Petro, id est potestatem ligandi solveodique peccata.* Verùm hæc potestas juxta totius Ecclesiæ sensum in Pastoribus solùm *propriè* est, in aliis aotem impropriè, metaphoricè & repræsentativè; Sicut cùm S. Leo dicit nos simol cum Christo cælum ascendisse, oon nisi moraliter, & qoantum ad spem sequendi nostrum caput, id est intelligendum; aliàs ex textu Aogustini sequeretur potestatem dimittendi peccata esse etiam penes multitudinem, penès mulierculas, plebejos &c. quod inauditum atque ridiculum est.

CAPUT VI.

Quæ stabiliendo Quesnelliano dogmati ex Patribus copiosius à Collatore congesta sunt, Bellarminus pridem cum doctrina Catholica conciliavit. à Col. 1173. ad 1183.

Adductis pro se Aogostini, & Fulgentii testimooiis, Novatores produnt opinionis suæ sensum magis detestabilem, qoàm proscripti dogmatis vocibus aperiri aliàs videbatur; talibus eoim textibus damnato articulo applicatis fundameotum ejus statuitur, qoòd potestas clavium noo Petro *propriè*; Sed Ecclesiæ tradita à Christo fuerit. Verùm Bellarminus Doctorem maximum, proinde etiam Fulgeotium adversariis eripit, ostendens Augustioum, cùm ait *Beatum Petrum in persona Ecclesiæ accepisse claves, non velle significare ab eo claves reverà & historicè esse acceptas, sicut à Vicario quodam seu legato Ecclesiæ..... Sed potius ut à Principe seu moderatore totius Ecclesiæ: quo pacto dicimus regno dari, quod Regi ipsi datur; præsertim si id in publicam utilitatem cedat.*

CA-

CAPUT VII.

Consectarii absurdissimi ex Quesnelliano dogmate, ejusque vindiciis deductio. à Col. 1183. ad 1196.

Summi Pontifices qui Baji, Jansenii, Quesnelliique doctrinam damnarunt, & quidem, ut ajunt Novatores per summum scelus, illi inquam, si novis credimus Theologis, peccarunt graviter, adeoque pœnitentia & absolutione habuerunt opus; quis autem, quæso, eosdem absolvit? non Papistæ; irrita enim fuisset, & nulla talis absolutio non concurrente, imo repugnante magna Ecclesiæ parte, & quidem puriore, sic se nominat Ecclesia Janseniana, nam si non Petro; sed toti in solidum Ecclesiæ data est potestas ligandi, data quoque fuit potestas absolvendi; Neque hos absolvit grex Jansenianus; miseri itaque minimè absoluti perierunt. Quis Catholicus Quesnello non indignetur?

CAPUT VIII.

à Col. 1196. ad 1203.

Supposito Quesnelli dogmate ejusque vindiciis, facile fuerit cuicunque malevolo impedire, nè absolutionem in pœnitentiæ Sacramento reciperent piissimi viri, etiam qui post obitum fuerunt in Sanctorum catalogum relati præsertim S. Franciscus Salesius, S. Carolus Borromæus, & S. Pius V. utpote Jansenianis erroribus infensi.

CAPUT IX.

à Col. 1203. ad 1219.

Hic habetur Dialogus Quesnellistam inter & Catholicum imponens coronidem præsenti & superioribus aliquot de disciplina Ecclesiastica disputationibus.

NONAGESIMA PRIMA PROPOSITIO DAMNATA.

Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus. *Observ. Moral. in Joann. 9. v. 22. & 23.*

CAPUT I.

Damnatus articulus plenus dolo, & perniciе, etiam de falsitate convincitur. à Col. 1220. ad 1229.

Jus Ecclesiæ callentibus est indubitatum, in excommunicationum injustarum numero reperiri non paucas nihilominus validas; notandum proinde est, aliud esse manere in Ecclesia, corpore & animo, aliud animo solo: posterius convenit justis Scotentia aliquo modo iniquâ sed tamen validâ, ab Ecclesiæ corpore separatis. Priori autem ratione justum extra Ecclesiam esse, neque definit Apostolica Sedes, neque nos contendimus. Porrò separari ab Ecclesiâ etiam solo corpore, ingens malum est, & abundè sufficiens, ut ejus metu ab alicujus impletione debiti impediamur; eripit enim communionem cum fidelibus, & participationem, potissimum publicam, Sacramentorum; quæ procul dubio inter Christiani hominis debita numeratur; accedit prohibitio nè ulli liceat interesse Sacrificio aut alteri functioni Sacræ, interdictum præterea Sepulturæ Ecclesiasticæ, & solitorum Ecclesiæ suffragiorum.

CAPUT II.

Damnati articuli sensus, prout à suis authoribus, contra Bullas S. Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. Innocentii X., Alexandri VII. Clementis IX. in praxim deducitur. à Col. 1229. ad 1243.

In Quesnelli eique adhærentium systemate, omne contra eos, aut eorum sententias anathema necessariò illegitimum est, injustum, & nullius roboris, utpote proveniens ex errore intolerabili Scripturis Sacris, ac traditioni [ut ipsi ajunt] omnino contrario; nullis proinde Pontificum moventur censuris, totique sunt in obfirmandis suis Discipulis adversùs earum metum; ut ex Gerberoni, Arnaldi, Quesnelli, aliorumque Jansenii discipulorum libris adversùs supradictorum Pontificum decreta, fit manifestum.

CAPUT III.

Dogmatis Quesnelliani usus tempore Innocentii XI. & Alexandri VIII. pergit illius amplius demonstrare perniciem. à Col. 1243. ad 1257.

Innocentii XI., & Alexandri VIII. apostolicas in novæ sectæ libros Constitutiones, nullâ supremæ authoritatis reverentiâ absterriti Janseniani eludere, proculcare, earumque contemptum suis suadere discipulis non dubitarunt, utpote securi axiomate Quesnelliano *Excommunicationis injustæ metum nunquam debere nos impedire ab implendo debito nostro. &c.*

CAPUT IV.

Articuli damnati penès Jansenistas usus tempore Innocentii XII. à Col. 1257. ad 1266.

Non major fuit Jansenianorum erga S. Sedem reverentia tempore Innocentii XII. licet Ægidius Candidus scripserit ad suos sub hoc Pontifice advenisse *tempus loquendi*; sed eadem semper temeritate obfirmscaque pertinaciâ Pontificias definitiones, & quæcunque eas comitantur anathemata, pro suo, ut ajunt, adimplendo debito impudentissimè contempserunt.

CAPUT V.

Articulus condemnatus Janseniana rebellionis & pertinacia fomes perpetuus toto tempore Pontificatûs Clementis XI. à Col. 1266. ad 1286.

In Quesnello, & omnibus ei adhærentibus, animum ab omni excommunicationis metu fuisse liberum, regnante Clemente XI., testantur innumera ab eis edita in lucem opuscula, quibus ejusdem Supremi Pontificis bullas, atque Sacræ Inquisitionis præsertim contra Archiepiscopum Sebasteum decreta, spreto anathemate impugnarunt.

CAPUT VI.

Nihil in Sacris literis, vel Augustino est quod Quesnelliano dogmati suffragetur. à Col. 1286. ad 1294.

Argumentum quod ex Actuum Apost. cap. 5. & Joannis capite 12. conficit Adversarius eodem laborat vitio, quod alias sæpe notavimus, à termino scilicet particulari, sivè non distributo ad distributum, seu generalem deducta est consecutio. Excommunicatio enim de qua hic agitur, non injusta solùm injustitiâ qualicunque, aut levissima laborabat; sed gravissimâ, undequaque iniqua & illegitimâ, quæ excommunicationem prorsus irritam redderet & Sacrilegam. Rursus Christianæ fidei professio debita est jure divino, adeòque necessaria ad salutem. Quæ hinc igitur argumenti species est, qua conficias, nullum esse adeò exile debitum, etiam juris solummodo humani, à quo adimplendo non oporteat unquam injusti cujuscunque formidine anathematis abstinere?

E Patribus contra nos adducitur præcipuè Augustinus, qui tamen ut hic videre est, damnato articulo minimè suffragatur.

FINIS SYNOPSIS.

Errata				sic Corrige:
Col. 4.	lin. 39.	videmus	*lege*	vidimns
col. 5.	lin. 30.	iu	*lege*	in
col. 6.	lio. 46.	miferrueret	*lege*	mifer rueret
col. 7.	lio. 18.	introductio . Scnpos	*lege*	introductio , Scopus
col. 73.	lio. 45.	Quefocllo arnaldice	*lege*	Quefnello-arnaldiex
col. 79.	lin. 7.	oota re	*lege*	ootàre
col. 106.	lio. 19.	Hane Deo	*lege*	Hane Dei
col. 183.	lin. 51.	Ca holicus	*lege*	Catholicns
ibidem	lin. 52.	tolerandotm	*lege*	tolerandum
coi. 394.	lin. 47.	at omncm	*lege*	nt omoem
col. 418.	lin. 15.	refpoderent	*lege*	refponderent
col. 461.	lin. 43.	Serm.36. cone.3.	*lege*	In Pf.36. Serm.3.
coi. 463.	lio. 33.	tribucres	*lege*	tribuere
col. 646.	lio. 1.	opufcolis	*lege*	opofculi
col 943.	lin. 2.	coofirmatum	*lege*	confirmatam
col. 1009.	lio. 14.	ejufqoe	*lege*	earumque
coi. 1047.	lin. 44.	judicro	*lege*	judicio
col. 1088.	lin. 46.	diftioguendum ,	*lege*	diftiogueodam.

REGESTUM.

†
A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vv Xx Yy Zz.
Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sss Ttt Vvv Xxx Yyy Zzz.
Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm
a b c d e f g

Omnes funt Duerniones. Index autem Capitum, & Doctrinæ Synopfis, quæ minoribus typis excufa, huic tertio Tomo fubnectitur, 7. foliis fimplicibus.